# CORPUS REFORMATORUM

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.



VOLUMEN VII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1840.

# PHILIPPI MELANTHONIS

# OPERA

# QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN VII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1840.

# CORPUS REFORMATORUM

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.



VOLUMEN VII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1840.

# PHILIPPI MELANTHONIS

# OPERA

# QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

## VOLUMEN VII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1840.

PHILIPPI MELANTHONIS

# EPISTOLAE, PRAEFATIONES, CONSILIA, IUDICIA, SCHEDAE ACADEMICAE.

ACCESSERUNT

CASP. CRUCIGERI EPISTOLAE ET IUDICIA, ALIORUMQUE ETIAM EPISTOLAE AD VITAM MELANTHONIS ILLUSTRANDAM SPECTANTES.

UNDIQUE EX LIBRIS EDITIS COLLEGIT,

EX MANUSCRIPTIS EMENDAVIT ET AUXIT, ET SECUNDUM SERIEM ANNORUM

DISPOSUIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

---

## VOLUMEN VII.

---

# ANNALES VITAE PHILIPPI MELANTHONIS.

## ANNO 1548.

Iul.
2. Conventus ordinum Misniae, ad quem etiam Melanthon proficiscitur.
6. Iudicium prolixum Theologorum in conventu traditum.
8. Melanthonis scriptum de iustificatione et de bonis operibus.
(10.) Melanthon redit Witebergam.

Aug.
3. Mittit amicis *vitam Hieronymi.*
4. Iterum in Angliam vocatur a Cranmero.
10. Theologi Wittebergenses de libro Augustano scribunt ad Theologos Argentinenses.
13. Io. Agricola invehitur in Melanthonem.
20. Mel. praefatur in *orationem Lycurgi contra Leocratem.* (Conferenda sunt quae exeunte Augusto de hoc libello scripsit Christophoro Pannonio.)
23. Mel. est in conventu Pegaviensi.
In reditu tres dies commoratur Lipsiae.
30. Est iterum Witebergae.
31. Intercedit pro vidua Lutheri. — Cruciger periculose aegrotat.
Carolus Imperator postulat, ut Mauritius Melanthonem ex terris suis expellat.

Sept.
3. Mel. intercedit pro vidua Lutheri apud Regem Daniae.
5. Colligit Io. Stigelii Psalmos, quos editurus est.
12. Adsunt Witenbergae concionatores aliqui missi ex Ausbach, quibus Mel. tradit epistolam de libro Augustano ad Francicos concionatores.
13. Expatiatur cum Forstero ad Georgium Anhaltinum.
16. Cruciger periculose aegrotat.
18. Mel. enarrat in schola epistolam ad Romanos.

Oct.
3. Scribit in usum Georgii Anhaltini orationem de dicto: Fundamentum aliud poni non potest etc., quam ei mittit d. 9. Oct.
Mittit ad amicos orationem de tribus farinae satis.
8. Enarrat in schola Pindarum et Demosthenis orationem de corona.
14. Mittit Georgio Anhaltino annotata quaedam de sacrificio Missae, quae scripserat ad concionatores Hallenses.
16. Vocatur Torgaviam ad conventum.
18. Conventus ordinum Misnensium Torgaviae, habitus de sacris ex mandato Caesaris instituendis.
19. Prima forma Interim Misnici, vel Lipsici (ut postea appellabatur) profertur.

Oct.
20. Melanthon Witebergam redit, minime contentus cum aulae consiliis.
24. Alterum scriptum de sacrificio conscribit, mittendum Iulio Pflugio.
Nov.
11. Vocatus est cum Bugenhagio et Camerario ad conventum Ordinum Misnicor. in monasterio Cella.
15. Proficiscitur Cellam.
16. *Caspar Cruciger moritur.*
16-20. Conventus Cellensis.
19. Interim Cellense, s. altera forma libelli, qui postea appellatus est Interim Misnicum vel Lipsiense.
Dec.
6. Queritur Melanthon, literas suas intercipi et Caesari mitti.
11. Vocatur ad conventum Iuterbocensem.
16. Scriptum Theologorum de sacrificio Missae.
17. Decretum in conventu Iuterbocensi.
Melanthon proficiscitur Lipsiam ad conventum a Mauritio, Electore, cum ordinibus suae ditionis habendum.
21. Conventus Lipsiae habitus.
24. Interim Lipsiense.
Theologis mandatur a Mauritio, ut formam Agendorum sacrorum conscriberent (quam postea mense Martio 1549. Merseburgi absolverunt).

## ANNO 1549.

Ian.
5. Melanthon ex conventu Lipsiae habito redit Witebergam.
6. Scribit Meienburgio: „Lipsica actio non facit in Ecclesia mutationem, quia controversia de Missa et canone reiicitur ad alias actiones, sed tamen quaedam optarim aliter acta esse."
7. Theologi Berolinenses consultant Witebergenses de libro Augustano.
11. Responsum Witenbergensium mittitur Berolinum.
20. Ultima epistola Melanthonis ad Vitum Theodorum.
23. Concionatoribus Mansfeldensibus scribit de adiaphoris, itemque Aepino Hamburgensi, et iudicat, servitutem in Adiaphoris potius ferendam esse quam deserendas Ecclesias.
25. Queritur de inopia Academiae.
29. Scribit de adiaphoris ad Pastores Francofordiae ad Moenum.
Febr.
9. Erhardum Schnepfium invitat, ut se Witebergam conferat.
12. Literae Senatus Argentoratensis ad Caesarem, promittentis, se libro Augustano, Interim, obsequuturum esse.
13. Melanthon Lipsiae est ad nuptias Meureri concelebrandas.
21. Tomus III. operum germanicorum Lutheri sub prelo est.
24. Bucerum invitat, ut Witebergam veniat.
Mart.
1. Praefatur in librum Flacii Illyrici de voce et re fidei.
3. Concionatores Ulmenses, captivi abducti a Caesare, dimittuntur liberi.
7—15. Melanthon his diebus iter fecisse videtur ad Georgium Principem Anhaltinum, ut cum eo de forma Agendorum sacrorum, Mauritio Electori tradenda, deliberaret.
18. Fama est, Melanthonem a Iulio Pflug, Episcopo, pecunia corruptum esse, ut sacrorum mutationi faveret.
25. Vitus Theodorus, concionator Norinbergensis, moritur.
Melanthon ad Georgium Anhalt. scribit: „Illyricus hinc abiit, aperte causam hanc dicens, se nolle spectatorem esse mutationis rituum; — arbitror, quaerere illum sedem, unde liberius nos calumniari possit."
April
1. Philippus, Caroli Caesaris filius, amplissima cum pompa Bruxellam ingreditur.
Bucerus et Paulus Fagius ex Argentorato exulant et in Angliam se recipiunt.

Apr.
Excuditur *Ptolemaei liber* μεγάλης συντάξεως graece et latine.
7. Pastores Witebergensis, Lipsiensis et Dresdensis probant formam Agendorum sacrorum a Georgio Anhaltino scriptam.
13. Conventus Torgaviensis, ubi Melanthon aliique de forma Agendorum sacrorum ulterius deliberant.
16. Melanthonis responsum ad concionatores Hamburgenses de adiaphoris.
21. Magdeburgi prodeunt libelli adversus Theologos Witebergenses.
23. Melanthon praefatur in Tom. III. operum latinorum Lutheri.
28. Conventus Grimmae, ubi liber Agendorum sacrorum recognoscitur.

Maii
1. Declaratio Theologorum de libro Agendorum in conventu Grimmensi.
Ineunte Maio Archiepiscopus Moguntinus in provinciali synodo restituit ceremonias papisticas a Protestantibus abrogatas.
9. Melanthon absolvit Tom. III. operum Lutheri latinorum. Item *Ptolemaei liber* absolvitur. Adest Witebergae *Sabinus*, Melanthonis gener.
10. Melanthon laudat et commendat *Peucerum*, convictorem suum.
11. Mel. praefatur in Ptolemaei mathematicae constructionis librum I., graece et latine editum per Erasmum Saalveldensem.
Hoc tempore acris oritur disputatio de linea veste, sive Alba, qua uti debebant pastores iussu Electoris in administranda coena sacra. Putabant, hoc esse reditum ad ceremonias papisticas, prae caeteris Pastor Torgaviensis, *Gabriel Zwilling* (Didymus), eiusque Diaconus *Mich. Schulzius* (Praetorius).
22. Sabinus, gener Melanthonis, filiolam suam a Melanthone educatam secum abducturus est in Prussiam. (Vid. ep. d. 10. Iul.)
25. Mel. Alberto, Duci Prussiae, scribit de Lutheri vidua et liberis.
27. Melanthon scribit Vito Theodoro epitaphium.

Iun.
Ineunte Iunio Mel. atroces sentit dolores ex calculo ortos.
9. *Flacius* Magdeburgi plaustra convitiorum edit in doctores Witebergenses.
10. Melanthon mittit Georgio Pr. Anhaltino orationem de Pauli dicto: *typus esto* etc. Item initium catechismi, quem scripserat filiolae suae.
*Gabriel Zwilling*, Pastor Torgav., et eius Diaconus *Mich. Schulze*, qui contendebant, idololatriam esse, uti in sacra coena linea veste Witembergae sunt, sed frustra monentur a Theologis Witeberg.
12. Melanthon, Bugenhagius et Forsterus, iussu Electoris, Torgam se conferunt, ut moneant Pastorem et Diaconum huius urbis, ne populum concitent adversus formam Agendorum sacrorum novam. — In locum Diaconi, Schulzii, mox suffectus est *Georgius Mohr*.
22. Melanthon calculo laborat.

Iul.
4. Edictum Mauritii Electoris, quo iubet, ut omnes Pastores nova Agendorum sacrorum forma, ipso promulgata, utantur.
(Das sogenannte kleine Interim.)
5. Edictum Henrici II., Regis Galliae, contra Protestantes.
26. Melanthon vocatus est in Academiam Rostochianam.

Aug. Mota iam est controversia Osiandriaca de iustificatione, Regiomonti.

Sept. Ineunte mense cum Ioachimo Camerario fuit in aula, accersitus ad quasdam de schola deliberationes.
9. Melanthon mittit *orationem de Crucigero*, et *Panegyricum de Ioanne baptista.*
19. Mel. et Bugenhagius concionatores Berolinenses, de peccato originis in Maria virgine litigantes, ad concordiam tuendam hortantur.
Mel. in usum Bernhardi Ziegleri, Lipsiensis, scribit *propositiones de Esaia.*

Sept.
Georgio Anhaltino scribit *concionem de Sycomoro.*
29. *Initia doctrinae physicae*, Meienburgio dicata, prodeunt.
Oct.
1. Melanthonis literae ad Flacium Illyricum.
6. Expatiatur ad Georgium Anhaltinum, Episcop. Merseburgensem.
Georgio Anhalt. scribit orationem synodicam de dicto Pauli: *probet unusquisque opus suum* etc.
16. Cruciatur a calculo.
Nov.
1. Praefatur in librum Kragenii de imagine Dei.
4. Mittit quaedam capita disputationis de filio Dei.
Hoc tempore *Antonius Otto*, Pastor Nordhusanus, Melanthonis praefationem germanicam in Acta colloquii Ratisbonensis recudi curavit, adspersis scholiis in contumeliam Melanthonis scriptis.
10. Moritur Paulus III. Pontifex.
14. Melanthon proficiscitur Lipsiam et vocatur Dresdam.
19. Mel. est Dresdae. Deliberatur in aula de scripto contra Flacium eiusque adseclas emittendo, quam rem Melanthon dissuadet.
20. Cardinales eunt in conclave, electuri novum Pontificem.
Sub finem mensis Melanthon rediit Witebergam.
*Paulus Fagius* moritur exul Cantabrigiae in Anglia.
Dec.
10. Ferdinandus Rex postulat, ut sibi mittatur forma Agendorum sacrorum a Georgio Anhaltino scripta.
17. Melanthon respondet proceribus Austriacis, qui ad eum scripserant de synodo Salisburgensi.
20. Georgio Anhaltino scribit concionem de dicto: *nemo rapiet oves ex manibus meis.*
Mittit disputationem *de Iubilaeo.*

## ANNO 1550.

Ian.
1. Mel. scribit ad Lucam Lossium de canticis sacris.
4. Est Lipsiae.
11. Mel. valde cupit, ut Sabinus duas minores filias ex Anna conceptas (Martham et Catharinam) iterum Witebergam mittat, quod vero hic denegavit. (Vid. ep. d. 15. Apr.)
20. Proficiscitur Mersburgum ad Georgium Anhalt., quo etiam Ioachimus Camerarius venit.
25. Prodiit Melanthonis *oratio de Ioanne*, Duce Sax. Electore.
Febr.
1. Missa pontificia, totos iam 21 annos intermissa, iterum celebratur Argentorati in tribus templis Episcopo permissis, unde tumultus plebis oritur.
6. Initia controversiae de sacra coena Bremae, cum Hardenbergio.
7. Ioannes Maria Montanus, Cardinalis, eligitur Pontifex Romanus, sibique imponit nomen Iulii III.
13. Melanthon desponsat Filiam suam, *Magdalenam*, Casparo Peucero, artis medicae professori in Acad. Witeb.
17. Magdeburgenses conducunt in urbis defensionem equites, et vexilla faciunt insignita cruce.
22. Iulii III., Pontificis, solemnis inauguratio.
27. Hamburgi controversia agitur de descensu Christi ad inferos.
28. Melanthon Torgaviae dat consensum paternum *Philippo*, filio suo natu maximo, viduam aliquam in matrimonium ducturo.
Mart.
2. Mel. in schola enarrat Apollonii Argonautica.
7. Pfeffingero, Pastori Lipsiensi, scripsit capita disputationis, et Zieglero capita s. theses de Ecclesia. (Cf. ep. d. 21. Mart.)

Mart.

13. Caroli Imperatoris mandatum, ut ordines Imperii d. 25. Iunii conveniant Augustae Vindelicorum.
14. Albertus Marchio parat bellum. Idem faciunt Brunsvicenses.
18. Mel. praefatur ad Zieglerum in Aesopi fabulas a Ioach. Camerario editas.
21. Mel. Lipsiae est, profecturus cum Camerario Cygneam, de schola illius urbis instituenda deliberaturus. Rediit domum ineunte Aprili.

Apr.

26. Denuo editur *enarratio symboli Nicaeni.*
29. Crudele edictum Caroli imperatoris in Belgico de severe puniendis doctoribus et confessoribus purioris doctrinae.
Hoc mense prodiit scriptum concionatorum Magdeburgensium, in quo confessionem suam recitant, et docent, licitum esse, se armis defendere contra superiorem, veritati vim inferentem.

Maii

1. Melanthon Lutheri commentationem de verbis novissimis Davidi iterum edit.
Prodiit Calendarium Pauli Eberi.
3. Pars enarrationis symboli Nicaeni absoluta est.
5. Nuptiae Philippi, filii Melanthonis.
7. Filii Philippi, Landgravii Hassiae captivi, postulant, ut Mauritius, Dux Saxon. Elector, se sistat captivum Caesari loco patris.
9. Melanthon Worlitzii est apud Ioannem Principem Anhalt. aegrotantem.
19. Mel. invitat Camerarium ad sacrum nuptiale filiae suae Magdalenae.
26. Mittit Georgio Anhaltino orationem de dicto: *pater, sanctifica eos in veritate tua* etc.
Exeunte Maio Carolus Caesar una cum Philippo filio Bruxella discedit et Augustam ad comitia contendit, adducto secum Ioanne Friderico, Saxoniae Duce Elect. captivo, Philippo autem, Landgravio Hassiae, relicto Mechliniae.

Iun.

2. *Nuptiae Magdalenae,* Melanthonis filiae natae, d. 18. Iul. 1531., et Casp. Peuceri. (Peperit ea Peucero tres filios et septem filias, et e vita decessit Rochlitzii d. 18. Iul. 1576.)
Flagrat hoc mense bellum Henrici, Ducis Brunsvic. contra urbem Brunsvigam.
24. Melanthon ad Regem Daniae praefatur in Tomum III. operum Lutheri germanicorum.
28. Mittit Psalmum: *quam dilecta sunt tabernacula* etc. qui quidem legitur in Melanthonis Epigr. p. 25., sed in ep. ad Cureum d. d. 9. Iul. 1550. *Stigelii* esse dicitur carmen.
Hoc mense nuptiae secundae *Georgii Sabini*, qui duxit Annam, filiam Christophori Cromeri, senatoris Regiomontani.

Iul.

2. Flacius criminatur Academias Lipsiensem et Witebergensem, quod in thesibus, a Pfeffingero nuper Lipsiae publice defensis et a Melanthone conscriptis, mutaverint veram doctrinam de viribus hominis in conversione a peccato.
18. Laelius Socinus venit Witebergam.
Melanthon suam scribit sententiam de concilio Tridentino continuando.
26. Initia comitiorum imperii Augustae Vindelicorum.

Aug.

29. Melanthon in eo est, ut scribat adversus Flacii aliorumque calumnias.
Henricus Dux Brunsv. obsidet urbem Brunsvigam.
Exeunte Augusto moritur Granvelus, pater, in comitiis Augustanis, in cuius locum succedit Antonius, eius filius, Episcopus Atrebacensis.

Sept. Ineunte mense Melanthon scribit Placotomo sententiam suam de prodigiis.
7. Mel. scribit Georgio Veneto, Pruteno, propositiones in publicam disputationem, habitam Witebergae d. 2. Oct.
21. Editur Mel. *brevis enarratio in Ecclesiasten.*

Sept.

22. Proelium Magdeburgensium cum copiis Georgii Ducis Megapolitani.

Hoc mense Theologi Witebergenses ad Senatum Hamburgensem scribunt de controversia de descensu Christi ad inferos.

Oct.

1. Enarrationem in Ecclesiasten dicat Ioachimo Mollero.

Magdeburgensium scriptum adversus Carolum Imperatorem.

12. Mittit Georgio Anhaltino concionem de dicto: *nemo rapiet oves meas ex manibus meis.*

18. Lipsiam proficiscitur.

27. Stathmioni mittit tabulas ad *Copernici* doctrinam institutas.

Hoc mense prodeunt Melanthonis *ethicae doctrinae elementa* et narratio *quinti libri Ethicorum Aristotelis*, Antonio Burenio dicata.

Item: Magdeburgum obsidetur a copiis Ducis Megapolitani. Mox autem belli adversus Magdeburgenses dux a Caesare constituitur Mauritius, Saxoniae Dux, Elector.

Nov.

13. Iulius III. Pontifex indicit concilium Trident. ad Calendas Maii habendum.

Dec.

5. Melanthon editurus est carmina *Stigelii*, adiuncta oratione Burenii de *Magno*, Principe Megapolitano, et altera sua de Iohanne, Duce Sax. Electore.

Mel. parat novam editionem libri de anima.

13. Praefatur in Mencelii epicedion Ioanni Spangenbergio scriptum.

19. Magdeburgenses obsessi eruptionem faciunt, et capiunt Ducem Megapolitanum.

20. Melanthon praefatur ad Philippum Ducem Pom. in Tomum IV. operum Lutheri germanicorum.

Explicationem Proverbiorum Salomonis dicat Alberto, Duci Megapolitano.

## ANNO 1551.

Ian.

1. Praefatur in Goldwurmii „Historia von Joseph", ad Philippum Comitem Nassaviensem.

Febr.

9. Melanthon et Camerarius proficiscuntur Dresdam deliberaturi cum aulicis de quibusdam doctoribus in Synodum Tridentinum mittendis. — In itinere salutat Doctores scholae Misnensis carmine graeco.

Scribit ibidem sententiam suam de concilio Trident.

13. Dimittitur Imperii conventus Augustae Vindel.

25. De ordinatione scribit ad Academiam Pomeranicam.

27. *Bucerus* moritur Cantabrigiae in Anglia, et honorifice sepelitur.

Mart.

3. Melanthon ad Goettingenses de vocatione ministrorum verbi divini.

29. Mittit *orationem de Friderico*, Duce Sax. El.

Apr.

24. Concionatoribus Argentoratensibus scribit de synodo futura, eosque monet, ut in promptu habeant suam confessionem fidei.

30. Mittit descriptionem figurae Christi et Mariae. (Cf. ep. ad Buchholz. d. d. 9. Iun. h. a.)

Maii

1. Edit *libellum de coniugio*, Medmanno dicatum; scribit de controversia Osiandri, et praefatur ad Iacobum Camenicenum in Viti Theodori explicationem insignium sententiarum ex Ioanne Evang. collectarum.

Maii
Inchoatur Concil. Trident. sed statim in Calendas Sept. producitur.
6. Dessam secedit, ibique conscribit confessionem Saxonicam concilio Trident. tradendam. Eo etiam venit Ioach. Camerarius, per quem confessionem misit ad Cumerstadium. (De confessione Saxon. vid. epp. d. 9. 11. Iul., d. 25. Aug. et d. 2. Septbr. huius anni; item epist. Georgii Maioris in Schumacher's Briefen an die Könige von Dänemarck P. II. p. 151. et p. 156. Denique Mel. epist. d. d. 4. Maii 1553.)
Melanthon in hoc secessu legit scripta Clementis Alexandrini.
20. Conventus Naumburgi.
Iun.
11. Melanthon confessioni Saxonicae addit quaedam de veteri forma Collegiorum episcopalium.
16. Est Sonnewaldae apud Comitem a Solms.
20. Commendat Laelium Socinum, Viennam profecturum.
Iul.
3. Legati Ioannis Marchionis probant confessionem Saxonicam Witebergae.
9. Conveniunt Witebergae pastores Ecclesiarum vicinarum, ut subscribant confessioni Saxonicae. (Vid. Salig's Historie der Augsburg. Confess. I. p. 664.)
Aug.
6. Recuduntur Melanthonis ὑπομνήματα in Ecclesiasten.
8. Mel. Dresdam proficiscitur, ut ibi agatur de concilio Trident.
14. Iterum domum redit ex itinere.
26. Accipit Melanthon literas Alberti, Ducis Prussiae, in quibus rogatur, ut sententiam suam scribat de controversia ab Osiandro mota.
Sept.
1. Iterum inchoatur actio in Concil. Trid.
Ineunte Septb. decretum severissimum in Gallia contra Lutheranos.
29. Antonium Corvinum Melanthon commendat Hildeshemensibus.
Oct.
2. Legati Mauritii, Ducis Elect., et legati Magdeburgensium Witebergae conveniunt, acturi de pace facienda.
4. Melanthon confessionem Osiandri accipit missam ab Alberto Duce.
28. Melanthon ad Baumgartnerum: „Nunc recudimus librum de anima, cui praefationem ad te aliam addam. Decrevi etiam edere libellum Iustini Martyris recens allatum, cui titulus est: ἔκθεσις πίστεως."
Nov.
3. Pax inter Mauritium Pr. Elect. et Magdeburgenses.
5. Melanthon in schola enarrat Aristophanis Equites, et Thucydidem.
6. Scribit iudicium suum de doctrina Osiandri ad Moibanum.
13. Mandata accipit a Mauritio El., ut proficiscatur Tridentum.
15. Proficiscitur Dresdam.
18. Est Misniae et mittit Paulo Ebero scriptum suum de libro Osiandri.
22. Est Dresdae. Curat, ut iudicium suum de Osiandro, Moibano missum, describatur per Eberum in usum Alberti Ducis Megapolitani.
Hoc anno praefatus est in Georgii Maioris librum de abusibus ac profanatione coenae dominicae in Missa pontificia.

## ANNO 1552.

Ian.

1. Melanthon Dresdae est. Eius scriptum de Osiandro typis exscribitur et mox prodit.
*Bernhardus Zieglerus*, Lipsiensis, moritur.

5. Melanthon Lipsiam proficiscitur.

7-13. Lipsiae versatur.

13. Literae Mauritii, Ducis Elect., ad concilium Trident. a Melanthone scriptae.
Melanthon convictores suos dimittit, et auditoribus Witebergensibus valedicit.

14. Iter ingreditur ad concil. Trident. iussu Principis Electoris.

16. Venit Cygneam.

21. Synodus Pastorum Gryphiswaldae, confessioni Saxonicae subscribentium.

22. Melanthon, simul cum Peucero, comite suo, venit Norinbergam, ubi usque ad ulteriora Electoris mandata considere decrevit. Recipitur in claustro Aegidiano ab Abbate *Friderico*, apud quem habitavit usque d. 9 vel 10. Martis, et saepius in schola Aegidiana praelegit. Strobelius ad Camerarii vitam Melanthonis p. 316. narrat, Melanthonem circiter triginta duas lectiones publicas habuisse in Gymnasio Aegidiano.

25. Praefatur in Tomum III. enarrationum Lutheri in Genesin, ab Hieron. Besoldo editum.

Febr.

19. Senatus Norinberg. Melanthoni duos equos donat.

23. Melanthon audit, Mauritium Elect. parare bellum contra Caesarem, quare consultum putat domum potius redire, quam in itinere ulterius progredi.

24. Praefatur ad Fuggeros in Ioannis Regiomontani tabulas.

27. Petit ab aula, ut declaret, regrediendumne ipsi sit, an progrediendum?
Hoc tempore conventus est ordinum Misnensium Torgaviae.

Mart.

9 vel 10. Melanthon, equo vectus, suo arbitrio domum revertitur. Comitantur eum Sarcerius et Paceus.

12. Egram venit, ubi equitem, quem ei Senatus Norinberg. comitem itineris dederat, iterum dimittit.

13 v. 14. Melanthon est in oppido Ioachimsthal apud Matthesium.

14. Legati Mauritii Pr. Electoris clam discedunt e conventu Tridentino.

16. Melanthon proficiscitur in oppidum Annaberg, ubi equitem, quem a Senatu in valle Ioachimica comitem itineris acceperat, dimittit.

19. Est Lipsiae.

20. Redit Witebergam.

21. Mittit versiculos *de siclo*, in itinere factos.

27. A Cranmero, Archiepiscopo Cantuar., vocatur in Angliam.

Apr.

1. Mauritius Pr. Elect. obsidet Augustam Vindelicorum, quam d. 3. April. deditione capit.

10. Ioannes Aurifaber, Theologus Rostochiensis, missus a Duce Megalopolitano Witebergae est, ut de doctrina et ritibus Ecclesiarum Megalopolitanorum librum conscribat, adiutus consilio Melanthonis.
Melanthonis loci theologici denuo eduntur germanice.

12. Copiae Mauritii Elect. Ulmam obsident.

17. Melanthon promittit, se Georgium Maiorem in enarranda epistola Pauli ad Ephesios adiuturum esse.

19. Copiae Mauritii Stockachum petunt. Ipse profectus est in oppidum Linz, ut cum Ferdinando Rege eiusque filio Maximiliano de pace agat.

20. Melanthon editurus est Chytraei orationem de Henrico, Duce, cui intexere vult narrationem de Petri Suavenii liberatione.

Maii

1. Copiae Mauritii sunt Gundelfingae.

4. Exempla confessionis Saxonicae edita sunt Basileae, inscio Melanthone.

18. Mauritius occupat Fuessen. — Melanthon scribit, in Poloniam vocari homines idoneos ad docendam Evangelii doctrinam permittente rege.

19. Mauritius occupat Erebergum. Ioanni Friderico Elect. captivo indicatur liberatio ex captivitate.

20. Mauritius cum exercitu progreditur per Alpes Oenipontum. Caesar se recipit Villacum et dimittit Joannem Fridericum ex vinculis.

Iun.

1. In urbe Passau Mauritius et Ferdinandus rex conveniunt, ut de pace agant.

Witebergae grassantur contagia luis, et Academia deliberat de secessu.

Albertus Marchio Brandenb. obsidet Norinbergam, et rex Galliae Caesari bellum infert.

10. Senatus Torgaviensis offert Academiae Witebergensi hospitium.

19. Melanthon occupatur in retexendo libro de anima.

30. Prodit Melanthonis *oratio de Capnione.*

Iul.

3. Mel. scribit adversus Osiandrum latino sermone.

13. Hospitia quaerit Torgaviae, quo Academia se confert propter luem Witebergae grassantem.

17. Torgaviae incipiunt praelectiones academicae.

18. Liber de forma Ecclesiarum Megapolitanarum absolutus est.

Exeunte mense familia Melanthonis se confert Torgaviam.

31. Pax inter Mauritium et Caesarem.

Aug.

3. Melanthon se confert Torgaviam, ubi enarraturus est in schola epistolam ad Romanos.

9. Typographorum causa proficiscitur Witebergam.

12. Redit Torgaviam.

15. Loci germanici typis exscribuntur. — Occasione data ab Osiandro iterum tractat doctrinam de personarum in Deo discrimine, ideoque interpretaturus est Iustini librum de tribus personis in Deo.

20. Praefationem in Haggaeum in manibus habet.

22. Lipsiam proficiscitur ad Camerarium, (unde rediit Witebergam et ibi commoratus est usque ad 13. Septb.)

25. Carolus Imperator restituit Senatum Augustanum, et permittit, ut ministri priori forma sacrorum utantur.

30. Chartas enarrationum Lutheri in Genesin mittere vult Norinbergam.

31. Stigelio scribit de tribus personis in divinitate.

Sept.

1. Carolus Caesar Augusta Vindelicor. discedit.

2. Ioannes Fridericus, Dux Sax. Elect., iter domum ingreditur.

3. Caesar venit Ulmam.

4. Philippus Landgravius Hassiae liber dimittitur.

5. Melanthon Witebergae est typographorum causa.

14. Melanthon et caeteri Theologi Witebergenses scripto salutant Ioannem Fridericum. (Eius responsum vid. d. 17. Oct.)

Melanthon iterum redit Torgaviam.

20. Caesar Argentoratum intrat, unde pergit in Lotharingiam cum exercitu.

24. Georgius Maior vocatur in Academiam Witebergensem.

29. Mel. praefatur in Tom. IV. operum Lutheri latinorum, quem dicat Ioanni Friderico, Duci Sax. El.

| | |
|---|---|
| Oct. | |
| 8. | Scribit de Stancari controversia cum Musculo. |
| 17. | *Osiander* moritur. |
| Nov. | |
| 8-9. | Mel. est Witebergae, ut librum de anima absolvat. |
| 10. | Redit Torgaviam. |
| 13. | Denuo emendat locos theol. germanicos. |
| 19. | Tradit in schola doctrinam de mediatore, propter Stancarum. |
| 25. | Mittit librum de controversia Osiandri. |
| Dec. | |
| 11. | Culmannum, Osiandri opiniones spargentem Norinbergae, admonet. |
| 15. | Mel. redit Witebergam, sed eius familia manet Torgaviae propter Magdalenam, Peuceri uxorem, puerperam. |
| 17. | Melanthoni adfertur liber Abdiae de vita Apostolorum. |
| 21. | *Catharina*, Lutheri quondam uxor, sepelitur Torgaviae. |
| 25. | Pagella academica adversus Stancarum. |
| | Melanthon scribit *historiam Eberhardi*, *Ducis Würtemb.* |
| | Mel. hoc anno coepit scribere brevem narrationem earum rerum, quae quovis anno acciderunt vel gesta sunt. |

# PHILIPPI MELANTHONIS

## EPISTOLARUM, PRAEFATIONUM, CONSILIORUM

## LIBER UNDECIMUS,

COMPLECTENS EA SCRIPTA, QUAE AD ANN. 1548. ET 1549. PERTINENT.

(Hoc volumen VII. continet ea scripta, quae ad anni 1548. sex menses posteriores et annum 1549. pertinent.)

No. 4279. 2. Iul.

## Mauritius Elector ad Ordines Misn.

Ex Actis synod. germ. p. 150b. (versio lat. in Actis synod. lat. p. 211.) — Reversus ex comitiis Augustanis mense Iunio, Mauritius, Princeps Elector, delectos ex equestri ordine et ex urbium Magistratibus suae ditionis convocavit, ut d. 1. Iulii convenirent Misniae, quo et vocavit Georgium Anhaltinum, Episcopum Merseburgensem, eiusque concionatorem Ioannem Foersterum, Danielem Gresserum Pastorem Dresdensem, Iohannem Pfeffingerum Pastorem Lipsiensem, et ex Academia Wittebergensi Casp. Crucigerum, Georgium Maiorem et Philippum Melanthonem. Postquam vocati d. 1. Iul. convenerant, postero die Mauritius haec ad eos retulit. — Idem scriptum postea d. 22. Decb. 1548. iterum repetitum est, cuius apographon extat in cod. Goth. 46. fol. 8., quod hic contulimus.

*(Mauritius Dux Sax. Elect. ad ordines suos et theologos in conventu Misnensi.)*

Wir haben nicht umgehen können, euch, als fürnehmsten und ältesten unsrer Landschaft, zu uns zu erfordern, Euer Bedenken auf nachgemeldte [1]) Sachen zu vernehmen. Gereicht uns demnach euer gehorsamlichs Erscheinen zu gnädigem Gefallen, und zweifeln [wir] nicht, euch sey zu mehrern Theil eindenkend, daß wir die Sachen unsers heiligen christlichen Glaubens hiebevor mit den führnehmsten unsrer Landschaft Rath gehandelt. So wissen wir uns zu erinnern, daß wir auf euer und andrer unserer Landschaft unterthänige Bitte uns haben vernehmen lassen, und zugesagt, daß wir euch bei unserer christlichen Religion gnädiglich wollten bleiben lassen, und davon nicht dringen, in Maßen denn die Römisch Kaiserliche Majestät, unser allergnädigster Herr, sich gegen uns und euch auch gnädigst erkläret, daß ihre Majest. nichts liebers begehren [2]), denn daß die Zwiespalt und Irrung in der Religion [3]) vermittelst friedlicher und freundlicher [4]) Handlung, oder sonst durch gebührliche ordentliche Wege und Mittel zu christlicher Vergleichung und Einigung gefördert und gebracht werden möchte. Des [5]) gnädigen Willens und Neigunge wären ihre Maj. noch, und obwohl ihrer Maj. die Gütlichkeit entstanden [6]), so sey doch ihrer Maj. Wille noch Meinung nicht gewesen, auch noch nicht, die christliche Religion und das Wort Gottes (wie ihrer Maj. etliche mit Ungrund auflegten und in die Leut trügen) mit dem Schwert zu tilgen, sondern wären bedacht, die Erörterung und Entschiede der Irrungen in der Religion, Inhalts der Reichsabschiede [7]), einem gemeinen christlichen Concilio zu befehlen, darinne fürnehmlich die Ehr Gottes und gute christliche Reformation gesucht, wie auch in der Augsburgischen Confession auf das Concilium appelliret, Inhalt ihrer Kais. Maj. Schreibens an uns und euch ausgangen, welches sich die Kaiserliche und auch die Königliche Majestät gnädigst zu erinnern wissen.

Nachdem aber sich die Sach des Concilii nicht aller Ding zum Fortgang geschickt, auch, da es fortgängig, nicht so bald kann verrichtet werden, haben hochgedachte Kais. Maj. den [8]) Ständen des heiligen Reichs einen Rathschlag oder Ordnung vortragen lassen, wie es mittler Zeit, und bis zu Erörterung eines gemeinen christlichen [9]) Concilii in der Religion gehalten sollt werden; mit Begehr, daß die andern bei ihrer Religion bleiben, und, die unsers Theils sind, sich mit ihnen vergleichen, oder doch solcher Ordnung bis auf ein gemein Concilium halten wollten; alles nach fernerm Inhalt ihrer Kais. Maj. schriftlichen Vorhaltens.

Darauf haben wir der Kais. Maj. angezeigt, was wir unserer Landschaft zugesagt, auch ihre Majest. erin-

1) Cod. Goth. 46. nachfolgende.
2) begehren] cod. Goth. 46. wollte.
3) in der Religion cod. Goth. 46. non habet.
4) Cod. Goth. 46. friedlicher.
5) i. e. Dieses.
6) Versio lat.: *amicis tractationibus nihil esse profectum.*
7) Cod. Goth. 46. des Reichsabschieds.
8) den] cod. Goth. 46. bei.
9) christlichen cod Goth. 46. non habet.

dert, was sie an dieselbige unsre Landschaft und an uns geschrieben. Es hat aber ihre Kais. Maj. weiter an uns begehret, uns solcher Kaiserlicher Ordnung nicht zu wegern, in Ansehen, daß die andern Chur- und Fürsten, die unserer Religion sind, des mehrern Theils dieselbige angenommen, und daß wir keinen Eintrag oder Hinderung machen wollten. Wir sind aber darauf beruhet, daß wir uns unserer Landschaft nicht mächtigen, noch unsre gethane, und im Druck ausgangene Zusage überschreiten könnten. Und solche Erwähnung haben wir gegen der Kaiserlichen und Königlichen Majestät und andern, so derwegen mit uns gehandelt, also oft gethan, daß ihre Majestät uns letzlich auferlegt und befohlen, mit unsern Unterthanen zu handeln, und Fleiß fürzuwenden, daß sie sich ihrer Majestät und gemeiner Stände Ordnung (wie es ihre Majestät genennet) gemäß allenthalben gehorsam erzeigen und halten wollen.

Nu haben wir ihrer Majestät nicht wegern können, ihr Begehren an unsre Unterthanen gelangen zu lassen, und haben euch derwegen erfordert, begehrende gnädiglich, ihr wollet solche Kaiserliche Ordnung vor die Hand nehmen, verlesen und dieselbige erwägen, und euch mit Antwort auf der Kaiserlichen Majestät Begehren dermaßen entschließen, damit man auf Kais. Maj. ferner Erindern gefaßt sey, und die Kais. Maj. vermerken können, daß wir und ihr geneigt sind, uns in allem, was zu christlicher Vergleichung, Ruhe, Friede und Einigkeit dienstlich, und mit Gott und gutem Gewissen geschehen kann, unterthänigst gehorsamst zu verhalten.

---

No. 4280. 4. Iul.

## Maior ad Willichium.

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 243.

### D. Maior Doctori Willichio S. D.

Dienstags nach Visitationis Mariae sind wir vor unsern gnädigsten Herrn erfordert, als die Ritterschaft, die Landschaft und wir Theologen. Da ist in Summa uns Theologen durch den Faxen [Fachsium] vorgehalten, daß, wiewohl wir zuvor auf das Kaiserl. Interim unser Bedenken gestellet, daran S. C. F. Gn. gnädig Gefallen getragen, jedoch dieweil man Kais. Majest. auf solch Buch nun Antwort geben sollt, wäre S. Chf. Gn. Gemüth, daß sie uns Theologen etliche von der Landschaft zuordnen wollte, solches Buch von Punct zu Punct ferner zu bewegen, und zu berathschlagen, was darinnen anzunehmen oder nicht anzunehmen, auch zu bedenken, was und wie Kais. Majest. auf solch Buch zu antworten, und, dieweil es hochwichtige Sachen wären, welche nicht allein Land und Leute, sondern auch unser aller Seelen Seligkeit belanget, daß solches mit hohem Fleiß, aller Affecten hintergesetzt, sollt erwogen werden.

Auf solch Antrag hat kürzlich diese Antwort gegeben der Fürst Georg von Anhalt, von unsertwegen, daß wir geneigt und willig wären auf solchs Begehren unsers gnädigsten Herrn dasselbige Buch also zu verlesen und neben andern zu bewegen. Derhalben ist befohlen, nach Essens um 1 Schlag wieder auf das in des Bischoffs Hof zu erscheinen, das ist vor Mittage gehandelt.

Nach Mittage um 1 Schlag sind wir samt Fürst George, D. Johann Pfeffinger, und Herr Daniel von Dresden *) (denn sonst niemand hierzu erfordert) wieder erschienen, da seind uns von wegen unsers gnädigsten Herrn D. Fax der Canzler, und D. Cumerstadt, darnach von wegen der Landschaft der alte Karlowitz, D. Ossa, Heinrich v. Einsiedel, Dietrich von Starsiedel, Asmus Spiegel, Doct. Benedictus Paulus und D. *Modestinus Pistoris* zugeordnet worden, und nach langer und vieler Unterredung und Handlung, welche alle sehr ehrlich und christlich gewesen, ist beschlossen worden, daß alles, was im Interim wir für unrecht achten, sollte ausgelöschet, folgend auch ein jeglicher Artikel sonderlich gestellt werden, welche Arbeit dann auf heute Mittwochs wird vorgenommen werden.

Es haben die von Ritterschaft und Landschaft in ihrem vorgehaltenen Rath sich ehrlich und christlich auf das Kais. Interim vernehmen lassen. Wollet derohalben Gott den Herrn fleißig bitten, daß er ferner seine Gnade zu diesem Schweis und fährlichen Zeiten verleihen wolle. Denn wir spüren, daß Gott der Herr bei diesem Werke ist. Was ferner wird gehandelt werden, soll euch auch unverhalten bleiben. Datum zu Meißen den 4. Tag Iulii.

Georgius Maior D.

---

No. 4281. 4. Iul. (Misniae.)

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 668 sqq.

*) Daniel Greffer, Superint. in Dresden. In apograpl legitur Dresch, mendose.

*Michaeli Meienburgio, Consuli Northusano,*

S. D. Clarissime vir, et amice chariss. In Conventu Mysnensi heri dictae sunt sententiae graviter et pie a delectis ex nobilitate et civitatibus, inter quos multi sunt integri viri, *Einsidel* et alii quidam: ac decretum est: ut ad Imperatorem reverenter scribatur, ac petatur, ne has corruptelas libri imponat Ecclesiis nostris. Spero igitur fore: ut harum Regionum Ecclesiae non mutentur. Vidi et Senatus *Ratisbonensis* honestam responsionem ad Imperatorem scriptam. Et audio *Lubecenses*, *Luneburgenses* et *Hamburgenses* communi deliberatione decrevisse: se non mutaturos esse suas Ecclesias. *Brunsviga* quid responderit, nondum scio: sed vos inquirere potestis. Concionatores Brunsvicenses: ut suam responsionem seiungant a senatoria. Et fortassis epistolae exemplum aliqui mittent Augustam: ut video, magna et parva significari Imperatori, sed mea pericula Deo commendo. Cum igitur existimem plures status et civitates petere, ne turbentur Ecclesiae: spero, Imperatorem vobis etiam minus durum fore: nec spero, subtilem disputationem de transsubstantiatione aulicos vobiscum moturos esse: quia contenti sunt, quando dicitis: in Ecclesia vestra nequaquam receptum esse Cinglii dogma. Etsi moverent aliqui subtiliorem disputationem, honeste potestis respondere: vos confiteri praesentiam Christi. Subtiliores vero disputationes de modo pertinere ad Doctores. † Congruit ergo Ecclesia vestra cum libro de sacramento corporis et sanguinis; congruit item de confessione peccatorum, quam scitis ad Rhenum et *Noribergae* et *Augustae* omitti. Convenit et in aliis multis, in quibus Rhenanae Ecclesiae non conveniunt" *). Nec puto, tantam asperitatem fore: ut mox Imperator mandata sit daturus de perdenda civitate vestra. Nondum tribuo ei tantam crudelitatem, praesertim cum vestra civitas nunquam contra eum quicquam fecerit. Explorabit prius singulorum statuum et civitatum voluntates. Et audio, parari Sabaudiense bellum, cuius fama non multum moveor: quia alii tumultus erunt, quibus praebebit occasionem liber Augustanus. Sed oro Deum, ut poenas mitiget. Bene valete. Mysniae. 4. Iulii.

Philippus.

*) Addit A. D.

No. 4282. 4. Iul. (Misniae.)

## *Erasmo Benedicto.*

† Ex autographo Melanth. in cod. Landshut. Vol. 1. fol. 187. — Apographon habetur in cod. Monac. 90. no. IV. p. 292 b.

*Eruditione et virtute praestanti Erasmo Benedicto amico suo.*

S. D. Probabit consilium tuum d. *Michael* *), quod recta nuncium ad me ire iussisti, et ego tibi gratiam habeo. Scripsi ei quaedam quae fortassis ipsius curas aliqua ex parte lenient. Multos in tota Germania, velut Ate, liber Augustanus excruciat. Sed civitas infirma *Ratispona* sine ulla ambiguitate reiecit istam Aten. Dictae sunt et hic honestae sententiae a delectis ex nobilitate et civitatibus, ne Ecclesiae turbentur corruptelis, quas liber Augustanus continet. Brevius scribo quia occupatus sum formando quodam publico scripto. Deum oremus, ut servet et gubernet Ecclesias et politias, quia profecto inter tam varias insidias diaboli non potest genus humanum sine divina ope servari. Sit custos filius dei coetuum, qui doctrinam ipsius discunt. Bene vale. Salutem opto vobis omnibus. Cursorem meum ad me mittite, et quidquid habetis ἀξιόλογον significate. 4. Iulii.

Philippus Melanthon.

*) Mich. Meienburg, Consul. Northus.

No. 4283. 4. Iul. (Misniae.)

## *P. Ebero.*

Manlii farrag. p. 339. Epist. lib. II. p. 172 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 162.). Apographon in cod. Goth. 190. p. 242., et aliud, cum Peuceri textu conveniens, in cod. Monac. 88. no. IV. p. 278.

*D. Paulo Ebero*

S. D. Etsi invitus te ab Academia et a dulcissima consuetudine tuorum abduco, tamen optarim te nobiscum profectum esse. Cum enim multa scribenda sint, non solum manu tua, sed etiam consilio iuvare nos potuisses. Heri Dei beneficio graviter et pie dictae sunt sententiae a delectis, inter quos multi sunt integerrimi viri, *Einsidelius*, senex *Carolovicius*, *Christophorus a Taubenheim*,

*Colerus*, et alii. Decretum est ut doctrinae puritas in Ecclesiis retineatur, nec recipiantur corruptelae quas continet τὸ βιβλίον τοῦ μαργίτου. Spero igitur exitum conventus *Mysorum* et in his regionibus Ecclesiarum paci profuturum esse, et exemplo vicinos confirmaturum. Haec leges et Domino *Pastori* et caeteris amicis, quorum omnium votis et precibus commendari nos et Ecclesiam Deo volumus. Nunc brevius scribo, quia alia quaedam componenda sunt. Vult aula et causas nostri iudicii sibi mitti. Errant omnino qui fucosis conciliationibus tolli dissidia in Ecclesia posse existimant, quia manet bellum ἄσπονδον inter Diabolum et Filium Dei, ut scriptum est: *Inimicitias ponam inter serpentem et semen mulieris.* Oro autem Filium Dei, ut nostras mentes in confessione et explicatione veritatis regat et adiuvet. Postquam *Augustae* resciverunt τὸ κεφάλαιον περὶ δικαιοσύνης a me *) reprehensum esse, miserunt ἐπανόρθωσιν, quae fuit ineptior libro. Hospiti nostro et *Fabritio* grata fuit tua salutatio, καὶ ἀσπάζονταί σε πάντες οἱ παρ' ἡμῖν σπουδαῖοι ἄνδρες. Nostris familiis salutem opto. Bene vale. Die 4. Iulii. † anno 1548".

---

**No. 4284.** — 5. Iul. (Misniae.)

## M. Crodelio.

Epist. lib. V. p. 882 sq.

### *Marco Crodelio, gubernanti scholam Torgae.*

S. D. Saepe his diebus cogitavi de congressu Mariae, Elisabeth et aliorum piorum, cum haec historia in templo recitaretur. Ut hunc inter assidua latrocinia, tamen suam Ecclesiam et illas pulcherrimas mulieres protexit Deus, cum nulla haberent humana praesidia: Ita speremus, Filium Dei nunc quoque et esse et fore custodem Ecclesiae suae, et filiarum nostrarum, et coetuum scholasticorum, qui discunt Evangelii vocem. Et, ut servet nos, veris votis petamus. In conventu, beneficio Dei, honestae et piae sententiae dictae sunt a delectis ex nobilitate et ex civitatibus, ne mutetur vox Evangelii sonans in Ecclesiis nostris. Nec recipiantur corruptelae, quas continet liber Augustanus. Interfuerunt deliberationi homines integri *Einsidelius*, *Christophorus a Taubenheim* et alii, quorum nomina coram recitabo. Pastori salutem optamus, et vobis omnibus. Bene vale. Misnae 5. Iulii 1548.

Philippus Melanthon.

*) Peuc. *et me.* Cod. Goth. 190. omittit.

---

**No. 4285.** — 6. Iul. (Misniae.)

## P. Ebero.

Manlii farrag. p. 860. Epist. lib. II. p. 175. (ed. Lond. lib. II. ep. 165.) Apographon in cod. Goth. 190. p. 165.

### *D. Paulo Ebero*

S. D. Spero te accepisse meam epistolam quam istuc perferendam dedi nuncio Northusano, in qua significavi pias sententias a delectis ex Nobilitate et ex civitatibus dictas esse. Video plurimorum voluntatem piam et honestam esse. Nec nos discedimus ab eo scripto, quod istic communi deliberatione compositum est. Nunc iussus sum recitare copiosius articulum περὶ δικαιοσύνης, quod feci, quia existimant narrationem literis ad Imperatorem addendam esse, quae exponat, qualis sit doctrina, et qui ritus harum Ecclesiarum. De literis πρὸς αὐτοκράτορος φρόνησιν, reprehendenda est κακοήθεια hominum, qui excerpunt quae taxent *), ea quae fortius dicuntur, negligunt. Sed usitata est haec perversitas, et obruenda virtute. οὐχ ὁσίη γενεῇ κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν. Quod *Marchici* describi volunt *Sphingem Augustanam*, si istic exemplum habetis, † et spero Stendananos **) descripsisse"; quaeso ut eis gratificeris. Reverendo domino *Pastori* et *Vito*, et caeteris amicis ac nostrae familiae salutem opto. Nunc enim pluribus scribere non poteram. Die 6. Iulii. † anno 1548".

---

**No. 4286.** — (6. Iul.)

## *Iudicium V. de libro Interim.*

Editum in Actis synodicis germanicis p. 153 sqq. (Versio latina in Actis synod. latin. p. 214.) — Mauritius,

*) Cod. Goth. 190. *excipiunt, qui taxent.* Manl. *excerpunt, quae taxentur.*

**) *opinor nos illud Stendaliae*, Manl.

Princeps Elector, ordinibus in conventu Misnico congregatis librum Augustanum d. 2. Iulii tradidit, ac petiit, ut ea, quae salva veritate et conscientia concedi possint, concederent, et in ea re consilio Theologorum in conventu praesentium uterentur. Ordines igitur librum Theologis tradiderunt, ut dicerent quid in eo ferri, aut quid non ferri possit. Librum ipsum Theologi antea viderant, non autem prooemium Caesaris (die Vorrede, ut loquebantur), quod nunc quidem primum conspexerunt. Primum igitur literis mandarunt communi consilio ea, quae ipsis videbantur dicenda de prooemio, postea autem, ut tempori parceretur distribuerunt cuique Theologorum praesentium aliqua libri capita ad diiudicandum, ubi Melanthoni ea potissimum iudicanda fuerunt, quae ad doctrinam ipsam spectarunt, nominatim capita de *iustificatione*, *fide* et *bonis operibus*. Inde natum est hoc scriptum, quod mox, insciis et invitis Theologis Magdeburgi mense Augusto typis exscriptum prodiit, cura, ut videtur, Flacii et eius adseclarum. De hac editione auctores Act. synodicor. haec habent: „sie [editores Magdeburgenses] „haben in das Bedenken der Theologen über das „Interim auch dasjenige vermengt, das man damals wider „die Lehre im Interim zu schreiben angefangen [i. e. confessionem veritatis libro Augustano opponendam, vid. d. 4. et d. 8. Iul.]; „ist auch sonst etlich Ding in demselben „Abdruck den Originalen nicht gemäß, auch etlichs ausgelassen, etlichs böslich verkehret, und an ihm selbst allerding ganz unfleißig gedruckt, darum man denn nachmals „etwas daraus wieder allhie nachgedruckt. Aus diesen „Ursachen und dieweil die Abdruck derselben Schrift nicht mehr „zu bekommen, — — haben wir dieselbe Schrift, wie die „zu Meißen gedruckt, von neuen aus den Originalen [i. e. ex prima editione Misnensi] „wiederum abdrucken „lassen." — Intelligitur igitur tres huius scripti editiones esse: prima, quae Misniae prodiit, ex qua Editores Act. synod. hoc scriptum denuo dederunt, secunda Magdeburgensis, et denique tertia, ex parte tantum a Wittebergensibus facta. Primam et tertiam videre mihi non contigit, sed Magdeburgensem contuli, sic inscriptam: „Bericht vom Interim der Theologen zu Meißen versamlet. Anno M.D.XLVIII." 4. (sine indice loci.) Illa incipit cum doctrina de iustificatione et bonis operibus, quam Melanthon in hoc conventu exposuit, cuius scriptum incipit: Wiewohl Gott sich mit gewissen und öffentlichen Zeugnissen etc. Vid. infra d. 8. Iulii. Post sequitur hoc scriptum integrum exceptis iis, quae de prooemio Caesaris hic dicuntur. Contuli scriptum Magdeburgense cum textu in Actis synod. et diversitatem notavi. — Quae signis „—" inclusa sunt verba, ea sunt repetita ex libro Augustano. Literas latinas in margine ipsi auctores scripti addiderunt, ad indicandas singulas partes libri Augustani, de quibus suam dicunt sententiam.

## Bericht vom Interim der Theologen auf dem Landtag zu Meißen versamlet. Anno 1548.

Erstlich daß erzählet wird *) daß man gemeiniglich dem angefangenen Concilio zu Trient sich anhängig und unterwürfig gemacht haben solle, auch, desselben Erörterung zu gewarten, gewilligt, welchs in dieser Generalität aufs höchste fährlich, denn man bereit weiß, was zum Theil geschlossen, welches Tridentisch Concilii decreta zum Theil diesem Interim zu entgegen, und nu aus diesem und anderen wohl abzunehmen, was der Schluß seyn solle, darum hierauf gut Achtung zu haben. Zu dem, [daß] es wohl in narratione ein gemein christlich Concilium genannt, hernacher aber allwege nur als ein gemein Concilium angezogen, und wird übergangen christlich, und wird des Worts frey gänzlich geschwiegen, so doch allweg ein frey gemein christlich Concilium gebethen und gewilliget.

Zum Anderen, daß Kais. Maj. heimgestellt, wie man gottselig, und in gutem friedlichen Wesen bei einander leben und wohnen möchte etc., das will nu auf das Interim in der Religion Sachen gezogen werden, darinnen doch die fürnehmsten Artikel unsrer wahren Lehre, welche das Gegentheil anficht, sind eingezogen, davon in einem freyen gemeinen christlichen Concilio sollt gehandelt werden, und nu die Meinung seyn soll, daß man schuldig auf solche Hinstellung dermaßen, wie im Interim verleibt, es anzunehmen, als wir von denselben Artikeln abgetreten.

Zum Dritten, daß angezeigt, daß die Lehrer in der heiligen Schrift Relation gethan, daß der Rathschlag dem wahren Verstand unsrer christlichen Religion und Kirchen Lehrern nicht zuwider etc.: das ist zu sehen, daß sie das Interim selbst dahin deuten, daß es die vorige Lehre sey.

Zum Vierten, daß die zween Punct ausgezogen, nämlich communio unter beider Gestalt, und Priester Ehe, als wären die christlicher Religion und Kirchen Lehrern entgegen, welches nicht wenig zu verwundern, weil doch Gottlob offentlich am Tage, daß diese beide Artikel in göttlicher Schrift gegründet und im Gebrauch gemeiner Christenheit gewesen, und die Aenderung wider Gottes Ordnung und Gebrauch catholicae ecclesiae aus Neuerung eingeführt. Und ist also die ganze Meinung, daß in diesem Interim alle Sachen in vorigen Stand gesetzt sind ohne diese zween Artikel, und soll gleichwohl darzu erforderlich seyn zu Erlangung vollkommener Vergleichung, welche nicht anders daraus folgen müßte, denn wenn diese zween Artikel wieder von uns abgestellt etc. Und ist also ein praeiudicium, darinnen bereit unsre Lehr gestraft, auch diese zween Artikel für unrecht erkannt, so bis auf ein Concilium, und nur aus Gutwilligkeit, zugelassen seyn sollen, doch für unrecht gehalten, und wollte dennoch auch auf dem Concilio nichts von den zweien Artikeln zu handeln seyn.

Zum fünften ist das hoch beschwerlich, daß die Stände unseres Gegentheils dermaßen gerühmet, daß sie gemeiner Kirchen Ordnung gehalten, und daß sie

*) Videl. in prooemio Caesaris, libro Augustano praemisso. — Haec omnia, quae de prooemio Caesaris dicuntur, tam horride scripta sunt, ut sine dubio alium quam Melanthonem habuerint auctorem.

darbei bleiben und verharren, und davon nicht abweichen, dadurch ihre Mißbräuch, so gestraft und bei uns abgethan, der katholiken Kirchen zugeschrieben [werden], damit denn uns zugemessen [wird] als wären wir a catholica ecclesia abgewichen, welchs die höchste Auflage ist, und daneben die frommen Leut unter ihnen, so die Wahrheit herzlich begehren, dazu gänzlich verbunden mit Abstrickung alles Trosts.

Zum Sechsten *), daß unserm Theil zugemessen, daß sie Neuerung fürgenommen, so doch des Gegentheils Mißbräuch in Lehr und Ceremonien offentliche Neuerung, und wir solche Neuerung aus Gottes Befehl verlassen, und [uns] wiederum zur Lehre und Gebrauch gemeiner katholiken Kirchen begeben [haben]; und daß die schwebenden Irrsal allein der deutschen Nation zugemessen wird, indem aller ander Nation Mißbräuch gestärkt [werden], und die heilsame Lehr, so aus sonderlichen Gottes Gnaden verliehen, für die Ursach solcher Irrsaln gehalten [wird].

Zum Siebenden, daß man sich wieder zum Gegentheil begeben solle, oder den Rathschlag annehmen. Und was darinnen mangelt, ist im andern Schreiben vermeldet **).

Zum Achten, daß man darwider nicht lehren, reden oder schreiben solle, ist ganz gefährlich. Denn da man die reine Lehr behalten soll, kann man nicht umgehen, was der entgegen zu strafen; und das wollte dann auch übel angezogen werden.

Da zeigte er mir viel Excerpta Lutherana ex Galath. Wir sollten Luther nachfolgen, der schriebe: si articulus iustificationis nobis concedetur, pedes osculabimur Papae[10]), et omnes traditiones servabimus, modo liberae fiant conscientiae. Respondit *Aquila*: so laßt uns frei Christum[11]) predigen, und eure Cermonien ungebunden und nöthigt uns nicht dahin, sicut papa; so wollten wir dem Christum auch frölich verkündigen und die Conscientias nicht aggraviren mit euern traditionibus. Quid paleae ad triticum? Quid Belial ad Christum, et quid tenebris ad lucem?[12]) Ponam inimicitiam inter semen mulieris etc. Das wird bleiben, und euer Interim wird's nicht ausrichten. Nec Christus conatus est, insti-

---

6) † *in*" cod. Bav.

7) Addit haec Hummel.

*) „*mense Iulio*" omittit cod. Bav. et addit ann. 1549., mendose. Cod. Goth. 28. annum non habet, sed cod. Hummelii habet: *d.* 21. *Iul.* (*A.* 1548.) et sic etiam cod. Guelph. 170.

1) Cod. Mon. 66. Interim werde das beste Werk seyn.

2) Cod. Mon. 66. werde.

3) Cod. Mon. 66. zeucht es an.

4) Cod. Mon. 66. lassen.

5) Cod. Mon. 66. *Respondebam.*

6) Cod. Bav. *sententia.*

7) Cod. Bav. sagen pro lesen.

8) *Interim*] excidit in cod. Bav.

9) es wäre] non habet cod. Bav.

10) *Papae*] desideratur in cod. Bav.

11) Cod. Mon. 66. nun Christum recht.

12) Cod. Mon. 66. *quid luci ad tenebras.*

tuere[13]) concordiam inter Pharisaeos et pusillum gregem.

Damit gab ich Eislebio Valete et cognitionem filii Dei. Darauf hat Eislebius sich hoch gerühmet gegen seinen Churfürsten, den Marggrafen: gnädigster Fürst und Herr, ich hab ein köstlich Werk ausgericht, den hohen *Aquilam* (der aufs höchste wider das Interim gefochten hat) hab ich persuadirt; das Interim gefällt ihm wohl. Sed mentitur nebulo. Da mirs angesagt wird, schreib ich eilend gegen Jena, sie solltens nicht glauben, daß Aquila das giftige Wolfs-Interim[14]) habe angenommen; sed adhuc sum oppugnator venifici libri Interim[15]). Die Antwort des Pfarrherrn zu Jena habt ihr hie eingelegt, und sollt ja beständig bleiben. Ego usque ad remos pro aris pugnabo vobiscum; sitis imperterriti, dominus vivit. Nos, iam ad mare rubrum adactos, mirabiliter stupendeque medio dominus liberabit, modo credere possimus.

Tu, sancte vir, responde et aspira[16]), defende Christi verbum et nomen et suum honorem, qui est summum in terris bonum, ab illo virulento Sycophanta, qui est impostor, *ἄθεος, ἀλαστωρ,* illusor, Legis irrisor, Dei osor, error, stupor, et pusillorum horror, tortor et tremor. Hunc tu, Germane[17]), caveto. Salveldiae die peccatricis, anno M.D.XLVIII.

---

13) Cod. Mon. 66. *constituere.*

14) Cod. Mon. 66. Wolfsgiftige Interim.

15) Aquila paulo post edidit apologiam: „Wider den spöttischen Lügner und unverschämpten Verleumbder M. Islebium Agricolam, nöthige Verantwortung und ernstliche Warnung wider das Interim. Apologia M. Casparis Aquilae, Bischoff zu Salfeld." M.D.XLVIII. 4. — In fine: „geben Freytag nach Iacobi [27. Iulii] 1548." — Est hoc scriptum epistola ad lectorem, vehementissimo animo scripta, ubi statim in initio leguntur haec: Dieweil mir, C. Aquilä, öffentlich durch M. Islebium zu Jena und anderswo mein guter Name, in dem daß ich ein Christ bin, ist vergiftet worden, als sey ich mit dem Interim, des Papsts Gauckelsack, wohl zufrieden, will ich hie öffentlich — bekennen, daß ich dem Interim nicht kann hold seyn. Denn wer das ihm läßt gefallen und folget der falschen Teufelslehre, die in diesem Interim stecket, der hat Christum verläugnet, und ist aus einem Christen ein Papist worden. — Derhalben warne ich alle Christen vor diesem verfluchten und vergiftigsten Heuchel-Interim, welches drei Epicurische Sophisten in einem finstern Winkel, als volle trunkne Mastschwein, aus der Höllen Grund geschöpft" etc. — — „Trollet euch in Abgrund der Hölle mit eurem geflickten bettlerischen Interim, ihr schandvergiftige Sophisten, wühlet eure Säurüssel selbs im Unflat dieses Interims" etc.

16) Cod. Mon. 66. *affero.*

17) Cod. Mon. 66. *Romane.*

No. 4303. 23. Iul.

## *Matth. Luthero.*

Epist. lib. V. p. 721 sqq. Pezel. in Mel. Consil. lat. P. II. p. 92.

*Matth. Luthero, Syndico Northusano.*

S. D. Ut antea ab aliis interrogatus seiunxit consilium nostri coetus, id est, docentium a deliberatione politicorum gubernatorum: ita nostras deliberationes adhuc seiungam. Ego nequaquam adsentiri volo Augustano libro, et causas habeo gravissimas, quarum aliquae recitatae sunt in publico scripto, quod extat. Volo etiam doctis et piis Pastoribus hortator esse, ne librum Augustanum adprobent, nec Sophistice excusent. Etsi autem et politici gubernatores recte intelligere fontes doctrinae, et eius propagationem adiuvare deberent: tamen quia multi eam non intelligunt, multi etiam oderunt, et iam, spe novi status, laetantur, ego consiliis eorum me admiscere nequaquam volo. Et saepe hoc anno insidiose interrogatus sum. Petunt a me et alii adprobationem imbecillitatis, ut postea praetextu mei nominis excusetur defectio. Recepto autem libro proximum est, ut pellantur pii Doctores, et sequentur aliae perturbationes Ecclesiarum. Haec scandala fugio. Statuere vero Senatum suo consilio, vel sua infirmitate, ut volet, pati me necesse est. Sed inscripto vestro miratus sum, excusari etiam librum, seu receptionem libri, propterea quod quaedam recte dicit. Cum autem tam multa corrumpat, nos iustam causam habemus improbandi libri. Nec exemplum de panibus Propositionis accommodetur ad receptionem falsae doctrinae, et impiorum cultuum, et ad excusandam saevitiam, quae iam exercetur in bonos viros. Expulsi sunt in Ecclesiis suis *Nopus*, *Brentius*, *Musculus*, viri docti, et pii, et qui non solum pie erudierunt Ecclesias, sed etiam vicinis locis ad pacem profuerunt. Et videbimus aliquanto post ex multis locis pelli Pastores bene meritos. Plura respondere non possum. Sed oro Deum, et ut deliberationem vestram regat, et ut in multis Evangelii lucem accendat, et reprimat Tyrannidem impiorum. Bene vale. Die 23. Iulii.

Scripsi eadem in germanica pagella, ut ad germanicum scriptum vestrum responsio etiam mitteretur.

Philippus.

No. 4304. (eod. temp.)

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 552 sqq.

*Michaeli Meienburgio*, Consuli Northusano,

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Legi formam responsionis scriptae ad Imperatorem [*]). Nec contendo, ut durius respondeatis, quia propemodum iam servatis praecipuas ceremonias, ideo sum usus his verbis: Wir wollen uns gemeß halten ꝛc. Adscripsi exiguas correctiones. Sed potestis vel mea vel vestra forma uti, quia non magnum discrimen est. Credo, si Imperatori per homines non importunos et non tyrannicos exhiberetur haec vestra responsio, contentum fore. *Attrebatensis* et similes exasperant animum Imperatoris, et volunt, Germaniam oppressam esse extrema servitute Legati Pomeranorum dicebant, se scire, voluisse Imperatorem exercitum hoc anno in has terras mittere: sed postea consilium mutatum esse. Ipsi sperabant hoc anno pacem.

De *Wirtebergensi* dicebant, eum non recepisse librum Augustanum. *Bucerus* misit mihi deliberationem, quam Senatui Argentinensi exhibuit una cum Collegis, in qua graviter improbat librum Augustanum: et Senatus Argentinensis, ut audio, nondum recepit librum Augustanum. Mittent etiam ad nos, ut de doctrina in omnibus articulis consensus constituatur. † *Marchionem*, scribit, insidiose secum egisse" [**]). *Noribergenses* expectant, nescio quam, moderationem. Deus aeternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, servet et gubernet vos et honestissimam coniugem vestram, et familiam et totam Ecclesiam. Salutem opto viro integerrimo Dn. Doctori *Matthaeo*.

Philippus.

---

*) Antonius Otho, Pastor Northus., in ep. ad Ionam, nondum edita, scribit: „Liber Imperatoris, quem Interim vocant, coram populo per scribam praelectus est d. 19. Iulii. Postero die singuli ex civibus requisiti sunt, vellentne an non assentiri. Sed quid hic quisque responderit, nostrum percontari non fuit. Nos scripto nostram sententiam declaravimus; senatus autem nondum respondit definitive. Interea nobis permittitur docere, sicut hactenus fecimus. Ad 28. Iulii canonicis nostris iterum facta est potestas celebrandi missas, idque ipsorum conscientia; et, ut ferunt, incipient proxima dominica."

**) Addit A. D.

No. 4305. 25. Iul.

## N. Medlero.

Danz. in epp. ad Medler. ep. 80. ex apographo in cod. Bav. I. p. 1097., ex quo nunc iterum accurate descripta est.

*Domino Nicolao Medlero Doctori.*

S. D. Reverende vir et amice carissime [1]). Semper utilis est Ecclesiae recte docentium concordia et consensus. Nunc vero cum magis magisque imperia distrahuntur, consensum inter nos maiori cura tueamur, qui prodest et ad retinendam doctrinae puritatem, et ad fovendam Ecclesiarum coniunctionem, et ad leniendos piorum dolores. Adhuc Dei beneficio in *Mysia* et hac vicinia omnes Ecclesiae eandem vocem sonant, et in conventu gentis Mysorum honestae et piae sententiae dictae sunt a proceribus et legatis civitatum, ne corruptelae, quas continet Sphinx Augustana, recipiantur. In superiori Germania magnae confusiones et ortae sunt et orientur ab illa Sphinge Augustana. Tales ne in hac parte Germaniae dissipationes Ecclesiarum accidant, gravitatem constantiamque gens Saxonica, Deo iuvante, praestet. De edenda confessione anni 1530. valde placet tuum consilium nobis omnibus, et curabo edi. Scribe, quaeso, saepissime et significa, quid vestra urbs et aliae respublicae vicinae de libro decreverint. Bene vale. Die Iacobi anno 1548.

*Augusta*, coacta minis, recepit librum imperatoris. Inde discessit vir doctus et honestissimus, *Musculus*.

*Ratisbona*, *Salinae Suevicae*, *Roteburga*, *Winshem*, *Ulma*, receperunt etiam librum Augustanum, et pulsi sunt ex Ratisbona *Nopus* et collegae, ex Salinis *Brentius*.

*Noriberga* recepit librum Augustanum, sed concionatores publice improbant receptionem a Senatu factam, et *Osiander* [2]) constanter reiicit librum, et populus et aliqui senatores sentiunt cum concionatoribus. Ideo illi, qui receperunt librum, sunt in odio. *Constantia*, *Lindoa*, *Dux Wirtebergensis* aperte reiecerunt librum Augustanum. Spero et *Argentoratenses* [3]) reiecturos esse librum Augustanum.

Philipp. Melanthon.

---

1) Praetermisit haec Danz.

2) Abiit hac de causa hoc anno in Prussiam.

3) Danz. *Argentinenses*, mendose.

No. 4306. 25. Iul.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 48. (ed. Lond. lib. II. ep. 80.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et amice chariss. Semper utilis *) est in Ecclesia recte docentium consensus. Nunc autem ut eum firmius tueamur in tantis periculis, deinde ut nobis ipsis dolores leniamus, prodest nos saepe colloqui. Tuas igitur Epistolas valde requiro. Dei beneficio adhuc in Ecclesia et auditoriis vox eadem Evangelii sonat, quae sonabat ante bellum. Futura Deo commendamus, qui haec pericula gubernare poterit, et saepe mirabiliter servavit Ecclesiam. De *Noriberga* et aliis civitatibus scio te non ignorare, quid de sphinge Augustana decreverint. *Constantia* et *Lindoa* aperte reiecerunt. *Saxoniae* civitates etiam decrevisse dicuntur, se non recepturas esse sphingem Augustanam. Quaeso ut rescribas. Bene vale. Salutem opto *M. Mylio* et caeteris amicis, die Iacobi.

---

No. 4307. 29. Iul.

## Cruciger ad Scholasticos.

Script. publ. Acad. Wit. T. I. p. 216.

*Rector Academiae Witeb. Casparus Cruciger, D.*

Hodierna lectio Evangelii **) adfirmat, in aeterna tabernacula recipi omnes officiosos erga Ecclesiam, quo in numero sunt et pii scholastici, qui studia ad coelestis doctrinae conservationem referunt. Quid autem hoc quidem tempore in his tumultibus optabilius est, quam ex his tristissimis spectaculis abduci ad audienda colloquia filii Dei, Prophetarum et Apostolorum? Sed tamen oremus Deum, ut inter nos etiam aliquod semen sanctum servet. Decessit autem heri adolescens modestus et pius *Petrus Tsat*, Hertzbergensis, ad cuius funus hodie hora 12. ut pie conveniant scholastici petimus, in quo et suam vitam et Ecclesiam Deo piis precibus commendent. Die 29. Iulii.

*) Peuc. edidit *exilis*, mendose; mutavi *utilis*.

**) Die 29. Iul. fuit anno 1548. dies dom. 9. post Trinit.

---

No. 4308. 31. Iul.

## Ioanni Marchioni.

Germanice edita in Actis synodicis german. p. 131 b. et a Pezelio in Melanthons christlichen Bedenken, p. 316. — Versio latina in Actis synodicis latin. p. 185. — Ioannes Marchio Brandenb., frater Marchionis Electoris, Interim Augustanum non probavit. Vid. Sleidan. Comment. p. 630.

„An Marggraff Johanns zu Brandenburg des Interims halben.“

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtiger, hochgeborner, gnädiger Fürst und Herr. Ich habe die geschwinde Handlung, die mit E. F. G. zu Augsburg fürgenommen, mit großer Verwunderung und Betrübniß gelesen, denn ich in keinem Wege gemeinet hätte, daß man also hart und ungütig gegen E. F. G., als einen löblichen und wohl verdienten Fürsten hätte seyn können, habe derwegen ein unterthänigs und christlichs [1]) Mitleiden mit E. F. G., die wahrlich einen harten Stand ausgestanden [2]). Der allmächtige Gott wölle E. F. G. seinen heiligen Geist und seligen Rath geben, und E. F. G. schützen und seliglichen bewahren. Man siehet allein aus dieser Handlung, daß von den Widersachern des Evangelii [3]) in diesem großmächtigen Herrn ein schrecklich Feuer und ein [4]) großer Zorn wider die Lehr in unsern Kirchen entzündet [5]) ist.

1) Pez. unterthäniges und christliches.

2) Narrat Sleidanus in commentariis p. 630. haec: „Ioannes „Brandenburgicus, electoris Ioachimi frater, Caesarem (in „comitiis August. mense Maio 1548.) adit, et, Ferdinando „rege praesente, petit, ut in eo (Interim accipiendo) sibi „parcat, et, de suis in ipsum officiis quaedam locutus, hac „potissimum fiducia se militasse ipsi proximo bello dicit, „quod de religione sibi cavisset. Caesar, ordinum Imperii „consensum hunc esse, nec ab eo recedi oportere dicebat: ille contra, non omneis assensisse, neque se bona „conscientia decretum hoc laudare posse respondit, et „pactum atque promissum urgebat. Cum nihil Caesar pro„ficeret, *iubet eum discedere*, quod ideo factum esse pu„tatur, ne suo vel exemplo vel sermone aliorum animos „ille confirmaret. Itaque sub vesperum eodem die do„mum versus proficiscitur, neque per suam ditionem „quicquam immutavit.“

3) von den Widersachern des Ev.] Acta synod. non habent.

4) Pez. ein non habet.

5) Pez. angezündet.

Wiewohl nu unsre Sünden [6]) groß und mancherlei sind, darum uns die Strafen [7]) auf den Hals kommen, so hoff ich doch, Gott werde seine Wahrheit nicht vertilgen lassen. Und nachdem E. F. G. mein einfältig Bedenken vom Interim zu wissen gnädiglich begehren [8]), will ich E. F. G. klar berichten, wie ich und andre in dieser Universität geantwortet haben.

Erstlich sollen Prediger und Lehrer ihre Antwort absondern von der weltlichen Oberkeit Antwort, und sollen gottfürchtige und verständige Prediger und Lehrer klar und ausdrücklich sagen, sie wollen das Interim nicht annehmen, nicht billigen und nicht helfen stärken. Denn im Artikel Iustificationis [9]) ist gewißlich ein großer Betrug. Und wiewohl etliche ein Gloß darüber machen, so berufe ich mich doch auf viel gottförchtiger gelahrter Männer Urtheil, die Sophisterei hassen und richten können. Darüber sind öffentliche Irrthum von vielen andern Artikeln [10]) darin bestätigt. Ich will auch durch Gottes Gnade für mein Person dieß Buch, Interim genannt, nicht billigen, darzu ich viel groswichtiger Ursach [11]) habe, und will mein elend Leben Gott befehlen, ich werde gleich [12]) gefangen oder verjagt etc. [13]). Und ist in Summa eine leichte Frage, was Prediger und Lehrer thun sollen; wie aber den weltlichen Regenten zu rathen sey, dieses ist mancherlei.

Etliche Artikel im Buch sind universales, das ist, die alle Christen verstehen, und zu Erhaltung der reinen Lehre helfen sollen [14]), als de Iustificatione, Beicht, Meß, Anrufung der Heiligen, grobe Mißbräuch des Sacraments [15]) im Umtragen, und dergleichen [16]).

Etliche sind nicht universales, die nicht alle also [17]) wissen können, als de potestate interpretationis und de Conciliis.

Nun will ich nicht rathen, daß Fürsten, Herren oder Städte von denselbigen Artikeln disputiren, die nicht universales seynd [18]). Ich will auch nicht rathen, von Mitteldingen oder Ceremonien [19]) zu streiten, Item von der Bischöffe Gewalt, sondern wollte viel lieber, daß sie ihre Gewalt in rechtem Brauch erhielten [20]). Wo auch Regenten [21]) sind, die die christliche Lehr nicht verstehen, oder sonst Menschen Gunst höher achten, denen ist vergeblich zu rathen. Ist aber ein Fürst, der in den Universal Artikeln die Wahrheit verstehet, und erkennet daß das Buch der Wahrheit zuwider ist, ohne Sophisterei, der soll das Buch wider sein Gewissen in [22]) keinem Weg annehmen. Nun achte ich, die Zeit werde selbst Rath bringen; denn viel Städte in Sachsen werden das Interim nicht annehmen, und ist von Costnitz und Lindau straks verworfen; von [23]) Straßburg ist bis anher [24]) noch nichts geschlossen [25]) gewesen, und zu hoffen, die Sache werde in einen Verzug kommen. Darum ist mit der Antwort nicht zu eilen.

Ich achte auch, so ein solcher [26]) Fürst sich gegen Kaiserl. Maj. mit gebührlicher Demuth erkläret, was ihme annehmlich oder nicht [27]), und erböte sich, in Mitteldingen Gleichheit zu halten, Kais. M. würde zufrieden seyn, wie auch Nürnberg solche Moderation hoffet. Und zu solchem Wege wird die [28]) Zeit Rath geben.

Dieses ist auch zu bedenken, so ein Obrigkeit das Interim annimmt, so verpflicht sie sich zu Verfolgung unschuldiger Priester, und anderer, die aus guten Ursachen nicht willigen können [29]). Nun sollen wir nicht zu solcher Verfolgung [30]) Hülfe thun.

Daß ich auch gefragt bin de defensione, dieß bedarf jetzt keiner Disputation. Wie ein Hausvater schuldig ist, sein Weib und Kind zu schützen, so viel ihm müglich [31]), so ihm Mörder in sein Haus fallen: also sind Regenten ihre Kirchen und unschuldige Unterthanen

6) Pez. Sünde.

7) Pez. Straf.

8) Nachdem E. F. G. mein — — begehren] praetermissa sunt a Pez., qui nihil habet nisi: Und will demnach.

9) Pez. im Artikel von der Rechtfertigung.

10) von vielen andern Artikeln] Acta syn. non habent.

11) Pez. groser wichtiger Ursachen.

12) gleich] Pez. non habet.

13) *etc.*] Pez. non habet.

14) Pro: und zu Erhaltung — helfen sollen, Acta synodica habent: und sich darin recht halten sollen; versio latina: *et quid de singulis sentiendum secum constituere.* Sed sensus est utique: esse quosdam articulos, de quibus puram et veram doctrinam probare et defendere debeat quisque.

15) Pez. *confessione*, *missa*, *invocatione sanctorum*, *abusu sacramenti.*

16) und dergleichen] Acta syn. non habent.

17) also] Acta syn. non habent.

18) Verba: Nun will ich nicht rathen etc., in Actis syn. non leguntur.

19) Mitteldingen oder] Acta syn. mittlen.

20) Acta syn. im rechten Gebrauch behielten.

21) Pez. die Regenten.

22) in] Pez. mit.

23) von] Pez. zu.

24) Pez. bisher.

25) Pez. beschlossen.

26) solcher] Pez. non habet.

27) oder nicht] Acta syn. non habent.

28) die] Pez. non habet.

29) können] Pez. wollen.

30) Pez. solchen Verfolgungen.

31) Pez. ihme möglichen.

zu schützen schuldig, so viel ihnen möglich. Wo aber der Schutz unmöglich, da [32]) bedarf es dieser Frage nicht, denn der Text spricht: date eleemosynam ex facultatibus, das ist, so fern ihr etwas vermöget. Nu ist des Kaisers Macht so groß, daß ich nicht achte, daß die Fürsten ihme Widerstand thun können.

Wer nu die Wahrheit bekennen will, der wölle sich Gott befehlen, und gedenken, wie geschrieben stehet: omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Der allmächtige ewige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, wölle E. F. G. gnädiglich regiren, schützen und bewahren. Datum Wittenberg den 31. Julii [33]), Anno Domini 1548.

E. F. G.

unterthäniger
Philippus Melanthon. [34])

---

No. 4309. 31. Iul.

## U. Mordeisen.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*D. Ulrico Mordeisen, Consiliario Electoris Mauritii.*

S. Clarissime vir et amice carissime. Semper ingenii et naturae tuae praestantiam amavi, quam lucere iam in reipublicae gubernatione gaudeo, et cum Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani, hanc societatem instituerit, et sua ope tueatur, ut scriptum est: qui dat salutem Regibus, nec sine ope divina felix sit gubernatio: toto pectore Deum oro, ut et harum regionum Ecclesias et politias servet et regat, ac mentes gubernatorum ad salutaria consilia flectat, et te quoque adiuvet. Ut autem praecipua cura esse debet doctrinae coelestis et honestae disciplinae, ita modesta ingenia etiam a gubernatoribus provehenda sunt. Quare non dubito, tibi curae esse et fore scholasticos bene moratos. Hic adolescens *David Schieverdecker* filius est *Schieverdeckeri*, qui ante sexennium quaestor fuit in praefectura Witebergensi. Tradidit autem pater huic suo filio et fratribus domum, quae Witebergae est. Nunc petit adolescens fundi collationem. Arbitror, rem iustam et usitatam peti, et adolescenti ex venditione domus sumptus ad studia sumendus est, quiquidem feliciter versatur in studiis philosophiae, quae flectunt animos ad modestiam et ad multas virtutes. Quare te valde oro, ut eum complectaris et adiuves, et perfici hoc negotium cures. Iudicabo hoc beneficium tuum ad me quoque pertinere, et gratitudinem animi praestabo. Bene et feliciter vale. Prid. Calend. Augusti 1548. *)

32) da] Pez. so.
33) Pez. den letzten Jul.
34) Pez. subscriptionem non habet.

*) In cod. Par. 1578., quod mendum est. Alia manu 7 mutavit in 5, sed 7 pro 4 haud dubie lecta est. Mox post expugnatam Witebergam Mordisius vocatus est in aulam Mauritii, neque inde ab anno 1548. invenitur pagella academica ab ipso edita ulla in Scriptis Acad. Witeb.

---

No. 4310. (exeunte Iul.)

## Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 142. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 118.

*Clarissimo viro, — D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noriberg. etc.*

S. D. Ita semper existimavi, ἐπίτασιν tragoediae huius temporis fore bellum Helveticum, cuius classicum esse proscriptionem *Constantiae* omnes opinor iudicare. Nec Saxonia quieta erit. In his tantis tumultibus, ut Deus servet Ecclesiae suae reliquias, nec sinat ubique barbaricam vastationem fieri, omnes ardentibus votis eum oremus. Dialecticum libellum nondum misi, quia iam editio secunda, quae erit emendatior, adornatur. Habui enim in quibusdam materiis δευτέρας φροντίδας. Nugae sunt, sed quid agam aliud? Et tamen cum posteritati servire nostri labores debeant, et speremus mansuram esse, existimo talium librorum lectionem utilem fore adolescentiae, meque illa Paulina voce consolor, quae dicit, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἐστὶ κενὸς ἐν κυρίῳ. Eandem tibi quoque consolationem in tuis laboribus honestissimis proponito. Bene vale, et interdum ad nos scribito, ut dum possumus colloquamur. Conveniemus autem aliquando post in Academia coelesti. Libellum tibi dicatum de Anima retexere cogito. Iterum vale. **)

Philippus Melanthon.

**) Alia manus adscripsit ann. 1548.

No. 4311. 1. Aug.

## M. Seidemanno.

† Ex apogr. in cod. Goth. 212. p. 110b. collato apographo in cod. Par. 54., in bibliotheca St. Genovevae Lutetiis Parisior. quod contulit Clariss. *Beck*.

*Philipp. Mel. D. Martino Seidenmano (Erfordiae).*

S. D. Etsi sum in periculo non mediocri, tamen non factum est metu, ut illa nostra deliberatio scripta sit moderatius [1]). Prodesse hoc utilitati Ecclesiarum omnium in his regionibus iudicavi. Et certe vota et consilia mea omnia [2]) spectant ad hunc finem, ne Ecclesiae turbentur corruptelis, quas sonat Sphinx Augustana. De calumniis in viciniis vestris [3]) multo ante ad me viri graves scripserant. Sic accidit mihi saepe, ut simul et [4]) saevitiam hostium experirer, et lacerarer calumniis ab iis, qui nos adiuvare deberent. Fuit in hoc itinere [5]) crudelissima oratio *Islebii*, qui mihi atrocia supplicia minitatus est. Nihil his iniuriis moveor, quo minus de rebus necessariis moderate et pie dicturus sim vera, et Ecclesiae et piis scholasticis utilia et explicata, ne offendant Ecclesiam praestigia [6]) et sophismata [7]). Si poteris exspatiari, optarim, te ad nos venire priusquam casus aliquis me opprimat [8]). Bene Vale.

In conventu gentis [9]) *Mysorum* honestae et piae sententiae dictae sunt. *ἀλλ' ἡ σωτήρια ἐκκλησίας κεῖται ἐν γούνασιν θεοῦ.* Iterum vale. Witenbergae Cal. Aug. 1548. [10])

Philippus M.

1) Cod. Goth. 212. *moderatior.*

2) *omnia*] cod. Par. 54. non habet.

3) Cod. Par. 54. *vicinia nostra.* Puto autem Melanthonem loqui de aula Wimariensi.

4) *et*] non habet cod. Goth. 212.

5) Referenda sunt, quae hic de Islebio et eius itinere scribit ad epist. Aquilae ad Melanthonem supra d. 22. Iul. scriptam.

6) *praestigia* scripsi pro *vestigia*, quod habet cod. Paris. 54.

7) Verba: *ne offendant — pr. et sophism.* in cod. Goth. 212. praetermissa sunt.

8) Cod. Goth. 212. *opprimeret.*

9) *In conv. gentis*] in cod. Par. 54. praetermissa sunt.

10) Cod. Par. 54. *Iterum vale. 28. Iulii.*

No. 4312. 1. Aug.

## Ch. Goldsteinio.

† Ex apogr. in cod. Goth. 191. p. 40.

*D. Chiliano Goldstein, D. iuris, fratri suo cariss.*

Clariss. vir et amice carissime. Saepe cum aspicio orphanos, qui ex mea familia nati sunt [1]), ac de meis exiliis cogito, hac me consolatione erigo, quod toties divina vox affirmat, Deum esse patrem orphanorum. Deinde hanc consolationem ad veram [2]) Ecclesiam transfero, quae, etiamsi non habet praesidia humana, tamen servabitur. Aliquando etiam ex his malis eluctaturam esse spero, quibus nunc duriter concutitur. Te quoque, ut eadem cogitatione de patre orphanorum in luctu tuo domestico et publico te consoleris, adhortor. Et cum in republ. iam etiam de Ecclesia vestra et de iis qui eam fideliter erudierunt, impendere non levia certamina existimem, (etsi scio, te nec ipsi Ecclesiae nec doctoribus defuturum esse,) tamen te magnopere oro, ut cum aliorum, tum vero viri Reverendi *Ionae*, qui semina Evangelii primus in urbe vestra sparsit, salutem amanter tuearis. Aetas, familia, valetudo et ipsius et coniugis movent pectus tale, quale tuum est, ad bonitatem et beneficentiam natum. Sed moveat nos etiam excellens eruditio et virtus viri, et debita Evangelii doctoribus gratitudo. Scio has causas omnes te videre, et tuo iudicio tuaque voluntate *Ionam* propugnaturum esse. Ideo scribo brevius, sed tamen hoc addo, mea causa ut aliquid studii ad haec officia addas, valde te oro. Si me Deus in hac republica retinere volet, non poenitebit nos nostrae voluntatis, quam quidem et retuli semper ad Ecclesiae utilitatem, et tueri mediocri diligentia ac sedulitate studui. Fovere Ecclesiam et consensum recte sentientium semper optavi; qua de re multas meas querelas, plenas summi doloris meministis ipsi. Sed nunc ut in naufragio colligamus tabulas quantum fieri potest, ut pura doctrina ad posteros perveniat, et non turbetur invocatio piorum. Si colloqui possemus, indicare fortassis aliquid possem, quod te scire refert, si, ut arbitror, deliberationes isthinc erunt περὶ σφίγγος

1) Loquitur de liberis *Sabini*, quos educabat.

2) Mst. mendose: *eorum.*

*βιαζομένου τὴν ἐκκλησίαν.* Sed colloqui per literas alio modo poterimus. B. V. Calend. August.

No. 4313. 3. Aug.

## *Georgio Princ. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 255. (ed. Lond. lib. II. ep. 252.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Etsi maxime cupiebam cum C. V. colloqui: tamen quia post iter Doctoris *Milichii* retinet me promotio Medica *), differre profectionem ad *Dessam* cogor in proximam septimanam. Remoratur etiam me subita consternatio Doctoris *Fendii* Medici, cuius coniunx honesta matrona heri in profundum fontem delapsa, vix recepta est. Ac vivit illa quidem, sed tamen aegrotat cum periculo; Deus eam servet, et mitiget nobis omnibus poenas. Recentes historias scripsi in pagella, quam huic epistolae addidi. Bene et feliciter valeat C. V. Die 3. Augusti.

No. 4314. 3. Aug.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 147. Apogr. in cod. Goth. 212. p. 210. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 127., ubi inscriptioni addita sunt verba: „16. Augusti 1548." videl. accepi.

*Clarissimo viro — Dom. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noriberg. etc.*

S. D. Ut Philoxenum Syracusanus ille in Latomias duci iussit reprehendentem Tragoediam, ita nunc in periculo sunt, qui non applaudunt Augustano Poëmati, et mihi suadent multi, ut fugiam. Etsi hic sum *ὥσπερ ὄνος ἐν πιθήκοις*, inter aulicos sapientes, tamen hactenus mansi, cogitans illud dictum, *αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠρίθμηνται*, meque et Ecclesiam Deo commendo. Nec profecto minus crucior cogitatione causarum, unde haec mala orta sunt, quam eventuum. Te autem adhortor, ut dolori tuo repugnes et hac te spe sustentes, quod certum est Deum Ecclesiae suae non defuturum esse: Imo et pias familias servaturum esse, ut scriptum est, *Generatio rectorum benedicetur.* Bene et foeliciter vale. Mitto tibi *Hieronymi* vitam *).

Philippus.

No. 4315. (his dieb.)

## *Casp. Aquilae.*

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Casparo Aquilae, (Pastori Ecclesiae Dei in oppido Salveld.)*

Reverende vir et carissime frater. Donec possumus colloquamur, et omni studio foveamus consensum Ecclesiarum in verae et incorruptae doctrinae propagatione. Etsi autem magnae et horrendae sunt et erunt confusiones Imperiorum, tamen inter has ruinas speremus, Deum servaturum esse aliquod semen sanctum, et quidem in his ipsis locis, ubi sonat vox Evangelii, et in familiis piorum, ut scriptum est: generationi rectorum benedicetur. Pro tuis literis mihi nuper missis gratias tibi ago, et mitto *vitam Hieronymi* et dulces quasdam *Stigelii* elegias. Orationes continent consolationes accommodatas huic tempori. Bene vale et scribe saepius. Civitates Saxonicae aliquot communi consensu decreverunt, se non recepturos esse Sphingem Augustanam.

Philippus.

No. 4316. 4. Aug.

## *Io. a Lasco ad Melanthonem.*

† E cod. Bav. Vol. I. p. 1081.

*Doctissimo eidemque fidelissimo Ecclesiae Christi D. D. Phil. Melanthoni, fratri, amico, et praeceptori observandissimo.*

Hodie rursum accepi literas a *Cantuariensi*, vir doctissime, quibus denuo a me petit, ut tecum

*) Petrus Sibylenus Torgaviensis ornabatur gradu doctoratus in arte medica d. 7. Aug. 1548. Vid. Script. publ. T. 1. p. 117.

*) Alia manus adscripsit: 3. *Aug.* 1545.

agam adhuc de instituenda illuc profectione tua, ac miseram ego quidem illius eadem de re ad te literas in manus D. *Aepini*, ut is porro eas ad te transmitteret. Mense autem Aprili aut Maio, addideram et meas, quibus si forte sumptus non suppeteret, hunc me tibi curaturum esse scribebam; sed nescio an ad te pervenerint. Rogabam postea D. *Albertum* nostrum, ut is, si quando ita incideret, ut ad te scriberet, responsum abs te nobis impetraret. Interim tamen neque per *Aepinum*, neque per *Albertum* abs te quicquam accepimus, quod quidem propter turbas vestras factum esse facile nobis persuademus. Nunc porro, cum hoc denuo a nobis bonus hic Episcopus postulet, ut rursum te illius verbis suscipiendi itineris illuc admoneam, facere non potui, quin illi hac in parte obsequerer, ac ad te rursum scriberem, et, ut de animo ipsius ipse certior fias, verba illius, quae ad me scripsit, addam. Cupimus, inquit [*]), nostris Ecclesiis veram de Deo doctrinam proponere, nec volumus Cothurnos facere, aut ambiguitatibus ludere, sed semota omni prudentia carnis, veram, perspicuam sacrarum literarum normae convenientem doctrinae formam ad posteros transmittere, ut et apud omnes gentes extet illustre testimonium doctrinae nostrae [1]), gravi doctorum et piorum auctoritate traditum, et universa [2]) posteritas normam habeat, quam sequatur. Ad perficiendam rem tantam eruditorum hominum praesentia nobis opus esse iudicavimus, qui collatis nobiscum iudiciis doctrinae controversias tollant, et integrum corpus verae doctrinae exstruant. Accersivimus igitur plerosque pios et [3]) doctos viros, quorum alios habemus iam, alios vero brevi expectamus. Sed de *Philippo Melanthone* nihil adhuc certi habemus, quare te summopere rogamus, ut illum, si id ullo modo facere possis, ad iter ad nos suscipiendum inducas [4]). Tertiam nunc epistolam ad illum misi [5]), qua illum hortor, ut ad nos veniat, quibus epistolis [6]) si tuae adhortationes accesserint, non diffido, eum persuaderi posse, ut toties oblatam [7]) vocationem sequatur, nullas, ut arbitror, insidias hostium nullaque [8]) itinerum pericula pertimescet [9]), quae si qua sunt, minora tamen sunt iis, in quibus nunc est. Adde quod exigui temporis molestiis multorum annorum quietem sibi, reipublicae vero utilitatem adferet aeternam. Quod si ei hoc ad nos iter aut inutile aut iniucundum [10]) fore perspicerem [11]), nemo me certe illi hic vehementius dissuaderet [12]); sed [13]) cum videam, nihil ab eo, aut ipsi aut reipublicae posse fieri utilius, quam ut hoc tempore ad nos veniat, insto vehementius; teque oro [14]), ut omnem curam cogitationemque tuam in hoc [15]) convertas, ut *Philippum* nostrum plane nostrum facias. Qualis ipsius hic [16]) futura sit conditio iam ostendi; ita tamen ostendi, ut experientia ipsa [17]) potius quam mea praedicatione Angliam nostram [18]) ei placere cupiam [19]).

Hactenus ille. Iam, cum videas, mi *Philippe*, ad quid voceris et quo, item omnium hominum et tui et verae religionis amantissimorum et quanto studio voceris, simul atque expecteris: profecto nescio, qua conscientia vocationem hanc negligere possis, praesertim, si nullam istic te certam vocationem iam habere videas, quam huic merito opponere queas. Si in simili vocatione te [20]) esse voluisti sanctissimo seni illi nostro Episcopo *Coloniensi*, sane ne nunc quidem tibi id licebit in causa multo graviore. Scio, quam inviti sint te istinc dimissuri tui, quamque et tu invitus illos relinquas, hoc potissimum tempore; sed metuo, ne te non omnes istic pro eo ac vellemus, audiant. Et ut audiant nondum scio, an tanto cum fructu

---

*) Legitur epistola illa Cranmeri de Melanthone, data d. 4. Iul. 1548. in Epistolis claror. Viror. ed. a S. A. Gabbema p. 108.

1) Gabb. *de doctrina nostra.*

2) Cod. Bav. *in universa.*

3) *plerosque pios et*] Gabb. *et te et alios quosdam.*

4) *quorum alios habemus — — inducas*] Pro his Gabbema: *qui cum non gravatim ad nos venerint, ita ut nullum fere ex iis praeter te et Melanthonem desideremus: summopere te rogamus, ut et ipse ad nos venias, et Melanthonem, si ullo modo fieri poterit, tecum adducas.*

5) *illum misi*] Gabb. *Melanthonem mitto.*

6) Gabb. *meis* epistolis.

7) *oblatam*] Gabb. *iteratam.*

8) Gabb. *nulla.*

9) Gabb. *pertimescit.*

10) *hoc ad nos iter — — iniucundum*] Gabb. *commigrationem ad nos aut inutilem aut iniucundam.*

11) Gabb. *prospicerem.*

12) Gabb. *nemo certe me dissuaderet vehementius.*

13) *sed*] Gabb. *Nunc vero.*

14) *oro*] Gabb. *hortor.*

15) Gabb. *hoc unice.*

16) Gabb. *Qualis et tua et ipsius.*

17) *ipsa*] Gabb. *vestra.*

18) *nostram*] Gabb. non habet.

19) Cod. Bav. *cupio.*

20) Videtur excidisse: *obedientem*, vel simile.

istic nunc esse possis, quantus ex tua praesentia in Anglia haberi iam posset, qui tamen nobis negligendus temere non est usquam, siquidem nobis Christi Domini gloriam vere et ex animo quaerendam esse putamus. Quare semel tandem statue aliquid, et nos de tuo animo fac certiores. De sumptu prospiciemus, aut Bremae, aut Hamburgae, aut ubi velis. Modo fac, sciam, quantum et quo loco curari velis. Vale, et fac respondeas quaeso. Emdae, 4. Augusti anno 1548.

T. ex animo *Ioannes a Lasco.*

---

No. 4317. 6. Aug.

## *Iac. Bordingo.*

† Ex autographo Phil. in cod. Rehd. Wratisl. Vol. V., descripta a S. V. *Schulzio.*

*Clariss. viro, eruditione, sapientia et virtute praestanti D. Iacobo Bordingo, doctoris artis medicae, ἀρχιατρῷ regio, fratri suo cariss.*

S. D. Vir clarissime et cariss. frater. Nihil gratius et dulcius esse potest viro sapienti et bono, quam virorum sapientum et bonorum colloquium. Quare cum istuc comitaretur ducem Saxoniae *) vir excellens ingenio, sapientia et virtute, Doctor *Ulricus Mordisen*, hortatus sum eum, ut tuum colloquium et familiaritatem expetat. Spero congressum vestrum utrique iucundum fore. Et valde laetabor, si intellexero, et te familiariter hunc hospitem complexum esse, et ipsum tuis sermonibus delectatum esse, et mutuam benevolentiam inter vos propter virtutis amorem in utroque exortum esse. Imago est consuetudinis in Ecclesia coelesti sapientum et piorum in hac vita congressus. Ideo haec ad te scripsi, teque oro, ut hunc hospitem complectaris. Oro et hoc, ut benevolentiam erga me tuam non sinas extingui. Bene vale et rescribe. Die sexto Augusti.

Philippus.

*) Augustum, fratrem Mauritii, Ducis Saxon. Electoris, qui mense Oct. Annam, filiam Regis Daniae, duxit uxorem. Vid. Sleidan. p. 648.

No. 4318. 7. Aug.

## *Cruciger ad Scholasticos.*

Scripta publ. Acad. Wit. T. I. p. 217.

*Rector Acad. Witeb. Casparus Cruciger, D.*

Beati mortui, qui in domino moriuntur, inquit consolatio divinitus proposita et confirmata multis illustribus testimoniis et multorum mortuorum resuscitatione. Quare etsi humana iudicia sine coelesti doctrina non cernunt venturam vitam, tamen nos, testimoniis divinis confirmati, intueamur venturae vitae iudicium, ac liberationem veram Ecclesiae, et certe statuamus eos, qui vera fiducia mediatoris filii animas suas Deo commendant, haeredes esse aeternae consuetudinis cum tota coelesti Ecclesia. Cum autem vir honestus *Georgius Rhau* heri decesserit in ardenti invocatione filii Dei, et antea fides eius fulserit in omnibus piis officiis: nam et mores ipsius privati casti et sine ulla labe fuerunt, et in repub. integritas eius in senatorio munere omnibus probata fuit, et beneficia eius erga Ecclesiam et studia doctrinae multis nota sunt. Edidit enim et theologica scripta multa et arithmetica et musicos libros: Ipsi quidem gratulandum est hoc iter, quia speramus, eum ad coelestem Ecclesiam transiisse; nos vero doleamus, tot praestantibus viris et matronis exiguo tempore hanc civitatem orbatam esse, et Deum oremus, ut inter nos semen aliquod sanctum servet.

Multa *prodigia* magnas et tristes calamitates denunciant, ut nuper ex spicis sanguis copiose profluxit in agro quodam non procul a Gorlitio. Audiuntur leonum ululatus, et armorum strepitus in aëre ad Harciniam, denique alia multa vere recitantur. Sed inter signa etiam est interitus bonorum virorum, ut Esaias inquit: iusti colliguntur, ne spectatores sint futurarum calamitatum. Oremus igitur Deum, ut in ira misericordiae suae recordetur, et commonefacti tantis miseriis publicis et privatis flectamur ad poenitentiam et ad veram invocationem. Haec cogitanda sunt etiam in his funerum ceremoniis. Fiet autem funus *Georgio Rhau* hodie hora quarta, ad quod ut conveniant Doctores, Magistri et Auditores, hortamur eos et propter pietatem debitam Ecclesiae Dei, et propter memoriam ipsius Georgii, viri honesti et de republica bene meriti. 7. Augusti.

No. 4319. 10. Aug.

## *Theologis Argentinensibus.*

Edita in Actis synodicis latin. p. 185., repetita a Pezelio in Melanth. Consil. latin. P. II. p. 56. et in Consiliis theol. Witteb. I. p. 896 sq. (Versio germanica in Actis synod. germ. p. 133.) — Epistolae apographa habentur in cod. Monac. 90. no. IV. p. 295. et in cod. Monac. 66. p. 102. cum textu Pezelii ubique convenientia, et tantum nominibus subscriptis carentia. — Missus fuerat Witebergam D. Ioannes *Marbachius*, Argentinensis, ad exploranda theologorum Witebergensium de libello Interim iudicia, per quem Witebergenses et epistolam, quae sequitur, et iudicium Argentoratum miserunt.

### A) *Epistola ad Theologos Argentinenses.*

S. D. Reverendi, et doctiss. viri. Etsi ex literis vestris, et deliberatione, quam antea misistis, intelleximus, vos corruptelas doctrinae constanter reiicere, quae sunt in sphinge Augustana, tamen et conspectu, et oratione collegae vestri valde delectati sumus, qui copiosius exposuit, et vestram, et totius Ecclesiae vestrae voluntatem. Etsi autem multi sapientes viri in tanta distractione Ecclesiarum iudicant, necessarium fuisse, ut via aliqua concordiae quaereretur, tamen res ostendit, haec remedia, quae sunt in libro Augustano, non esse idonea, ad tollendos Ecclesiae morbos. In quibusdam magnis rebus, manifestum est, ibi tenebras induci veritati, et stabiliri non leves abusus.

Scitis autem, saepe in Ecclesia decursum esse ad tales fucosas compositiones, et quidem placere eas viris politicis. Itaque non miremur nunc quoque multos applaudere huic libro. Sed nostri officii est, retinere doctrinae puritatem, quod et modeste, et constanter facere decrevimus, nec dubitamus Deo curae fore Ecclesiam, et hospitia piis studiis alicubi concessurum esse.

Laetamur autem iudicio vestro, quod nostrum consilium vos quoque probatis, ac Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et Ecclesiae suae oramus, ut consensum in multis Ecclesiis tueatur, quae vocem Evangelii incorruptam adhuc sonant, nec sinat aut voluntates doctorum distrahi, aut misceri corruptelas. Nos quoque, Deo iuvante, quantum poterimus, amicitiam nostram omnibus officiis tuebimur, καὶ τὴν καλὴν παρακαταθήκην, ut Paulus nominat, doctrinae Evangelii fideliter custodiemus. Meminimus enim vocem divinam, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, etc. Bene et feliciter valete. Datae die Laurentii, Anno 1548.

Iohannes Bugenhagen Pomer. D.
Caspar Cruciger D.
Georgius Maior D.
Philippus Melanthon.

### B) *Iudicium.*

Scimus, Dei beneficio, discernenda esse imperia politica ab Ecclesia Dei, tametsi semper oportet alicubi in imperiis esse aliqua hospitia Ecclesiae Dei, quia semper in genere humano necesse est alicubi sedem aliquam esse doctrinae, unde exaudiatur vox Evangelii, ut *) colligatur haereditas filio Dei. Sed in hac postrema senecta mundi maiores fore dissipationes, praedictum est. Ideo optandum est, ut quantum omnino fieri potest, in Ecclesiis, in quibus studium est veritatis, hi qui docent, veram, et unicam, ac consentientem vocem Evangelii sonent, et sint custodes verae doctrinae, et testes ad posteritatem, et relinquant unam et consentientem confessionem, veram et congruentem cum testimoniis verae Ecclesiae catholicae omnium temporum.

Et quanquam a politicis gubernatoribus, nullam certam defensionem habent Ecclesiae, tamen hi, qui docent, consensum in doctrina, et mutuam benevolentiam tueantur, ubicunque sunt. Extant autem scripta nostra, quae ostendunt, quid sentiamus.

Symbola omnia, Apostolicum, Nicaenum, et Athanasianum fidelissime retinemus, de Baptismo, de Coena Domini, de poenitentia, de fide accipiente remissionem peccatorum, de potestate Ecclesiastica, de magistratibus politicis, extant etiam sententiae nostrae in Confessione Augustana, et multis aliis scriptis consentientibus. Et doctrinam sonantem in Ecclesiis nostris annos viginti, et amplius, nequaquam mutamus, nec mutabimus.

Et si in hac dispersione politiarum, Deus alicubi tamen aliquem coetum recte docentium colliget, si qui nostrum superstites erunt inter eos, erimus hortatores quam primum, ut ibi confessio communis multorum docentium in civitatibus, non gubernatorum politicorum, sed docentium nomine edatur, cum subscriptionibus eruditorum,

*) Cod. Mon. 66. et.

ut sit testimonium de doctrina ad posteros. In ea confessione vos quoque nobiscum coniungi optamus, et ante editionem vobis mittemus formam, ut nobiscum deliberetis.

Liber Augustanus continet manifestas corruptelas. Ideo nequaquam eum approbabimus, etiamsi exilia et supplicia nobis proponentur. Modeste autem de eo libro respondimus, quia, ut deliberatio, ad dissimiles auditores scripta fuit. Et tamen nobis singuli confessionem integram servavimus. Vestra deliberatio in summa cum nostra congruit. Nec solicitudine aliqua opus est, de potestate Episcoporum, aut de ceremoniis, quia Episcopi semper erunt hostes nostrarum Ecclesiarum, nisi totum librum Augustanum, de Missa, de invocatione mortuorum, de circumgestatione, etc. approbabimus. Et nostra deliberatio, nihil eis largitur, si defendent tales abusus.

De Coena Domini, diximus aperte, et semper dicturi sumus, etsi scimus, quam duriter id a multis accipiatur, nullos ritus extra usum, ad quem instituti sunt, Sacramenta esse. Sed cur brevius in deliberatione illa, de eo articulo dictum sit, haec caussa est, quia etiam hi, qui volunt videri non alieni a nostris Ecclesiis, nolunt eam disputationem moveri, et vicinus Margites *) saepe iam acerbe calumniatus est reprehensionem quorundam non levium abusuum Sacramenti. Nec mitius de nobis loquitur, quam apud D. Iacobum de vestra Ecclesia quidam aulicus Augustae locutus est.

Duximus et hoc vobis significandum esse, quid responderimus iis, qui a nobis consilium de libro petiverunt. Ad omnes uno et eodem modo scripsimus, ac suasimus, ut Pastores suam deliberationem omnino seiungant, a deliberatione politicorum gubernatorum, et respondeant plane, et perspicue, se nequaquam mutaturos esse genus doctrinae, quod in nostris Ecclesiis sonat, et se quidem non recipere librum, quia nostri officii est intelligere, et vitare corruptelas.

Sinant autem politicos gubernatores, quorum multi doctrinae fontes ignorant, multi oderunt, respondere Imperatori, ut volunt. Ita Pastores periculis suae conscientiae liberantur, et minus fit mutationum in Ecclesia, et nos nihil seditiose, nihil immoderate facimus, et tamen retinemus confessionem doctrinae.

*) Pezel. *quidam Princeps.*

Quod datis operam, ut examen et petitionem absolutionis restituatis, piam voluntatem vestram et consilium probamus. Etsi autem erunt, qui non volent obedire, tamen cum caeteris volentibus obedire agatis: Et melius est, totam rem voluntariam esse, quam adiungere vim politicam. Videtis in quanta odia *) incurrant etiam fidelissimi ministri Evangelii, cum vim politicam exercent. Et haec revera aliena est a nostro ministerio.

De publico ritu poenitentiae hoc servamus, et aliquot exempla vidi, cum is, qui lapsus est, redit ad Ecclesiam, et iam vel punitus est poena politica, vel alio iusto modo satisfecit magistratui. Audiuntur eius confessio, petitio, et promissio emendationis. Deinde publice in concione narratur populo, talem redire ad Ecclesiam, et petere veniam, quod offenderit Deum, et Ecclesiam, et quia promittat emendationem, iam eum publice recipiendum esse.

Et de genere delicti commonefactio aliqua additur. Et iubetur populus precari, ut Deus mitiget poenas. Postea ad aram publice interrogat Pastor hunc lapsum, an petat absolutionem serio, et an promittat emendationem, et an credat absolutioni. Cumque affirmat lapsus, sequitur brevis querela de delicto, quod et Deum, et Ecclesiam offenderit, et narrantur comminationes divinae de poena. Deinde additur doctrina de remissione, et de mitigatione poenarum. Ac postremo pronunciat verba absolutionis: *Ego Pastor, iuxta mandatum filii Dei, Quorum remiseritis, etc. remitto tibi peccata propter filium Dei, et annuncio tibi vocem Evangelii, quae affirmat verissime remitti peccata, propter filium Dei, omnibus petentibus et credentibus in filium Dei. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* 10. Augusti, 1548. **)

**No. 4320.** (fere hoc temp.)

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 282 sq.

*) Cod. Mon. 66. *peccata.*
**) Cod. Mon. 66.: 1549.

*Georgio Buchholzero, praeposito Berolinensi.*

Reverende vir, et amice charissime: Prorsus non aliud respondeo ad tam atrocem criminationem *), de qua audivi etiam ante quam legi vestras literas, nisi hoc quod Demosthenes dicit: Si vos ipsi, quibus mea vita nota est, talem me esse existimatis, qualem me esse calumniator describit, nulla prorsus defensione utar. Sed profecto unde sit tanta acerbitas odii, ne quidem suspicari possum, cum mediocria fuerint mea erga ipsum officia: et in hac ipsa deliberatione modestissime indicaverim, me optare, ut Ecclesiae harum regionum non turbentur. Multas etiam disputationes condonavi publicae paci. Sed nunc non disputo: tantum ad iudicia piorum et eruditorum apud vos et alibi provoco. Video principes velle certum statum constituere, nec impedio: qui si putant me tollendum, aut interficiendum esse, ut scio de me tollendo fuisse sermones: feram, Deo iuvante, quicquid accidet. Sed mihi non deesset consilium refutandi criminationem, si non parcerem Reipublicae. Nihil seditiose, nihil immoderate faciam. Sed donec vivam, modeste dicam necessaria: et res ostendit, multas a me controversias non parvo labore, nec sine periculo explicatas esse. Et hunc ipsum librum Augustanum legens, aliquoties agnosco in meis vulneribus meas pennas, ut in antiquo proverbio dictum est. Si vivam, scribam ad vos plura, et saepius, ubicunque ero. Nam has contumelias non perpetuo dissimulabo.

Remitto vobis exemplum libri Augustani, quod ad me misistis: quia ipsi exempla multa habemus. Habemus et alium librum, cui titulus est *Reformatio* **), qui velut interpres est libri prioris. Totam hanc causam, Ecclesiam, et nos omnes Deo commendo: quia scio salutaria ab hominibus effici non posse, nisi datum sit a Deo: quem quidem oro, ut vos regat. Pro poculo, quod miseris orphanis meis misistis, ago gratias. Salutem opto viris integerrimis, qui meo dolore adficiuntur. Bene valete.

Formulam recitandam ante Canonem, non legi: nec habeo exemplum. Ideo iudicare non potui.

*) Io. Agricolae.

**) Forma reformationis rerum ecclesiast. Caroli Imperatoris iussu episcopis recitata d. 14. Iun. in Comitiis August.

**No. 4321.** **18. Aug.**

## *Nic. Medlero.*

Edita primum a Hummelio in epp. historico-ecclesiasticarum sec. 16. et 17. semicenturia 2. p. 119. et quidem ex apographo in cod. (nunc) Monac. 90. no. VII. p. 295. Iterum ex cod. Bav. I. p. 1089. a Danzio in epp. ad Medler. ep. 81.

*Domino Doct. Nicolao Medlero,*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Grata est mihi tua in scribendo assiduitas. Et hoc tempore prodest, amicos sinceros saepius colloqui; quare nec tibi meum officium in hoc genere deerit, donec in iis locis ero, unde literae nostrae ad te perferri poterunt. Expecto enim vel nova exilia vel carcerem. Nam *Islebius* rabiosissime in publicis concionibus in me debacchatur, et quod Augustae molitus est, id nunc per Monachum, audientem confessiones imperatoris, astutius aget [1]), ut me opprimat. Etsi autem me hortantur homines honesti et prudentes ad fugam, tamen hactenus mansi, ac Deo me commendo, quem oro, ut nos regat et servet coetus scholasticos, doctrinam evangelii incorruptam sonantes et fideliter custodientes. Si putant inimici, ita se facturos concordiam et pacem, si meum sanguinem sorbeant, faciant quantum Deus permittet. Pulsi sunt ex suis Ecclesiis [2]) *Brentius*, *Nopus* [3]), *Musculus*, viri docti, pii, et bene meriti, et passim expelli alios ex aliis locis audio; et tamen clamat *Islebius*: hanc esse evangelii propagationem. Sed multo ante et vidi et dixi, decursuros tandem principes ad talem fucosam compositionem, in qua parva quaedam donarent temporibus, sed stabilirent eos errores, qui sunt nervi potentiae pontificiae. Nec mihi tantum sumo, ut existimem, me posse impedire consilia politicorum gubernatorum [4]), quos sino constituere rempublicam vel ut volunt, vel ut possunt. Ego tamen doctrinam necessariam nequaquam abiiciam. Memini Pauli vocem: *honestum depositum custodito.* Adferam, ut spero, in aeternam Ecclesiae Dei consuetudinem doctrinam

1) Danz. mendose *agit.*

2) Hummel. *ex nidulis suis.*

3) Humm. *Noppius*, et praetermisit *Musculus.*

4) Pergit iam Hummelii mst.: *sed tamen ipse meo loco approbare errores non volo, constituant tempus ut volunt vel ut possunt. Ego tamen dum vivam moderate dicam de rebus necessariis, quae ad aedificationem domus Dei pertinent.* A. 1548. Reliqua omnia, ut etiam pagellae, non leguntur ibi.

incorruptam. Legi tuam adhortationem *) et collegis dedi legendam, quam optaremus versari in manibus hominum. De quaestionibus respondi in pagellis, quas addidi. Historiam de colloquio Angeli prope *Cranach* recitavit mihi ille ipse pistor, homo, ut mihi videbatur non vanus, qui interfuit. Is in hoc oppido aliquamdiu honeste servivit. Caetera lege in pagellis, quas addidi. Bene et feliciter vale. 13. Augusti. Rescribe. Anno 1548.

Phil. Melanthon.

*De questionibus* [5]).

Iterum admoneo ut deliberationem suam pastores et doctores Ecclesiae a politica seiungant, sicut antea scripsi, et categorice dicant se libro non adsentiri, et velle se recte docere et eadem quae hactenus docuerunt. Senatus vero deliberet, quomodo responsurus sit imperatori.

In quibusdam locis comites in vicinia nostra hoc consilio utuntur: concionatoribus dicunt, se velle, ut recte doceant, et eadem quae hactenus docuerunt; se vero scripturos imperatori suo loco, quomodo librum recipiant.

Quod autem interrogas, an totus liber reiiciendus sit, an vero membra aliqua recipienda, respondent doctores: vix unquam damnari aliquem librum, quia omnia sint falsa quae continet, imo ubicunque sunt sophismata, praetexuntur [6]) multa vera falsis; sed damnantur libri, quia aliquos insignes et perniciosos errores continent. Sicut potus propter venenum vitatur, sicut et Iurisconsulti reiiciunt libellum vel testem propter aliquas partes falsas; sic et concionatores dicant, se non adsentiri huic libro. Sed si interrogentur de singulis articulis, vera non sunt improbanda, ac discernant vera, falsa, ambigua. Imo et non interrogatos optarim tamen discernere articulos veros a manifeste falsis, sicut fecimus nos in nostra deliberatione, et fecerunt hoc Argentoratenses.

*De Brentio.*

Iusserat imperator vinctum ad se mitti *Brentium*; sed amici quidam *Brentium* monuerunt, ut fugeret. Excusat se igitur Senatus imperatori, quod discessisset Brentius. Sed imperator iratus misit Hispanos ad vexandum oppidum. Hi expulerunt aegrotam coniugem et familiam *Brentii.*

*De Bucero.*

Misit huc Ecclesia Argentoratensis unum ex doctoribus [7]), qui attulit deliberationem, quam collegae ad Senatum Argentoratensem scripserunt, quae congruit cum nostra, sed aliquanto plura taxat in libro. Scribit et *Bucerus*, valde laborasse quosdam Augustae, ut subscriberet, sed nullam a se subscriptionem factam esse. Idem affirmat et dominus *Eustathius a Slieben.* Hac hora accepi recentes literas civis Augustani, qui scribit, captivum principem recte valere et animo tranquillo esse. Verba haec sunt: der gefangene Herre ist nur [8]) frisch und gesund. Deus nos omnes regat et adiuvet. Bene vale.

Phil. Melanthon.

*) Quaenam haec sit, ignoro. Paulo serius edidit Medlerus: „Eine Predigt über das Evangel Luc. XIV. von dem Wassersüchtigen, so man lieset den 17. Sonntag nach Trinitat. [anno 1548., d. 23. Septb.] wider das Interim, geschrieben an einen guten Freund durch Doct. Nicolaum Medlerum." 1548. 4.

5) Haec et quae sequuntur non sunt in cod. Monac. 90.

6) Danz. legit *pertexuntur*, sed scriptum est *p̄texuntur*, non *ptexuntur*.

7) Marbachium.

8) Danz. nur praetermisit.

---

No. 4322. 13. Aug.

## Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 145. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 119.

*Clariss. viro, D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noribergensi, amico suo cariss.*

S. D. Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut Ecclesiam suam, Politias, quae sunt Ecclesiae hospitia, te et honestissimam coniugem, et dulcissimos liberos et recens natam filiolam servet, teque adhortor *), ut quantum potes, animum a dolore abducas, et in domestica morum suavitate acquiescas, et de tuo erga liberos amore cogitans, simul cogites similem et multo ardentiorem in Deo στοργὴν esse erga nos. Impressit enim hanc suae mentis similitudinem nobis.

*) Spanh. hortor.

Erit igitur ei curae, ut inter tumultus Imperiorum Ecclesiae serventur et habeant aliqua hospitiola, quae tamen in hac mundi senecta squalidiora fore praedixit.

Quaeso ut stipendium quod hactenus dedistis *Philippo Piscatori*, nunc in *Iohannem Kleinaw* adolescentem bonae spei, notum *Vito*, transferatis. *Marcellus* qui eum privatim erudiit, probat eius ingenium et mores. Mitto genesin filiolae. sed Deus conditor naturae χρᾶσιν confirmet. Bene vale. Die 13. Augusti.

Philippus Melanthon.

---

**No. 4323.** **14. Aug.**

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 603 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 744.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario Paberg. fratri suo carissimo,*

S. D. Semper affuit generi humano filius Dei, inquit Ireneus, seu significans semper eum Ecclesiae affuisse, seu complectens universum genus humanum, quod inter assiduas imperiorum concussiones servatur tamen, et servatur ideo, ut excerpatur inde coetus vocandus ad agnitionem Dei. Speremus igitur nunc quoque filium Dei custodem esse Ecclesiae suae, et in hanc nos et familias nostras includamus, velut ad aram confugientes. Ideo etsi magni sunt tumultus, tamen cum societas hominum non deserenda sit, leges, doctrina, coniugia, et alii nervi humanae societatis, tuendi sunt. Cum autem filia *Sebaldi Munsteri* desponsata sit *Ulrico Sicingero*, te oramus, ut ad sacrum nuptiarum, die Augusti vicesimo huc venias, et honestiss. uxorem et filias tecum adducas. Scis enim caussas, quare optime morati homines inde usque ab initio generis humani, coniugii initiis adesse seniorum etiam coetum voluerint, qui et testarentur de coniugio, et simul vota facerent pro iuventute, cogitantes de vitae periculis. Movearis etiam orbitate virginis, praesertim cum scias patrem amicitiam tuam plurimi fecisse, nec dubitasse, quin ubicunque posses, familiae suae benefacturus esses. Scio non opus esse longiore oratione apud te, qui omnium officiorum momenta sapienter ponderas. Bene vale. Datae Witebergae, XVIII. Cal. *) Septembris, Anno M.D.XLVIII. Nostra *Martha* etiam suo nomine honestiss. filiam tuam orat, ut huc veniat.

Phil. Melanth.

---

**No. 4324.** **14. Aug.**

## *Testimonium Christiani.*

Editum in libro: Destinata literaria et fragmenta Lusatica. (Lübben 1738.) Tom. VIII. p. 725. [Danz.]

*(Testimonium.)*

Auditor noster in Academia amplius triennio fuit hic *Christianus*, natus in oppido vicino *Lucca*, et cum sit indoles in eo praeclara ad virtutem et ad literas, semper honeste vixit, et in lingua latina ita profecit, ut et solutam orationem et carmen erudite scribat. Postea specimina eruditionis in docendo praebuit, Elementa Philosophiae etiam Arithmeticam et Sphaerica studiose didicit. Quare cum et mores ipsius *Christiani* honesti sint, et spes sit, ingenium eius usui fore Ecclesiae Dei, oro omnes honestos viros, ut foveant ingenio huius Christiani, et ubi erit occasio, eum adiuvent. Bene vale Lector. Vitebergae die 14. Augusti Anno 1548.

---

**No. 4325.** **(fere d. 15. Aug.)**

## *Scholasticis.*

Scripta publ. Witt. I. p. 218.

*Decanus Collegii Philosophici, Philippus Melanthon invitat petituros gradum Magisterii Philosophici ad examina, an.* 1548.

Nazianzenus inquit: οὐδὲν οὕτως εὐφραίνειν ἡμᾶς εἴωθεν, ὥσπερ συνειδὸς καθαρὸν, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί. Etsi igitur exarserunt odia multorum adversus nos iniusta, tamen primum conscientia lenit dolorem. Scimus enim, vos non solum bene velle Ecclesiae Dei, sed etiam multas res necessarias recte patefecisse: deinde et spe sustentamur. Qua, inquies, cum simus in tantis

---

*) Addidi *Calend.* quod haud dubie excidit; nam nuptiae instabant d. 20. Aug.

miseriis? Imo vero hac anchora nitimur, quod, cum Ecclesia Dei mansura sit in eo ipso coetu, qui vocem evangelii incorruptam docet et discit, spero, Deum servaturum esse nostrum coetum. Et hac spe operas scholasticas facimus: quas, ut Deus gubernet et adiuvet, toto eum pectore oramus. Cum autem hoc tempore decreverimus instituere examina eorum, qui petent gradum Magisterii philosophici, duci id publice significandum esse, ut intra dies octo nomina edant apud Decanum hi, qui gradum petent. Anno 1548.

---

No. 4326. 19. Aug.

## *Cruciger ad Scholasticos.*

Scripta publ. Acad. W. Tom. I. p. 218 b.

*Rector Academiae Witeb. Casparus Cruciger, D.*

Et Harmoniarum sensum et cantum et artem canendi haud dubie Deus ideo praecipue dedit generi humano, ut per cantilenas doctrina coelestis propagetur et conservetur. Nam prima aetas delectatur cantu, et citius discit materias, quae cantilenis comprehenduntur, ac memoria contilenarum diuturnior est. Deinde et arcana quaedam vis est in ciendis affectibus, fuitque omnino vetus sapientia de Deo et de natura rerum et de moribus comprehensa carminibus. Ideo praestantes viri, qui Respub. constituerunt, musici fuisse dicuntur, ut Orpheus feras dicitur flexisse lyra, Amphion saxa ad muros Thebanos citharae sono attraxisse. Necesse est autem artem conservari liberalitate Principum. Ideo et illustrissimus Dux Saxoniae Elector coetum symphoniacorum colligi iussit. Et praecipue desiderantur egressi adolescentiam, qui canora et tinnula voce melodiam canere possunt, quae altior nominatur; deinde qui mediam et qui imam recte canere possint. In his igitur, qui natura valent, et volunt in coetu isto symphoniaco Ecclesiae servire, Torgam proficiscantur, ac eo veniant vel die 5. Bartolomei Apostoli, vel deinde proximis diebus, et suam voluntatem exponant viro integerrimo *Iohanni Waltero* musico, cui mandata hac de re ab illustrissimo Principe data sunt. Literas etiam, si valent, hic a reverendo viro domino *Georgio Maiore*, Doctore Theologiae, ad Walterum accipiant. 19. Augusti, anno 1548.

No. 4327. (his dieb.)

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 495. (edit. Lond. lib. II. ep. 525.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Venit huc subito *Ascanius* deliberaturus nobiscum de Sphinge Augustana. Ideo non potui prolixe scribere. Tibi pro perpetua fide et benevolentia gratias ago. Et nisi me casus aliquis oppresserit, spero me ad vos venturum esse. Adhuc Ecclesia et Academia sonant eandem vocem Evangelii, quam audivisti. Sed mihi vicinus *) valde irascitur, qui quidem ne suorum voluntates magis alienet, reversus iussit doceri ut hactenus. In agro *Slesiaco* non procul a *Gorlicio* sanguis copiose ex spicis profluxit cum demeterentur **). Civi vestro machinas puto monstratas esse. Bene vale.

---

No. 4328. 19. Aug.

## *Mauritius ad legatos suos.*

Ex Actis synodicis germanicis p. 198 b. (Versio latina in Actis synod. lat. p. 270.). — Dimisso conventu Misnensi, mense Iulio, Mauritius, Dux Saxon. Elector, antequam ordines suae ditionis omnes Torgaviam, quo eos convocaverat, venirent, utile esse putavit, ut cum Episcopis suae ditionis, videlicet Naumburgensi (Iulio Pflug) et Misnensi (Iohanne a Maltitz) ageretur. Cupiebat enim, ut in iis, quae salva vera doctrina et conscientia concedi possint, Imperatori cederetur. Mandata igitur dedit Georgio Anhaltino, Philippo Melanthoni et Casp. Crucigero, ut Pegaviae cum Episcopis convenirent ac dispicerent, quae in libro Augustano vel ferenda vel mutanda essent. Quum Crucigerus valetudinis causa iter facere non posset, Melanthon Paulum Eberum secum duxit, ut Georgius Anhaltinus Ioannem Forsterum. — Habes hic mandata, quae Mauritius consiliariis suis, quos Pegaviam ad conventum misit, dedit.

(*Mandata Principis Electoris Consiliariis suis data, missis in Conventum Pegaviensem.*)

*Instructio.*

Von Gottes Gnaden, wir Moritz Herzog zu Sachsen, des heiligen Römischen Reichs Erzmarschal und Churfürst, Landgraf in Düringen, und Markgraf zu Meißen, haben unsern Oberhäuptmann, Räthe und Liebe getreuen sämptlich und sonderlich abgefertiget, den

---

*) Marchio Brand.

**) Vid. epist. d. 30. Aug. h. a.

22. Tag Augusti zu Pegaw einzukommen, und sich den folgenden Tag mit dem hochgebornen Fürsten, Herrn Georgen, Fürsten zu Anhalt, etc. Coadiutore in Geistlichen Sachen zu Mersburgk, unserm lieben Oheim etc., Euch mit den Hochgelehrten, unsern lieben getreuen Herrn Philippo Melanthone, und Herren Casparn Creutzigern, der heiligen Schrift Doctor, und folgends mit unsern Freunden, den Bischoffen zu Meißen und Naumburgk, des Interims halben zu unterreden.

Sie sollen unserm Oheim unser freundlich Dienst anzeigen, und Dank sagen, daß sich seine Liebden auf unser Schreiben und Bitte dahin begeben, mit gebührlicher Erbietung etc.

Und nachdem wir uns versehen, es werde seine Liebe vor dem Tage mit unserem Freunde, dem Bischoffe von der Naumburgk, sich auf die Mängel des Interims unterreden, und von seiner Liebden Erklärung haben: sollen unsre Räthe Philippum und Doctorem Creutzigern zu sich ziehen, und von gemeldtem unsern Oheim, deme von Anhalt, anhören, was Erklärung seine Liebde auf die angezogene Mängel des Interims von obgedachtem Bischoffe vermerket. Und sollen sich folgends mit einander darauf unterreden und vergleichen, welche Mängel sie durch solche Erklärunge vor erledigt, und welche sie noch vor unerledigt achten; auch in welchen Artikeln man letzlich gar oder mit einer Maß entweichen, und wiederum in welchen man keines Weges entweichen kann. Und wenn man also die unerledigten Artikel in ein Vergleichniß bracht, so sollen sich unser Oheim, der von Anhalt, unsre Räthe, und beneben ihnen Philippus Melanthon und Doctor Creutziger, mit unsern beiden Freunden, den Bischoffen zu Meißen und Naumburgk, die wir des andern Tags, als den 23. Augusti, auch dahin gegen Pegaw beschrieben, unterreden.

Erstlich Danksagung thun, daß sich ihre Liebden auf unser Schreiben dahin begeben, darbei auch ihnen unsre freundliche Dienst ansagen, mit gebührlicher Erbietunge.

Darnach sollen sie der unerledigten Artikel halben von ihnen weiter Erklärung begehren und suchen, auch die von ihnen anhören, und auf welche Artikel sie also dann genugsame Erklärung und so viel Berichts bekämen, daß man die annehmen, und sich mit ihren Liebden vergleichen könnte, die hätten ihren Bescheid, und müßten auch verzeichnet werden. Auf welche Artikel aber keine solche Erklärung gefiele, daß man ohne Verletzung Gottes und der Gewissen die annehmen und tolériren möchte: so müßte man den Bischoffen mit beständigem Grunde der heiligen Schrift anzeigen, warum man in dieselbigen nicht willigen könnte, mit weiterer Ausführunge, was Gefährds daraus zu besorgen, so man sichs unterstehen würde.

Man könnte ihnen auch zu Gemüth führen, da gleich dieselbigen Artikel an ihm selbst richtig, so wäre doch der Gegengebrauch in unsern Landen nu in so langer Zeit dermaßen eingewurzelt, daß er so eilends nicht aufgehoben oder in Aenderung gebracht werden könnte. So viel schwerer und unmöglicher wollte es seyn dieser Zeit, da der Mangel vor Augen und jederman bekannt wäre.

Und sollen auf den Fall die Bischoffe zum höchsten erinnert werden der Wohlfahrt dieses Vaterlands, und darauf ersucht und gebethen, sie wollen die Gelegenheit der Sachen selbst bedenken und darauf die Ding nicht bringen, die keines Wegs zu erheben, auch ohne merkliche Zerrüttunge und schädliche Entpörung nicht wohl zu erregen, schweig zu erhalten seyn, sondern sie wollten vielmehr ihnen selbst und den Leuten zu Ruhe, und zu Abwendung derselbigen vorstehenden Beschwerungen, der obberührten Artikel halben noch zur Zeit Gedult tragen, und an deme besättiget seyn, daß ihnen ihr Bischofflich Gewalt und Auctorität hinfurt folgen, und sie dabei geschützt und gehandhabt werden, so fern sie sich deß zu Verfolgung christlicher Lehre und wahrhaftiges Gottesdiensts nicht mißbrauchen würden; wie man sich denn auch deß zu ihren Liebden keins Wegs versiehet, und würde ihnen denn in den verglichnen Artikeln aller gebührlicher Gehorsam, auch ihres Ampts Ehr, geleistet werden.

Da sie nu hierauf gute Vertröstung geben würden, so wäre hernach weiter bei ihnen zu suchen, daß sie selbst wollten mit einrathen helfen, wie die Kais. Maj. durch uns dießfalls zu beantworten seyn soll, da ihre Maj. um Antwort aufs Interim ansuchen würden lassen, auf daß ihre Maj. zufrieden seyn, und diese Lande in Ruhe bleiben möchten.

Da aber vielleicht die Bischoffe vorwenden würden, sie wären für ihre Person wohl geneigt, Gedult zu tragen, es würde aber die Kais. Maj. damit nicht zufrieden seyn etc.: so wäre bei ihnen zu suchen und zu bitten, daß sie dem Vaterland zu gut, und allerlei Weiterung und Sorglichkeit zuvorzukommen, neben uns und der Landschaft wegen, an ihre Maj. schreiben, und die Schwerheit und Unmöglichkeit, so derselbigen Artikel halben gespüret würde bei den Unterthanen dieser Lande, mit denen es viel eine andre Gestalt denn mit andern

Landen hätte, anzeigen, und unsrer Landschaft unterthänigsten Gehorsam in den andern Artikeln Gezeugniß geben wollten.

Da man aber von den obgemeldten Bischoffen der mangelhaftigen Artikel halben keine genugsame und annehmliche Erklärung bekommen, auch die begehrte Gedult und anderes, wie berührt, bei ihnen nicht erhalten könnte: so sollen unsre Räthe, beneben unserm Oheim, deme von Anhalt, Philippo und Doctore Crucigero nichts desto weniger von Wegen reden, und ihr Bedenken in eine Schrift bringen, wie wir und unsre Landschaft uns darinne weiter verhalten sollen; und sonderlich, was Gestalt die Kais. Maj. dießfalls beantwort werden soll, damit man ihrer Maj. Ungnaden vermeiden, auch derselben weiter Mandat oder Gebot vorkommen, und sich gleichwohl Gottes und der Gewissen halben genugsam verwahren möchte. Und dieweil oft in einerlei Sachen mehrerlei Bedenken fürfallen, eines bequemer und besser als das andere, ob sie wohl alle auf einem Wege gerichtet, damit wir uns darinne so viel dester besser zu entschließen und darunter zu wählen: so sehen wir für gut an, daß unser Oheim von Anhalt, die Theologen und unsre Räthe diese Sache auf mehr denn einerlei Wege bedenken, in Schrift stellen und uns zuschicken. Und will unsers Erachtens darauf zu gedenken seyn, daß die Bischoffe die Pfarherrn in unsern Landen leiden, ob sie gleich eheliche Weiber haben und das hochwürdige Sacrament in beider Gestalt reichen, nach der Einsatzung Christi unsers Heilands; und daß sie auch Priestere, die wir und unsre Landschaft ihnen zuschicken werden, ordiniren, ungeachtet ob sie Weiber haben, und das hochwürdige Sacrament in beider Gestalt reichen; und daß in der Ordination die Ordinanden, die nicht Weiber haben, mit dem nachtheiligen und ungütigem [lat. *iniquum*] Gelübde, Keuschheit zu halten, nicht gedrungen werden, man wollt es denn erklären, wo sie aus menschlicher Schwachheit sich fühlten ungeschickt, Keuschheit zu halten, daß ihnen der Ehestand durch solche Gelübde nicht abgeschnitten seyn solle. Dazu, daß auch die Ordinanden, wenn sie ordinirt sollen werden, nicht gedrungen [werden], unter einer Gestalt zu communiciren, sondern daß sie ohne solche Communion ordinirt, oder ihnen das hochwürdige Sacrament unter beider Gestalt gereicht werde.

So dünkt uns nachmals gut zu seyn, und daß es ohne Aergerniß wohl geschehen könnte, daß man alle Tage, oder je auf drei Tage in der Wochen, in den nahmhaftigen Städten, da viel Volks ist, singe die Gesänge, wie man eine Messe de tempore pflegt zu singen, bis auf die Consecration. Hätte man dann Communicanten, so consecrirte man; hätte man keine, so ließe man es anstehen. Das dienete vor die Jugend und Schüler, daß die dadurch geübt, zu Gottes Ehr und Gedächtniß angeleitet, und würden unsers Versehens sich mehr Communicanten finden denn man sich vermuthet. Und daß man das Fleisch essen auf Freitag und Sonnabend und in der Fasten, als einer weltlichen Oberkeit Gebot, aufrichtet; doch mit Unterschied derer, die redliche Ursache haben, und daß die Prediger auf den Canzeln erklären, daß solchs nicht als Gottesdienst, der ein Gesetz [sey] zur Seligkeit dienstlich, geordnet worden, sondern als eine politische Ordnung, darinne die Obrigkeit Ordnung zu geben habe, dieweil man in der Schrift kein nothwendig Gebot hat dagegen, sondern ein mittel willkührlich Ding ist, mit Vermeldung, wer solche Ordnung übertritt, daß der gleichwohl wider Gehorsam handelt der Obrigkeit, der Gott Gehorsam zu leisten befiehlt, und habe Gott daran ein Mißfallen.

Dieweil denn unsre Meinung nicht ist, daß wir oder die Unsern halsstarrig und pertinaciter, um unser und der Unsern Ehr und Ruhm willen, auf unsrer Meinung verharren, und wie sichs von etlichen ansehen läßt, ehe das Land bekriegen, verwüsten und verderben lassen, ehe denn wir in etwas, das doch ohne Gottes und der Gewissen Verletzung geschehen möchte, entweichen wollten: so sollen unsre Räthe unserm Oheim, deme von Anhalt, und den beiden Theologis zu Gemüth führen, daß durch diesen Rathschlag den Landen geholfen und entholfen werden kann. Darum sey unsre Bitte und Begehr, sein Liebde und sie wollten sich eines Theils halsstarriger Leute, die nicht viel zu verlieren haben, gar nicht bewegen noch auch etwas anfechten lassen, sondern rathen, daß in allen entwichen werde, das ohne Verletzung der offentlichen heiligen göttlichen Schrift geschehen kann. Denn unsre Meinung ist: Gott, was Gottes ist, zu geben, und, was des Kaisers ist, dem Kaiser als von Gott geordenter Obrigkeit, und alles, was ohne Verletzung Gottes geschehen mag, zu entweichen, und die Sache mehr zu Einigkeit denn zu Zweispalt zu richten, damit unsre Lande und getreue Unterthanen unverderbet, und gleichwohl bei Gottes Wort bleiben. Sie wollten auch bedenken, welchs besser sey, in allem, was mit ichtem ohne Verletzung Gottes geschehen kann, und dadurch der Grund wahrhaftiger Religion, das ist, die reine Lehre von unsrer Rechtfertigung erhalten, zu entweichen, welche Lehre Gott der allmächtige als den guten Saamen nicht ohne Frucht lassen wird, oder ob es besser sey, gestrack unsern Willen und Autorität zu erhal-

ten, die Ding auf die Wege eines Kriegs zu setzen, dadurch endlich die ganze Religion (da Gott gnädiglich davor behüte) verdruckt und gedämpft möchte werden.

Und wollten sich demnach also verhalten, daß es mehr zu Gottes Ehr und Verhütung des Verderbens dieser Land gereiche, als wir deß zu ihrer Liebden freundlich, und zu den andern gnädiglich versehen, und wir wollen um seine Liebde freundlich verdienen, und um die andern in Gnaden gedenken. Zu Urkund mit unserm Secret besiegelt, und geben Rosenthal, den 19. Tag des Monats Augusti, Anno 1548.

Moritz Churfürst
mann prop. subscrips.

---

No. 4329. 20. Aug.

## *Christophoro a Carlowitz.*

Melanthonis praefatio in Orationem Lycurgi contra Leocratem. Francf. 1548. m. Septb. — Dabimus illam, quippe quae ad librum ipsum pertineat, simul cum libello ipso infra in Scriptis Mel.

---

No. 4330. (h. t.)

## *Scriptum.*

Germanice prodiit in Actis synod. germ. p. 212. — Puto autem, Melanthonem haec latine scripsisse. Latine hoc scriptum legitur in Actis synod. lat. p. 295., inde haustum a Pezelio in Mel. Consiliis latinis P. II. p. 84. Latine etiam editum, sed mendis plenum in den Unschuldigen Nachrichten, Jahrg. 1718. p. 709. — Apographon in cod. Mon. 37. No. V. p. 218. — In Actis synodicis Melanthon dicitur haec scripsisse quum in conventum Pegaviensem proficisceretur, et hoc scriptum in conventum attulisse.

(*Quaedam de libro Augustano, scripta a Melanthone.*)

Tandem de summa rei singulis statuere necesse est. Imperator[1]) Carolus novam formam vult constituere, et constituit dissentientem a nostra in aliquibus articulis magni momenti[2]). Vult videri medium[3]) quaere inter Papistica et Lutherana. Hanc formam volumusne amplecti et adiuvare, an vero ab ea nos seiungere?[4])

*Ut amplectamur causae hae sunt:*

I. Quia honestum est, adiuvare communem, in qua principalia nobis conceduntur[5]).

II. Quia honestum est, adjuvare propagationem Evangelii ad exteras nationes, et hoc fit in hac conciliatione[6]).

III. Quia non est pugnandum de parvis rebus.

IV. Apostoli concesserunt quaedam Iudaeis, ut, abstinere a sanguine et suffocato; ergo[7]) et nos fratribus et cupientibus iuvare[8]) Ecclesiam aliqua[9]) concedamus. Et omnino speciosum est consilium τοῦ αὐτοκράτορος, quod velit opem ferre Ecclesiae[10]), sed est revera stabilitio Papatus καὶ ἀρτολατρείας[11]).

*Contra causae dehortantes hae sunt:*

Qui non fuerit me confessus coram hominibus[12]), nec confitebor eum. Si quis aliud Evangelium docet[13]), anathema sit. Fugite idola. Nolite iugum ducere cum gentibus. Quae est societas Deo et diabolo? Si quis non diligit dominum Iesum, anathema sit. Item, blasphemia est, agnitam veritatem persequi.

Iam oportebit[14]) exercere saevitiam propter articulos concessos Imperatori.

Non communices alienis peccatis. Si quis pastor non volet[15]) invocare sanctos aut probare Missas pro mortuis, aut circumgestare panem[16]), expelletur.

*Iam ad contraria*[17]).

I. Honestum est, adiuvare societatem communem[18]). Verum est, sine veritatis iniuria[19]) et sine turbatione nostrarum Ecclesiarum.

---

1) *Tandem — Imperator*] non leguntur in Unsch. Nachr.
2) Germ. und setzt das in etlichen hohen Artikeln nicht mit uns stimmet.
3) U. N. *modum*; germ. ein Mittel.
4) Germ. Ob wir die annehmen und willigen wollen, das müssen wir schliessen.

5) Germ. da man uns das Fürnehmste läßt.
6) U. N. *reconsiliatione.*
7) *ergo* non habent U. N.
8) U. N. *adiuvare.*
9) U. N. *aliquid.*
10) Germ. als die der Kirchen gern behülflich seyn wollt.
11) καὶ ἀρτολατρ.] non leguntur in U. N. Cod. Mon. 37. καὶ ἰδολατρείας. Germ. des Pabsts und seiner Abgötterei in Anbetung des Brods.
12) *coram hom.*] Acta syn. et cod. Mon. 37. non habent.
13) U. N. *docuerit.*
14) U. N. *oportet.*
15) U. N. *non velit*; cod. Mon. 37. *noluerit.*
16) Germ. das Brod umtragen im Sacrament.
17) Germ. Antwort auf die Contraria.
18) *soc. communem*] cod. Mon. 37. *concordiam.* Germ. gemeinen Frieden.
19) Germ. wenn der Wahrheit keine Gewalt geschieht.

II. Honestum est, adiuvare propagationem Evangelii. Verum est, si est propagatio Evangelii et non stabilitio errorum.

III. Apostoli concesserunt quaedam [20]); et nos concedamus multa. Sed dictum est: fugite idola [21]), et iniustam persecutionem.

IV. Hic defenduntur idola quaedam, transsubstantiatio et adoratio panis, invocatio mortuorum [22]).

Tota haec fucosa conciliatio tantum est Canonicorum stabilitio et impiorum cultuum et approbatio saevitiae in Belgico et alibi [23]), sive iam, sive postea talem conciliationem facient Principes. Sed tutius est abesse ab eorum consiliis, et retinere incorruptam veritatem. Non possunt probare [24]), quod placeat Deo ἐπίκλησις θανόντων [25]).

---

No. 4331. (d. 28. Aug. Pegaviae.)

## *Scriptum.*

† Ex apographo in cod. Guelph. fol. No. 11. 10. p. 575., ubi refertur hoc scriptum ad actionem Pegaviensem. Mauritius Dux Elector nondum responsum dederat ad mandatum Imperatoris de recipiendo libro Augustano, et eo consilio conventum Pegaviensem indixerat, ut ibi cum Episcopis suis, Misnensi et Naumburgensi deliberaretur de eiusmodi responso. Melanthon igitur et, ut videtur, vel proxime ante conventum vel statim in conventu formam responsi hanc concepit, vel certe, ea, quae ipsi videbantur dicenda, literis breviter mandavit.

„*Sententia Philippi Melanthonis, Georgii Principis Anhaltini, et aliorum theologorum, quomodo Imperatori flagitanti receptionem Interim a Duce Mauritio, respondendum sit.*"

„Bedenken Philippi, wie der Kaiserl. Majestät von wegen des Interims zu antworten sey." *)

Wenn gleich keine Fährlichkeit wäre und eine solche Ordnung, welche von hohen und weisen Leuten bedacht ist, und scheinet als solle sie zu guter Regierung dienen, vorgeben würde, wollten wir niemand Maß setzen, was ihm annehmlich oder nicht, viel weniger ist unser Gemüth, jetzund jemand Maß zu setzen, so Zerstörung der Lande gebraucht wird. Was aber denen zu thun gebühret, die diese Sache verstehen und andere lehren sollten, das sollen sie selbst bedenken. Dieweil aber gleichwohl davon geredt wird, was aufs Aeußerste zu thun sey, wie der Kais. Maj. zu antworten sey, haben wir an folgende Mittel gedacht.

Erstlich, so man bedacht ist, das Interim nicht straks abzuschlagen, so wäre eine Antwort also zu stellen: Unser gnädigster Herr hätte Unterrede mit den Bischoffen dieser Lande gehabt, als die geneigt wären, Einigkeit zu fördern. Darauf hätten sich die Bischoffe also vernehmen lassen, wie sie selbst ihre Kais. Maj. berichten würden, und solches zu Erhaltung des bischofflichen Amts und zu Einigkeit nützlich bedächten; nämlich daß sie die Ordination und ihre Jurisdiction haben und behalten sollen, welches beide die fürnehmlichen bischofflichen Aemter sind. Und sollten die Kirchen in rechter christlicher Lahr, wie dieselbe in diesen Landen bis anher von gottfürchtigen und verständigen Predigern vielmal erkläret, und wie die Bischoffe berichten, daß solcher Verstand im Interim seyn soll, bleiben lassen. Sollten auch die Messe in allen Sonntagen, Feiertagen und etlichen mehr Tagen in der Woche in aller gebührlichen Reverenz mit gewöhnlichen Sängen, Ornat und Communicanten, die zuvor gebeichtet, und wie sie bis anher gehalten, [ferner halten lassen] *), wie doch offentlich ist, daß die Messe ein offentlich Werk seyn soll, und viel hundert Jahr in der Kirchen also gehalten ist, und in Ceremonien der Messe in unsern Kirchen keine merkliche Ungleichheit ist oder andre Weise denn vor dieser Zeit gewesen, und sonst in der römischen Kirchen ohne diese ehrliche alte Weise, daß etliche viel Personen in großer Reverenz mit communiciren; und zugleich Gott anrufen und danken.

Es wollen auch die Bischoffe sampt den vornehmsten Pastoren, so in andern Mittel-Ceremonien was zu bessern nütz seyn würde, Rath haben, wie dasselbige mit einträchtigem Rath anzurichten.

Weil denn die Bischoffe selbst diesen Weg zur Einigkeit nützlich und leidlich achteten, und unseres Verstandes dieses dem Interim gemäß sey, so bitten wir unterthäniglich, Kais. Maj. wollt ihr gnädiglich, aus Kaiserlicher christlicher Gütigkeit, zu Verhütung großer Verstörung in unsern Kirchen, diesen Gehorsam gefallen lassen.

---

20) *quaedam*] U. R. *pleraque.*

21) U. R. addunt: *blasphemias.*

22) *Hic defenduntur — — mortuorum*] Acta syn. non habent.

23) U. R. et cod. Mon. 37. sic: *cultuum in Belgico et alibi et approbatio saevitiae.*

24) Germ. probiren.

25) U. R. *invocatio sanctorum.* Cod. Monac. 37. *invocatio mortuorum.*

*) Inscriptiones in cod. Guelph.

*) Desiderantur verba quae inclusi, vel similia.

### *Alia Forma.*

Im Fall aber, daß die Bischoffe sich noch nicht einlassen wollten, und man das Interim nicht straks abschlagen wollte, so gedenken wir auch auf eine solche Form nach unserm einfältigen Verstand.

Man thue Erzählung, wie es in diesen Landen mit Lehr und Ceremonien gehalten wird. So sey auch seine Churf. Gnade also bericht, daß der Verstand im Interim vom Artikel iustificationis einträchtig sey mit diesen Kirchen. Dazu wolle ihr Churf. Gn. andere mehr Ordnung *), die zu göttlicher und guter Zucht dienstlich seyend, des gestellten Interims also annehmen, und sich befleißigen, mit den Bischoffen dieser Lande diese Sach dahin zu arbeiten, daß sie ihr bischofflich Amt zu Erhaltung rechter Lehre und rechtes Gottesdienstes, auch ihre Jurisdiction zu guter christlicher Zucht brauchen und erhalten wollen. Dieweil wir denn dieß alles dem Interim gemäß achten, bitten wir, Kais. Maj. wollt ihr gnädigst diesen Gehorsam gefallen lassen.

---

**No. 4332.** (d. 23. Aug. Pegaviae.)

## *Scriptum.*

Ex Actis synod. germ. p. 197 b. — Latine in Actis synod. lat. p. 275. — Apographon in cod. Guelph. No. 11. 10. p. 577. — Postquam Melanthon et reliquos theologos (vid. d. 19. Aug.) Pegaviam venerant, Consiliarii Principis Electoris ex iis quaesiverunt, quid Imperatori concedi possit in libro Augustano, et quid denegandum. Quibus Theologi hoc scriptum tradiderunt:

### Von welchen Artikeln in gemein allen Christen nöthig ist, rechten Verstand und rechten Brauch zu halten [1]).

Es sind viel Stück im Interim, davon die Gelehrten gründlichen Bericht wissen sollen, und sollen auf eigene Fährlichkeit andere nach ihrem Beruf auch unterrichten. So seind viel grober heidnischer Abgöttereien, die auch nicht zu bestätigen, als das Oel segnen und die Processio mit dem Sacrament [2]). Bei den Synodis [3]) ist zum höchsten nöthig, diesen Artikel klar und unverdunkelt in den Kirchen [4]) zu erhalten, wie der Mensch Vergebung der Sünden erlange, und für Gott gerecht, und Erbe ewiges [5]) Lebens sey. Denn dieser Artikel ist dem Symbolo eingeleibt in den Worten: credo remissionem peccatorum.

Nun haben Malvenda und andere etwas in denselbigen Artikel [6]) in dem Interim [7]) eingeflickt, dadurch der rechte Verstand und Trost verdunkelt, und so man gleich die Stück darinnen zusammenflicken wollt, so wären es [8]) doch pugnantia, und bringt ungleichen Verstand, wie das [9]) *Sidonius* selbst rühmet, es sey nicht die Meinung, wie in unsern Kirchen davon gelehrt wird. Darum wir vor dieser Zeit von diesem Artikel unterthänige Erinnerung gethan, und [10]) achten wir [11]) noch, daß nöthig sey, den rechten Verstand in unsern Kirchen zu erhalten.

Der andre Artikel, die ganze Lehre de poenitentia ist noth [12]) rein zu erhalten in allen Stücken, also auch in der Beicht und Satisfactio.

Der dritte Artikel von der Messe ohne Communicanten, und [13]) Canone und Seelmessen, diese offentliche Mißbräuche sind nicht zu bestätigen oder wieder aufzurichten, und ist der Canon offentlich wider die Lehre von Vergebung der Sünden durch Glauben [14]). Daß man aber Glossen darüber machen will, ist eben ein Spiel, als da die Juden Christum verblendeten, und fragten [15]): wer hat dich geschlagen? Und so solche Glossen löblich wären, könnten wir sie vielleicht höflicher [16]) machen denn der Gegentheil, wie alle Verständige merken, daß sie viel Glossen aus unsern Schriften geborget haben. Und im Fall ob solchs [17]) gleich angenommen und den Pastoren [18]) fürgehalten wird [19]), so werden [20]) doch viel gottfürchtiger und gelehrter Pastores dieses [21]) nicht an-

---

*) Ordnung scripsi; nam ordnen, quod cod. Guelph. habet, mendum est.

1) Inscriptio in cod. Guelph. In Actis germanicis nulla habetur inscriptio, in Actis latinis autem haec: „Quorum capitum veram sententiam verumque usum communiter universos Christianos conservare et retinere oporteat."

2) Cod. Guelph. den Sacramenten.

3) Cod. Guelph. *Symbolis;* mendose.

4) in den Kirchen] non habet cod. Guelph.

5) Cod. Guelph. ein Erbe ewigen.

6) Act. syn. Artikeln; sed cod. Guelph. Artikel, ut etiam versio lat.

7) in dem Interim] non habet cod. Guelph.

8) Cod. Guelph. würdens.

9) Cod. Guelph. der.

10) und] desideratur in Actis.

11) wir] non est in cod. Guelph.

12) Cod. Guelph. nöthig.

13) und] cod. Guelph. vom.

14) Cod. Guelph. den Glauben.

15) Cod. Guelph. addit: ihn.

16) versio lat. *magis scitas;* cod. Guelph. höflich.

17) Und im Fall ob solchs] cod. Guelph. Und ob solche.

18) Cod. Guelph. dem Pastor.

19) Cod. Guelph. würden.

20) Cod. Guelph. werdens.

21) dieses] cod. Guelph. non habet.

nehmen. Will man nun[22]) derwegen eine Verfolgung anrichten, das wollte beschwerlich werden.

Zum letzten: der Heiligen Anrufung[23]) ist auch nicht zu willigen, dabei wir aber oft gesagt, daß wir ihre Historien mit Fleiß dem Volke fürtragen, welches zu vielen Dingen nützlich.

Diese vier Artikel betreffen den gemeinen[24]) öffentlichen Kirchenstand und das Volk.

Daß man aber uns so[25]) oft vermahnet, wir sollen nicht[26]) halsstarrig seyn, sollen Land und Leut bedenken: bitten wir um Gottes willen, man wolle[27]) uns nicht dafür halten, als haben wir Freude an gemeiner und unser selbst Elende[28]). Ist Friede damit[29]) zu machen, daß wir weg sind oder[30]) aufgeräumt werden, wollen wir herzlich gerne weichen oder leiden. Wir haben bisher getreulich gedienet zu Erklärung etlicher nöthiger Stücke[31]). Es mögen aber andre willigen, annehmen, verwerfen[32]) nach ihrem Verstande und Willen, was sie bedenken: wir setzen niemand Maß, sondern zeigen unsre einfältige Meinung an, und lassen viel streitiger, großwichtiger Sachen fürüber gehen. Auch sind diese Sachen, davon wir reden, nicht so dunkel. Es kann ein jeder verständiger Christ sehen, was der Grund ist.

---

**No. 4333.** **24. Aug. (Pegaviae.)**

## *Scriptum.*

Ex actis synodicis latinis p. 278. — (Versio germanica in Actis syn. germ. p. 199 b.) Quum in Conventu Pegaviensi ab episcopis (Misnensi et Naumburgensi) postularetur, ut Theologi capita ex libro Interim consignarent, de quibus deinceps colloquerentur, haec a Theologis capita notata sunt d. 24. Aug. 1548.

### *(Catalogus capitum libri August., de quibus disputandum.)*

De Iustificatione.

De potestate ecclesiastica offertur obedientia, si curent et sinant veram doctrinam doceri, quod ut faciant optamus.

De Ordinatione dicatur qualis futura sit, ne praesens forma mutetur.

De Sacramentis.

De baptismo.

De usu integrae coenae Dominicae.

De Confirmatione concedi potest, si superstitio excludatur.

De confessione potest commodius intelligi liber.

De extrema unctione. Ne ipsi quidem Episcopi consecrabunt oleum, si consideraverint, quales sint consecrationes et quam absurdae.

De Missa agendum ne praesens forma mutetur, cum omnia substantialia contineat, consecrationem et exhibitionem corporis et sanguinis Christi, recordationem passionis domini, gratiarum actionem, petitionem, ut propter filium detur remissio peccatorum, applicationem, quae fit fide. Haec omnia complectitur oblatio, quia oblatio non est proprie externus aliquis gestus, sed haec ipsa in corde recordatio, gratiarum actio, petitio ut propter filium detur remissio et applicatio.

Non onerentur Canone.

Nec onerentur invocatione Sanctorum.

Inritibus adiaphoris eligantur utiles communi deliberatione.

Potest institui, ut singulis septimanis pluribus diebus celebretur Missa in oppidis, quum ibi adsunt communicaturi.

De esu carnium et ieiuniis nihil litigamus.

---

**No. 4334.** **24. Aug.**

## *De iustificatione.*

Ex actis synodicis germ. p. 201. (Versio latina in Actis syn. latin. p. 279.) — Postquam Theologi consiliariis catalogum articulorum, de quibus agendum sit cum episcopis tradiderant, primum actum est de loco de iustificatione, quem Theologi, interprete Melanthone, in hoc scripto exposueruut, quod fere in omnibus convenit cum scripto quod supra d. 8. Iulii legitur.

### Artikel von der Rechtfertigung des Menschen vor Gott, den Bischoffen zu Pegaw übergeben.

Wie der Mensch für Gott gerecht werde.

Nachdem nu gesagt ist, daß aus — — — — —

(Vid. scriptum supra d. 8. Iulii, ubi, quae Melanthon nunc praetermiserit vel mutaverit, adscripta suut.) Addam autem hic, quae de actionibus in conventu porro narrant auctores Actor. synodicorum p. 207 sq.

„Wie nu diese Schrift den Bischoffen übergeben, haben „die darin gegrübelt, und — etliche Wort heraus haben „wollen, so zunächst von der Disputation von guten Wer-

22) nun] cod. Guelph. auch.
23) Cod. Guelph. zum letzten, Heiligen anrufen.
24) Cod. Guelph. die Gemeine und.
25) so] abest a cod. Guelph.
26) Cod. Guelph. nicht so.
27) Cod. Guelph. soll.
28) Cod. Guelph. an gemeinem und unsern selbst Elend.
29) damit] addidi e codice. Versio latina: *his conditionibus.*
30) oder] cod. Guelph. und.
31) Cod. Guelph. Sachen pro Stücke.
32) Cod. Guelph. verwerfen; Acta syn. verhelfen; versio lat. *repudient.*

„len stehen, da also geschrieben stehet: „es werden auch die „Tugenden und guten Werke in solchen Versühneten Gerechtigkeit genennet, wie oben von der eingegebenen Gerechtigkeit gemeldet, doch nicht in diesem Verstande — „— — Gerechtigkeit thut, der ist gerecht." Sie haben gewollt, man sollte hinwegthun da stehet: „und daß Gott „ihme diesen schwachen angefangenen Gehorsam in dieser „elenden unreinen und gebrechlichen Natur um seines Sohns „willen in den Gläubigen will gefallen lassen", und an die „Statt setzen diese Wort: „sondern daß der Mensch durch „den heiligen Geist erneuert, und die Gerechtigkeit mit dem „Werk verbringen kann." Und obwohl die Theologen Ursach anzeigten, warum sie aus ihrer übergebenen Schrift „angezogene Wort nicht könnten hinweg thun lassen, sind „doch die Bischoff auf ihrer Meinung blieben, und — ist „also die Sach streitig worden und angefangen zu stecken. „Dieweil aber die Bischoff das andre alles mit einander „nachgegeben, was in derselben Schrift von dem fürnehmsten Artikel unsers christlichen Glaubens wohl und gründlich gefaßt, und man sich also zu versehen gehabt, es „möchte sich auch in andern Artikeln zu einer Vergleichung „schicken: ist darauf gehandelt worden, — ob die Theologi „leiden könnten, daß ihre, der Theologen, gesetzte Wort „alle behalten würden, und dasjenige, so die Bischoffe „darinnen haben wollten, mit eingeleibt würde, nämlich „daß die Wort und derselbe ganze Punct also gesetzt wurden: „es werden auch die Tugenden und gute Werk in „solchen Versühneten Gerechtigkeit genennet, wie oben von „der eingegebenen Gerechtigkeit gemeldet, doch nicht in „diesem Verstand, daß darum die Person Vergebung der „Sünden habe, oder daß die Person in Gottes Gericht „ohne Sünde sey, sondern daß der Mensch durch den heiligen Geist erneuert, und die Gerechtigkeit mit dem Werk „verbringen kann, und daß Gott ihme diesen schwachen „angefangenen Gehorsam in dieser elenden gebrechlichen Natur um seines Sohns willen in den Gläubigen will gefallen lassen, von welcher Werk Gerechtigkeit Johannes „redet, da er spricht: wer Gerechtigkeit thut, der ist gerecht."

„Deß haben sich die Theologen gewidert — — und „sind darauf erinnert worden, daß sie bedenken wollten, „wie daß beide die ganze Lehre von der Rechtfertigung an „ihr selbst von den Bischoffen bewilligt würde, und dasjenige so hinein zu setzen gesucht würde, so viel zu verstehen gäbe, daß, die es suchten, gern etwas meistern „wollten, — und da solche Wort hineingesetzt würden, „wäre es doch an ihme selbst keine Aenderung oder Verbesserung; denn da es also und obgedachts Orts gesetzt „würde, gebe oder nehme es der gestellten Formel ganz „nichts, und könnte der Wahrheit kein Gefahr bringen, „noch einige Aergerniß verursachen. — — — Auf solches „und dergleichen Anhalten haben die Theologi, wie sehr „ihnen auch dieses entgegen, obgemeldter Wort Einleitung „bewilligt, damit sie je nicht das Ansehen hätten, als die „ihrer Ehren oder Glimpf halben ichtes thäten, — und „also trutziglich handeln wollten. Darauf sind nachmals „vielgedachte Wort in die Formul, so die Theologen gestellet, hineingeflickt, und ist sonst in der ganzen Schrift „nichts geändert, noch darzu oder davon gethan worden. „Als nun die Bischoff die fürgelegten Artikel bewilligten, „und fürgaben, daß also die gestellte Notel von der Rechtfertigung der Lehre im Interim gemäß wäre, hat Herr „Philippus Melanthon alsbald in sitzenden Räthen „solches offentlich widersprochen, und den Bischoffen mit „klaren Worten angezeigt, daß er nicht wüßte zu sagen „noch zu bekennen, daß die Lehre von der Rechtfertigung, „wie die im Interim stehet, dieser Lehre, so in der verglichten Notel begriffen, gleichförmig und gemäß wäre.

„Wie nun — die Räthe bei den Bischoffen ansuchten, „daß man zu den folgenden Artikeln, lauts obbeschriebener „Verzeichniß, schreiten wollte, haben sie das nicht erhalten „können, und hat den Bischoffen nicht gelegen seyn wollen, sich ferner in Unterrede einiges Artikels halben einzulassen, fürnehmlich aus der Ursach, daß sie anzeigten, „wie es bei ihnen nicht stünde, dem Interim Aenderung „zu machen. — — Was die Messe belanget, da könnten „sie nicht weichen in deme, daß man den Canonem nicht „lesen solle, und der Canon wäre gar ein alter Brauch. „Mit der Ordination der Priester könnten sie nicht vorkommen, nämlich daß sie die ordiniren sollten, die Weiber haben, und das Sacrament unter beider Gestalt nehmen und geben, sie hätten denn dessen Indult und Nachlassung vom Papst, welches die Kais. Maj. auf sich genommen hätte, bei dem Papst zu erlangen. Das wären „sie gewärtig. Mittlerzeit, ehe sie das bekämen, könnten „sie sich deß nicht mächtigen, auch das Interim nicht ins „Werk bringen. — — — Dieweil denn die Bischoff fernere Unterrede abgeschlagen, hat man die Berathschlagunge, was Kais. Maj. zu antworten, also abschneiden müssen. — Dieses ist geschehen den 25. Augusti, welches „war der folgende Tag nach obbeschriebener gehaltener „Unterrede des Artikels von der Rechtfertigung, und ist „man alsdann von einander gezogen."

---

No. 4335. (fere 28. Aug.)

## Cph. Meienburgius ad patrem.

Manl. farrag. p. 549., ubi inscribitur: „Patri observando." Apogr. in cod. Mon. 90. No. VII. p. 409., ubi praescripta dicitur cuidam a Melanthone; apogr. in cod. Monac. 66. p. 211 b., ubi dicitur praescripta Christophoro Meienburgio ad patrem, Michaelem.

*Michaeli Meienburgio, Consuli Northus.*

Charissime pater. Causam cur tardius expectatione tua nuncius redeat, ex literis aliorum intelliges. Abfuit enim D. *Philippus* diebus 12 [1]. Quanquam in Pega breve colloquium fuit, tamen Lipsiae postea triduo ab amicis [2] propter publicas disputationes retentus est. Nam et Theologi et Medici luculentas materias [3] proposuerunt. Ego

1) Cod. Mon. 66. *duodecim integris diebus.*
2) *ab amicis*] desiderantur ap. Manl.
3) Manl. *disputationes.*

ad studia latinae linguae incipio iam elementa mathematum adiungere, et arithmeticam et sphaericam doctrinam exerceo [4]) in erigendis figuris coelestium motuum, ex quo labore duplicem fructum capio. Nam et praeparo me ad fontes philosophiae et ipsa dulcedo harum artium mirificis illecebris me ad cognoscenda penetralia doctrinae invitat. Etsi autem scio derideri philosophiam a populo, tamen quid potius faciam praesertim in hac adolescentia? Et in tanta temporum moesticia semper homines ingeniosi et modesti tumultuantibus imperiis dediderunt se talibus studiis, ut lenirent moesticiam. Oro autem Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, ut te et charissimam matrem servet incolumes, et me [5]) regat. B. V.

(Christophorus Meienburg.)

---

No. 4336. 30. Aug. (Witebergae.)

## *Melanthon filius Ioanni Melanthoni.*

† Ex apogr. in cod. Mehn. II. p. 186 b.

*Iohanni Melanthoni, fratri suo**) *Ph. M.* (*filius.*)

Legi literas tuas, carissime frater, quae mihi gratissimae fuerunt, ac profecto agnosco in te *στοργάς*, quae in fratre esse debent. Nam cum intervallo locorum et temporum disiuncti simus, quam sapientissime **) mecum per literas loqueris. Quod cum ita sit, meum erit, ne ullum tabellarium mearum literarum inanem ad te venire patiar. Cum autem hoc tempore recens huc allatae essent narrationes prodigiorum quorundam, reticere ea nolui. Est pagus non procul a *Görlitz* situs, nomine *Gertsdorf;* ibi rusticus quidam, vir honestus ac pius cum in hortum suum ivisset ad colligendas segetes, quas paulo ante demessus erat, vidit ex stipulis copiose sanguinem manantem, ita ut 200 fere manipuli sanguine contaminarentur. Rusticus vero perterritus hoc prodigio viso, (ut solet) statim aliis indicavit. Ibi statim concursus factus est a plurimis, qui huius mirandi prodigii testes esse potuerunt. Haec narravit praeceptori meo *), qui vidit ista, et multum sanguinis coagulati in sulcis fuisse ait, ac ad 200 lapides ex eo agro ablatos esse, in quibus adhuc sanguinem coagulatum fuisse adfirmat. Postea scripsit huc *Medlerus* in agro ad oppidum *Bokheim* in ditione *Brunswicense* e terra erupisse sanguinem ceu fontis **) scaturiginem ulnae altitudine, ac diu fluxisse. Nec vero dubium est, haec signa minari nova bella, quia multi eventus testantur, talia prodigia non esse inania, ac, ut alias historias omittam, ante bellum, in quo *Zwinglius* interfectus est, constat *Bernae* (?) ex pariete tanquam fonte manasse magnum flumen sanguinis. Nos autem orabimus Deum, quem scimus misericordem esse, et precibus piorum moveri, ut poenas leniat, ac ut divinae suae misericordiae meminisse velit. Vale. Datae Wittebergae 2. Cal. Septembr. anno 48.

---

No. 4337. (ex. Augusto.)

## *Cph. Pannonio.*

Epist. lib. V. p. 310 sq.

*Christophoro Pannonio.*

S. D. Cum diu nihil ad te scripserim, nunc Oratorem Graecum mitto, in cujus Oratione mirifica est proprietas et vere Atticus candor, quam pro multis epistolis leges. Nostra interpretatio edita est sine meo consilio [1]), ac video, male descriptam fuisse alicubi. Sed tamen sententiarum et exemplorum copia lectorem invitare potest, ac te oro, ut inspicias. Leniamus nobis moestitiam et lectione et nostris colloquiis, et amicitias nostras foveamus, ne sit plus disputationum.

Prodigia tetra narrantur. In *Silesia* audivisti sanguinem ex stipulis erupisse. Nuper in Ducatu Brunsvicensi simile quiddam accidit, erupit ex terra prope *Bokelheim* scaturigo sanguinis,

---

4) *exerceo*] desideratur in cod. Mon. 90.

5) Manl. pro *et me* habet *nosque spiritu suo*.

*) Fratrem hoc nomine Melanthon non habuit, sed avunculum Iohannem Melanthonem, qui postea praefuit Collegio ad S. Crucem Spirensi. Scripta est autem a Philippo Melanthone filio non ad Iohannem patrem sed ad ejus filium Iohannem. Caeterum Philippum patrem epistolam filio suo composuisse, non est quod moneamus.

**) saepissime.

*) i. e. praeceptori, quem Melanthon in usum puerorum erudiendorum, qui ipsius disciplinae traditi erant, habebat.

**) *fontis* scripsi pro *foreis*, quod habet cod.

1) De interpretatione oratoris graeci, quae hoc anno prodiisset, neque Mylius neque Strobelius aliquid habent. Fortasse est Lycurgi oratio, quam d. 16. Oct. misit Baumgartnero.

et profluxit aliquot horis. Sed monstrosius est, quod nunc ex *Coburgo* adferunt. Ex piscina vicina moenibus Coburgi erupit sanguinis vena, altitudine viri, crassitudine duorum digitorum, et tribus septimanis quotidie aliquandiu profluxit. Immissa tigilla in eum locum piscinae usta, speciem carbonis habuerunt, cum retraherentur. Talia videntur apud Homerum a procis Penelopes. Sed profecto denunciantur mala, quae ut leniat Deus, oremus. B. V.

Philipp.

---

No. 4338. 31. Aug.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 604 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 745.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,*

S. D. Mittit istuc tabellarium vidua *Lutheri* ad Clariss. Virum D. *Stramburgum*, qui si non est domi, litteras a te legi volumus, et nobis significari tuum consilium. Sin autem brevi domum rediturus est, retinebis eas, et caussam viduae tu quoque ei commendabis. Vix ei tantum ocii ab aulicis negociis esse cogitabam, ut hanc molestam controversiam, quae cum homine rixoso erit, suscipere posset. Sed misera mulier quid faciat? Fui suasor, ut quoquomodo transigeretur, sed adversarius nimis multum pecuniae flagitat. Mihi etiam frater videtur a meo consilio dissentire. Quaeso ut cum D. *Stramburgo* deliberes. Scis me non minus exitus forensium certaminum, quam pugnarum metuere.

Mitto tibi *Staphyli* epistolam de morbo grassante in Pannonia. Scribit et alia de novis disputationibus Hyperboreis *). *Matthias Elbingensis* ad nos venit, qui narrat historias, quas coram recitabo. Bene et feliciter vale. Filius Dei te et Ecclesiam tuam domesticam totam servet incolumem. Pridie Cal. Septemb.

Philip. Melanth.

*) Prussicis.

No. 4339. 31. Aug.

## *Burch. Mithobio.*

Epist. lib. II. p. 341. (ed. Lond. lib. II. ep. 346 sq.)

*D. Burchardo Mithobio*

S. D. Clarissime vir, et amice charissime. Nullum profecto maius decus hominum in hac vita esse iudico, quam copulationem verae invocationis Dei cum vera philosophia, hoc est, naturae consideratione. Haec ornamenta omnibus regnis, et omnibus triumphis antefero, teque propter has pulcherrimas virtutes semper dilexi, et diligam. Auxisti autem amorem erga te meum multis tuis officiis. Deus faciat ut frui nostra amicitia in vita aeterna, ut certo spero, possimus. De Ecclesiis et Academiis in hac vicinia, scito, Dei beneficio vocem Evangelii adhuc incorruptam in templis et scholis sonare, et quidem pium consensum esse Academiarum. Mitto pagellas recens editas. Pastor Ecclesiae nostrae Dominus *Pomeranus* salutem tibi et Domino *Corvino* et caeteris amicis adscribi iussit. *Crucigeri* viri doctissimi vita propter hypochondriaca πάθη aliquo in periculo est, quem ut Deus servet vos quoque precamini. Mitterem plus pagellarum, si nuncius gestare posset. Qui motus impendeant, etiam astra et prodigia significant, non solum minae Principum. Sed Deus servabit reliquias Ecclesiae suae sicut dixit, Ego etiam senescentem Ecclesiam gestabo. Hac spe nos consolemur, cum quidem sciamus, nos membra esse verae Ecclesiae Dei, hoc est, eius coetus, qui quaerit pio corde veritatem. Bene vale. Salutem opto D. *Corvino*, D. *Coco* et caeteris amicis. Pridie Cal. Sept.

---

No. 4340. 31. Aug.

## *Carolus Imp. ad Mauritium.*

Ex Actis synod. german. p. 186. — (Versio latina in Actis syn. lat. p. 189.) — Non integra epistola prodiit in actis syn., sed ea eius tantum pars, quae ad Melanthonem spectat. Causa cur Imperator ira tantopere movebatur in Melanthonem, fuit iudicium de libro Augustano factum d. 16. Iunii, quod mense Augusto sub nomine Melanthonis typis exscriptum, et ad Caesarem, tum Spirae versaretur, allatum fuerat.

(*Carolus Imperator ad Mauritium Duc. Sax. Elect.*)

Karl von Gottes Gnaden Römischer Kaiser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.

Hochgeborner lieber Oheim und Churfürst etc. Wir können aber deiner Liebe daneben gleichwohl mit hochbeschwertem Gemüth unangezeigt nicht lassen, daß uns glaublich angelangt, welcher Maßen Philip. Melanth. zu dem wir uns denn, nach Gestalt und Gelegenheit dieser Zeit und seiner vorigen Handlunge, billig eines andern versehen sollen, auf seinem bößen giftigen Gemüth gestraks verharren, und allerhand wider das Interim, und was uns sonst zuwider seyn mage, fürnehmen soll, welches uns dermaßen zu gestatten keineswegs gelegen noch gemeint ist, und befehlen demnach deiner Liebe hiemit ernstlich, und wollen, daß sie genannten Philippum in deiner Liebe Fürstenthum länger nicht enthalten noch dulden, sondern denselben deiner Liebe Churfürstenthumen verweisen wolle, in Betrachtunge, daß er ohne das, als einer aus den fürnehmsten Lärmenblasern, so die verschienen Entpörung und Aufruhr mit ihren giftigen aufrührischen Schriften nicht wenig gegen uns erregt und gestärkt haben, der Rebellion noch verwandt, und bei uns nicht ausgesühnet ist. Neben dem, so ist uns vor kurz verschienen Tagen dieß hie beiligend Buch fürkommen und daneben angelanget, wie daß es von deiner Liebe Universitäten zu Leipzig und Wittenberg solle gedicht und ausgangen seyn, welches, wo deme also, ohne Zweifel sonders deiner Liebe Wissen und Bewilligung geschehen. Derhalben unser ernstlich Gesinnen an deine Liebe, die wolle hierin gebührlichs Einsehen haben, etc. Geben in unser und des Reichs Stadt Speir am letzten Tag Augusti, anno 48. unsers Kaiserthums im 28. etc.

(Respondit Mauritius demum d. 31. Oct. 1548. Imperatori, eiusque epistolae argumentum, ut narratur in Actis synod. p. 137. hic statim subiungere liceat:)

Was sein Kais. Maj. Philippum Melanthon betreffend vermeldet, das hätten sein C. F. G. alles, gemeldtes Philippi halben, mit ganz beschwertem Gemüth vernommen, und so viel seine Aussühnung belangend, wäre der in aufgerichter von Kais. Maj. Capitulation mit seiner C. F. G. Vettern begriffen, darinnen alle seiner Liebe gewesene Diener und Unterthanen mit eingeschlossen, so nicht namhaftig ausgezogen, unter welchen Philippi Namen nicht gewesen, und daß sein C. F. G. ihre Kais. Maj. mit Wahrheit möchte berichten, daß er, Philippus, sich seiner C. F. G. Wissens in allen Handlungen, ihre Kais. Maj. betreffende, beide für sich selbst schiedlich gehalten, als der die Sachen gerne christlich verglichen, und alle Zwiespalt, so viel müglich, aufgehoben sähe, Auch andre gleichergestalt darzu vermahnet und beweget, und durch ihnen viel Guts geschehe. Da er nun gedachten Philippum, seiner Kais. Maj. Befehl nach, seines Lands verweisen sollte, so hätte ihre Maj. selbst gnädigst zu ermessen, zu was trefflichen Unglimpf und Verhassung solches seinen C. F. G. nicht allein bei ihrer eignen Unterthanen, sondern auch bei fremden gerathen würde, daraus sich auch sein C. F G. letzlich Weiterung zu besorgen haben müßte.

(Und folget ferner mit diesen Worten:)

Demnach so bitte ich unterthänigst, Ew. Kais. Maj. wolle in Ansehung dieses alles die gefaßte Ungnade gegen ihm, dem Philippo, gnädigst fallen, und ihr nicht entgegen seyn lassen, daß ich ihn so lang in meinem Lande geduldе, so lang ich vermerke, daß er Gottes Ehr, christliche Vergleichung und Ew. Kais. Maj. Gehorsam befördern hilft. Was aber das zugeschickte Buch, so in meinen Universitäten gedichtet und ausgangen seyn solle, belanget, davon habe der Königl. Majest. ich hievon bereit einen unterthänigsten Bericht gethan, den dieselbige (wie sie sich gegen den Unsern, die wir zu ihrer Königl. Maj. geschickt haben, vernehmen lassen) Ewr. Kais. Maj. förder zugeschickt hat etc.

---

No. 4341. 1. Sptb.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 605 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 746.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Cam. Paberg. amico et fratri suo carissimo,*

S. D. Duos ad se viros doctos, alterum in doctrina Ecclesiae, alterum in philosophia, et non rudem in scribendo, *Pomerani* ante annum mitti flagitarunt. Theologum misimus, placida natura praeditum, et mediocriter eruditum, et ut audio propter modestiam gratum Academiae. Alter locus diu servatus est *Sciuro*. Postea etsi saepe interpellarunt Pomerani, neminem quaesivi, praesertim cum tu interrogasses, an adhuc res integra esset. Nunc in his tumultibus, cum alii alias

sedes quaerunt, venit ad me *Sigismundus* *) *Naoburgensis*, doctus et honestus vir, nam et solutam orationem, et carmen non sordide scribit, et mathemata callet, seque iam medicae artis studiis dedere cepit, qui eum sibi locum tradi petivit. Cum tam diu neminem indicasses, proficisci eum iussi, ut coram voluntatem Academiae de tota re exploret. Profectus est ante quatriduum. Haec ita a me simplici animo acta sunt, quae ut boni consulas oro. Gaudeo alicubi doctrinarum studia manere, et mansura esse spero, etiamsi in hac extrema mundi senecta erunt squalidiores et Ecclesiae et politiae. Quantas iniurias tulerim ac dissimulaverim, propter hoc quaelecunque studium excitandae philosophiae, imo et explicandi horridiores aliquas materias theologicas multi norunt. Nunc alia duriora ferenda sunt. Sed spero Deum nobis mitigaturum esse aerumnas. Bene et feliciter vale. Deus aeternus pater domini nostri Iesu Christi servet te et Ecclesiam tuam domesticam. Calendis Septemb. Si *Sigismundus* oblatum munus non accipit, tuo amico deferemus.

Philppus Melanth.

*Forsteri* tabellarium misi ad *Ascanium* Principem. Et tamen ei certum locum indicavi. Si volet gubernare Ecclesiam *Ravensburgensem*, accersi eum ab eius urbis Senatu curabimus. Tu quid responderis scire cupio. Fortassis enim et Philyram appetit, ut multi. *Mathesius* ait se in his praesertim tumultibus non discessurum esse a sua Ecclesia. Literas eius mitto. Plura coram.

---

No. 4342. 1. Sptb.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 583 sqq. — Data quidem dicitur epistola in fine d. 1. Decb., sed sine dubio ex errore quodam, quum satis appareat ex argumento, eam potius d. 1. Septb. scriptam esse.

### *Mich. Meienburgio*

S. D. Honestissime vir et amice charissime. Dei beneficio recte valet filius, et discit. Hodie mihi narravit quispiam recta veniens ex *Ulma*, Imperatorem inde omnes Concionatores, qui antea ibi docuerunt, captos et in compedibus vinctos abduxisse [1]). Spirae inchoabit Imp. iudicium Camerae, Vormatiae dicitur filium expectaturus esse. Ecclesiam et nos omnes Deus commendemus. Cum responsum accipiet vester Senatus, quale sit, significabitis. Multa vobis narrare possem, si una essemus, quae literis committi non possunt. Noribergae edictum propositum est tantum de his tribus rebus, de adiiciendis festis diebus aliquot, de ieiuniis et privata absolutione. Vos potestis expectare responsum Imperatoris. † Optarim autem et ego, ut concionatores doctrinam necessariam perspicue et modeste subinde repeterent sine ulla mentione libri Augustani, Imperatoris et aliorum Principum, et sine ullis conviciis. Certe multum alienarunt voluntates etiam bonorum tam crebra convicia" [2]).

Adolescentem, *Cantiunculae* filium, remisi in Patriam, et ad Patrem scripsi, et rationes literis inclusi. Videbam, eum nolle in uno et inchoato studio immorari. Haec levitas magis offendit me, quam reliqua eius vitia, quae corrigi potuissent, si fuisset studiosus. Nunc vobis rationes mitto, in quibus adolescens sua manu scripsit pecuniam, quam ei dedi. Ego mea manu, quae a nobis accepi.

Quibus ego in periculis sim, ratiocinari facile potestis. Nunc hoc accedit, quod *Islebius* etiam *Marchionem* adversus me accendit. Sed Deo me commendo. Tantisper monebo, donec videor, utcunque posse manere, quia non sine gravissimis causis occasionem dissipationi scholae dari velim. Sed hoc quoque commendo Deo, quem non dubito, aliquanto post fore Iudicem harum controversiarum.

Rursus in Angliam vocatus sum. In *Pega* breve colloquium fuit de Articulo Iustificationis, ubi intellexi ab Hispanico monacho depravatum esse contra aliorum voluntatem. Idem et *Marchio* questus est.

Dn. Doctorem *Matthaeum* placari mihi opto. Cur ex illa epistola [3]) non excerpunt alia contra adversarios dicta? Et ignoscendum erat meo dolori, praesertim cum ego nostra mala melius no-

---

*) Schoerckelius.

1) Totam rem prolixe narravit Sleidanus in Comment. p. 645 sq.
2) Addit A. D., quae, cur Saubertus non ediderit, facile quisque videt.
3) Ad Carlovicium, d. 28. Apr. 1548.

rim, quam alii multi, quae utinam Deus corrigat. Bene et feliciter valete. Die 1. Decemb.

Philippus.

---

No. 4343. 3. Sept.

## *Christiano Regi Dan.*

Schumacher's Briefe an d. Kön. in Dänem. Vol. II, p. 20.

(*Christiano III., Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Allerdurchleuchtigster, großmächtiger, gnädigster König und Herr. E. K. M. habe ich verzeichnet, so viel ich diese Tag vernommen hab, das geschehen ist, nachdem der Kaiser neulich, in Augusto, aus Augsburg gezogen. Die Kirchen in Meißen, Türingen, Sachsen, auch in der Mark sind durch Gottes Gnad noch mit Lehr und Ceremonien nicht geändert; gleichwohl macht das Interim untern Leuten große Sorgfältigkeit. Der allmächtig Gott wolle durch seine Barmherzigkeit, und zu seiner Ehr und vielen Menschen zur Seligkeit, seine wahrhaftige, reine Lehr gnädiglich erhalten.

Auch, gnädigster König und Herr, bitt die arme Wittfraw des Herrn Doctoris *Martini Lutheri*, E. K. M. wolle ihr gnädiglich die jährliche Hülf continuiren, die E. K. M. bei Leben des Herrn Doctoris *Martini* ihm gnädiglich zugesandt. E. K. M. wolle sich hierin gnädiglich erzeigen. Das wird Gott belohnen; der wolle E. K. M. allezeit selig regirn und bewahren. Dat. Witteberg am 3. Tage Septembris, Anno 1548.

E. K. M.

unterthänigster Diener

Philippus Melanthon.

(*Pagella huic epistolae addita:*)

Der Kaiser ist aus Augsburg auf Ulm gezogen, und hat das Interim zum Anfang gebracht, so daß man täglich da Meß hält.

Es ist auch den Predigern in Ulm fürgehalten, das Interim anzunehmen, und darnach zu lehren, welches die Prediger, so zuvor in Ulm gewesen sind, Martinus Frecht und andere, nicht haben annehmen wollen, darum sie alsbald in die Eisen geschlagen sind; und als hernach der Kaiser von Ulm weggezogen, hat der Profoß diese Prädicanten also jämmerlich in den Eisen mitgeführt auf Speier.

Der Kaiser ist zu Speier, und will das Cammergericht da wiederum aufrichten, und die erste Session selb halten und ihm die Personen dazu verordnet selb schwören lassen, und wird vielleicht der erste Proceß seyn wider dieselbige gefangene Prediger.

In Noriberg, wiewohl der Rath das Interim angenommen, ist noch kein Aenderung geschehen. Allein diese drey Stück hat der Rath verkündigen lassen, nämlich, daß man etlich mehr Feiertag halten wolle; item, die Fasttag, item, daß man die Confessio und Privat-Absolution wiederum anfahe, welche in Noriberg ganz gefallen gewesen, und haben die Prädicanten vor dieser Zeit guter christlicher Meinung darauf gearbeitet, die Privat-Absolution wiederum in das Werk zu bringen, wie sie in unsern Kirchen ist.

Etliche Hispanier haben Constanz wollen mit einem Vortheil in der Eil erobern; aber die Stadt ist nicht erobert, allein die Vorstadt ist verbrannt, und sind jung und alt, Mann und Weiber in der Vorstadt jämmerlich erstochen; es sind aber auch viel Spanier erschossen worden.

---

No. 4344. 8. Sptb.

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 496. (ed. Lond. lib. II. ep. 524.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Charissime *Ioachime*, Carolum Imperatorem constat ex Ulma *Spiram* profectum esse, quo ex Ulma eduxit vinctos compedibus, viros doctos et pios Ecclesiae Ulmensis concionatores aliquot*). Exercitum *Caroli* antecedit Iudex rerum capitalium, quem comitantur captivi, et Princeps captivus. O triste spectaculum! Mihi saepe in mentem venit dicti, *Et cum iniquis reputatus est.* Te nunc *Spirae* non esse gaudeo, quanto enim dolore adficereris, et intuens captivorum agmen, et audiens sapientum sarcasmos. Mihi significant quidam de me quoque capiendo sermones esse. Ac moveor non solum horum indicatione, sed etiam exemplo Ulmensium amicorum. Noribergensis senatus, ut videatur parere aliqua ex parte libro, de tribus rebus edicta proposuit, ut plures feriae observentur, ut ieiunia quaedam observentur, et ut privata absolutio petatur. Id tertium probo. Et scio conatos esse concionatores multo ante, ut restituerent eum mo-

*) Vid. Sleidan. Comment. p. 645. et 646.

rem Ecclesiae valde utilem. Nunc dicunt se plura non addituros esse. Rescribas quaeso, et significes τὰ κορυφαιότατα συλλόγου πόλεων. Mitto pagellas tibi, et D. *Aepino*. Bene vale. Die 3. Septembris. Salutem opto viro integerrimo patri tuo, et toti familiae.

---

No. 4345. 5. Sptb.

## *Vict. Strigelio.*

Epist. lib. III. p. 251. (ed. Lond. lib. III. ep. 166.).

*D. Victorino Strigelio*

S. D. Spero prudentes de mea voluntate erga Ecclesiam et meis scriptis iudicare posse. Opto certe, ut consensus doctrinae in Ecclesiis harum regionum retineatur, et hanc ob causam labores et certamina sustineo. Nec ero socius aut σύμμαχος eorum, qui mutare doctrinam aut turbare invocationem piorum in his Ecclesiis conantur. Te quoque adhortor, ut veterem nostram amicitiam tuearis, praesertim cum *Ecebolus**) nobis omnibus iam bellum inferat. Scribit enim adversus *Aquilam*, sed ita ut per illius corpus me petat; et tamen in *Marchia* etiam nondum mutatio Ecclesiarum facta est. Sed scribit mihi Vir doctissimus Medicus *Wilichius* mandasse Principem, ut doctrinam quam haetenus sonuerunt, ibi Ecclesiae populo proponant, sed ita, ne nominatim reprehendant τὴν καινὴν νομοθεσίαν. Scribam plura alias. Nam nunc ad hominis miseri negotium abducor, pro quo deprecatio facienda est, de quo cogitanti venit in mentem, me quoque aliquanto post inter captivos in simili fortuna fore. Sed commendo me Deo καρδιογνώστῃ. Bene vale. Die 5. Septemb.

---

No. 4346. 5. Sptb.

## *Io. Stigelio.*

Danz. ep. ad Stigel. ep. 27. Cod. Goth. ep. 91.

*) ἐκήβολος, i. e. Io. Agricola.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ et fratri suo carissimo,* S. D.

Imo vero de Deo, de doctrina studiis, et de nostra amicitia, colloquemur, et in hac vita, et in omni aeternitate. De Repub. etiam spero, Deum respecturum esse eos, qui initio Ecclesiae et studiis hospitium praebuerunt. *Constantiam* urbem certe divinitus nuper defensam esse constat*). Nec eas consolationes, quas Deus Ecclesiae suae tradidit, irritas esse existimemus, etsi nunc duriter premimur. Ex Ulma *Frechtus* et collegae vincti Spiram ducti sunt. Hos proxime secutus est currus Principis captivi. Quod spectaculum tristissimum mente intuens, ingenti dolore excrucior. De me capiendo rursus scio deliberationes esse. Refero autem cogitationem de meis periculis, et de aliorum aerumnis, ad dulcissimum προπέμπτικον, quod nobis misisti, de quo tibi gratias ago. Mitto vicissim tibi picturam, cuius Epigramma, uno mutato nomine, vetus est, ut leges in pagella, quam addidi. Te vellem versus eadem sententia latinos facere, quia concinnos facere vix quisquam alius potest. Exiguum munusculum pro dulcissimo προπεμπτικῷ mitto. Bene vale, carissime Stigeli, καὶ Θεῷ καὶ Μούσαις φίλτατε. 5. Septembris.

Tuos Psalmos omnes colligimus, et iunctos edituri sumus.

Philippus Melanthon.

---

No. 4347. 6. Sptb.

## *Cruciger ad Scholasticos.*

Scripta publ. Acad. Wit. T. I. p. 219.

*Rector Academiae Witeb. Casparus Cruciger, Doctor.*

Tota historia excidii Hierosolymitani plena est horribilium exemplorum, quae commonefaciunt totum genus humanum de ira Dei adversus hostes Evangelii. Cum autem in Septembri in eo ipso festo urbs Hierosolyma capta et deleta sit, quod institutum erat ut admoneret, divinitus illam sedem Ecclesiae attributam fuisse, ideoque nomina-

*) Vide narrationem satis prolixam Sleidani in Comment. p. 642 sq.

batur festum tabernaculorum, studiosius his ipsis diebus cogitanda est historia. Conflagravit enim urbs *Hierosolyma* die 8. Septembris ante annos 1474. Cum autem, ut Paulus inquit, Deus non pepercerit oleae, quid de oleastro futurum est? Nimium blandiuntur sibi multi, qui sumunt sibi licentiam laxandi frenos omnibus cupiditatibus et horribili contemptu Dei vel prorsus Epicureas opiniones amplectuntur, vel religiones instituunt ad suam potentiam, vel aliis viciis indulgent. Commonefacti autem et veteribus poenis et nostris, exuscitemus nos ad poenitentiam et ad veram invocationem.

Cum autem decesserit hac nocte honestus et eruditus adolescens, natus in oppido Noricae regionis, hortamur vos, ut ad funus eius hodie hora quarta ante aedes reverendi D. Doctoris Martini *Lutheri* conveniatis, atque ibi in funere veris precibus commendetis vos ipsos et Ecclesiam Deo, et oretis, ut servet aliquod semen sanctum, et studiis doctrinae sedem tranquillam concedat. Te, omnipotens Deus, aeterne pater domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo, domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, oramus, ut propter filium mediatorem nos regas Spiritu sancto tuo, ac hunc scholasticum coetum clementer protegas. Datum 6. die Septembris, anno 1548.

---

No. 4348. 8. Sptb.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 222. (ed. Lond. lib. II. ep. 216.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Ago gratias Deo conditori, aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, quod incolumes vos reduxit, et eum oro, ut servet C. V. et fratrem diu ad Ecclesiae utilitatem. Meminit C. V. voluisse se, ut in *Latinam* linguam verterentur formae Liturgiae *Graecarum* Ecclesiarum. Venit igitur interpres, doctus et modestus vir, Magister *Cunmanus*, ad C. V. et exhibebit interpretationem. Sunt addita dicta superstitiosa in his libellis Graecis qui extant, quae non erant in exemplari manuscripto, quod miserat *Ianus Lascaris* Duci *Friderico* *Saxoniae*. Nec dubium est, et Graecos paulatim a sincera antiquitate discessisse. Scit C. V. pulsos esse ex *Augusta*, et aliis quibusdam urbibus *Suevicis* pastores. Si hoc exemplum proferetur in has regiones, magnae dissipationes futurae sunt, quas Deus avertat. Bene et feliciter valeat C. V. Die natali Mariae Virginis matris Christi.

---

No. 4349. 9. Sept.

## *Eidem.*

Beckmanni Accession. histor. Anhalt. p. 114.

*Georgio, Principi Anhaltino.*

Illustrissime et Reverendissime Princeps. Etsi multa nunc in republica adeo tecte et insidiose aguntur, ut difficile sit iudicare, quo spectent voluntates eorum, qui negotia gubernant, tamen mihi quidem et aliis, qui doctrinae custodes esse debemus, satis perspicuum consilium propositum est, ut prorsus nullam corruptelam verae doctrinae comprobemus. Quare etsi scio fucosis laudibus ornari librum Augustanum, tamen nequaquam adsentiri decrevi, et sensu ipso comperi, mortem mihi faciliorem fore, quam huius libri comprobationem, etsi nihil immoderate faciam. Quoties igitur hactenus de libro interrogatus sum, scripsi, ut pastores seiungant suam deliberationem a deliberatione politicorum gubernatorum, quorum pauci doctrinam intelligunt, multi etiam oderunt. Etsi autem optarim, praesertim in rebus, quae necessariae sunt, omnibus multos fuisse et esse firmiores, tamen profecto hi, qui controversias non intelligunt, facile inflectuntur, praesertim tam splendida specie offusa. Scripsi ad C. V. brevi epistolium, quod nollem venire in manus aliorum*), quia nimis fui durus propter fratrem. Nunc mihi multa cogitanti veniunt in mentem, et V. C. tutius esse, non indicasse**) ex aliena interpretatione. Itaque meam additionem de interpretatione prorsus mitti volo, praesertim cum audiam, nunc contra interpretationem ipsos interpretes multa facere. *Marchio* de Canone valde pugnat, si sic volent turbare Ecclesias hi, qui dicunt se lenire interpretationem libri, quid futurum est?

*) Ep. d. 8. Septb.?
**) iudicasse?

Editur et liber ab *Islebio*, qui novis certaminibus magnis occasionem praebet. Oro, ut mea additio, quam adscripseram responsioni Vestrae, omittatur; quaeso etiam, ut C. V. mihi vel brevi epistolio respondeat. Bene valeat C. V. Die 9. Septembris. Valde crucior his curis.

C. V.

addictissimus
Phil. Mel.

---

No. 4350. 9. Sptb.

## I. Ludeco.

Ex *I. Iust. von Einem*: Duo D. M. Lutheri fragmenta philologico-exegetica (Helmst. 1780. 4.) p. 16. [Danz.]

*Io. Ludeco, Pastori Eccles. in oppido Sandel,*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Vocem divinam apud Esaiam meministi: *posui verbum meum in ore tuo, et dextra mea protego te, ut plantes coelos.* Hanc promissionem divinam saepe cogito, quam cum ad te quoque pertinere iudicem, spero, tuam vitam Deo curae esse in periculis horum temporum variis. *Carolus* Imperator Spiram profectus est, ut ibi iudicium Camerae inchoet. Ex Ulma duxit captivos *Frechtum*, Pastorem Ecclesiae, virum doctum et honestum et modestissimum, et eius collegas. Et quidem ducti sunt vincti compedibus. Deus opem ferat suae veritati. Bene vale. Wittebergae d. 9. Septembr. MDXLVIII.

Philippus Melanthon.

---

No. 4351. 9. Sptb.

## I. Ionae.

† Ex apogr. in cod. Goth. 28. p. 56.

*Reverendo viro — D. Iusto Ionae, Doct. Theol., Ecclesiae Dei in Salinis ἐπισκόπῳ, amico suo cariss.*

S. D. Sensu ipso comperi, mortem mihi faciliorem fore, quam comprobationem libri Augustani. Nec muto consilium. A multis interrogati sumus, quibus una et eadem voce respondimus, omnibus debere pastoribus suam deliberationem seiungere a politicorum virorum deliberatione, ac debere ipsos pastores, et quos doctrinae custodes esse oportet plane, perspicue καὶ ὁριστικῶς profiteri, se non assentiri libro augustano. Continet enim multos errores. In loco de iustitia fidei manifesta corruptela est. Deinde in caeteris, quos necesse sit damnare, in scripto, quod extat, ostendimus, in quo non omnia persecuti sumus, et mea lenitas a multis reprehenditur. Sed Deo iuvante in hac sententia mansurus sum. Non ero approbator libri augustani, et iudico, omnes, qui doctrinam Ecclesiae vere intelligunt, debere suo loco ostendere suam confessionem et testari, se non approbare corruptelas, quae ibi continentur. Sophisma nostri amici *Melchioris*[1]) non medetur tantae rei. Ipse de uno articulo loquitur; caeteros relinquit. Et tamen minime laudandum est, in eo ipso articulo περὶ δικαιοσύνης ambiguitate[2]). Scio enim, quam facile vulnerentur conscientiae. Totum igitur sophisma illud reiicies, et hanc ei meam epistolam ostendi patior. Adfert tibi *Matthias* epistolam *Lascii*[3]), in qua recitatur epistola *Cantuariensis*, in qua et versus aliquos ex mea recenti epistola ad verbum descriptos agnosco, et filii stylo caetera esse scripta iudico. Quotidie autem literas ex *Hamburgo*[4]) expecto. Unde quidquid accepero significabo. Bene et feliciter vale. Die 9. Septbr. 1548.

Phil. Μελαν.

---

No. 4352. (h. temp.)

## V. Strigelio.

Epist. lib. III. p. 249. (edit. Lond. lib. III. ep. 163.).

*D. Victorino Strigelio*

S. D. In hac communi moestitia aliquod est, ut Medicorum verbo utar, quasi μαλακτικὸν ingentium dolorum, concordia eorum qui in Ecclesiis harum regionum docent. Hanc et mutua benevolentia, et aliis officiis alamus. *Saxonicarum* civitatum pastores edent commune scriptum contra corruptelas doctrinae, quas continet *Sphynx Augustana.* Interea et ὁ κόλαξ μαργίτων defensio-

---

1) *Kling.*
2) *ambiguitas*? — An excidit aliquid?
3) Vid. eadem supra d. 4. Aug. h. a.
4) Commendaverat Ionam Hamburgensibus.

nem edet *Sphingis.* Sed si consensum nostrum tuebimur, istius *βωμολοχίαι* minus nocebunt. Doleo moestissimas Ecclesias magis etiam turbari ab iis, qui corruptelas doctrinae obtrudere conantur. Sed spero Deum exauditurum esse multorum piorum gemitus, et nobis opitulaturum. Bene vale.

---

No. 4353. 10. Sptb.

## H. Besoldo.

Epist. lib. V. p. 217 sq.

*Hieronymo Besoldo, (docenti Evang. in Ecclesia Noriberg.)*

S. D. Si meae tranquillitati praecipue consulere voluissem, non rediissem post bellum ad Albim. Sed colligere haec *ναυάγια* utcunque, Deo iuvante, volui, ut minus dissipationum esse videretur, ac Deum aeternum, Patrem Dn. nostri Iesu Christi, oro, ut has nostras Ecclesias regat et defendat. Etsi autem atrociter in nos debachantur vicini, non aliam ob causam, nisi quod servitutem magis ferendam esse, quam deserendas Ecclesias existimamus, tamen hactenus et te et tui similes recte fecisse iudico, quod ab Ecclesiis nondum discessistis. Si venerit in has regiones *Sidonius* [1]), quem Homerica appellatione nominatus *Φοίνικα τρώκτην*, maiora nobis de religione certamina erunt, *οὐ περὶ † ἀδιαφόρων καὶ*"[2]) *ὄνου σκίας, ἀλλὰ περὶ μεγίστων πραγμάτων καὶ ὅλου σκάφους.* Audio, hunc ipsum *Φοίνικα τρώκτην* in Ecclesiis Nassaensibus, cum omnes Pastores uno consensu testati essent, se nolle assentiri Augustanae Sphingi, et diu in templis solitudo fuisset, iussisse, ut rursus suo more Coenam Domini administrarent, donec alia mandata mitterentur. Ibi igitur aliquid de asperitate remisit. Hic quid facturus sit, ostendet tempus. Bene vale, et rescribe. Die 10. Septembris.

Philippus Melanthon.

---

No. 4354. 12. Sptb.

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 224. (ed. Lond. lib. II. ep. 218.).

1) Episc. Mogunt.

2) Addit A. D.

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Etsi multae me causae hic pene alligant, tamen et ipse avidus sum colloquii vestri, et mortem vobis gerere cupio. Conduxi igitur aurigam, et cras, Deo iuvante, cum Doctore *Forstero* ad vos veniam. Adsunt nobiscum duo concionatores *Augustani*, pulsi ex *Augusta.* Alii *Angliam* petunt: hi de *Dania* cogitant. Ita semper sunt usitata Ecclesiae exilia, ut de primo exilio primorum parentum, et de exilio Filii Dei expetamus aeternam patriam. Adsunt etiam concionatores missi ex *Anspach*, ut inspiciant confessionem. Bene et feliciter valeant C. V. et frater C. V. Deus Ecclesiam, et nos in Ecclesia servet, et non sinat fieri maiores dissipationes. Datae die 12. Septemb.

---

No. 4355. 12. Sptb.

## Concionatoribus Francicis.

Edita a Pezelio in Mel. Consil. lat. P. II. p. 80. — Apographa in cod. Mon. 88. no. IV. p. 133. et in cod. Monac. 66. p. 96. — Pezelius in fine addidit quidem: „mense Ianuario 1549."; sed ex suo arbitrio. Scripta potius est hoc fere tempore, ut patet ex epist. antecedente ad Georgium Anhaltinum. Etiam in epistola ad Franciscum Burchardum (quam infra exeunte Novembri dedimus) scripta iam dicitur haec epistola. Monuit quidem *Saligius* in historia August. Confess. T. I. p. 599., in manuscripto Stibari p. 268., ubi descripta est haec epistola, eam datam dici: „zu Nurnberg 1549.", sed haec quoque ex errore adscripta sunt, ut vel locus (Norinberga), ubi data dicitur, evincit. Fortasse descripta est 1549. Noribergae. — Res vero est haec. *Albertus*, Marchio Brandenb., ut concionatores Ansbacenses adigeret, ut Interim admitterent, convocavit conventum d. 27. Aug. 1548., ubi autem Concionatores mandatis Consiliariorum Alberti obtemperare noluerunt. Hoc tempore aliquos ad Melanthonem miserunt, de quibus Melanthon loquitur in epist. antecedente. Historiam conventus Heilbronnensis vide apud *Salig.* l. c. p. 598 sqq. — Scripta igitur est:

*Concionatoribus Ansbacensibus in Francia.*

Scio magnam esse iudiciorum diversitatem, et variae sunt caussae, quas videre prudentes possunt. Sed si in hac tristi perturbatione praecipuus finis est consiliorum nostrorum, ut non deserantur Ecclesiae nostrae, nec prorsus opprimatur vox verae doctrinae, censeo tolerandam esse quandam servitutem[1]), si absit impietas, ut scripsi prolixius in

1) *quand. servit.*] cod. Mon. *quandam durum servitutem.*

aliis pagellis, quarum exempla mittere Francicis Pastoribus potestis. Legi autem Francicos articulos, in quibus quaedam generaliter et ambigue dicta, video et periculosa et odiosa esse: sed tamen nihil nominatim praecipitur, quod pugnet cum doctrina Ecclesiarum nostrarum. Tolluntur unctiones et Canon, ideo potius velim esse suasor, ut illi articuli recipiantur sine aliqua longiore contentione, quam ut deserantur Ecclesiae. Unius articuli emendationem peti velim[2]), videlicet ut verba institutionis[3]) legantur lingua intellecta populo, quia cogitatio et fides populi intueri illa verba debet in ipsa concione. Et credo, si fuerint admoniti Consiliarii Principis, non gravatim mutaturos esse hanc particulam. Ipsi etiam Pastores doceant populum, ut se exuscitet[4]) ad cogitationem verborum Christi in ipsa concione, et recte erudiant populum, dari remissionem peccatorum non propter hanc manducationem, sed propter filium Dei passum et resuscitatum.

Hanc vero manducationem pignus esse, testificans vere nobis dari beneficia[5]) filii Dei. De his rebus cum docendus sit populus, opus est pronunciari verba in lingua populo intellecta. Haec eruditi copiosius declarare possunt. *Accedat verbum ad elementum et fit Sacramentum.* Sint igitur verba et populo nota, ut sint occasio cogitandi de ratione Sacramenti. Mense Ianuario 1549[6]).

---

**No. 4356.** **15. Sptb.**

## *N. N.*

Edita in Manlii farrag. p. 223. Apographon in cod. Lang. p. 4.

(Neque in Manlio neque in cod. Lang. habet inscriptionem.)

### *N. N.*

Venerunt huc duo boni et docti viri ex *Flandria*, qui narrabant, se propter pietatem et studium doctrinae evangelicae deseruisse vitam monasticam, cum fuissent Franciscani. Erant autem nudi et egeni*), quare eis aliena liberalitate opus est. Si

2) Cod. Mon. *vellem.*
3) *institutionis*] cod. Mon. *consecrationis.*
4) Cod. Mon. *exuscitent.*
5) Cod. Mon. *beneficium.*
6) „m. Ian. 1549" desunt cod. Mon.
*) Cod. Lang. *egentes.*

lingua superiore utcunque loqui possent, ambobus hic conditiones in aliquibus Ecclesiis curassemus. Sed quia eorum linguam populus non intelligit, alterum tantum retinuimus, cui victum in academia curabimus; alterum ad vos mittimus, teque propter Christum rogo, ut eum excipias et ei aliquem nidum cures. Poteris, opinor, in vestris Ecclesiis eius industria et labore uti*). d. 15. Septembr. anno 1548.**)

---

**No. 4357.** **16. Sptb.**

## *V. Theodoro.*

Edita a Sauberto in append. epp. lib. IV. p. 34. Autographon Philippi, sed sine pagella adiecta, habetur in bibliotheca Magniduc. Badens., quod contulit cum textu Sauberti Clar. Molterus. — Edidit eandem *van Seelen* in deliciis epistolicis p. 46., sed satis mendose.

### *Vito Theodoro*

S. D. Cariss. *Vite.* Fatales poenae sunt magnae et tristes multorum nostrorum delictorum, quas sustinemus, quas ut Deus leniat, toto eum pectore oro. Sed scito, in Saxonicis urbibus ubique una voce populum execrari Sphingem Augustanam. Etsi autem populi iudicia et voluntates saepe improbari necesse est, tamen nunc quidem in tali causa, ubi invocatio in mentibus multorum turbatur, si fiat insignis mutatio, profecto non prorsus contemnenda esse populi iudicia, sentio. Scio, quantum malum sit, leve impedimentum invocationis. Ac sensu ipso comperi, mortem mihi faciliorem fore[1]) comprobatione Augustanae σφιγγός. Ideo non adsentiar. Nuntius ipse testis esse poterit, nondum in Ecclesiis harum regionum usquam mutationem factam esse. Deum oro, ut et deinceps nos gubernet, ut quam plurimi vera eum invocatione colant. De tuis[2]) quaestionibus respondi in pagella, quam adieci. Optarim quidem, in omnibus plus esse iudicii et constantiae. Sed quid fiat, vides. Excusabit se Senatus vester exemplis etiam illorum, qui et de rebus pluribus pugnarunt, et visi sunt rigidiores, videlicet *Constantiensium*

*) Cod. Lang. *Poterit, opinor, vestris ecclesiis servire.*
**) Cod. Lang. *d.* 16. *Septb.* 1550. (quo tempore vero Mel. adhuc haerebat Augutae Vindelic.).
1) *forte*] habet autograph. ex errore.
2) Saubertus edidit *his.*

et *Lindoensium*, qui subito fracti[3]) non recusant recipere τὴν σφίγγα. *Casparum Crucigerum*, virum doctissimum et optimum, his tristibus spectaculis divinitus eripi videmus. Bene vale. Die 16. Septembris.

Philippus Melanthon.

*Περὶ δικαιοσύνης* reiiciendus est liber ab omnibus doctis et indoctis.

*Περὶ ἀρχῆς ἐπισκόπων, καὶ περὶ ἑρμηνεύσεως γραφῆς ἁγίας* reiiciendus a doctis.

De oleo, de confirmatione reiiciendus.

De confessione et satisfactione reiiciendus a doctis et indoctis.

De divortio reiiciendus a doctis.

*Περὶ λειτουργίας καὶ προσφορῆς* reiiciendus a doctis.

*Περὶ μεταβολῆς ἄρτου* reiiciendus a doctis.

De invocatione mortuorum reiiciendus a doctis et indoctis.

Canon Missae nequaquam recipiendus est.

Haec sunt principalia, de quibus pugnandum est.

De cibis, etsi mutatio offendit rudes, quibus ego etiam parci optarim, tamen non censeo pugnandum esse.

---

**No. 4358.** 16. Sptb.

## G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 400 sq.

*Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misnensem.*

Mei vero silentii caussa non fuit alia, nisi miserae occupationes meae, quae sic crescunt, ut exilium etiam exoptem. Sed commendemus nos Deo. *Casparum Crucigerum*, virum optimum et doctissimum, Deus videtur erepturus ex tristissimis spectaculis confusionum Ecclesiae, πάνυ γὰρ μαραίνεται αὐτοῦ σῶμα. De *Fausto* diligenter et fideliter res a nobis agetur, et audio, venturum esse *Petrum Suavenium*, virum doctum et nobis amicum, veterem auditorem nostrum, et aulicae Philosophiae adeo non rudem, ut nemo saepius nunc ad Imperatorem Carolum ex Danica aula mittatur. Habet igitur Magistrum non vulgarem. Cantilenas dedi *Georgio Maiori*, qui Typographo tradet. Mitto tibi vicissim pagellas, in quibus sunt *Stigelii* quaedam Elegiae suavissimae. Ex *Argentorato* heri magnos fasciculos accepi literarum, in quibus significatur, nondum quidem receptam esse Sphingem illam Augustae natam. Sed voluntates potentum admodum infirmas esse. Illud pene oblitus eram. Utile esse *Fausto* existimo, offerri ab ipso scriptam petitionem, mitti igitur curabis. Bene et feliciter vale. 16. Cal. Octobris.

---

**No. 4359.** 16. Sptb.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 147 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 128., cui adscripta sunt: „1548. 20. Sept. per Andream" (accepi). — Apographon in cod. Goth. 212. p. 110 b.

*Clarissimo viro, sapientia, eruditione et virtute praestanti, D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae, amico suo cariss.*

S. D. Nullas occultationes, nihil simulatum in mea amicitia esse volo, etiamsi εἰρωνεία alicubi virtus esse ducitur[1]). Sint inter nos potius, ut veteres dicebant, γυμναὶ χάριτες. Tuam epistolam scriptam ad *Islebium*, nec reprehendi nec dignam esse reprehensione unquam sensi, quod multi testes esse possunt, amantissimi tui, qui adfuerunt, cum primum vidi, et meos sermones audiverunt. Adferebatur enim, cum forte †una" sederemus ante meas aedes, *Camerarius*, *Milichius*, *Erasmus* Mathematum Professor et ego. Sed haec omitto. Ne Senatum quidem vestrum accuso. Fontes harum ingentium et horribilium calamitatum Ecclesiae alii sunt, quos saepe deploro, videlicet τὸν διδασκάλων καὶ στρατηγῶν πλημμελήματα, ac saepe cogitavi vetus illud Oraculum de Athenis, quod Musaeo tribuit Pausanias,

> Καὶ γὰρ ἀθηναίοισιν ἐπέρχεται ἄγριος ὄμβρος
> Ἡγεμόνων κακότητι, παραιφασίη δέ τις ἔσται;
> (*Nam Atheniensibus supervenit immanis imber*
> *Ducum malitia, quaenam autem erit consolatio?* *)

Erit autem Deo nos sustentante παραιφασίη τις. Relinquo Politicis gubernatoribus sua con-

---

3) Saub. *tracti.*

1) Spanh. mendose *dicitur.*

*) Versio Spanh.

silia. Nos vero qui custodes esse doctrinae debemus, retinere decet doctrinae puritatem. Dicam igitur de rebus necessariis eadem quae dixi antea modeste, et feram, si quis me casus opprimet. Nuper ὁ γυπαίετος de nostra deliberatione expostulavit cum nostro. Sed Deo me commendo. Die 16. Septembris *).

Philippus Melanthon.

---

No. 4360. 16. Sptb.

## *Academicis.*

Scripta publ. Witteb. T. I. p. 220.

*Decanus Collegii Philosophici Philippus Melanchthon.*

*(Academicis.)*

Saepe recitatur *Pindaricum* illud: ἐν χρόνῳ μεταβολαὶ λήξαντος οὐροῦ; non hominum corpora, non imperia, non fortunam perpetuam esse, sed tandem mutari destituta vento secundo. Ac decet quidem cogitatione instabilitatis rerum humanarum commonefieri nos, ut in omni actione simus modestiores ac metuamus adversos casus. Sed ne propter desperationem prorsus abiiciantur omnes labores, necessarii nobis et posteritati, tenenda est etiam consolatio. Est autem haec vera et efficax consolatio, semper, etiam in ruinis imperiorum, tamen mansuram esse Ecclesiam Dei. Nec destituet hanc ventus secundus, videlicet Spiritus sanctus, effusus ex pectore aeterni Patris et Filii: et quidem ibi mansura est Ecclesia Dei, ubi vox doctrinae sonat et pie illustratur. Hac spe colamus studia doctrinae, etiamsi nunc inter tumultus imperiorum spernuntur, et multi prophani ea oderunt. Sed meminerimus, in hac militia nostra etiam fortitudine opus esse, ne fracti perversitate iudiciorum cedamus de statione aut deseramus aciem. Ac sit infixa animis haec sententia: ὁ πόνος ἡμῶν οὐκ ἐστὶ κένος ἐν Κυρίῳ. Semper Ecclesiae prodest pia vox multorum, quae doctrinam incorruptam sonat. Quare et vestri labores, qui ad doctrinae conservationem conducunt, Deo curae erunt. Faciamus igitur operas scholasticas, Deo iuvante, et, sicut institutum est utiliter, ut certis temporibus studia aliquorum inspiciantur, et dentur testimonia iis, qui iam idonei sunt ad docendum, ita die Septembris 18. ornabuntur gradu Magisterii Philosophici honesti ac docti viri, quorum nomina hic adscripta sunt. — Id cum fieri in quadam frequentia deceat, petimus, ut omnes Doctores, Magistri et Auditores ad eam testimonii renuntiationem conveniant, et ut declarent eo officio, se favere Philosophiae studiis, quae certe necessaria sunt Ecclesiae, et ut in tali frequentia ipsi quoque vota nobiscum faciant, ut Deus Ecclesiam huius etiam oppidi et hunc gregem clementer tueatur et gubernet. 16. Septembris 1548.

---

No. 4361. 16. Sptb.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 607. (ed. Lond. lib. IV. ep. 747.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. Pabergensi, fratri suo carissimo,*

S. D. Etsi libenter ad vos Medicorum audiendorum caussa proficiscor, tamen propter alterum negocium de quo scribis, ut veniam, caussae sunt graviores, quod quidem ut regat et adiuvet Deus aeternus pater domini nostri Iesu Christi, conditor humani generis, et autor illius mirandi foederis et coniunctionis legitimae coniugum, et custos Ecclesiae suae, toto eum pectore oro. Adero igitur Deo iuvante, nono Cal. Octobris. *Crucigero* et eius coniugi placere affinitatem *Pauli* scito. Haec ad te scripsissem ante iter meum, sed subito cum cepissem scribere avocabar. Caetera coram. Ecclesiam Deo curae esse non dubito. Hac me spe una sustento, humana praesidia et consilia quam sint inania, multi iam eventus ostenderunt.

*Rhetico* salutem opto, quem scio narrasse historias urbium vicinarum suae patriae minime iucundas. Unum Phocylidae versum iam sapientes didicerunt.

καιρῷ λατρεύειν, μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.

Ne ego quidem sum durissimus. Sed tamen modus quidam est eius rei. Plura coram. Bene et feliciter vale. Deus te et Ecclesiam tuam domesticam servet et gubernet. XVI. Cal. Octob.

Philippus Melanth.

*) Alius adscripsit ann. 1548.

No. 4362. 18. Sptb.

## C. Aquilae.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*Casparo Aquilae, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Salveldia.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. In deliberatione, quae extat, elegimus articulos praecipuos, quos et intelligi et defendi ab omnibus oportet. Hos ut commendaremus iis, ad quos scribebamus, seiunximus alios obscuriores, in quibus politici sapientes dicant nos non necessaria certamina movere. Propriam igitur confessionem nobis et aliis integram servavi, in qua de pluribus materiis dicendum erit. Nec dubito, satis disputationum movebit Antagonista noster*), qui iam librum contra *Aquilam* et *Milvium*, (sic me appellat), edere dicitur. Quaeso te, ut *Adamum* Pastorem Ecclesiae vobis vicinae horteris, ut miserae mulieri apud nos solvat quod ei debet; et promisit, ut meminisse te quoque puto. Satis futiliter agit, si non solvit. Bene vale. 14. Calend. Octob. 1548.

Philippus.

*) Intellige *Io. Agricolam Islebium.*

---

No. 4363. 18. Sptb.

## Io. Stigelio.

Danz epp. ad Stigel. ep. 41. Cod. Goth. 188. ep. 107.

*Clarrissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, Deo et Musis caro καὶ εἰλικρινεστάτῳ φίλῳ μοῦ,* S. D.

Eo libentius dedi literas *Marcello*, ut ad te vicissim mihi epistolam adferat. Etsi enim haec amicorum colloquia non medentur publicis miseriis; tamen homines recte sentientes, et foedere quodam studiorum coniunctos, ubicunque sunt, etiam in ruinis imperiorum, tueri suam coniunctionem decet: quod quidem et ad retinendam Ecclesiae concordiam prodest, cuius inprimis habenda est ratio. Tibi igitur gratias ago, quod multis officiis tuam in amicitia constantiam nobis hactenus declarasti. *Marcellum* amanter excipies, qui, cum non alienus sit ab iis studiis, in quibus te excellere intelligimus, et libenter praedicamus, te plurimi facit. De periculis communibus non libet scribere. Sed cum prodierit liber τοῦ κόλακος τοῦ μαργίτου, discedam aliquo, ubi necessariam defensionem edere potero, nisi me prius alius casus oppresserit. Recens enim ὁ γυπαίετος*) expostulavit de nostra deliberatione cum iis, qui nunc nobis imperant. Oro autem Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, ut servet et gubernet Ecclesiae verae reliquias. Bene et feliciter vale. 14. Cal. Octob.

Victorino salutem opto.

Philippus Melanthon.

*) Casp. Aquila. Filii Principis Electoris Ioannis Friderici, tum captivi, congregaverant mense Iul. theologos suos, et iudicium de libro Interim, ab Aquila potissimum compositum, et vehementissime scriptum Dresdam miserant. Vid. Planckii Gesch. des prot. Lehrbegr. T. IV. p. 152.

---

No. 4364. 18. Sptb.

## Pflug ad Georg. Anhalt. et ad Melanth.

Edita in Beckmanni Historie des Fürstenthums Anhalt, P. VI. p. 94 sq.

*(Epistola Iulii Pflug, Episcopi Naumburgensis ad Georgium Principem Anhaltinum et Philipp. Melanthonem.)*

(Responsum Melanth. vid. d. 15. Oct.)

Reverende et Illustris Domine. S. Quod nuper inter nos actum est *Pegaviae*, ut eos, qui de sacrificio missae resident scrupuli, evelleremus, id tanto probavi magis, quanto vehementius ad pacem Ecclesiis conciliandam pertinere videbantur. Cuius ego cupiditate cum arderem mirabiliter, etsi me non satis aptum esse negotio tanto arbitrabar, malebam tamen suscipiendo eodem facere temere, quam non conari, si quo modo in ea re Ecclesiis nostris laborantibus consuli posset. Itaque, postquam domum redii, quam primum licuit, eripui e negotiis Ecclesiae ac Sedis meae tantum ocii, quantum potui, ut causas, cur Eucharistia non solum alimentum sit animarum salubre, set etiam oblatio, eaque externa, investigarem, quas non ignorantibus quidem tibi atque *Melanchthoni* mitto, sed ut fidem tamen meam liberem, et quanquam quae mitto simplicia sunt, nuda et minime ornata, tamen cum existimem a veritate

aliena non esse, spero vos, ea non improbaturos esse. Addidi quae ad explicationem canonis, eamque commodam et cum sensu sanctorum Patrum atque veteris Ecclesiae congruentem pertinere videntur: ac quoniam confidimus, vos universam Ecclesiam Christi animis complecti, arbitramur non tantum moveri vos posse sententia, quam scripsimus nos, quam suscepta vestra ad bene merendum de Ecclesia ac corpore Christi voluntate. Animadvertimus Deum, ut Ecclesia sua sita in parteis distracta planeque perturbata tandem constituatur, excitasse Caesarem, ut eo authore, quae causam dederunt perturbationi tali, vel tollantur vel corrigantur, et ut vigeat doctrina sana, et disciplina quam tempora sustulerunt, revocetur, ac quae ad pietatem colendam pertinent ceremoniae restituantur. Quarum rerum eventus si optimi Principis consiliis responderit, brevi recuperabunt Ecclesiae pacem suam, eamque cum gloria Christi et multorum salute coniunctam. Quod tanto optandum est magis, quanto vehementius contentiones ac lites horum temporum illam labefactarunt. Nam si ulli, certe qui religionis causa existunt motus, dissipare solent hominum societates bene constitutas, et Ecclesias ipsas disiicere, cuius quidem rei fidem faciunt non solum peregrina sed etiam domestica exempla, et talia quidem ea, ut in sensibus atque oculis nostris quodammodo haereant: quo minus repudiare debemus occasionem Ecclesiarum conciliandarum, quam Deus per Caesarem, voluntatis suae administrum, pro sua misericordia perbenigne offert. Quod enim antehac vix sperare audebamus, id nunc tribuitur nobis, ut vitia et corruptelas, si quae insederunt, libere aut tollere aut vitare possimus. Ac de quibus religionis nostrae capitibus antehac docti homines inter se litigarunt, acriter sane, de eisdem Caesar ipse interponit parteis suas quodammodo, ut recte ac pie conciliari possint.

Venit igitur tempus illud, cum Deus ipse dat signa illustria voluntatis suae et nos obscure movet*), ut cogitemus, non quemadmodum certemus inter nos amplius, aut reprehendamus consilia Caesaris benigna ac salutaria, sed potius quomodo leniamus exulcerata, et res nostras ita componamus, ut de religione idem et sentiamus et loquamur, ac in domo domini, quae est Ecclesia, concordes habitare possimus, ut, quemadmodum haec unum habet caput, unde tota salus eius pendet, sic nos tanquam membra eiusdem Ecclesiae inter nos simus perpetuo coniuncti, atque uno tandem animo atque ore nomen illius sanctissimum celebremus. Itaque cum de doctrina, de Ecclesia eiusque authoritate et potestate, de sacramentis denique iam conveniat inter nos, et ea probemus, quae a Caesaris consilio atque voluntate christiano aliena non sunt, non videtur committendum esse, ut quod Maiestas eius, vel Ecclesia potius per eam loquens de sacrificio Missae tradit, aspernemur, et de eo sacro, quod singulari eiusdem Ecclesiae consensu approbatur, litigemus. Cum praesertim quod charitatis causa inventum atque institutum est, eo sine gravi piaculo ad discordiam atque perturbationem abuti minime possimus, ac si de moribus Ecclesiae, ritibus atque ceremoniis idem, ut debemus, sentimus, cur receptam ac diuturnitate temporis corroboratam canonis formam, eamque probam sane et sacro*) Missae accommodatam, improbemus, non quidem video. Nam si ullae aliae res, certe quae in sacris adhibentur, vetustate ipsa utiliter commendari consueverunt.'

Haec fere scribenda putavi, magis ut quae mihi de communi omnium salute cogitanti in mentem venirent explicarem, quam ut te ista prudentia, doctrina, virtute atque animi magnitudine Principem monerem atque inflammarem, qui procul dubio, quoties cogitas quantum debeas Ecclesiae matri, quae te Christo genuit, et patriae, in qua dignitate excellenti flores, suscipis animum, te ac virtute maiorum tuorum dignum, ut in pacificationem communem Ecclesiae atque Germaniae nostrae tibi incumbendum putes. Ad quam rem cum tanto hoc tempore detur occasio, eam, si te ipsum audieris, non admittes, nec *Melanchthon* in hoc officii genere deerit et sibi ipsi et nobis omnibus, atque adeo patriae communi, ut sublatis litibus tandem e mutua coniunctione suavissimos vitae fructus capiamus, nec pugnemus amplius inter nos, sed singulari animorum consensione corrigamus prava, restituamus collapsa et Ecclesiam conservemus atque aedificemus, ut in huius tandem unitate ac tranquillitate conquiescamus, ac Christum Dominum concordes colere, et ex huius quasi fonte quae ad salutem nobis necessaria sunt, haurire possimus. Quae ita nobis tribuat spiritus

*) Fortasse: *non obscure monet.*

*) *sacrae?*

ille sanctus, author ipse pacis, veritatis atque pietatis verae, ut unum simus, nec a quietis atque salutaribus consiliis nos abduci patiamur. Vale, ex arce mea Cicensi, 14. Calend. Oct. anno MDXLVIII.

Iulius Electus et Confirmatus Numburgensis.

---

No. 4365. 18. Sptb.

## *Scholasticis.*

Scripta publ. Witteb. I. p. 221.

*Phil. Melanthon*

(*Auditoribus*).

Saepe repeti praecipuas materias in Ecclesia necesse est. Et meministis, de omnibus aliis doctrinarum generibus dictum esse ab Epicteto, eadem quotidie et dicenda et audienda esse, et quidem ad usum in vita transferenda. Ideo inchoaturus die proxime Iovis enarrationem *epistolae ad Romanos*, repetam integram doctrinam δικαιοσύνης in argumento epistolae, ubi et explicatio ipsa postulabit refutationem variarum praestigiarum, quibus subinde doctrina obscuratur praecipue necessaria Ecclesiae Dei. Die 18. Septemb. anno 1548.

---

No. 4366. 21. Sptb.

## *Testimon. Hieronymo datum.*

Extat typis exscriptum in Bibliotheca Guelpherb., sed sua quisque manu Theologi subscripserunt. Quae signis „— —" notata sunt, ea penna scripta sunt.

Wir Pastor und Prediger der Kirchen zu Wittenberg bekennen, nachdem Zeiger dieser Schriften „*Hieronymus von Witteberg*" Zeugniß anher brachte, daß er zum „Pfarrampt zu Hatho" beruffen und ehrlicher christlicher Sitten sey, und wir angesucht ihn zu verhören und offentlich zu ordiniren: Als haben wir ihn mit Fleiß verhöret und befunden, daß er in reiner christlicher Lehre des Evangelii guten Verstand hat. Er hat auch zugesagt, sein Ampt mit Fleiß auszurichten und in christlicher Lehre des Evangelii, wie die in unser Kirchen durch Gottes Gnad mit der warhafftigen Catholiken Kirchen Christi einträchtiglich bekennt und gelehret wird, beständig zu bleiben. Derhalben ist bemeldter „*Hieronymus von Witeberg*" allhie offentlich nach Befehl göttlicher Schrifft in der Kirchen ordiniret und ihm befohlen, das heilig Evangelium zu predigen und die heiligen Sacrament, da er beruffen, zu reichen. Und bitten von Herzen, daß der ewige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, seiner Kirchen tüchtige Lehrer geben wolle, wie er befohlen uns zu bitten und gnädiglich zu geben zugesagt, und wolle also auch diesem „*Hieronymo*" seine Gnad und heiligen Geist verleihen, daß er zu Ehr und Preis dem Heiland Christo und der Kirchen zur Seligkeit dienen möge. Wir vermahnen auch bemeldten „*Hieronymum*" sampt seiner Kirchen, daß sie der christlichen Lehre Reinigkeit treulich pflanzen, für und für erhalten und auff die Nachkommen erben und bringen wollen. Denn diesen Dienst fordert der ewig Gott fürnemlich von allen Menschen, wie Christus spricht, Johan XV. Damit wird mein Vater geehret, so ihr viel Frucht bringet und meine Jünger werdet. Und wo man dieses Licht erhaltet, da bleibet die Kirch; bey dieser Kirchen ist Gott und will ewiges Leben geben und in allerley Jammer und Angst dieses vergänglichen Lebens Hülff und Rettung thun', denen, so ihn anruffen. Denn da will er sein und erhören, wo rechte Lehre des Evangelii lautet, wie Christus auch spricht, Johan. XV. So ihr in mir bleibet und so meine Wort in euch bleiben, sollt ihr bitten was ihr wollt, und das wird euch widerfahren. Datum Wittenberg, am Tag Matthei Apostoli Anno 1548.

Pastor Ecclesiae Witenbergensis et ceteri Ministri Evangelii in eadem Ecclesia.

I. Timoth. IIII.

Halt an mit lesen, mit ermahnen, mit lehren; Laß nicht aus der Acht die Gabe, die dir gegeben ist, durch die Weissagung mit Händaufflegung der Aeltesten. Solches wart, damit gehe um, auf daß dein Zunehmen für jedermann offenbar sey. Hab acht auf dich selb und auff die Lehre, beharre in diesen Stücken; denn so du solches thuest, wirst du dich und die Zuhörer selig machen.

Iohannes Bugenhagen Pomer D.
Casparus Crucigerus Doctor.

Philippus Melanthon.
Georgius Maior. D.

„Wir bitten auch den Ernwürdigen Herrn Do-„ctorem *Theodorum Fabricium*, Pastorem der

„Kirchen zu Zernest, er wolle auf dieses *Hieronymi* „Sitten und Lehr Achtung haben, wie unser Herr und „Heiland Jesus Christus der Sohn Gottes allein, so „viel möglich befohlen, andere zu vermahnen, und do „er spricht zu Petro. Et tu conversus confirma fra„tres tuos."

No. 4367. 21. Sptb.

## *Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 127.

*Antonio Lauterbach, Past. Eccl. in oppido Pirna.*

S. D. Venerande vir et amice carissime. Libenter darem literas *Lucae Birnensi.* Sed scio tantum sic responderi in aula, ut Lipsiae eius nomen inter stipendiarios scribatur. Horum ita longus est catalogus, ut scit *Lucas*, ut vix post annos aliquot posset stipendio potiri. Meum consilium est, ut potius in Ecclesia aliqua diaconi munere fungatur.

Mitto tibi libellos alterum *Osiandri*[1]), alterum *Amsdorfii*[2]). Et Saxonicarum civitatum pastores commune scriptum edituri sunt, quo testabuntur, se non adsentiri illis corruptelis doctrinae. *Islebius* contra confirmationem editurus est. Ita initio metui, non profuturam paci illam novam chimaeram. Deus adsit nobis, ut hactenus certe magnum Dei beneficium et singulare fuit, quod concordia docentium in Ecclesiis mansit; quam ut Deus tueatur toto eum pectore oro. Bene et feliciter valete. Die Matthaei 1548. P. M.

No. 4368. 24. Sptb. (h. a.?)

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stigel. ep. 58. Cod. Goth. 188. ep. 118.

*Clarissimo viro, eruditione praestanti, Domino Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ καὶ ταῖς Μούσαις φίλτατῳ, amico suo carissimo,* S. D.

Non casu fertur haec rerum natura. Cumque innumerabilia testimonia de Deo, in hac magna varietate naturae et ordine rerum, proposita sint, illam ipsam στοργὴν, cum basia figis in fronte et genis filioli tui, cogites etiam nobis impressam esse, ut sit commonefactio de vero amore Dei erga nos. Speremus igitur, nos Deo curae esse, et ab ipso petamus et exspectemus in his magnis tumultibus mitigationem aerumnarum, et Ecclesiae conservationem. Meo *Davidi* ad vos proficiscenti*) literas dedi, quas ad te scripseram. Tuas igitur iam exspecto. Nunc tibi hunc *Stephanum Pannonium* commendo, cuius est indoles ad virtutem et doctrinam egregia. Bene et feliciter vale. 24. Sept.

Philippus Melanthon.

No. 4369. (hoc mense)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 602 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 748.).

*Clariss. viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario Pab. amico et fratri suo carissimo,*

S. D. Exploremus igitur de *Forstero* voluntatem Principis *Ascanii*, a quo si vocatus est, patronum ei et sedem gratulor. Sed si non est vocatus, arbitror ei Ecclesiam Isennacensem commendari posse. De Suevica illa *Vitus* ad me scripserat, ut hominem idoneum indicarem. Nunc dehortator est *Forstero*[1]). Omnino humanis consiliis inextricabilis est confusio Ecclesiarum, cui Deus sua sapientia et bonitate, medicinam faciet. Nam Regum et Principum furores augent mala publica, non sanant. Spero tamen in tantis tempestatibus Deum gemitus nostros respecturum esse, nec concessurum, ut πανολεθρία totam Ecclesiam deleat. Accepi indicem continentem capita totius historiae Nicephori, superat meam expectationem, quare curabo ut videas. Bene vale.

Philippus Mel.

1) Vid. de eo Salig's Historie der Augsb. Confess. I. p. 595 sq.

2) Niclasen von Amsdorf Antwort, Glaube und Bekenntniß auf das schöne und liebliche Interim, denen zu Magdeburg geschrieben. 1548.

*) Davidi Voigt.

1) Vid. ep. ad Camer. d. 1. Sept. h. a.

No. 4870. 29. Sept.

## *Cruciger ad Scholasticos.*

Scripta publ. Acad. Wit. T. I. p. 221.

*Rector Academiae Witeb. Casparus Cruciger, D.*

Necesse est in Ecclesia tradi doctrinam de Angelis Deo placentibus, et de lapsu spirituum, quia Deo defecerunt, et nunc, ut odium expleant adversus Deum, immani furore et crudelitate insidiantur Ecclesiae. Ac adversus tam saevos hostes defendi nos sciamus ab ipso filio Dei, domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, sicut Iohannes affirmat inquiens: venit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Quibus verbis reddita est sententia primae promissionis: semen mulieris conculcabit caput serpentis. Nec imbecillitas humana sine auxilio Dei tuta esse potest. Habet autem et filius Dei adiunctos exercitus, videlicet castos angelos, Deum invocantes. Hi circumvolitant templa, scholas, thalamos nostros, et custodes sunt membrorum Ecclesiae, ubicunque sumus, ut in hodierna concione scriptum est: angeli eorum vident faciem patris. Et Psalmus inquit: circumvallat angelus domini timentes Deum.

Haec tota doctrina cum hodie in festo Angelorum populo exponatur, excitandae sunt mentes nostrae, et ut considerent tantum beneficium, quod Deus custodes angelos nobis adiungit, et ut gratias ei pro hoc beneficio agamus, imo etiam petamus, regi nos a spiritu divino, procedente ex pectore aeterni patris et filii, et tegi dextra filii, et per angelos castos depelli a nobis agmina diabolorum spurca et ardentia odio Dei. Studium vero cognoscendae huius doctrinae et fidem nostram in gratiarum actione et invocatione declaremus hodie singulari modestia et aliis piis officiis, quorum omnium spectatores esse castos Angelos sciamus. Ad aram etiam munera adferri volumus, ut gratitudinis nostrae signum extet. Laetantur Angeli nostris bonis, ut scriptum est: gaudium est Angelis de uno peccatore poenitentiam agente, et pro nobis precantur, et dolore adficiuntur in nostris calamitatibus, et multas depellunt. Discedunt autem maxime offensi prophanis sermonibus, spurcicie et latrociniis. Ideo ut tales custodes retineamus, simus modesti, casti et in omnibus pietatis officiis magis seduli. Datae in festo castorum Angelorum, anno 1548.

No. 4871. 30. Sept.

## *Cruciger ad Scholast.*

Scripta publ. Acad. Witeb. T. I. p. 222.

*Rector Academiae Witeb. Casparus Cruciger, D.*

Cum propter alias multas causas dolere pium est, cum honesti homines et Deum recte colentes ex hac vita mortali evocantur, tum vero etiam propter omen, quia significantur impendentes calamitates, quibus praeripit Deus magna ex parte suos cultores, ut scriptum est: iusti colliguntur, ne videant mala ventura. Meministis autem multa huius biennii funera, in quibus universae Ecclesiae luctus conspici potuit, quae dolet, se orbatam esse tot honestis viris, et matronis, quarum fuit excellens virtus. Nunc accedit funus honestissimae matronae *Barbarae*, coniugis venerandi viri Magistri Sebastiani *Froschelii*, eruditione et virtute praestantis, qui annos circiter viginti huic Ecclesiae in magna varietate temporum, grassante pestilentia, in oppido cincto hostibus, magna fide, assiduitate, et constantia servivit. Huic et filias tres et ingens desiderium coniunx reliquit, quam etiam invocationis suae sociam habuit. Doleamus igitur et propter Ecclesiam, quod tam multae piae mentes ex hac nostra consuetudine abducuntur, et propter luctum mariti, et Deum ardentibus votis oremus, ut publicas et privatas aerumnas leniat, et servet inter nos semen aliquod sanctum, nec sinat extingui in hoc nostro coetu lucem verae doctrinae et veram invocationem. Videtis seniores in magna moesticia vivere, qui calamitatum molem sentiunt. Hos dolere sciatis non solum sua causa, sed multo magis propter adolescentiam et posteritatem. Vobis optant relinqui patriam ornatam doctrina Evangelii, legibus, disciplina. Harum maximarum rerum, et vestrae salutis cura excruciantur. Sed aliqua ex parte in vobis etiam situm est, ne posteritas prorsus deleatur. Si ipsi ad senum gemitus et vota adiunxeritis vestram pietatem, lenientur publicae miseriae. Haec cogitanda sunt in his funeribus. Ipsi etiam, interitus huius sanctae matronae quale exemplum sit, considerate: Mater, superata labore partus, extincto foetu simul et ipsa extinguitur sic metuendum est, extincto flore piorum simul Rempublicam interituram esse. Sed te oramus, omnipotens Deus, aeterne pater domini nostri Iesu Christi, conditor

coeli et terrae et hominum et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo, domino Iesu Christo, et Spiritu sancto, ut propter filium in ira tua misericordiae recorderis, et mitiges calamitates nostras.

Mandamus autem, ut ad funeris ceremonias pie hora quarta conveniatis, et vitam vestram et salutem publicam Deo in talibus congressibus ardenti invocatione commendetis. Die proxima post festum Angelorum. Anno 1548.

---

No. 4372. 1. Oct.

## *M. Bucero.*

† Ex autographo Melanth. in tabular. Eccles. Evangel. Argentoratens. mihi descripta a Clar. *Strobelio*.

(*Martino Bucero.*)

S. D. *Ὦ αἰδέσιμε καὶ φίλτατε ἄνερ.* Cum tantae fuerint de rebus maximis dissensiones inter doctores, minus miremur, populi voluntates parum firmas fuisse. Imo nec illud miremur, iram Dei atrociorem adversus nos accensam esse, quam ut mitiget quotidie gemens eum oro. Iacent, proh dolor, Ecclesiae nunc oppressae multiplici tyrannide, sed iacebant et ante dilaceratae nostris dissidiis. Nunc utcunque *ναυάγια δεῖ πολιτεύειν*, quae Deus gubernet.

Civitates *Saxonicae* in littore Baltico et caeterae, et *Pomeranici* Duces decreverunt, se non velle mutare doctrinam aut ritus suarum Ecclesiarum. Etsi autem vidimus quam facile sint fracti alii, qui maiores causas habuerunt, cur reiicerent illam novam *νομοθεσίαν*, tamen nunc quidem voluntas horum laudanda est, et deus orandus, ut servet Ecclesiae suae reliquias. Edere librum dicitur *ὁ τοῦ Μαργίτου κόλαξ* *), in quo cum me accuset, fortasse aliud hospitium mihi quaerendum erit, ubi edere responsionem possim.

Te oro, ut saepe mihi scribas. Scripsit ad me quispiam cui nomen est *Morelio*, de *physicis edendis*, quae ante annos duodecim scripsi **). Ubicunque ille est, aut ubicunque adparatur, sive Argentinae; sive Lutetiae, quaeso cures prohibere editionem. Nam totam lucubrationem retexui, et in veteri sunt exempla astrologica, quae proferri etiam typographo periculosum esset. Nec illa qualiscunque farrago collecta est ut ederetur. Commendo hanc rem tuae fidei. Bene vale. Cal. Octobris.

Philippus.

*) Jo. Agricola.

**) Scripsit ea mense Octob. 1535. Vid. epist. ad Camer. d. d. III. Non. Octobr. Ipse edidit Physicam secundum Mylium a. 1549.

---

No. 4373. (h. t.)

## *Dictum.*

† Ex apographo in cod. Monac. 87. p. 14b. — Hunc Iohannis locum saepius Melanthon inscripsit libris aliorum. Vid. d. 16. Maii 1546.

*Phil. Mel. inscripsit libro haec:*

Iohannis 14, (23.) inquit filius Dei:

*Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου — — παρ' αὐτῷ ποιήσομεν.*

Hanc necessariam doctrinam et dulcissimam consolationem semper in mente circumferamus et saepe cogitemus. Ac primum doctrina teneatur, quae et ubi sit vera Ecclesia Dei, videlicet Ecclesiam certo coetum invisibilem esse, qui doctrinam Evangelii incorruptam sonat, docet, audit, fide amplectitur, amat et propagare studet. Nec coetus, qui persequitur veram doctrinam aut defendit idola pertinaciter, Ecclesia Dei est, etiamsi titulum arrogat. Deinde cum didicimus, quae et ubi sit vera Ecclesia, scimus nos quoque membra eius esse, cum discimus, fide amplectimur, et amamus Evangelium. Et promissionem hic recitatam certo ad nos pertinere statuamus, quae adfirmat, nos esse domicilia Dei. Huic promissioni credentes petamus et expectemus a Deo auxilium et salutem.

Philippus Melanthon.
1548. *)

---

No. 4374. 3. Oct.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Beckmanni Access. hist. Anhalt. p. 114.

*) Pomeranus primo loco eodem libro inscripsit quaedam ultimo Septb. 1548, et Maior post Melanthonem d. 1. Octobris; ergo haec vel d. 30. Sptb. vel d. 1. Octbr. scripta sunt.

*Georgio, Princ. Anhaltino.*

Reverendissime et Illustrissime Princeps. Quae in epistola, quam composui, de nostro dolore dixi, vera sunt. Fere totam hanc noctem in cogitatione de illa disputatione de sacrificio consumpsi, inter gemitus et suspiria et precationem. Et spero mea responsione illustraturum me esse eam causam, et recte et perspicue refutaturum illa speciosa sophismata, quae contra Ecclesias nostras excogitata sunt. Epistolam ad *Iulium* *) vel communi utriusque nomine, C. V. mittere potest, vel tantum Vestro nomine aut etiam prorsus hac reiecta, aliam mittere, etsi haec ita scripta est, ut etiam, si in manus aliorum perveniet, non possit iuste reprehendi. Sed hoc tempore horribilis maledicentiae et iudiciorum iniquitas est. Ideo saepe de fuga cogito. Bene et feliciter valeat C. V. Die 3. Octobr.

C. V.

addictus

Phil. Mel.

Cepi orationem scribere de dicto: *Fundamentum aliud poni non potest* etc. quam post triduum missurus sum.

---

No. 4375. 3. Oct.

## Ch. Goldsteinio.

† Ex apogr. in cod. Goth. 28. p. 156.

*D. Chiliano Goldstein, Doctori Iuris, amico suo,*

S. D. Clarissime vir et amice carissime. Etsi occupationes meae et itinera impedierunt, ne citius responderem, tamen me et haec causa remorata est, quod literis nequaquam vel comprehendi vel committi possunt ea, quae scire te non inutile esset. In colloquio illo *Pegano* [1]) aperte reieci formulam περὶ δικαιοσύνης contentam in libro Augustano. De caeteris articulis nihil disputatum est. Totam seriem coram exponam. De nostra [2]) deliberatione credo te valde angi; sed rectissimum esset, perspicue respondere, vos non assentiri libro, cum manifestos errores contineat. Ad Rhenum sacerdos quidam dolore recepti libri conscivit sibi mortem. Duces *Pomeraniae* et subditi eorum fecerunt decretum, se nequaquam mutaturos esse doctrinam, aut ritus Ecclesiarum suarum. Idem decrevit *Marchio Ioannes.* Nec dubito saxonicas civitates simile decretum facturas esse. In *Hassia*, etsi captivus *Landgravius* mandavit recipi librum augustanum [3]), tamen pastores privato consensu reiiciunt, et cum his sentit populus. Turbant Ecclesias, quae accipiunt librum, et nihil in melius mutant. Nec diuturna erit nova *νομοθεσία.* De iustificatione, de invocatione mortuorum, de missa, de circumgestatione panis manifesti errores sunt. Etsi omnino propter metum decurritur eo, ut imperatori mos geratur, cur non petitur, ut regionum principes et episcopi deliberationem prius instituant, ne dissimilitudines et particularitates fiant? Cur vos initium in his regionibus mutationis facturi estis? Plura coram disputarem. Teque oro, ut mihi rescribas, an hanc epistolam acceperis. Bene et feliciter vale. Die 3. Octobr. 1548.

Phil. Melanth.

---

No. 4376. 3. Oct.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 386 sq.

*Reverendo viro, D. Georgio Buchholtzer, amico suo charissimo,*

S. D. Reverende vir, et amice charissime. Non dubito unam et eandem esse Dei Ecclesiam in vestra et nostra urbe. Ideo ordinationem tribuimus *Andreae* petenti, non gravatim. Sed tamen hortatus fueram, ut istic peteret ordinationem, propter multas causas. Verum ipse speravit nihil fore periculi. Vos autem oro, ut eum tueamini. Erudite et pie respondit de omnibus articulis doctrinae Christianae: hoc vere adfirmare possum.

De Repub. multa scribere possem: sed tantum hoc narrabo. Ad Rhenum pastor Ecclesiae

---

*) Responsum ad epistolam Pflugii, quam supra d. 18. Sptb. dedimus. Responsum vid. infra d. 15. Oct.

1) Habito d. 23. August anni 1548.

2) Puto, legendum esse: *vestra.*

3) De literis Landgravii ad Caesarem sparsis in aula Caesaris, vid. Sleidanus in comment. p. 655. et quae prolixius dixit Saligius in historia August. confess. T. I. p. 600.

cuiusdam sibi mortem conscivit, dolore recepti libri Augustani. Brevi scribam plura, et mittam filii carmen, quod curabo edi excusum praelis, et ornatum. Bene valete. Die 3. Octobris. Mitto brevem *orationem de tribus farinae satis.*

Clarissimo viro domino Cancellario salutem opto. Hodie ex *Anglia* literas accepi, ubi doctrina Evangelii pure traditur, et erunt iam conventus de constituendis Ecclesiis.

Philippus Melanthon.

---

No. 4377. 5. Oct.

## Cruciger ad Scholasticos.

Scripta publ. Acad. Wit. T. I. p. 229.

*Rector Academiae Witeb.* Casparus Cruciger, *Doctor.*

Est quidem disciplinae pars, videre honestos congressus principum et considerare mutuae reverentiae exempla, et in sermonibus commemorationem virtutis; sed haec populus, qui procul a Principibus arcetur, nec oculis nec auribus satis accipere potest. Cum autem et propter multitudinem hospitia defutura sint scholasticis, qui Torgam proficiscentur, et inter equos et in turba non sine periculo vagari ignoti possint: hortamur nostros auditores, ne Torgam proficiscantur, sed potius in domestica tranquillitate intendant animos in doctrinae studia et in precationem piam. Itaque die lunae proximo rursus Deo iuvante praelectiones inchoabuntur. Nec alia est causa huius nostrae adhortationis, quam paterni animi sollicitudo de periculis vestris. Non est enim inusitatum, in tanta frequentia et concursu hominum, laedi aliquorum corpora. Oramus autem Deum aeternum patrem domini nostri I. C., conditorem et servatorem generis humani et Ecclesiae suae, qui politias et imperia instituit, ut Principes et nos regat, et disciplinam et studia tueatur. Data 5. Octob.

---

No. 4378. 7. Oct.

## Cruciger ad Scholasticos.

Script. publ. Acad. Wit. T. I. p. 224.

*Rector Academiae Witeberg.* Casparus Cruciger, *Doctor.*

Inter communia mala horum calamitosorum temporum sunt et parturientium adversi casus crebriores, quam antea fuerunt. Audimus enim et alibi multas doloribus partus extingui. Id quam sit triste spectaculum, et quantum luctum talia funera familiis suis adferant, experiuntur illi ipsi, ad quos ea calamitas proprie pertinet. Nec magnitudo doloris indicari potest ab alienis, et non expertis similia iuxta vetus Pindari dictum: τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δ' οὐ μέλει ἀνθρώποις. Etsi crudele est, tamen ita fit; minus adficiuntur homines alienis doloribus quam fieri oportuit. At in his casibus signum ac omen ad omnes pertinet. Non dubium est enim, significari parturientem Ecclesiam, in qua passim bonae mentes circumferunt assiduam et ingentem moesticiam, et vere dictum esse in Hosea: multi experiuntur, dolores parturientis venient ei. Deinde quia multi pii auferuntur e medio, adparet, secuturas esse calamitates publicas, quibus hi singulari Dei beneficio praeripiuntur. Nobis igitur haec funera minari et nos ad pietatem revocari non dubitemus. Quare intuenda sunt haec exempla et voluntas Dei cogitanda.

Meministis autem funera priora. Nunc et honestissima coniunx M. *Erasmi Reinholdi* Salveldensis, *Margarita Bonerin*, ornata omnibus virtutibus honestae et piae matronae convenientibus, in partu extincta est, quam quidem, cum et antea pie vixerit, et nunc in hac sua militia sese invocatione filii Dei in maximis cruciatibus et difficillimo agone constanter erexerit, non dubitemus ad coelestem consuetudinem Dei et Ecclesiae aeternae eductam esse. Sed mariti vulnus magnum est. Huius luctu adficiamur, praesertim cum ei gratitudo debeatur, quia ipsius opera et assiduitate, quam multos annos praestat, late propagata est doctrina mathematum, quam scitis valde necessariam esse hominum vitae, et nemini nocere, ac flectere ingenia ad pacis publicae et ad virtutis amorem. Adiunxit autem ad harum ipsarum artium cognitionem et alias virtutes convenientes viro honesto, et veram Dei agnitionem et invocationem. Moveamur etiam cogitatione dolorum parturientis Ecclesiae, et metu impendentium calamitatum, et modestius vivamus, ac veris et ardentibus votis Deum oremus, ut in

tra misericordiae suae propter filium mediatorem recordetur, et leniat privatas et publicas miserias, et servet inter nos aliquem coetum et reliquias ipsum vera pietate et vera invocatione colentes. Et cum dici pater orphanorum velit, respiciat et harum matrum orphanos et has ipsas Ecclesias, quae etiam sunt orphanae. Nec irritos esse gemitus nostros nec inanes lacrymas cogitemus, si mediocris vitae modestia accedet. Haec vobis hodie in funere cogitanda sunt, ad quod ut conveniant hodie hora duodecima omnes auditores Academiae nostrae mandamus, ut funeris ceremoniae pie serventur, et ut coniungamus preces, ut Deus hanc Ecclesiam clementer regat et servet, Amen. Die 7. Octobris, anno 1548.

---

No. 4379. 7. Oct.

## *Alberto Duci Pruss.*

Edita in Fabri epist. p. 151 sqq. ep. 45.

*Alberto, Duci Borussiae.*

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps. Opinor et ab aliis significari Celsitudini vestrae pleraque quae fiunt in his regionibus. tamen et ipse quaedam annotavi, quae scire Cels. vestrae velle arbitror, et quae scire in deliberationibus horum temporum utile est. Meum consilium semper adhuc spectavit ad hoc unum ne mutatio doctrinae aut rituum in Ecclesiis nostris fiat, quia et piorum invocationem turbat, et non sanat malos. Et qualia scandala, quantae perturbationes conscientiarum sequantur, cognoscet Celsitudo vestra aliquo modo ex pagella, quem addidi huic epistolae, ut soleo historica in singulares pagellas annotare. Optarim autem ut Cels. v. ad Marchionem *Ioachimum* Electorem scriberet, et eum hortaretur ne mutationibus non necessariis, Ecclesias alioqui moestas, in dubitationem et moesticiam maiorem adduci sineret. Bene et foeliciter valeat Cels. v. Die 7. Octobris Anno 1548.

Celsitudini vestrae
addictissimus
Philippus Melanthon.

### Beilage.

Wie es in Augsburg und Ulm stehet, da das Interim angenommen und angefangen ist, das haben E. f. g. nu längest vernommen.

Vier Predicanten zu Ulm sind da gefangen aus K. M. Befehl und sind auf Kirchen an der Eck geführet, darum daß sie das Interim nicht gewilliget.

Die Stadt Linda, wiewol sie erstlich das Interim klar, und mit außgetrukter Antwort abgeschlagen, hat sie es doch hernach angenommen.

Costenitz willigt es auch, so fern sie zu Gnaden kommen können.

Straßburg willigt es auch, sucht aber ettlich Linderung.

Der Hertzog zu Wirteberg hat es auch angenommen, ist aber der Anfang noch nit im Land gemacht.

Pfaltzgraf Fridrich, hat es zu Heidelberg angefangen, also, im Parfoten (Barfüßer) Kloster hat ein Gardian die Meß gehalden, dabey Pfaltzgraf Fridrich mit fürstlicher Pompa gewesen, doch viel fürnemer Personen aus der Kirchen gangen.

Auch hat der Prediger Henricus in der Stifft-Kirchen nicht willigen wollen, und ist darwider.

Und ist der Anfang ungleich, An etlichen Orten werden Bepstliche Ceremonien gantz widerum aufgericht, als zu Hall in Swaben, werden auch viel Kinder widerteufft.

Ein Priester am Rhein der das Interim in seiner Kirchen angericht, hat sich hernach selb erstochen, aus Betrübnis, darum daß er darein gewilliget.

In Hessen hat der gefangen Landgraf geboten, das Interim anzurichten, Aber die Pfarrer und Landschaft haben beschlossen, keine Veränderung in den Kirchen zu machen, darum stehet es noch wie zuvor.

Die Hertzogen in Pomern haben beschlossen, keine Veränderung in ihren Kirchen zu willigen oder zu machen.

So ist auch Hoffnung, die großen Städt in Sachsen werden auch keine Veränderung willigen.

Dergleichen schreibet Königlich Majestät zu Dennmark, daß sie durch Gottes Gnad keine Veränderung der jetzigen Lahr und Ceremonien annehmen wolle.

In Anglia, daraus ich neuliche Schriften habe, ist noch nichts geordnet, aber es wird ein Reichstag der Religion halben werden.

In Frankfort am Mein hat K. M. Befehl gethan alle Bücher, so in unsern Kirchen gedruckt, von der Lahr die man in unsern Kirchen prediget, zu confisciren, und etlichen dazu verordneten Inquisitoren zu überantworten.

No. 4380. 8. Oct.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 608 (ed. Lond. lib. IV. ep. 748.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario Paberg. fratri suo carissimo,*

S. D. Quaedam praecipuae foeminae secutae Reginam *Danicam*, hic dixerunt se libentius Dominam comitatas esse, ut viderent harum regionum Ecclesias. *Petrum Suavenium* miror cum quidem rex vellet, noluisse ad nos accedere, cum tam dulcis ei familiaritas cum *Crucigero* et *Pastore* fuerit, ut de me non dicam. Nec litteras misit. Sed mandata dedit Medico, viro docto, insuavia. σκυθῶν ῥῆσις erat, de ira et indignatione, et minis τοῦ βασιλέως, οὗ νῦν κράτος ἐστὶ μέγιστον. Sed et Ecclesiae pericula et nostra, et tales amicitias Deo commendo. Rex *Danicus* graviter scripsit, se non turbaturum esse piorum invocationem his mutationibus, quae nec ad pietatem, nec ad bonos mores prosunt.

Funera duo nobis post reditum, magnum dolorem attulerunt, Coniux *Erasmi Salveldensis*, et coniux *Froschelii* extinctae sunt *) in partu, cum quidem *Froschelia*, quae prior decessit, utriusque mortem ἐν ὀνείρῳ vidisset, quod ante mensem mihi *Froschelius* narravit, cum utraque viveret et recte valeret. Honestiss. coniugem tuam et totam familiam tuam, et te ut servet Deus, toto eum pectore oro. Bene et feliciter vale, VIII. Octob. *Rhetico* exhibeto litteras, quas mitto. *Paulus* accepit viginti Ioachimicos pro libris, quos misit, et tibi et tuis fausta omnia precatur.

Philippus.

---

No. 4381. 8. Oct.

## *Scholasticis.*

Scripta publ. Witteb. T. I. p. 223.

*Philippus Melanthon*

(*Auditoribus*).

Cras, Deo iuvante, hora septima enarrabo *Pindarum* *). Sed die Martis hora septima orationem *Demosthenis* περὶ στεφάνου interpretabor, quam non solum propter graecae linguae cognitionem, sed etiam propterea prodest familiariter notam esse studiosis, quia inde forma peti potest, quae in respondendo et refutando maxime utilis est, et lumina habet orationis plurima, ut dicam in enarratione. 8. Octobr. (1548.)

Philipp. Melanth.

---

No. 4382. 9. Oct.

## *Georgio Pr.-Anhalt.*

Edita ex autographo in Tab. Anhalt. a Clariss. *Lindnero* in den theologischen Studien und Kritiken (herausg. von Ullmann und Umbreit) Jahrg. 1835. p. 362.

*Reverendiss. et illustriss. principi ac Domino, Domino Georgio, principi in Anhalt et Ascania ac coadiutori Ecclesiast. et gubernatori in Mersburg D. Domino suo clementiss.*

S. D. Reverendissime et illustrissime princeps. Mitto Celsitudini vestrae orationem brevem [1]), sed tamen quae consolationes et commonefactiones non intempestivas continet. Spero etiam Celsitudini vestrae considerationem harum sententiarum quas recitavi gratam fore. Queso autem, ut Celsitudo vestra mihi significet, an pagellas orationis missas per hunc nostrum civem acceperit. Iussi Cels. V. queri in oppido Torga [2]), et sequi in Mersburg si Cels. V. iam discessisset ex Torga. Bene et foeliciter valeat Cels. V. die 9. Octobris.

Cels. V.

addictus

Philippus Melanthon.

---

*) Huius funus factum est d. 30. Sept., illius d. 7. Octob. 1548.

*) Pindarum iam anno 1546 enarraverat, et oda Sapphica (Script. publ. I. p. 129.) ad eum audiendum invitaverat.

1) Videantur quae promiserat in ep. ad Georgium Anhalt. d. d. 3. Oct. h. a.

2) Vid. epist. ad Georg. Anhalt. d. d. 14. Oct. h. a.

No. 4383. (13. Oct.)

## NN. ad NN.

Ex apogr. in cod. Monac. 90. no. VII. p. 372. — Videtur esse excerptum ex epistola.

Ein christlich Bekänntniß des Durchleucht. hochgeb. Fürsten und Herrn, Herzog Johanns Friedrichs des ältern, Herzog zu Sachsen und gebornen Churfürsten, gethan zu Augsburg anno 1548.

Auf den 13. Octobris ist mir anzeiget worden, daß die Kais. Maj. nach ihrer Wiederkunft von München den gefangenen Churfürsten vor sich habe fordern lassen, und als er vor ihre Majest. kommen, hat er sich nach seinem gewöhnlichen Brauch auf die Knie geben wollen. Aber Ihre Maj. haben ihn aufgehalten und mit diesen Worten angesprochen: er solle von diesem Irrthum abstehen, und sich dem Concilio, was solches ordiniren werde, wie andre Fürsten unterwerfen, so wolle Ihre Majest. sein gnädiger Herr seyn, und ihn wiederum seines erlittenen Schadens ergötzen, daß er zufrieden seyn solle. Darauf der löbliche Churfürst Ihrer Maj. Antwort geben hat: allergnädigster und gütiger Kaiser, ich stehe vor Ew. Maj. als ein armer gefangener Mann, ich lüge nicht, hab die Wahrheit bekannt, und darum verlassen Hab, Gut, Land und Leut, und alles was mir Gott geben hat in dieser Welt, und habe nichts nicht denn diesen gefangnen Leib, der doch nicht in meiner, sondern in Ew. Kais. Maj. Macht und Gewalt stehet, und soll darzu das ewige auch verlassen durch meinen Widerruf? Davor wolle mich Gott behüten, wenn ich meinen höchsten Trost dahin gesetzt, daß ich gewiß weiß, ob ich auch diesen Leib samt dem Leben darstrecken muß, daß mir Gott ein besseres geben würde. Mir stünde auch übel an, daß [ich] *) durch mein thörlich Widerrufen viel tausend Menschen in groß Aergerniß sollten geführt werden, weil ich so lang die Wahrheit bekannt, und erst auf die letzt davon fallen sollte. Derhalben, allergnädigster Kaiser, Ew. Maj. haben mich in ihrem Gewalt, mögen mit mir handeln wie mit einem Gefangenen; bei der bekannten Wahrheit will ich bleiben jedem zu einem Exempel. Darüber hat sich Kais. Maj. in der Red von ihm gewandt, davon gangen und ihn also stehen lassen. Also ist er wieder in seine Verwahrung geführt worden.

*) [ich] delendum est.

No. 4384. 13. Oct.

## Vito Theodoro.

Epist. lib. VI. p. 498 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 656.

*D. Vito Theodoro, docenti Evangelium in Ecclesia Dei in urbe Noriberga.*

S. D. Et ἀντίδωρον tibi debeo, et habeo gratiam pro concionum tuarum volumine misso, quod profecto saepe inspiciam. Libenter enim considero quid in locis obscurioribus alii docti et pii cogitarint, non, ut cum quoquam subtilitate certem aut argutia, sed potius, ut de propriissima simplicissimaque sententia Ecclesiae doctores consulam, de quibus scriptum est: *dedit alios pastores*, *alios doctores*. Nec enim aspernor in illis loquentem Spiritum sanctum, ut filius Dei inquit, οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστὲ οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. Etsi autem tyranni, ut Gigantes coelo bellum inferentes, hoc studium illustrandae doctrinae caelestis delere conantur, tamen speremus filium Dei, quae est aeternus sacerdos, defensurum esse ministerium Evangelii, et has nostras operas in explicanda doctrina non abiiciamus. Nos in magnis periculis sumus, sed hac me consolatione sustento, quod filius Dei inquit, *omnes capillos capitis nostri numeratos esse.* Mitto tibi libellum, qui ad vicinos scriptus est, qui utinam cogitarent id quod Paulus dixit, amandos esse ὑπερεκπερισσοῦ fideles doctores. Bene vale, Die 13. Octob. *).

Philippus Melanthon.

*) Alia manus adscripsit: anno 1548.

No. 4385. 14. Oct.

## Georgio Pr. Anhalt.

Beckmanni Access. hist. Anhalt. p. 114.

*Georgio, Principi Anhaltino.*

Reverendiss. et Illustrissime Princeps. Mitto C. V. Epistolam ad Reverendiss. *Ducem Neoburgen-*

*sem* [1]) scriptam. Nec potui *disputationem de Sacrificio* simul mittere, quia variae occupationes intervenerunt. Pertexam tamen, etsi profecto hac disputatione non delector, et ante multos annos metui, secuturas esse has perplexitates, in quibus nunc haeret Ecclesia. Si *Torgam* [2]) fuero vocatus, spero Principem Electorem admissurum esse meam excusationem. Et in exilium ire libentius volo, quam adiuvare mutationem harum Ecclesiarum, quae si fuerit inchoata, passim graviores Pastores discedent. Et audio quendam in aula dixisse, perficiendam esse hanc mutationem, etiamsi aliqui fatui theologi tollendi sint. Essem autem magis fatuus, si multa promitterem ipsis, quae postea apud Pastores obtinere non possem. Nunc autem mitto C. V. pagellam, in qua sunt quaedam *annotata de Sacrificio*, quae scripsi ad Concionatores Ecclesiae in Salinis, qui mihi suam deliberationem miserunt, satis modeste et pie scriptam [3]). Bene et feliciter valeat C. V. Die 14. Octobr.

C. V.

addictiss.

Philippus Mel.

Heri huc venit *Iohannes Sturmius*, Gubernator Scholae Argentoratensis, Vir doctus et eloquens, qui narrat in Ducatu Würtenbergensi nondum peractam esse mutationem, etiamsi Dux assentiri novae illi Constitutioni coactus est. Et in Cattis Pastores et Populus nolunt facere mutationem. Miror, cur adeo properent aliqui in his regionibus; Etiamsi pia esset mutatio, tamen non subito facienda esset. Et tamen verissimum est, aliqua in mutatione illa praecipi, quae partim turbabunt invocationem piorum, partim sunt re ipsa vitiosa et iniusta.

1) *Ducem Neoburgensem*] ex mendo; imo scribendum: *Episcopum Nauburgensem*, videl. Iulium Pflug.

2) Ad conventum ordinum, quos convocaverat Mauritius Elector.

3) Vid. ep. ad Ionam d. 15. Oct.

No. 4386. 15. Oct.

## I. Ionae.

† Ex apogr. in cod. Goth. 191. p. 91.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Iusto Ionae, D. Theologiae fideli ἐπισκόπῳ ἐκκλησίας θεοῦ ἐν ἁλῶν πηγῇ* [1]), *amico suo cariss.*

Reverende vir et amice cariss. Legi paginas, quas misisti, in quibus video tantum truncatam ἐπιτομὴν esse vestrarum deliberationum. Ego vero totam vestram commemorationem legere malui, ac praesertim in capite περὶ τῆς προσφορᾶς. Erudior et confirmor legens piorum scripta et cogitationes. Ac probo quidem et hanc ipsam ἐπιτομήν. Sed in capite περὶ τῆς προσφ. clamosius aliquid dicendum esse iudicavi. Ideo pagellam mitto, quam pro prima [2]) paragrapho, si ita libet, inserere vestro scripto potestis sub titulo: *de oblatione.* Meministi et gemitus meos et querelas de hac controversia, in qua metuo secuturam esse aliquando perplexitatem vix extricabilem. In reliquis materiis omnibus explicatio in nostris Ecclesiis extat adeo perspicua, ut convinci se omnes non furiosi agnoscant. In una hac sunt ἀπορίαι τινὲς, quas utinam Deus diiudicet. Tecum omnia colloqui decrevi post paucos dies. Miror, cur aliqui properent facere mutationem Ecclesiae in his regionibus, cum nec in Ducatu *Wirtenbergensi*, nec in *Cattis*, ubi tamen principes assensi sunt τῇ καινῇ νομοθεσίᾳ, hactenus mutatae sint, et Saxonicae civitates aperte refragentur [3]). Magis igitur vituperabitur levitas nostra, si mutationem adiuvabimus. *Sturmius* salutem tibi optat [4]). Filii eloquentissimi epistolam remitto. Vocatus est *Torgam Islebius*, credo ut *Ascanio* et nescio quibus aliis commendet suam Pandoram. Etsi non prorsus ignoro, quantum sit in exilio miseriarum, tamen ire in exilium malo, quam esse σύμμαχος eorum, qui in Ecclesiis alioqui moestis turbant puram invocationem et nihil mutant in melius. B. et f. V. Idibus Octobris.

1) Cod. Goth. 191. πογῇ, ex mendo.
2) Cod. Goth. 191. *primo.*
3) Cod. Goth. 191. *refragrentur.*
4) Vid. ep. ad Hardenberg. d. d. 14. Oct.

No. 4387. 15. Oct.

## Iulio Pflug.

Edita in *Beckmanni* Historie des Fürstenthums Anhalt, T. VI. p. 95.

(Epistola *Georgii Principis Anhaltini* et *Phil. Melanthonis* scripta a Melanthone [vid. ep. ad Georg. Anhalt. d. 14. Oct.], in qua respondent ad literas *Iulii* d. 18. Septb. — Scriptum de Missa huic epistolae additum non edidit Beckmannus.)

*Reverendissimo Dno, Dom.* I u l i o *Episcopo Ecclesiae Numburgensis, eruditione, sapientia ac virtute praestanti, amico et domino nostro observando.*

S. D. Reverendissime Antistes. Non si tantum lacrymarum fundere possemus, quantum undarum volvit Albis, exhauriri dolor noster posset, quem multos iam annos circumferimus propter publica dissidia de doctrina: Quare sicut filius Dei et in agone suo precatus est, et adhuc precatur, ut aeternus Pater faciat, ut unum sint doctores in ipso, ita nos certe saepe tristi gemitu oramus Deum, ac nostra vota ad huius summi sacerdotis precationem adiungimus, ut pia concordia constituatur, et unum simus, sed in Deo, videlicet ut consentiant mentes in vera invocatione, quod fieri non potest, si aut falsis opinionibus aliqui a Deo abducantur, aut vitiosi cultus stabiliantur. Ac nos quidem de nullo dogmate certamina primi accendimus, sed cum multa a doctis recte patefacta esse luce meridiana clarius esset, perspicuae veritati adversari noluimus. Haec agnita nunc minus etiam abiicienda est. Itaque nuper in colloquio nostro utrumque intelligere potuisti, nec alere nos dissidia de rebus non necessariis velle, nec tamen corruptelas necessariae doctrinae approbare posse. Multas vero controversias tunc quasi seposuimus, non solum ut studium pacis in nobis conspiceretur, sed ut via etiam ad concordiam monstraretur. Vides ipse pro tua excellenti sapientia, quantum sit incendium orbis terrarum, quam multae controversiae simul motae *) sint, ut cum diversis locis inflammantur urbes; deinde quantae voluntatum distractiones factae sint. Ad haec tanta Ecclesiae vulnera sananda violentae curationes hactenus non multum profuerunt, nec postea profuturae sunt. Et non dubitamus, te ipsum, praesertim cum et in tali fastigio Ecclesiae collocatus sis, in quo Deus lenitatem praecipit, malle remedia mitiora quaeri. Postquam autem in his regionibus nunc mediocris est Ecclesiarum status, optamus, et ut luceat veritas, et ne in mentibus piis turbetur invocatio, ut fit nunc, proh dolor, in multis locis, ubi mutatio doctrinae et rituum maiores disceptationes efficit. Nam dubitatio languefacit invocationem, et in multis accendit odium adversus totam religionem. Scimus, et Pastorem cuiusdam Ecclesiae ad Rhenum sibi mortem conscivisse dolore receptae mutationis; et possemus alia multa exempla narrare, quorum cogitatione non leviter movemur, ut parcendum esse conscientiis iudicemus.

Legimus autem et priores et posteriores paginas, in quibus accurate de sacrificio disputas, quas quidem et bona fide ego *Georgius* Princeps in Anhalt in meis arculis custodiam, ne spargatur in publicum. Cum aperte iactarent Monachi, se sacrificium facere pro peccato, necesse fuit reclamare, et plana causa est. Nunc in hac subtilitate disputatio fit difficilior. Sed tamen de nostra sententia etiam modeste post paucos dies respondebimus, cumque ceremoniae nuptiales commentationem *) institutam interruperint, oramus, ut moram boni consulas. Bene et feliciter vale. Idib. Oct. A. 1548.

*) Beckm. mendose: *notae.*

*) Beckm. *commendationem;* mendose.

---

No. 4388. 16. Oct.

## Vito Theodoro.

Append. epist. lib. IV. p. 37 sqq.

*Vito Theodoro.*

S. D. Cum *Casparo Crucigero* literas tuas recitaremus, in quibus significas, iam morbum tuum mitiorem esse, teque redire ad pertexendam enarrationem historiae Mosaicae, laetabatur et propter Ecclesiam tuam domesticam, et propter publicam Ecclesiam. Etsi enim adversa valetudo non sinit frui suavitate familiae, tamen gaudebat, te nondum a tuis abduci, et absolvi opus, optabat, quod

fuit velut cygnea vox *Lutheri*. Vivit adhuc quidem *Caspar*, sed paulatim ἀτροφίᾳ consumitur. Cerebri vires adeo integrae sunt, ut adhuc Ptolemaei lectione delectetur. Cumque foris coeli motus aspexit, tum vero quasi ingressus in coelum, alloquitur ardentibus precibus Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, et sese, et Ecclesiam, et haec nostra studia ei commendat.

Intellexi, te iussisse, ut pagellas nostrae deliberationis istuc mittamus. Nunc autem plura exempla non habuimus. Quare unicum exemplum mitto. Etsi autem scio, multos requirere asperiorem reprehensionem τῆς σφιγγός, tamen, cum illi Senatui, ad quem scribimus, haec exhibenda essent, haec moderatio visa est utilior. Ac περὶ δικαιοσύνης reprehensio adeo perspicua est, ut contradicere nemo possit, qui non velit esse impudens. At περὶ τῆς προςφορᾶς, ut sit languidior nostra oratio, eo fit, quia nostra dissidia impedierunt illustrem explicationem eius causae, qua de re meas querelas veteres meministi. Et nunc, cum accuratius res disputanda est, ita crescit meus dolor, vix ut me sustentem. Plana causa erat initio, cum tantum hoc disputaretur, non esse sacrificium pro peccato, vel ἱλαστικὸν opus sacerdotis. Nunc remoto hoc errore, alia magna quaestio restat. An tandem oporteat esse προςφορὰν, an necesse sit, dici, offerimus tibi, Deus, Filium tuum, sicut Graecus Canon inquit, Tu es προςφέρων καὶ προςφερόμενος. Res facilis videtur ociosis, qui non veniunt in certamina de hac quaestione. Sed ego, quam difficilis sit dimicatio, saepe iam expertus sum.

Hac hora vocor in aulam, et existimo, eodem vocatos esse ἀνταγωνίστας. Deus adsit nobis.

Quod interrogas, an discedendum esse Collegis tuis, censeam, si redeat αὐτοκράτωρ, voluntas Senatus exploretur. Deinde optarim, aliquos manere fortiores. Sed opinio est in his regionibus, venturum Lubecam τὸν αὐτοκράτορα. Mitto vobis pagellas meo more. Bene vale, et rescribe. Die 16. Octobris, quo ante annos 1868 Demosthenes interfectus est, cuius vis ingenii consumpta est in contentionibus inutilibus. Nos mandato divino pericula et certamina sustinemus ad retinendam lucem veritatis. Iterum vale.

*Sturmii* literae, ut cito mittantur Argentoratum, vel per proprium tabellarium curato.

No. 4389. 18. vel 19. Oct.

## *Theologorum in Conventu Torgav. Declaratio.*

Ex Actis synodicis germanicis p. 224 sq. (Versio latina in Actis syn. lat. p. 317.) — Dimisso conventu ordinum Misniae congregatorum mense Octobri 1548., Mauritius, Dux Sax. Elector, ordines suos iterum congregavit Torgae d. 18. Octobris, iisque eadem proposuit, quae antea Misniae ipsis proposuerat. Eius autem consilio factum esse videtur, ut quidam Politici, videlicet quinque ex ordine equestri et duo ex Consiliariis Mauritii scriptum in promptu haberent, quod Theologis (i. e. Georgio Principi Anhaltino, Melanthoni et reliquis qui iam conventui Misnico interfuerant, excepto Crucigero, aegrotante) statim tradiderunt, in quibus exposuerunt, quid ipsis de argumento libri Augustani videretur, et quid concedi posse putarent. Hortati sunt simul theologos, ne in rebus adiaphoris cedere recusarent, et gravissima, quae minarentur reipublicae pericula si Caesari diutius repugnarent ostenderunt. Scriptum eorum, ut primum exaratum fuit, in Actis synodicis non legitur, sed indicantur tantum eius argummenta, videlicet haec: „(1) Von „der Rechtfertigung solle es bei der Pegauischen Vergleichung „bleiben. (2) Von der Gewalt der Kirchen. (3) Von Kir„chendienern. (4) Firmung. (5) Buß. (6) Oelung. „(7) Ordinirung der Kirchendiener. (8) Von der Messe. „(9) Vigilien. (10) Feiertage. (11) Procession. (12) Fleisch„essen." Mutatum autem in quibusdam partibus dedimus hoc scriptum paulo infra. — Accepto hoc scripto d. 18. Octobris, Theologi postero ut videtur, die illis Septemviris de eorum scripto haec rescripserunt:

*(Sententia Theologorum in Conventu Torgaviensi de scripto Septemvirorum, ipsis tradito.)*

### Von der Autorität der Kirchen

ist zuvor in unserm Bedenken derselbige Artikel nicht angefochten, darin doch die Hoheit des Papstes gefasset ist. Aber wir haben nicht rathen wollen, alle Sachen zu streiten, sondern was die nöthige Stück christlicher Lehre und rechter Gottesdienst betrifft, davon ist nöthig, die reine Wahrheit zu erhalten. Und möchte der Artikel de autoritate Ecclesiae nachmals passiren. Daß aber in der Verzeichniß, die uns zugestellt, eine Correction daran gehänget, daß wir halten wollen alles, was die Väter gehalten haben, auch die Adiaphora und willkührliche Ding: dieses Erbieten achten wir an diesem Ort unnöthig und zu weit; denn hernach werden diese Stück insonderheit erneuet, davon man redet. Und sind viel Adiaphora von den Alten gehalten, die nu gefallen, als vota, canones satisfactionum und anderes, und sind viel contrarii ritus bei den Alten gewesen. Es bringt auch das Buch selbst seine Correction mit, daß die Kirch autoritatem habe ad aedificandum und nicht ad destruendum, oder mag besser auf die Weis geredet werden, was noch im Brauch ist bei den andern, das Adiaphoron ist und göttlicher Lehre nicht zuwider, das wollten wir auch halten.

### Von den Bischoffen und Dignitäten.

Daß sie mit tüchtigen Personen bestellt würden, wäre gut, und gefället uns dieser Artikel wohl. So haben wir uns auch allezeit erboten, wir wollen den Bischoffen ihre Autorität gerne lassen, und gebührlichen Gehorsam thun, so sie diese Kirchen nicht verfolgen.

Von der Confirmation sind wir selbst willig, diese nützliche Ceremonien aufzurichten.

Von der Buß ist die Lehr in unsern Kirchen ganz rein und klar, und soll ernstlich für und für geprediget und erhalten werden, und ist dem ersten Artikel de iustificatione gemäß.

### Von der Ordination der Priester.

Von diesem Artikel wollen wir gerne, daß man ihn hoch exaggerirt, denn die Ordination ist hoch nöthig und hoch zu preisen, und ist hoch zu beklagen, daß man nu viel hundert Jahr so unfleißig mit gehandelt, daß kein ernstlich Examen, keine Unterweisung gehalten, und daß daran ungebührliche Verpflichtunge gehänget und ander Mißbräuche. Und bedenken wir, so man eine Additio von der Ordination setzen will, daß man sie also hoch preise, zeigen auch an, daß wir gern wollten, daß sie die Bischoffe hielten, und einen rechten Ernst damit erzeigten. Und ist allein in genere anzuzeigen, mit Auslassung unrechter Verpflichtung und andrer Mißbräuche, davon man sich mit den Bischoffen unterreden wolle.

### Von der Oelung

haben wir vor auch nicht sehr gestritten. Man möchte aber anzeigen, daß dieses in unsern Kirchen fleißig gehalten wird, daß die Kranken besucht werden, daß sie, mit vorgehender Beicht, communicirt, vermahnet und getröstet werden. Und das wollen wir noch mit allem Fleiß thun. Wir finden aber solche unflätige Abgötterei in der Consecration der Oelung, daß uns wundert, ob ein christlicher Bischoff solche Consecration halten werde. So ist die forma verborum in der Oelung und die Invocatio sanctorum auch unrecht: per hanc unctionem remittuntur tibi peccata etc.

### Von der Messe

stehen die Wort in der Verzeichniß dunkel: so nicht Communicanten sind, so soll gleichwohl das Gesang durchaus gehalten werden etc. So es nun die Meinung wäre, daß auch der Canon und die Oblatio geschehen sollte, und also Privatmessen wiederum eingeführt werden, das werden vernünftige Pastores nicht thun, und wird Verfolgung und Zerstreuung daraus folgen. So ist auch keine Veränderung mit der Meß noch in diesen Landen fürgenommen, auch nicht in Hessen, Nurenberg und Wittemberg, obgleich die Herrn offentlich gewilligt, und ist sehr schwer, daß man auf unsern gnädigsten Herrn dringet, daß in seiner Churf. Gnaden Land der Anfang solle gemacht werden. Es wäre auch wohl nützlich, daß etliche fromme gelehrte Leut sine studio partium sich zuvor unterredeten von den Fundamenten dieser Sache. Die ersten disputationes sind klar und leicht gewesen, daß die Messe nicht sey ein sacrificium pro peccato, und wird im Buch concedirt. Nu will gleichwohl das Buch, daß ein sacrificium seyn muß. Es ist aber der rechte gründliche Verstand vom sacrificio, wie es in unsrer Communio gehalten wird, daß die ganze Actio ein sacrificium laudis sey, dazu diese Stück alle gehören, nemlich Gedächtniß der Historien, Danksagung, Gebeth daß uns Gott gnädiglich annehmen wolle um seines Sohnes willen, und um desselben geschehenen sacrificii willen, und endlich applicatio per fidem in communione, und ein ernstlicher Vorsatz Gott zu danken in rechtem Gehorsam. Diese Stück alle zusammen sind das sacrificium und nicht allein eine Ceremonia; denn durch solche Opinion ist das opus operatum wiederum gestärket.

Und ist unser Bedenken, daß es ernstlicher stünde, so man in der Wochen einen oder zween Tage zur Communion ordnete, denn daß man eine Meß zum Spectakel allein sünge etc. So dienet diese Ordnung dazu auch, daß man die Leut in der Beicht desto bequemer hören möchte. Und so man etwas neues ordnen will, wäre es gut, daß man dennoch solches vorhin mit etlichen fürnehmen Pastoribus freundlich redet.

### Von Vigilien.

Es werden jetzund die Begräbniß züchtiglich und christlich gehalten, mit Gesänge und Gebeth, und an etlichen Orten mit predigen. Daß man aber eine gemeine Ordnung durchaus machen wollt, lange Vigilien ganz oder halb zu singen, das wäre den Pastoren und gemeinem Mann eine neue Beschwerung und gereicht zur Verhinderung andrer nöthigen Werk, Predigt, Studii etc. Item, man weiß, daß vor dieser Zeit die größten und längsten Ceremoniae pro mortuis gewesen, und haben dieser Arbeit andre nöthige Werk weichen müssen. Zudeme, so geräth solch Ding leichtlich ad superstitionem. Und ob man gleich in unsern Kirchen jetzund rechten Verstand hätte, so bringt es doch Rede bei unsern und fremden Leuten etc. Wenn aber eine

hohe Person oder ein Herr stirbet, will man noch mehr Ceremonien über die jetzt gewöhnliche, mit Gesängen, Predigen, Lection etc. verordnen. Das lassen wir uns auch nicht mißfallen. Daß aber durchaus geboten werde, daß man in funeribus eleemosynas in einen gewissen Ort gebe, wie an viel Orten geschiehet, das wäre auch gut, und solche haben vor Zeiten geheißen oblatio pro mortuis.

### Feiertag

werden also gehalten, und mag man Gleichheit darinnen machen.

*Processiones* achten wir vor eine Verhinderung andrer nöthiger Werke, und ist offentlich, daß viel Untugend in den Procession sich zugetragen, wie man weiß, daß große Herren schöne Frauen aus den Procession weggeführet haben. So wird der cultus sanctorum alsbald mit eingeführet. Dagegen aber sollen mit rechtem Ernst in der Kirchen die rechten Klag und Gebeth mit den Litanien gehalten werden: domine, non secundum peccata nostra facias nobis etc. Dieses sind vor Zeiten stationes gewesen etc.

Fleischverbot ist wohl zu leiden, und soll und kann dennoch die Lehre, was rechte Gottesdienst sind, daneben getrieben werden.

### Vom Banne.

Und dieweil begehrt ist, daß wir weiter anzeigen sollen, was wir zu Vergleichung und zu Besserung nützlich achten: bedenken wir, daß nützlich und noth sey, den Bann in Consistoriis mit Ernst aufzurichten und darob zu halten, also daß weltliche Obrigkeit ihre Hülf darzu thät, daß ein Verbannter nicht zu ehrlichen Aemptern oder Gesellschaften geduldet werde. Denn es ist je Gottes Werk, daß Untugend gestraft werde; und so der Richter nicht straft, kommen andre große Strafen über Land und Leut, wie geschrieben stehet: non parces ei etc. Auf den Dörfern auch sollen Pastores und Richter mit Ernst dazu gehalten werden, daß der Catechismus dem Volk eingebildet, item, daß nicht Unzucht geduldet werde etc. Dergleichen in Städten ist auch noth, mehr Fleiß zu thun, in Verhörung der Jugend im Catechismo.

Wir bedenken auch, daß nützlich sey, so man eine Gleichheit machen will mit den Ceremonien, Festen und Gesängen, daß die Pastores, so zusammen gefordert werden, die Agenden sämptlich besehen und sich vergleichen. Item, dieweil zu wünschen, so es müglich wäre, daß an allen Orten die Kirchen in rechter Lehre und Ceremonien gleich wären, und particularitas zu fliehen so viel müglich, bitten wir, man wolle bedenken, wie mit den Nachbarn Gleichheit so viel müglich zu machen, daß die Kirchen in diesen Landen einträchtig wären in Lehre und Ceremonien, Gott zu Lobe und dem Frieden zu gut, und andern Nation zu gutem Exempel. Dazu wolle Gott Gnade verleihen. Item, daß die visitatio durch die Superattendenten und das Examen des Volks zu bequemen Zeiten gehalten werde. Item de synodis et examine Pastorum.

Wir achten auch dieses alles, so wir erinnert, zu Gottes Ehr dienlich, und zu Frieden, und daß es im Grunde Kaiserlicher Ordnung nicht zuwider. So ist offentlich, daß wir viel disputationes, dem Frieden zu gut, übergehen, und suchen alleine Erhaltung der nöthigesten Stücke, und wollen selb gerne Frieden und Einigkeit haben.

---

No. 4390. (19. Oct.)

## (*Prima forma Interim Lipsiensis.*)

Editum in Actis synodicis german. p. 227 b. (versio latina in Actis synod. latinis p. 321.) — Accepto scripto antecedente Theologorum, Septemviri suum scriptum primum quibusdam in locis secundum monita Theologorum mutatum, ut hic legitur, Theologis iterum tradiderunt. Est prima forma Interim Lipsici.

(*Scriptum Septemvirorum, mutatum secundum monita Theologorum.*)

Artikel unsrer Rechtfertigung solle bei der Pegauischen Vergleichung bleiben.

### Von Gewalt der Kirchen.

Was die wahre christliche Kirch, die im heiligen Geist versammelt, ordnet und lehret, und die alten christlichen Lehrer in den Dingen gehalten haben, und bei dem andern Theil noch in Brauch seyn, die man ohne Verletzung der Schrift halten kann oder nicht, das solle gepredigt und gehalten werden.

### Von Kirchendienern.

Daß hinfürder sollen gelehrte Leut zu den Präbenden in Stiften präsentirt und geordnet werden, die so viel Verstandes in der göttlichen Schrift haben, daß sie zu bischofflichem Ampt und zu der Cura und Versorg der Archidiaconat, Ampt und Jurisdiction der Kirchen tüglich, und demselben rechtschaffen vorstehen können. Und

man soll durch die Statuta und Gewohnheiten, die man in etlichen Stiften hat, allein qualificirte Personen zu Thumherren zu machen, gottfürchtige Leut, die zu bischofflichem Ampt dienlich, nicht hindern; sonderlich dieweil dieselbigen Statuta und Gewohnheiten auch in des Papsts Recht cassiret und aufgehoben, und befänden, daß dadurch die Stifte voll müßiger und ungelehrter Leut worden. Dergleichen sollen gelehrte Pfarrherrn und Kirchendiener verordnet werden, welche das Wort Gottes zu lehren, und dem Volk christlich fürzustehen geschickt und tüglich sind. Von solchen Bischoffen, die ihr bischofflich Ampt nach göttlichem Befehl ausrichten, und das Wort Gottes recht lehren, sollen geordinirt werden, und ihnen unterworfen und zu gehorsamen schuldig seyn alle andere Kirchendiener, und sie sollen die Uebertreter, und sonderlich die Priester, die unehrbar gewandelt seyn, oder unrechte Lehre treiben, mit ordentlichen Mitteln zu strafen haben, als mit Privirung ihres Ampts und endlich auch mit dem Banne.

## Die Taufe bleibet.

## Firmung.

Wird für gut angesehen, daß die Jugend, die erwachsen ist und zum hochwürdigen Sacrament des Leibs und Bluts Christi gehen will, von den Bischoffen oder ihren Pfarrherren verhört werde ihres Glaubens, und daß sie denen bekennen, und die Zusagen, die ihre Pathen in der Taufe für sie gethan, und dem Teufel abgesagt, bekräftigen und ratificirn, und also in ihrem Glauben bestätiget und confirmirt werden, mit Auflegung der Hände und christlichen Gebethen.

## Buße.

Die Buße soll fleißig geprediget, und das Volk dazu angehalten werden. Dergleichen soll auch das Volk fleißig ermahnet werden zum Gebeth, Fasten und Almosen, auch zur Beicht und Absolution, und soll niemand zum Sacrament des Leibs und Bluts Christi zugelassen werden, er habe denn zuvor gebeicht, und die Absolution empfangen.

## Oelung.

Die Oelung mag nach dem Evangelio Marci am 6. und Jakobi 5. gehalten werden, und dieweil es nichts anders ist, denn für und über die Kranken christliche Gebeth und Trostsprüch aus der heiligen Schrift zu sprechen, so soll mans auf den Canzeln das Volk also berichten.

## Ordinirung der Kirchendiener.

Welche in das Kirchenampt treten wollen, die sollen bei den Bischoffen die Ordination suchen, und sich durch dieselbigen ordiniren lassen, so fern sie die dergestalt ordiniren wollen, daß sie zu dem unträglichen Gelübde, ohne Ehe zu bleiben, nicht verpflichten, sondern frei stehen lassen, eheliche Weiber nach Gottes Befehl und Ordnung zu nehmen, daß sie auch die ordiniren, welche allbereit Weiber haben, dergleichen daß sie die Ordinanden nicht dringen, das Sacrament unter Einer Gestalt zu nehmen, sondern frei stehen lassen, ohne Communion die Ordination zu empfahen, oder aber sie unter beider Gestalt zu communiciren, und daß in alle Wege die Ordinatio auch denen mitgetheilt werde, die das hochwürdige Sacrament in beider Gestalt geben und nehmen. Und da das bei den Bischoffen zu erhalten, soll man sich das Oelen in solcher Ordination nicht anfechten lassen; doch daß man dem Oelen nicht zumesse oder zulege, daß dadurch einige Wirkung göttlicher Gaben oder Gnaden gegeben werden.

## Von der Messe.

Man soll in Städten alle Tage Messe halten und das Volk communiciren, und da keine Communicanten wären, soll die Messe gleichwohl mit christlichen Gesängen durchaus gesungen. Also soll es an den Feiertagen auf den Dörfern und in kleinen Städtlin auch gehalten werden. Auch sollen in Städten, da das vorhin gewest, die horae canonicae gesungen werden.

Die Legenden und Historien der Heiligen, dergleichen hymni und Sequentiae de tempore et sanctis sollen übersehen, und welche rein, nützlich und der Schrift gemäß seyn, die sollen dem Volk gepredigt, und die Sequentiae und hymni gesungen werden. So soll man auch die Casel, Alben, Diacken, Chorrock und andre Kirchenkleidung, wie sie in diesen Landen an meisten Orten bisher unabgethan blieben, im Brauch behalten. Dergleichen die andern gewöhnlichen Ceremonien mit Läuten, Lichten auf dem Altar, Bilden etc. gehalten werden. Es wird vor ehrlich und gut angesehen, daß sich die Pfarrherrn und Kirchendiener mit den Kleidungen, auch sonst mit Zucht und Wandel, priesterlich und ehrlich halten, und unter sich selbst, mit Zuthun und Rath der Bischoffe oder Consistorien, Ordnung machen, und darob halten, daß mit der Kleidung zwischen Kirchendienern und weltlichen Personen Unterscheid vermerkt, und dem priesterlichen Stande, wie billig, seine Reverenz möge gegeben werden, und soll ein jeder Achtung geben auf seinen Pfarrherr, Prediger und

Kirchendiener, auch auf ihre Lehre und Wandel, und was Mangels sie befinden dem Bischoff oder Consistorio anzeigen, welche die Unrichtigkeit abschaffen sollen.

### *Vigiliae.*

Dieweil die Vigilien mehren Theils durchaus reine christliche Gesäng von der Auferstehung etc. und andre aus der heiligen Schrift haben, soll jetzt betracht werden, ob nicht dieselben zu halten zu Erinnerung unsers Sterbens und der verheißenen gewisser Auferstehung, zu Trost und Mehrung unsers Glaubens, und, nachdem etliche responsoria derselben Gesänge nicht rein, daß die übersehen, und ihnen der Schrift gemäß geholfen werde.

### Feiertage.

Die Sonntage und andre gewöhnliche Feiertage der Hauptfeste, der Geburt Christi etc., Ostern, Pfingsten, Stephan, Johannis, innocentum, Beschneidung Christi, der dreier [Könige] Feste, Donnerstag und Freitag in der Karwochen, Apostolorum, Pauli conversionis, Iohannis baptistae, Magdalenae, Decollationis Iohannis, Michaelis, Angelorum, und die sonst in diesen Landen bräuchlich, sollen einträchtiglich gehalten werden mit christlichen Gesängen, Predigen und Ceremonien.

### *Processiones.*

Zu bedenken, ob und wie die processiones, und welche möchten gehalten werden.

### Fleisch Essen.

Am Freitage und Sonnabend, auch in der Fasten, soll man sich Fleischessens enthalten, und daß solchs als eine weltliche Polizei und Ordnung gehalten werde, nicht als ein Gottesdienst oder Werk, das verdienstlich sey, und daß solchs auf den Predigstühlen dem Volk klar angezeigt und berichtet werden, doch das diejenigen, die die Noth entschuldigt, als da seyn harte Arbeiter, wandernde Leute, schwangere Weiber, Säugammen, Kinder, Alte und Kranke, hiemit nicht verbunden seyn.

---

(*Addere liceat ex Actis synodicis* p. 280. *haec:*)

„Wie nun diese Schrift — von neuen gestellt und gebessert, und den Theologen abermals übergeben, und gefragt worden, ob die dermaßen, wie sie jetzund eingeleibet, zu dulden seyn wollte, sind die Theologi auf voriger ihrer Antwort beharret, und haben ferner, nicht schriftlich sondern mündlich von folgenden Artikeln Erinnerung gethan:

Erstlich für nothdürftig angesehen, daß die Adiaphora, die man sich zu bewilligen erböte, so viel möglich, specificirt würden.

Item, daß der Ordination halben mit den Bischoffen geredt würde.

Item, daß die Kirchengesäng, so die Alten gebraucht, als hymni, Sequentiae etc. emendirt würden, so viel deß noth, dergleichen historiae et Legendae sanctorum.

Item, daß man trachte auf eine Forme publicae poenitentiae.

Und daß die Pfarrherr fleißig ermahnet werden, das Volk zum Gebeth, Buß, nüchtern Leben, Fasten und Beichten, und die Litanei zu halten; daß auch die Pastores ermahnt werden, sich mit ihrem Wandel ehrlich und züchtig zu halten und dem Volk gute Exempel zu geben, und daß die Superintendenten den Pastoribus anzeigen, daß sie ihre Pfarrleute in gemein oft ermahnen, von Lastern abzustehen, und daß sie auch diejenigen, so in sündlichem Wesen und Lastern liegen, das sey heimlich oder öffentlich, für sich erstlich allein, und, da es nicht hilft, in Gegenwart ihrer Diacon, erfordere, und ihnen anzeige, daß sie sich bessern und ablassen, mit Bedrauung, da sie das nicht thun, wolle er sie dem Consistorio oder Bischoffe vermelden, und sie endlich durch den christlichen Bann aus der Gemein schließen.

So wollte auch wohl zu bedenken seyn, ob und wie man die Gesänge der Meß halten wolle, wenn keine Communicanten vorhanden.

Letzlich, dieweil alle diese Sachen, so ihnen fürgetragen, und derhalben sie vorhin schriftlich, und diesmal mündlich Antwort und Erinnerung thäten, wohl zu berathschlagen, und in so kurzer Zeit und von so wenigen, die erfoddert, nicht zu schließen: haben sie fleißig erinnert, daß man diese Sachen nicht übereilen, mehr Zeit darzu nehmen, und mit den andern Pastoribus, den fürnehmsten, die Dinge communiciren wolle."

(Iam Mauritius Elector iussit, ut Theologi d. 16. Nov. iterum in claustro Zella convenirent, ut uberius ea de re cogitarent, et conventus Torgensis dimissus est.)

---

**No. 4391.** **19. Oct. Torgae.**

## *Io. Marcello.*

Ex Manlii farrag. p. 302.

*Clarissimo viro, D. Ioanni Marcello, Collegae et amico suo charissimo, Philippus Melanchthon* S. D.

De adolescente, qui furtum fecit, audivimus decretum esse, ut *Argeliam* *) transvehatur; haud dubie *διὰ τὸν βασανισμόν*: inquirent, quos

---

*) i. e. *Torgam.*

Habuerit subornatores et socios delicti, quale sodalitium, qui sermones *θρυλλοῦνται ἐν πλήθει* *). Nosti, quam sunt in hoc genere diligentes aulae. Deinde delictum eo maius est, quia in arce factum est: et muneri Principis et xenio reginae dato manus iniectae sunt: et illud Homericum meministi:

*Δεινὸν δὲ μένος βασιλήϊον ἐστὶ βλάπτειν* **).

Itaque cum frustra nos deprecaturos iudicarem, et aliquid turpitudinis et suspicionis habitura deprecatio videretur: omittendum esse censui. Discat iuventus, non semper eludi posse legem, quae minis et metu poenarum coerceat errantes impetus. Et vult Deus in poenis politicis nobis omnibus proponi commonefactiones. Cedamus igitur voluntati Dei et legibus, et Deum oremus, ut nos regat, et has exiguas et miseras Ecclesiae suae reliquias servet. Deliberationes hic fuerunt honestae, ne Ecclesiae turbentur instauratione vitiosorum rituum, ut coram narrabo. Spero etiam, nos hodie iter ingressuros esse, quod narrabis hospiti nostro *Hieronymo Stauden*, amico et viro integerrimo: cuius animum in hoc luctu ut a moerore omnibus officiis et suavitate sermonum abducatis, magnopere vos hortor. In ea re ad vestra officia meum studium adiungerem, si isthic essem. Nunc absens Deum aeternum, Patrem Domini nostri I. C., conditorem generis humani et Ecclesiae, oro, ut nunc adfirmet, se inter moerentes, qui ipsum invocant, habitare: servet et regat Hieronymum, et coelesti laetitia pectus eius exsuscitet. Electionem magistratuum Academiae opto faustam et felicem esse. Bene vale, 19. Octobris, Anno 1548.

---

**No. 4392.** **21. Oct.**

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 498. (edit. Lond. lib. II. ep. 526.).

### *D. Ioachimo Mollero*

**S. D.** Tueamur etiam hoc literarum officio coniunctionem nostram, ut minus videatur esse dissipationum. Primum autem oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, ut te in consiliis reipublicae, ad quae significas te vocatum esse, gubernet, ac spero ipsi curae esse, et fore suos coetus. Sicut *Irenaeus* inquit: *Semper adfuit generi humano Filius Dei, ut videlicet Ecclesiam inter tumultus Imperiorum custodiret.* Ac discamus et Ecclesiam, et nos in Ecclesia non humanis tantis consiliis servari, sed a filio Dei custodiri. De *Tielmanno* scias me nihil unquam scripsisse praeter proximas literas, quas ad Senatum misimus, cum quidem ipse satis blande ad pastorem Ecclesiae nostra scripsisset. Quod autem in ea epistola mentio fit responsi, in quo sit explicata quaestio de descensu ad inferos, id fuit ante biennium a pastore scriptum, ac missum ad Academiam *Griphswaldensem*, non ad pastores *Hamburgenses*. Erravit igitur pastor cum literas proximas ad senatum scriberemus, quas cum misisset, re diligentius cogitata, postea primum agnovit errorem. De causa non volui pronunciare, meique consilii responsionem tibi coram mallem narrare. Et fuit servandum illud: *μηδὲ δίκην δικάσεις, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Ea, quae de republica nunc ferebantur, inclusi pagellae, quam addidi his literis, quam potes et aliis amicis ostendere. Salutem opto honestissimo viro patri tuo, et toti familiae: fratris studia ut recte instituantur, curabo. De mensa etiam tempus in consilium adhibebimus. Bene et feliciter vale. 21. Octob.

---

**No. 4393.** **23. Oct.**

## *Georgio Princ. Anhaltino.*

Epist. lib. II. p. 205. (ed. Lond. lib. II. ep. 197.).

### *D. Georgio Principi in Anhalt*

**S. D.** Reverendissime et Illustrissime Princeps, Optandum quidem esset, C. V. manere in gubernatione Ecclesiarum viciniae vestrae, propter multas causas. Sed tamen quid spei esset ignorabam. Petivit autem a me commendationem hic *Blasius Alemanus*, natus in oppido *Lucca*, qui diligenter docuit iuventutem *Dessaensem*. Nunc vero ducta uxore in *Dessa*, mallet in Ecclesiastica functione servire. Fuit auditor noster triennium, et bene

---

*) Manl. mendose: *τρυλλουνται ἐν πλιθά.*

**) Videtur Melanchthonis animo obversatus esse versus Odyss. π, 401. . . . . *δεινὸν δὲ, γένος βασιλήϊον, ἐστὶν, κτείνειν* h. e. grave, formidolosa res est, regiam sobolem interficere: mutavit autem ille rei apposite *κτείνειν* in *βλάπτειν*: *μένος* autem sphalmati typographico haud dubie originem debet. [Nota *Lunzii.*]

doctus est, et valde modestus, ut etiam honesti viri in *Dessa* testantur. Quaeso ut C. V. iam, aut cum primum occasio erit, commendet ei, vel Ecclesiae alicuius gubernationem, vel Diaconi functionem. Spero, Deo iuvante, pie et utiliter serviturum esse Ecclesiae Dei. Nam eruditione recte instructus est, et mores sunt tales, ut mentem vere amantem esse pietatis, et accensam vera fide, indicent. Oro igitur, ut C. V. rationem eius habeat. Post reditum meum ex *Torga* accepi literas ex multis regionibus. Ex *Westphalia* pulsi sunt pii concionatores, et scholae gubernatores, et restituuntur ibi prorsus veteres abusus, etiam contra librum *Augustanum*, et palam hoc ibi dicitur, librum illum non pertinere nisi ad nos, ut initium sit restituendi veterem statum. Sed Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis, et resuscitati, qui condidit genus humanum, et inde colligit sibi aeternam Ecclesiam, et sua immensa misericordia misit Filium, et promissiones edidit, non sinet extingui lucem Evangelii sui. Bene et feliciter valeat Celsitudo Vetra. Die 23. Octobr. 1548.

---

No. 4394. 24. Oct.

## Eidem.

Beckmanni Accession. hist. Anhalt. p. 115.

### *Georgio, Principi Anhaltino.*

Reverendissime et Illustrissime Princeps. Et fui magno in dolore discedens Torga, quia video, quo spectent aulae consilia, et metuo nostrarum Ecclesiarum dissipationem, et auxerunt mihi iam dolorem literae Dn. *Iulii*; qui significat, se misisse nobis suam sententiam, ut pedibus in eam iremus sine disputatione. Me non delectant contentiones de oblatione, sed tamen videndum est, quid pastores praecipui recepturi aut probaturi sint. Saepe metui hunc scopulum de sacrificio, ut coram C. V. dixi. Postquam enim removent manifestum errorem adversarii de Sacrificio pro peccato, sequetur admodum obscura disputatio; An tamen necessaria sit oblatio? Haec noluit explicare *Lutherus*, et reliquit posteritati non leve certamen. Respondendum tamen Dn. *Iulio* esse censeo, et cepi scribere de sacrificio quam moderatissime, ipsa horridiora, quae metuit C. V. etiam ipse omittere decreveram. Quod autem C. V. putat profuturum esse conventum et ibi statuendum, quid ad extremum defensuri simus, ego potius metuo eius conventus certamina et exitum; Nec ibi disputandum erit, quid retinere velimus, nam aula non vult sibi imponi onus aut periculum ulla defendendi dogmata, Nec ego eos onerabo defensione vel mei Corporis, vel mearum sententiarum. Si potest obtineri propter communem tranquillitatem ne turbent Ecclesias, libenter in his regionibus adiuvabo Studia, et hunc confessum fovebo; sed si mutationes fuerint pastoribus praecipuis graves, non ero adiutor, et vel exilia, vel supplicia potius sustinebo. Scio me, cum praesertim fuerim in ea parte, quae victa est, non debere nec posse leges victoribus ferre, sed tamen non propterea ut transfuga aliud genus doctrinae amplectar, et oro Deum ut me regat. Aulicae ironiae et occultationes augent mihi sollicitudinem et dolorem, si hoc praecipue spectant, ne Imperator irritetur, Credo facile eis esse benevolentiam eius retinere, si nunc duas res aut tres instituerent, ut ritum utilem et sanctum *Confirmationis*, in quo facerent examen iuventutis, et professionem. Item ritum Excommunicationis et poenitentiae publicae. Item ineptias de abstinentia Carnium. Quid opus est nunc addere ritus Missae, cum tot aliae urbes et gentes nondum eam mutarint, sed animadverto, non solum hoc agi ut Imperatorem habeant placatum, sed multo magis, ut privatam Missam prorsus restituant. Quod si volunt fieri, optarem id eos aperte dicere. Nam scio me ipsis non debere leges ferre; Discederent igitur, quibus illa Ecclesiarum mutatio displiceret. Quaeso ut C. V. cogitet de tribus illis rebus, quarum feci mentionem. Ego mittam meam deliberationem C. V.

Historica haec habeo: *Vesaliae* simpliciter restituitur forma doctrinae et rituum Papae, et expulsi sunt omnes Pastores et Gubernatores Scholarum, quae doctrinam puram Evangelii, propagarunt. Cumque Civitas peteret, ut tamen ipsis concederetur, ut sequerentur formam libri Augustani, responsum est, eum librum non pertinere ad regiones, in quibus non ubique recepta sit doctrina Lutheri. Haec certa sunt. Cur igitur iactitant aliqui, librum Augustanum initium esse propagandi Evangelii apud alias gentes? Corruptela potius est obtrusa nobis. Bene ac feliciter valeat C. V. Die 24. Octobris.

No. 4395. 8. Nov.

## Georg. Ficino.

† Ex autographo Philippi Melanth. in cod. Goth. fol. 380.

*Venerabili et docto viro Dmno Georgio Ficino docenti Evangelium in Ecclesia Freystadiensi, amico suo.*

S. D. O aerumnosam Ecclesiam, quae subinde non solum externis odiis oppugnatur, sed etiam intestinis discordiis concutitur. Magnopere te oro, ut fugias omnes occasiones rixandi cum tuo collega. Si te vocat ad senatum, breviter et moderate exponito rationem tuae sententiae aut facti, ac dicito, te malle discedere, quam Ecclesiae istic rixas excitare. Causae, de quibus scribis, quam sunt futiles. Quid disputat de tecto calice, aut de relicto cantharo? Verba ad id pertinent, quod ad usum confertur. Nam sacramenta vere sunt in usu instituto sacramenta, ut aqua extra usum non habet sacramenti rationem. Deinde de vocatione ac missione facilis est responsio. Dic, te libenter cessurum esse, si nolint, te ministerio fungi. Quod si volunt, hoc ipsum est vocare. Nescio quam sit eruditus tuus collega, et quale sit ingenium. Ideo nihil de eo iudico. Sed de tam parvis ne tu quidem cum eo litigare debes, ut de prehensione panis. Magnopere te oro, ut moderate et graviter doceas utilia, et studeas, concordiam istic retinere aliqua pia moderatione tua. Bene vale. Die 8. Novembris.

Philippus Melanthon.

---

No. 4396. (8. Nov.)

## Aegidio.

† Ex apogr. in cod. Goth. in fol. no. 260. p. 208b.

*Fragmentum ex epistola Philippi ad Aegidium Pastorem Lignicensem*).*

Hortatus sum, ut diaconus in docendo modestiam et prudentiam adhibeat, eligat utilia de poenitentia, fide, beneficiis Christi, bonis operibus, de usu sacramentorum, nec alienet mediocres absurda defensione localis praesentiae Christi in pane extra usum sacramenti. Nam sacramenta tantum in usu sunt sacramenta; cum utimur sacramentis agnoscimus, nobis adesse Christum et efficacem esse. Aderat et patribus, ut Iohannes inquit: *omnia per ipsum facta sunt.* Nam ipse perpetuo belligeratur cum diabolo, quare et nobis adest. De hac praesentia dicatur, si quando de usu sacramenti dicendum erit. Papisticae opiniones de inclusione corporis durabili extra usum, de circumgestatione, reiiciantur.

*) Quum legamus in ep. Mel. d. 22. Iul. 1549. scripta, Aegidium propter controversiam ab ipso motam a Duce Lignicensi dimissum esse, puto, hanc ep. anno 1548., scriptam esse. Ducem Lignicensem alium quaesivisse pastorem intelligitur ex epist. d. 15. Maii 1549. scripta. Hanc controversiam autem mense Nov. cum diacono Freystadiensi actam esse, ex ep. d. 8. Nov. scripta intelligitur.

---

No. 4397. (11. Nov.)

## Al. Alesio.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54¹.

*Ad Alexandrum Alesium.*

Charissime *Alesi*, etsi nondum est prorsus tranquillitas in Germania, tamen cum ad Albim castra essent, colloqui per literas de nostra amicitia et sententiis nostris solebamus. Nunc cum minus hic sit tumultuum, silentium tuum miror. Meus certe animus idem est qui fuit antea. Non doctrinam, non amicitiam mutavi nec mutabo. Quaeso igitur, ut multa scribas. Mitto tibi etc. *).

P. M.

---

No. 4398. 11. Nov.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 609. (ed. Lond. lib. IV. ep. 749.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario Pabergensi, fratri suo cariss.*

S. D. Etsi quotidie magis contabescit *Caspar***) ἀτροφία, tamen mens valet, nec omittit Ptolemaei lectionem. Et cum foris celum aliquandiu contemplatus est, laetus ingreditur ad filium Dei, et

*) Videtur esse epistola de qua loquitur Melanthon in epist. seq. ad Camerarium.

**) *Cruciger.*

Ecclesiam, sese, et studia publ. et alias res bonas Deo ardentiss. votis commendat. Haec officia cum sint in hac vita summa, nunc quidem vivere vere existimandus est. Sed nobiscum optarim eum diutius vivere posse. Valde delectatus est et amore *Pauli* affinis, et munere, nam potu utcunque sustentatur. Orat autem Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi conditorem generis humani, et Ecclesiae suae, autorem foederis coniugalis, ut assit coniugio *Pauli* et affinis suae, quod quidem et antea probavit et nunc probat. Viro clariss. D. *Schofelio* litteras etiam se missurum esse dixit.

De itinere nostro scito me quidem malle vobiscum *) proficisci, sed pastor nostrae Ecclesiae non vult iter ingredi ante diem Mercurii. Conveniemus igitur, ut ratiocinor, in *Oschazio.*

Orat *Caspar* ut *Paulus* post desponsationem huc veniat, ut donec conceditur, colloquantur. *Alesio* mitto litteras conterranei, scriptas in Hibernia. Bene vale, die Martini. Salutem opto et Ecclesiae tuae domesticae et amicis omnibus.

Philip. Mel.

---

No. 4399. 11. Nov.

## *Testimon. Georgio N. datum.*

† Ex apogr. in cod. Monac. 88. no. IV. p. 69b. et cod. Monac. 90. no. VII. p. 846.

### *Testimonium Georgii Berlinensis.*

Gratias agimus Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Chr., conditori generis humani et Ecclesiae suae, qui immensa misericordia propter filium semper conservat Ecclesiam, in qua vere invocetur et colligat haeredes vitae aeternae. Et ut in his quoque regionibus colligat et servet Ecclesiam diutius, toto pectore oramus. Curent etiam hi, qui praesunt, ut vocentur homines ad docendum idonei, et accedat exploratio doctrinae, propter quam cum ad nos vicini mittuntur, decet officium nostrum, eis in eo genere non deesse.

Literas autem huc attulit vir honestus et doctus *Georgius N.* Berlinensis, quae testabantur, eum ad ministerium Evangelicum vocatum esse, et mores eius pios et honestos esse. Cum igitur rogati essemus, ut explorata eius eruditione adderemus publicam ordinationem, diligenter eum audivimus, et comperimus, eum studiose didicisse universam doctrinam Ecclesiae, et recte tenere summam pietatis christianae, et amplecti puram Evangelii doctrinam quam et Ecclesia nostra uno spiritu et una voce cum catholica Ecclesia Christi profitetur, ac a fanaticis opinionibus, damnatis iudicio catholicae Ecclesiae eum abhorrere. Promisit etiam hic *Georgius* in doctrina constantiam, et in officio fidem et diligentiam. Quare ei iuxta doctrinam apostolicam publica ordinatione commendatum est ministerium docendi Evangelii, et sacramenta a Christo instituta administrandi iuxta vocationem. Cumque scriptum sit de filio Dei ascendit, dedit dona hominibus, prophetas, apostolos, pastores, doctores etc. precemur ardentibus votis, ut suae Ecclesiae gubernatores det idoneos et salutares, ac efficiat, ut huius *Georgii* ministerium sit efficax et salutare. Commendamus etiam ipsum *Georgium* Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. *Andreae Musculo*, doctori Theologiae, Pastori Ecclesiae Dei in inclyta Academia Francofordiana. Speramus enim, hunc *Georgium*, cum sit eruditus et pius, magno usui fore Ecclesiae, et filium Dei, dominum nostrum I. C. oramus, ut Ecclesias in his regionibus servet, et ita gubernet, ut ipsum vere invocent et celebrent, et in concordia perpetua vere unum sint in Deo, sicut et in agone suo dominus noster I. C. ipse precatus est. Datae Wittenbergae die S. Martini Episcopi. anno 1548.

---

No. 4400. 14. Nov.

## *Alberto Duci Pruss.*

Edita in Fabri epist. p. 154 sqq. ep. 46.

### *Alberto, Duci Borussiae.*

S. D. Illustrissime et clementissime princeps. Celsitudini vestrae reverenter ago gratias, tam benigne me istuc invitanti. Et verum est, me non solum in variis periculis hic ad Albim esse, sed vix etiam laborum molem sustinere posse, qua oneratus sum. Verum hactenus ab Academia et ab hac coniunctione virorum doctorum qui mediocri concordia utiliter servierunt multis regionibus

---

*) Ad Consentam, ad quem etiam vocatus erat Camerarius.

in docendo, non volui discedere, video autem crescere pericula. Cumque status Academiae incertus sit, et tamen prosit esse aliquos bonos et eruditos viros, titulo et gradu Doctorum ornatos, fui hortator *Melchiori Isindero* Suidnicensi, ut peteret Gradum Doctoratus theologici. Scimus mores eius honestos esse et natura facundus est. Hoc ornamentum cum accedat ad eruditionem, libenter et iudicio Pastoris nostri doctoris Pomerani, ornatus est gradu doctoratus. Et Celsitudinem vestram reverenter oramus, ut consilium nostrum adprobet et sumptus benigne solvat. Adhuc dei beneficio in Ecclesiis harum regionum nulla facta est mutatio. Sed in aulis multi sunt, qui fieri mutationem cupiunt. Celsitudini vestrae exhibebit doctor *Melchior Isinderus* propositiones de quibus hic disputavit, et orationem habitam in promotione.

Magister *Erasmus Salveldensis* Mathematicus iam dei beneficio Tabulas motuum valde utiles et artificis opus, absolvit ac editionem adornat. Celsitudinem vestram oro ut haec mathematum studia, quae magnum sunt ornamentum naturae humanae, et vitae necessaria sunt, eo libentius adiuvet, quia plurimi ea negligunt aut certe eam partem amant, quae non continet fontes doctrinae. Magister *Erasmus* fontes doctrinae illustrare studet.

Vir doctus et honestus est *Christophorus Langner* *) Goldbergensis, quem arbitror Celsitudini vestrae notum esse, offert Cels. v. suam operam in Ecclesiastico munere, et dedidit se studio theologico. Ideo ut ex doctore Melchiore Cels. v. intelliget, auxilium a Cels. v. reverenter petet. Deus servet Cels. vest. incolumem. Datae 14. Novemb.

Cels. v.

addictus
Philippus Melanthon.

---

No. 4401. 14. Nov.

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 711 sqq.

*Michaeli Meienburgio, Consuli Northusano,*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Video, vos valde angi, et excruciari curis de Ecclesia et de pace, sicut hoc tempore passim multi honesti homines excruciantur. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, ut mentes nostras regat, et flectat nos ad salutaria consilia, quia profecto sapientia humana non est par tam obscuris rebus, et futuris prospiciendis. Simplicissimum consilium adhuc esse iudico, ut nondum faciatis mutationem, cum nec *Marchio*, nec Dux Saxoniae *Mauritius*, ne vicinus Episcopus *Meideburgensis* adhuc ullam mutationem fecerint. Sed metuendus est adventus Imperatoris, ut assidue et nostra Aula clamat. Si veniet, certe non contentus erit Imperator parva mutatione. Et eadem pericula erunt omnium, sive fecerint aliquam exiguam mutationem, sive prorsus nullam fecerint, sed tolli volet omnes eruditiores. Ita remotis doctioribus volet prorsus restituere omnes abusus. Haec pericula Deo commendo, et spero, impediturum esse hos conatus. Forma vestrae Ecclesiae non multum in ceremoniis recessit a veteri more. Ideo non est opus insigni mutatione apud vos. Si edictum de cibis proponere vultis, potest hoc fieri, postquam sciemus aliquid de vicinis. Iam erit deliberatio in *Cella*, et eo vocati sunt Pastores praecipui. Quicquid intellexero, statim significabo vobis. Quae sint voluntates in Aula, utcumque animadverti. Ego etsi moderatione mediocri semper eis respondi: tamen non adsensi adhuc, ut mutationem in doctrina aut Missa ullam probarem. Nec ero approbator.

Mitto pagellas recentissimae disputationis *), et orationes, quae ostendunt, vocem doctrinae apud nos eandem esse, quae fuit ante bellum.

Si Episc. *Moguntinus* citaverit vestros Pastores, sinite, ut Pastores ipsi respondeant, si non admittere has citationes, et propter pericula non posse comparere. Scio, in vicinia Noribergensi etiam citatos esse Pastores, et Senatui Noribergensi Pastores illos eam rem indicasse. Sed respondit Senatus, ne compareant, nisi ipsis iubentibus. Quid postea acciderit, nescio. Sed

---

*) Christoph Langner erhielt auf diese Fürbitte ein jährliches Stipendium von 80 Gulden und in der Folge wurde dasselbe vermehrt. Ueber des Mathematikers Reinhold Werk wird bei dem 50sten Briefe [vid. Ep. d. d. 9. Sept. 1549.] mehreres beizubringen Gelegenheit seyn. [Faber.]

*) Isinderi d. 8. Nov. 1548. Vid. Eberi quaest. Acad. p. 85.

videbitis, non diuturnam fore hanc Episcoporum superbiam et tyrannidem *). Illa calamitas Ecclesiae maior metuenda est, quod, etsi non futura essent bella, paucissimi solide eruditi Ecclesiis praeerunt. Et obscurata luce doctrinae qualis erit status Ecclesiarum? sive multum, sive parum sit ceremoniarum, de quibus saepe rixantur homines, sine vero iudicio. Sed semper haec fiunt in mundo: praecipua negliguntur, et magis curantur alia minus principalia. Et populus multum movet ceremoniis, quia incurrunt in oculos. Ideo mihi nec ante placuit, nec nunc placet fieri non necessarias mutationes in ceremoniis. Sed scribam vobis plura, cum rediero ex *Cella*.

Nuncium detinui, quia duae promotiones Doctorum his diebus fuerunt, quae me impedierunt, ne statim responderem, praesertim cum dubitarem etiam, quid scriberem. Bene et feliciter valete. Deus servet vos, et honestissimam coniugem vestram, et dulcissimos liberos incolumes. Die 14. Novembris.

Philippus.

---

**No. 4402.** (h. t.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 600 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 741.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario Paberg. fratri suo carissimo,*

**S. D.** Et grata est hoc praesertim tempore, assiduitas mihi tua in scribendo, et utilis. Nam me non rudem accedere ad deliberationes ad quas vocamur, refert. Etsi mirificae sunt occultationes voluntatum et consiliorum, et ut expertus sum, per ambages longe aliud quaeritur et exculpitur, quam quod ostenditur. Alienissima est mea natura ab illa tota consuetudine. Itaque multo ante discessissem, nisi me caussae illae retinuissent, de quibus nuper colloquebamur. Viderer *προκρίματι καταδιαιτᾶν τοῦ ἄρχοντος*, fortassis et initium id esset maioris dissipationis. Expecto igitur exitum harum deliberationum, et Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi oro, ut nos gubernet. Erit fortassis aliquando tempus, quo piis et doctis, de Ecclesiae doctrina integre colloqui licebit. Nec tyrannis quam constituere conantur isti novi *ἁρμοσταὶ*, diuturna erit. Aiebat nuper quidam conspirasse *τοὺς ἱερέας τε καὶ ἄρχοντας, καὶ νομικοὺς, καὶ κενταύρους* *), ut tollant e medio scholasticos *χραγέτας*. Acerba oratio est, et speranda sunt meliora. Sed Deo haec curae erunt. Bene vale. Deus aeternus pater domini nostri Iesu Christi servet te et tuos incolumes.

Phil. Melanth.

*) Sic A. D., sed Saubertus tantum: *episcop. iram.*

---

(*Melanthon proficiscitur ad Conventum Cellensem d. 15. Nov.*)

---

**No. 4403.** 16. Nov.

## *Eberus ad Melanthonem.*

† Ex apographis in cod. Goth. 190. p. 261. et cod. Goth. 401. p. 82 b. In cod. Goth. 128. ep. 99. prima delineatio epistolae manu Pauli Eberi facta habetur, simul cum inscriptione, quae ab apographis abest.

*Reverendis ac doctissimis viris ac Dominis Iohanni Bugenhagio Pomerano, Georgio Maiori et Philippo Melanthoni, S. theologiae doctoribus, suis dominis praeceptoribus etc.* [*in Conventu Cellensi*].

**S. D.** Coepi hodie meis auditoribus dictare quosdam breves aphorismos de excolenda et iuvanda memoria; sed eiusmodi haec sunt tempora [1]), ut, quod legimus optasse Themistoclem, oblivionis quam memoriae artem malle debere videamur. Quae enim potest esse cuiusquam natura tam fortis et firma quam non tam crebrae tamque exiguis intervallis quasi simul ingruentes publicae privataeque calamitates, quales aliquamdiu experti sumus, vehementer debilitent atque moerore frangant? Etsi autem a multis iam diebus non potuimus non timere, ne optimus vir D. *Caspar Cru-*

*) Nobiles. C. W.

1) *haec sunt tempora*] Prima scriptura Eberi, qui epistolam concepit, habet: *casus eveniunt.* Multa in describendo Eberus iterum mutavit, ut docent apographa, quae hic indicare omnia inutile esset. Nam emendavit et passim amplificavit scripturam primam.

*ciger* subita morte nobis eriperetur, cum essent in eo omnes vires corporis non prostratae, sed quasi extinctae exceptis cerebri actionibus, quae ad extremum usque halitum manserunt vegetae et admirandae; tamen multae sunt causae, cur nos eius obitus acerbius, quam dici potest, hoc tempore contristarit, quem ut vobis mature significaremus nostri officii ratione et amore vestro, quo hunc virum, ut dignus fuit, semper estis prosequuti, movebamur.

Sciatis igitur, sanctissimum[2]) virum hodie statim post auditam sextam horam pomeridianam tradidisse animam suam Christo, cui illam toties nobis adstantibus et audientibus piis precibus commendavit. Is hesterno die abhinc, ut nunquam[3]) ab eiusmodi operis cessabat, cum versione opusculi *Lutheri* de ultimis verbis Davidis finem imposuisset, laetatus est, et se deinceps aliquandiu quieturum ab eiusmodi laboribus dixit. Sed noctem, quae sequuta est, et ipsius mortem proxima antecessit, valde inquietam egit propter somnium, quod hodie aliquoties conquestus est atrocissimum fuisse, et qui illi dormienti per noctem assederunt *Casparus* filius et D. *Iohannes Bavarus*, narrarunt illum tanquam vehementer iratum dentibus frenduisse, et, cum difficulter alioqui et languide membra totius corporis moveret, caput in utrumque latus celeri motu aliquoties contorsisse more illorum, qui cum magna[4]) indignatione iniquam aliquam petitionem semel[5]) recusant. Cumque filius et alii ex illis gestibus animadverterent, eum angi in somnio, clara voce, ut soliti erant antea, illum appellarunt, sed excitare non potuerunt, donec postea ipse evigilavit.

Hodie accedente ad ipsum M. *Georgio Rorario* et deinde M. *Froeschelio* circiter horam nonam, etsi vox etiam[6]) imbecillior erat propter difficilem spirationem, tamen erupit in haec verba: *O M. Froeschel, wie ein erschreckliche, grausame Disputatio hab ich heut im Traum gehalten.* Cum *Froeschelius* rogasset illam sibi exponi, respondit: *ich kanns nicht sagen*[7]). Postea tamen, quum aliquantulum respirasset, dixit: *sie wollten mich überreden und darüber absolviren, es sollte keine Noth haben, und mir nicht schaden*[8]). *Sed ego contradixi, ego contradixi, hoc protestor.* Hoc verbum aliquoties ab eo repetitum est alta voce, quod contradixerit. Omnes qui tum illic cum *Froeschelio* affuerunt, audiverunt. Cum *Froeschelius* eum esset consolatus, et suum quoque recens somnium quoddam narrasset, subinde repetiit illam vocem: *o wie hab ich eine Nacht gehabt mit der Disputatio. Ich kanns nicht sagen. O Herr Gott behüt mich davor.*

Deinde hora prima a *Froeschelio* reverso petiit absolutionem peccatorum suorum sibi annunciari[9]), qua audita ardenter oravit pro Ecclesia crebris gemitibus et complicatis manibus, iisdemque, ut potuit, sublatis haec Christi verba aliquoties iterans: *pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas; fac, ut sint unum in nobis.* Deinde taciturus[10]) iacuit usque ad quartam, ubi eum rursus consolante *Froeschelio* ad postremam illius orationem nutu comprobatam submissa voce dixit: Amen.

Paulo post quintam horam[11]) agonis initium fuit, et iacuit ita, ut non ederet vocem, sed tamen[12]) manu sua comprimens aliquantulum manum *Rorarii* praeeuntis oratione et cantantis[13]), ostenderet, se quae dicerentur et fierent intelligere, sibique illud postremum officium gratum esse. Circiter sextam horam post paucos singultus cor ferientes intra manus suorum quasi obdormiscens, placide decessit, circa quod tempus aut non multo ante ratiocinantur aliqui vos ingressos esse τὴν Μάνδραν.

Hunc vitae exitum habuit vir propter varietatem et excellentiam donorum et egregias virtutes nunquam satis laudandus. Cui quidem gratulandum est, quod praesentibus et impendentibus malis ereptus est, sed nobis acerrimum dolorem reliquit, nunc maxima indigentibus tanti viri opera

2) Prima scriptura: *piissimum.*

3) Cod. Goth. 190. *nusquam.* In prima scriptura haec non leguntur.

4) *magna*] in cod. Goth. 190. non legitur.

5) *semel*] cod. Goth. 401. et prima scriptura; sed cod. Goth. 190. *simul.*

6) *etiam*] cod. Goth. 190. *eius.*

7) Scriptura prima: nicht alles sagen.

8) und mir nicht schaden] in prima scriptura non leguntur.

9) *annunciari*] cod. Goth. 190. *communicari.*

10) Sic cod. Goth. 401. et prima scriptura; sed cod. Goth. 190. *taciturnus.*

11) *horam*] in cod. Goth. 190. praetermissum est.

12) Cod. Goth. 190. *tantum* pro *tamen*, quod cod. Goth. 401. et scriptura prima habent.

13) Sic cod. Goth. 190. et prima scriptura; sed cod. Goth. 401. *praetereuntis et cantantis orationem.*

et auctoritate. Sed meretur fortassis ingratitudo nostra hoc, ut nobis ante tempus iustum eiusmodi doctores eripiantur, quorum obitus immaturus certius mihi signum irati Dei videtur esse quam ulla prodigia, quorum haec aetas, ut nulla alia, feracissima est.

Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi toto precamur corde, ut quos reliquos habemus praeceptores, vos et caeteros pios Christi ministros, nobis longo tempore incolumes conservet, vosque tueatur et regat, doceat et confirmet in ista deliberatione Spiritu suo sancto, ut ea consulatis et statuatis, quae ad ornandam gloriam Dei, ad tuendam puri verbi professionem, ad aedificandas, coagmentandas et confirmandas Ecclesias tum vestras, tum alias, et ad salutem posteritatis pertinere cernetis.

Non possumus etiam hoc vos celare, nobis visum[14]) esse conveniens, ut defuncti D. *Crucigeri* exuviae reponantur iuxta ossa D. *Martini Lutheri*, cuius discipulus, imo filius dilectissimus fuit, et in cuius scriptis communicandis ac propagandis ad postremam usque vitae suae diem fideliter laboravit, ut eius ossa in arcis templo adventum filii Dei expectent, quo in loco multas salutares conciones de beneficiis Christi habuit. Hoc consilium nostrum speramus vobis probatum iri*).

Vestrae familiae Dei beneficio bene habent, et vobis salutem adscribi mandarunt. Salutant vos etiam collegae nostri omnes. Oramus vos quoque ut nostro nomine salutetis illustrissimum principem *Anhaldinum*, *Ioachimum Camerarium* et caeteros omnes Dei ministros in *Μάνδρᾳ* collectos. Datae die 16. Novembris ad multam noctem, 1548.

Paulus Eberus.
Georgius Rorarius.

---

14) *visum*] cod. Goth. 401. *vobiscum*.

13) Script. luterb. zum Gebeth, Almosen und Fasten.

14) und den Gliedern] script. luterb. und Glied.

15) in] non habet script. luterb.

16) Script. luterb. erhöret, mendose.

17) Script. luterb. gefällig, ex mendo.

18) Script. luterb. addit: aber.

19) Script. luterb. addit: im Namen des Herrn.

20) Script. luterb. mendose: euch erleuchten.

21) mag] script. luterb. soll.

22) Gebeth] script. luterb. Bethen.

ausrichten, auf vorgehende Präsentation der Patronen, mit christlichen Ceremonien ordinirt, und keiner zu den Kirchen Ämpten zugestattet[23]) werden, er sey denn, wie gemeldt, von den Patronen präsentirt, und von den Bischoffen zugelassen, damit sich niemands ungebührlich in die Kirchenampt dringe, oder unordentlich einsetzen lasse. Und daß auch[24]) die Bischoffe hinfürder die Schein Examina, dadurch viel ungelehrter und ungeschickter Leut zu dem Seelsorgen und Kirchenampten zu schädlicher Beschwerung der Gewissen zugelassen, abschaffen, und in allwege durch sich selbst und mit Rath, Beiseyn und Zuthun gottförchtiger gelehrter Leute, die Ordinanden, und sonderlich die, welche durch die Patronen zu den Kirchenämptern angegeben und präsentirt, mit Ernst und Fleiß verhören und examiniren, damit sie ihrer Lehre, Verstands, Lebens und Wandels also geschickt und tüglich befunden, daß sie die Heerde des Herrn rechtschaffen mit Gottes Wort weiden, mit Lehre und gutem Exempel vorseyn und ihrem Ampt vorstehen können.

## Von der Ehe.

Die Ehe soll in diesen Landen nach Gottes Einsetzung bei allen Ständen gehalten werden.

## Von der Messe.

Die Messe soll hinfürder in diesen Landen gehalten werden mit Läuten, Lichten, Gefäßen, Gesängen, Kleidungen und Ceremonien. Die Priester und Ministranten sollen an Orten, da der Person genug sind, in ihren gewöhnlichen Kirchenkleidern und Ornaten ehrlich vor den Altar gehen, anfänglich das Confiteor sprechen, und daß man singet den introitum, das Kyrie eleison, das Gloria in excelsis Deo und Et in terra etc., Dominus vobiscum, die Collecta, die Epistel und die jetzt angezogenen alles lateinisch. Und wenn die Epistel zu Latein gesungen, alsdann soll sie auch dem Volk deutsch vorgelesen werden: das Graduale, das Halleluia, der Sequenz oder ein Tractus[25]) nach Gelegenheit der Zeit und Feste. Das Evangelium lateinisch gesungen, und dem Volk deutsch vorgelesen. Das Credo in unum Deum und das Patrem vermöge des Symboli ganz, wie es in Stiften bräuchlich. In Pfarren, da nicht Stift seyn, mag man das Graduale, die alten deutschen Lieder singen; zu Weihnachten: Ein Kindelein so löbelich. Zu Ostern: Christ ist erstanden. Zu Pfingsten: Nun bitten wir den heilgen Geist etc. Und für das Patrem: Wir gläuben all an einen Gott etc. Die Predigt des Evangelii. Das Dominus vobiscum. Oremus. Offertorium. Praefatio. Sanctus. Consecratio[26]). Pater noster deutsch. Agnus Dei. Communio und Reichung des Sacraments. Communicatio oder Nießung[27]). Collecta. Benedictio.

## Bildere.

Die Bilder und Gemälde des Leidens Christi und der Heiligen soll man auch in den Kirchen halten, und das Volk lehren, daß sie alleine Erinderung[28]) seyn, und an diese Dinge keine göttliche Ehre gewendet werde. So sollen auch zu den Bildern und der Heiligen Gemälde kein abergläubischer Zulauf geschehen noch verhängt werden.

## Gesänge in den Kirchen.

Man soll die horas canonicas, die gottseligen Psalmen in den Stiften und in Städten in den Kirchen, da es vorhin gehalten ist, singen, von der Zeit, auch von den[29]) Sonntagen und andern hohen Festen. Also soll man auch die alten gewöhnlichen Gesänge de tempore und Hauptfesten halten. Die Gesänge in und nach dem Begräbniß sollen gehalten werden auf Ansuchen derer, die es begehren, zu Gedächtniß der Verstorbenen und unserer verheißenen und gewissen Auferstehung.

## Feiertage.

Die Sonntage. Der Geburtstag des Herrn. S. Steffenstag. St. Johannis Evangelistä[30]). Die Beschneidung des Herrn. Der heiligen dreier König Täg. Die Ostern mit zweien folgenden Tagen. Die Auffahrt des Herrn. Die Pfingsten mit zweien folgenden Tagen[31]). Corporis Christi. Die Feiertage der heil. Jungfrau Maria. Die Tage der heiligen Apostel. St. Johannis Baptistä. St. Mariä Magdalenä. Sanct Michael und etliche andere, darauf man allein Kirchenfeier mit Predigt und Messe und Communicanten[32]) hält, als: Conversionis Pauli, Decollationis Iohannis. Donnerstag, Freitag und Sonnabend in der Karwochen.

## Fleischessen.

Am Freitag und Sonnabend, auch in der Fasten, soll man sich Fleischessens enthalten, und daß solchs als

23) Script. Iuterb. zugelassen.
24) Und daß auch] script. Iuterb. Es sollen.
25) *Tractus*] script. Iuterb. *Cantus*.

26) *Sanctus*, *Consecratio*] non leguntur in script. Iuterb.
27) und Reichung — Nießung] non habet script. Iuterb.
28) Script. Iuterb. eine Erinnerung.
29) von den] script. Iuterb. an.
30) St. Johannis Ev.] script. Iuterb. non habet.
31) Die Auffahrt — Tagen] exciderunt ex script. Iuterb.
32) Script. Iuterb. Communion. Et sic etiam Interim Lips.

eine äußerliche Ordnunge, auf der Kais. Maj. Befehl gehalten werde; doch daß die, welche die Noth entschuldiget, als da sind harte Arbeiter, wandernde Leut, schwangere Weiber, Kindbetterin, alte schwache Leut, Kindere, hiemit nicht verbunden seyn.

### Wandel der Kirchendiener.

Es wird für ehrlich und gut angesehen, daß sich die Pfarherr und Kirchendiener mit der Kleidung, auch sonst mit Zucht und Wandel priesterlich und ehrlich halten, und unter sich selbst mit Zuthun und Rath der Bischoffen oder Consistorien Ordnung machen, und darob halten, daß [man] mit der Kleidung zwischen Kirchendienern und weltlichen Personen Unterscheide vermerke*), und dem priesterlichen Stande, wie billig, seine Reverenz möge gegeben werden.

Und soll ein jeder Achtung geben auf seinen Pfarherr, Prediger, Kirchendiener, auch auf ihre Lehre und Wandel, und was Mangel sie befinden, dem Bischoff oder Consistorio anzeigen, welche die Unrichtigkeit abschaffen sollen.

---

No. 4410. 21. Nov. (Cellae.)

## *P. Ebero.*

† Ex apographo Bavari Vol. I. p. 1081. Collata cum apogr. Dresd., quod nobis contulit Cl. Gersdorf., et cum cod. Monac. 90. no. VII. p. 293 b. et cod. Mon. 66. p. 79.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Paulo Ebero, fratri suo cariss.*

S. D. Cum collegam et honestorum[1]) laborum socium, in quo multae magnae virtutes fuerunt, amiserimus, non dubito, vos omnes magno in dolore esse multis de causis. Sed *dolor meus* eo[2]) maior est, quia mihi vetustissima cum eo familiaritas fuit. Libere cum eo de omnibus dogmatum involucris, non aliter atque mecum disputare poteram, et cum esset in eo summa iudicii dexteritas, rectissimas[3]) sententias una eligebamus. Saepe me et in explicatione doctrinae et in consiliis monebat ipse; saepe eum et ego monebam, et tota coniunctio nostra ad Ecclesiae et Academiae utilitatem, non ad ullum privatum fructum, referebatur. Nunc eo abducto a nobis, dimidium mei amisi; nec tantum mea causa doleo, quantum reipublicae causa excrucior. Recitabam lacrymans ea ipsa hora, qua mortuum esse scribitis *Ascanio*, quanta fuisset imbecillitas, cum iter ingrederemur; sed non vacat nunc prolixius scribere. Miror cur putes mihi displicuisse τὸν συμβουλευτικὸν λόγον, quem *Georgio* dedisti. Ego vero illam ipsam ὀρθότητα, quam tueris, amo et probo. Et quod ad me attinet ab ea in mea confessione non discedam. Aliis timidioribus non possum tam fortia consilia praescribere[4]). Ac hodie exhibemus apologiam adversus criminationem, in qua politici illi sapientes queruntur, nos patriae faces et ἀλάστορας esse, ac privata pertinacia nolle de sententiis nostris cedere. Spero tamen exitum deliberationum mediocrem fore, quem ut Deus gubernet, nobiscum vota facite. Iter ingressuros nos esse ratiocinor post biduum. Bene et feliciter vale. Pater orphanorum, Deus aeternus, conditor coeli et terrae, una cum filio suo, Domino nostro I. C., et spiritu sancto, custodiat vos omnes, et familias nostras et Ecclesiam oppidi nostri, quae profecto multis modis oppugnatur. Ac, si in his tantis periculis servabitur, illustre testimonium praesentiae Dei erit haec ipsa cymbae nostrae conservatio, quam ut servet filius Dei oro, ut veritati et suae gloriae opem ferat. Datum Cellae Mysorum[5]), die 21. Novembr.[6]) anno 1548.

Phil. Melanth.

---

*(Rediit Melanthon Witebergam.)*

---

No. 4411. (fere d. 26. Nov.)

## (*Laudes Crucigeri.*)

† Ex apographo in cod. Monac. 66. p. 226

---

*) Script. Interb. vermerkt.

1) Cod. Dresd. *honestissimorum.*

2) Cod. Mon. 66. *et.*

3) Cod. Mon. 66. *rectissime.*

4) *Recitabam lacrymans* etc.] in cod. Mon. 66. sunt praetermissa.

5) *Dat. Cell. Mys.*] non habent cod. Dresd. et cod. Mon. 90. — In cod. Mon. 66. post *opem ferat* adduntur haec: *Multos in Germania velut Ate liber Augustanus excruciat; multi reiiciunt istam Aten. Liber Augustanus non sanabit discordias, sed, metuo, classicum erit magnorum motuum in Ecclesia.*

6) Cod. Dresd. 29. *Nov.*

*Dispositio Philippi Melan. data Petro Lotichio ad componendum Epiced. Caspari Crucigero* *).

Alme Deus, leni iram, poenas, exaudi vota, respice lachrymas nostras, nec prorsus deleri nos sinat, serva naufragii nostri tabulas. Quanta enim bella passi sumus, bello vastata est regio, simul cum bello grassata lues. Postea etiam in coetu doctorum multi extincti; sed funus tristissimum est *Caspar*, qui fuit decus non tantum huius scholae sed totius patriae. Nam ingenii acies et vis fuit excellens.

*Studia.*

Didicit linguas facillime, latinam, graecam et hebraeam, et perfecte didicit, ut nemo melius de eis iudicaret. Postea addidit doctrinam physicam, norat herbas, naturas corporum, norat scripta Galeni et aliorum. Nec contenta vis ingenii harum praesentium rerum cognitione coelestes motus etiam cognovit. Ipse spectabat loca stellarum, ubi solis fuit motus et in ariete et libra, quo in loco incurreret luna in umbram terrae. Sed hoc maius decus fuit, quod haec ipsa naturae adspectio movebat eum, et vere sentiret esse mentem opificem et rectricem. Quaerebat igitur veram de Deo doctrinam, quam Ecclesia tradidit. Norat scripta prophetarum et comitum Christi, et fugit fanatica deliramenta. Ac sapienter diiudicabat rerum doctrinas, et profuit multis et in scholis et in templo.

*Singularis laus.*

Ipse praecipue adiuvit Lutherum in vertendis prophetis; ipse fuit censor et Aristarchus Plinii sermonis. Edidit et alia multa Lutheri et propria scripta utilia piis. Talis cum esset iuvenis, nondum attigisset decimum lustrum **), mortuus est. Atque ipse quidem beatus est, quia et vita fuit sine labe, et moriens in invocatione filii Dei discessit, et saepe testatus est, se constanter probare doctrinam Evangelii, quam aliis proposuisset. Erat et mens laeta in ipso agone spe coelestis vitae, nec sibi quicquam dulcius esse dicebat quam cogitare eum conspectum filii Dei et dulcissima colloquia patrum. Adeoque tranquillus erat animus, ut tunc quoque in morbo studia doctrinae non omitteret. Vidimus saepe legentem Ptolemaei volumen de motibus astrorum, et cum diu coelum foris contemplatus erat, ingressus est intra aulam coelestem et cum filio Dei collocutus ipsum orabat, ut servaret suos coetus, nec sineret extingui lucem Evangelii. Saepe etiam filios audiebat recitantes doctrinam et preces. Etsi autem nos magnum decus amisimus, tamen Deo credamus et precemur, ut nostros coetus conservet.

*) Epicedion ex praescripto Melanth. factum a Lotichio legitur in Scriptis publicis T. I. p. 230.

**) In Lotichii Carmine leguntur:
— — *melioribus occidit annis*
*Vix numerans vitae lustra peracta novem.*

---

No. 4412. 28. Nov.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 611. (ed. Lond. lib. IV. ep. 751.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Deo aeterno patri domini nostri Iesu Christi conditori generis humani et Ecclesiae suae gratias ago, quod et te et Ecclesiam tuam domesticam servat, et ut semper vos regat et custodiat, toto eum pectore oro. Domi epistolas de multis rebus inveni, ἀλλὰ τὰς περὶ τιμάργου [1]) κακοηθείας, odiosissimas. Ego vero nunc in hac confusione Ecclesiarum non solum cura rerum praesentium, et posteritatis excrucior, sed multo magis etiam dolore, fontes horum malorum [2]) considerans. Controversiae caeterae, Dei beneficio, ita diiudicatae sunt, ut ἐνάργεια καὶ πληροφορία in hominibus sanis sit sine ulla dubitatione. Una quaestio heret et herebit περὶ λειτουργίας.

Audio in itinere esse nuncios Pannonios, qui de Ecclesiis suis nobiscum deliberaturi sint. Patebit igitur nobis Graecia, si hinc migrandum erit.

De *Matthaeo Ireneo* litteras, quas *Achati* missurus sum, prius tibi iudicandas mittam. *Cramius* in aula mentionem fecit alterius adolescentis modesti, ἀλλ' οὐ σύμβλητ' ἐστι κυνόσβατος οὐδ' ἀνεμώνα, πρὸς ῥόδα. Optarim propter doctrinae propagationem in schola *Irenaeum* esse, qui

1) Islebii. C. W.

2) Liber impr. *malevolorum*, quod mendum habeo.

natura amat operas scholasticas. Bene et feliciter vale. IIII. Cal. Decemb. Salutem opto vobis omnibus.

Philippus Melanth.

---

No. 4413. 29. Nov.

## Laur. Mollero.

Epist. lib. p. 450 sq.

*Laurentio Mollero.*

S. D. Charissime Laurenti. Laudo pietatem tuam, quod hoc tristi tempore avidior es lectionis Psalmorum, ut te et consolatione erigas, et ad petendum a Deo auxilium exuscites, sicut vox divina saepe praecipit. Nec sunt irriti gemitus piorum. Servabit DEUS Ecclesiae reliquias, etiamsi ab iis, qui tenent imperia, non defendentur, et multi magni motus interitum toti generi humano minitantur. Multorum opinio est, *Carolum* Imperatorem moturum esse bellum Elveticum, quod ego semper existimavi, horum motuum *ἐπίτασιν* fore. †Mihi astrologus quidam etiam scribit, Saxonicas civitates libertatem suam fortiter propugnaturas esse*). Nec opinor, Legatos vestros aequas conditiones pacis impetraturos esse. Sed Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, Conditorem generis humani et Ecclesiae, oro, ut defendat hospitia sui coetus, in quo vox Evangelii sonat, et suo umbraculo tegat civitates, sicut texit Israelitas in deserto vagantes. Pericula similia sunt, et videbis aliquanto post ruinas *τῶν νῦν θριαμβευσάντων*.

Mitto tibi Psalterium nondum ligatum**). Nam tarditate artificum fit, ne ligatum mittam. Aliud tamen exemplum tradidi concinnatoribus. Haec a me xenia te habere volo. Bene vale. Die Novemb. penultimo. (Witebergae 1548.)

Philippus.

Mitto et pagellas versuum, ut videas, Dei beneficio, adhuc sonare Musas nostras Dei laudem in hoc misero oppido nostro, Deus mentes nostras gubernet, et studia doctrinae Evangelii et aliarum honestarum artium non sinat extingui. Iterum vale.

*) Addit A. D.

**) Fortasse Psalmos Stigelii collectos. Vid. ep. ad Stigel. d. d. 5. Septb.



No. 4414. 1. Dcb.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 52. (ed. Lond. lib. II. ep. 34.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Talia sunt Ecclesiae Dei pericula hoc tempore, ut fateri necesse sit, non posse nos servari humanis consiliis aut praesidiis. Detracta esse nobis omnia humana praesidia, res ostendit. Nihil reliquum est, nisi pia singulorum confessio et invocatio Dei. Nondum factae sunt mutationes in nostris Ecclesiis, *ἀλλὰ μηχανῶνται πολλά τινες*. Vicinus*) noster iam aperit se clarius, palam inquit privatas missas restituendas esse, nondum tamen restituit. Oremus Filium Dei ut nos adiuvet et regat. Mitto tibi pagellas, quae ostendunt adhuc vocem Evangelii eandem sonare in ecclesia huius Academiae, quam olim audivisti. Bene vale et rescribe. Cal. Decembris. *Crucigerum* Deus eripuit periculis horum temporum.

---

No. 4415. 3. Decb.

## V. Theodoro.

Append. lib. IV. p. 40 sq.

*Vito Theodoro.*

S. D. Meministi dictum in historia Apostolica, *ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν.* Tantisper igitur, donec Deus, vitae autor, retinet te in hac consuetudine et complexu domesticae Ecclesiae tuae, lenito animi moestitiam iis consolationibus, quas Deus Ecclesiae suae tradidit, quas certum est, non inanes sonos esse. Oro etiam Filium Dei, sedentem ad dextram aeterni Patris, *καὶ ἐντυγχάνοντα ὑπὲρ ἡμῶν*, ut vires tibi augeat animi et corporis. Erit ei etiam curae, ut in his fluctibus et Euripis suam cymbam servet, nec sinat extingui lucem verae Noticiae Dei.

*Casparum*[1]) nostrum Deus tandem in Academiam coelestem abduxit. Etsi autem nulli mors eius maiorem dolorem attulit, quam mihi, fuit enim inter nos communicatio omnium sententiarum et consiliorum liberrima. Et poterat ipse

*) Marchio Brandenburg.

1) Crucigerum, sepultus d. 18. Nov. 1548.

δέξασθαι καὶ ἀποδοῦναι λόγους, et me saepe utiliter monuit, tamen et hanc placidam migrationem gratulor. Multis enim tristissimis spectaculis ereptus est. Saepe de te amanter locutus est his mensibus, quibus aegrotavit, literas tuas, quoties accepimus, avidissime legit. Scribam ei λόγον ἐπιτάφιον, in quo multos eius eruditissimos sermones recitabo. Faciam ibi et tuae amicitiae mentionem.

Mitto tibi pagellas disputationis nostrae recentis[2]), et conciunculam recitatam a *Georgio Maiore* in renunciatione gradus. Adhuc quidem Dei beneficio studia doctrinae hic mediocria sunt, quae ut Filius Dei tueatur, toto eum pectore oro. Quid Conventus gentis Mysorum allaturus sit, audiemus. *Cygneae* biduo audiverunt homines digni fide foetum clare eiulantem, quem mater gravida adhuc in utero gestat: Denunciat igitur venturas calamitates, quas Deus mitiget. Bene et feliciter vale. 3. Decembris.

Philippus Melanthon.

Sequens schedula literis praecedentibus inclusa fuit:

Petivit *Geuderus* mitti paedagogum filiis. Misi igitur hunc Magistrum *Iohannem Moibanum*[3]), Doct. *Moibani* Vratislaviensis filium, doctum hominem, et optimis moribus ornatum. Quare tu quoque eum complectere, et ornare studeto.

No. 4416. 3. Dcb.

## *H. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 151 sq. — Contuli autographon in cod. Monac. I. p. 130.

*Clariss. viro — Dom. Hieronymo Baumgartnero, Senatori Noriberg. etc.*

S. D. Καλὸν ἔξω πραγμάτων ἔχειν πόδα, inquit Euripides. Et hoc praesertim tempore multae sunt causae, cur certamina fugienda sint. Non enim tantum saevitia metuenda est, sed alia sunt in hac tanta caligine et confusione opinionum et voluntatum mala inextricabilia, propter quae abdere se in densissimos saltus homines sane mallent, quam interesse deliberationibus publicis, aut regere conciones. Sed tamen necesse est communi hominum societati non deesse. Itaque etsi nec *Osiandri* nec aliorum consilium[1]) reprehendo, qui malunt tranquillius vivere, tamen cum in templis vestris hactenus nihil praeter ἀδιάφορα quaedam mutata sint, iudico pie manere posse concionatores. Feramus quaedam onera, quanquam insuavia, si tamen vox doctrinae corrumpetur, nec recipientur depravationes τῆς λειτουργίας, de quibus optarim posse doctos pie colloqui.

Nunc de paedagogo filiorum *Geuderi*. Mitto ad vos Magistrum *Iohannem Moibanum* Doctoris *Moibani* Vratislaviensis filium, in quo caetera sunt omnia quae postulatis, praeter aetatem. Latine et Graece et in Philosophia et doctrina Ecclesiae praeclare doctus est, et mores sunt casti, graves, pleni officii, et erudiit hic aliquos feliciter. Harum virtutum decus plus ei autoritatis addet, quam aetas. Potuissem mittere alium grandiusculum, sed *Nicolaus* etiam hortator erat, hunc ut anteferremus. Vestro tamen iudicio et arbitrio permittimus et ipse et ego, an ei commendandam esse hanc paedagogiam censeatis.

De *Cunradi Mauseri* haereditate quaeso ut significari eius filiis et consilium tuum cures et quantae sint facultates et quo collocandas esse existimes. Orphanis haec pietas a te libenter praestabitur. Bene vale. 3. Decembris[2]).

Philipp. Melanthon.

No. 4417. 3. Dcb.

## *Andreae Osiandro.*

Ex autographo in Tabulario Regio Regiomontano edita in dem Preußischen Provinzial-Kirchenblatt. 1839. pt. 2. p. 129 sq.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Domino Andreae Osiandro, amico suo carissimo,*

S. D. Non dubito, quin gravem causam habueris tui consilii in abdicando munere concionandi,

2) Isinderi, d. 8. Nov. habitae. Vid. Eberi quaest. acad. p. 85.
3) Ex epist. d. 2. Febr. 1551 intelligitur, Moibanum hoc tempore iterum abiisse. Eum ex Italia rediisse legimus in epist. d. 1. Febr. 1554.

1) Spanh. *consilia*, mendose.
2) Serior manus adscripsit 1548.

ac profecto mihi ipsi hanc foelicitatem optarim, ut prorsus abesse a deliberationibus publicis omnibus possem. Nec me privata corporis mei pericula movent, alia movent maiora. Video ipsa negocia in tanta diversitate opinionum et voluntatum inextricabilia esse, ac libenter tecum de certis materiis colloquerer. Etsi autem nondum scimus, qualis status futurus sit Ecclesiarum in his regionibus, tamen, si mediocris erit, ut spero, optarim te in alterutra harum Academiarum vivere, ubi magno ornamento et usui Ecclesiis esse posses. *Crucigeri* locus apud nos tribui nunc tibi poterit. Scio et Lipsicae Academiae lectorem theologicum queri, teque oro, ut voluntatem mihi tuam significes. Hunc *Moibani* filium, doctum et honestum iuvenem, tibi commendo. Bene vale. 3. Decembris.

---

No. 4418. 4. Dcb.

## *H. Besoldo.*

Epist. lib. V. p. 241 sq. Apogr. in cod. Goth. 212. p. 111 b.

*Hieronymo Besoldo (concionat. Noriberg.)*

S. D. Video multas[1]) honestas causas esse, cur pii homines nunc societatem gubernationis, vel in Politiis, vel in Ecclesiis, fugiant. Nec tantum corporis periculis moventur, sed eo magis, quod vident, Epicuraeos non intueri eum finem in consiliis, quem intuentur ipsi. Frustra igitur pugnant meliores, et interea, dicuntur hostes pacis et tranquillitatis. Quare nequaquam reprehendo consilium soceri tui[2]), quod abdicavit munus concionandi. Sed cum hactenus in Ecclesiis vestris ea tantum mutatā sint, quae ἀδιάφορα esse censentur, optarim, te et aliquot tuos Collegas manere, et interea τὴν δουλείαν ἐπιεικῶς φέρειν, Sumus oppressi iudiciis Potentum, et quid moliantur Epicuraei, videmus. Sed tamen donec Ecclesiae servire possumus, maneamus in statione. Tuo socero[3]) locum *Crucigeri* apud nos tribui optarem. Et arbitror vel Lipsiae, vel hic, si velit honestum locum habiturum esse. Quanquam vides, quae sint tempora, et metuuntur hic quoque mutationes. Sed praesentia agamus: futura Deo commendemus. Mitto tibi pagellas. Bene vale. 4. Decemb.

Philippus Melanthon.

1) Saub. *nullas.*
2) Osiandri. 3) Osiandro.

No. 4419. 6. Dec.

## *G. Buchholzero.*

Manlii farrag. p. 125 sq.

*Reverendo viro, D. Georgio Buchholzer, pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, amico suo charissimo,*

S. D. Reverende vir, et amice charissime. Nec fama nec suspicio est apud nos de pellenda Academia. Sed tamen scimus humana omnia fragilia esse: et nobis accidere posse, quod accidit florentissimis Academiis multis, Hierosolymitanae, Aegyptiae, Antiochenae, ut alias multas omittam. Extant scripta in his tuguriolis, mediocri sedulitate edita, de doctrina Ecclesiae, et de philosophia: quae testabuntur ad posteritatem, quae fuerit tum voluntas docentium in hac Academia, tum vero etiam sententia de multis obscuris disputationibus. Si non alius labor nisi interpretatio Bibliorum hic factus esset, favere his hominibus et parietibus decebat, ubi id opus editum est. Sed omitto haec.

De voto Pauli facilis est responsio. Nequaquam fuit Ethnicum. Deinde in Ecclesia concedo servitutēm etiam insuavem in adiaphoris suscipi posse, propter alios: multae etiam aliorum infirmitates tolerandae. Sed non sunt approbandi errores, aut confirmandi vitiosi cultus, non adiaphori. Dicam de re crassissima: Oleum quomodo consecrant? Exhorresco, cogitans illas pene magicas impietates. Miror cur iactitent hanc pulchram reformationem: cum manifestum sit, in multis locis Germaniae expelli doctos et pios pastores ex suis Ecclesiis: ut in ducatu Wirtembergensi, et in aliis locis, ubi Episcopi suam potentiam exercent. Sed Deus erit iudex. Bene vale: Die Nicolai.

---

No. 4420. 6. Dec.

## *L. Mollero.*

Epist. lib. V. p. 473 sq.

*Laurentio Mollero, gubernanti studia doctrinae Hildesiae.*

S. D. Etsi sunt corycaei, qui nostras excipiunt, et in aulam Imperatoris mittunt, tamen in rebus

manifestis modeste dicemus, quod verum, pium et Ecclesiae necessarium est. Nec profecto iam obscurae sunt voluntates τῶν ἀρχιερέων, qui ut gigantes manifestum bellum coelo inferunt. Idem, quod vester ἀρχιερεὺς molitur, Episcopi faciunt ad Rhenum et Danubium. Ubi possunt, pellunt pios et innocentes Pastores. Tua narratio in posterioribus literis plenior fuit. Ideoque respondimus clarius. Et iudico, piam esse sententiam. Sed certe, si ita pergent furere οἱ ἀρχιερεῖς, magnos motus excitabunt. Oremus autem Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut Ecclesias, in quibus sonat vox incorruptae Evangelii, et earum hospitia defendat. Bene vale. Die Nicolai.

Philippus Melanthon.

---

No. 4421. 10. Dec. (h. a.?)

## Nic. Medlero.

Danz. epp. ad Medler. ex cod. Bav. Vol. I. p. 1058. Nunc ex eodem cod. accurate descripta.

*Dom. Doct. Nicolao Medlero.*

S. D. *Ioachimum* *) iudico honestum hominem esse, et mediocriter callere Grammaticam, et initia philosophiae, eique bene consultum cupio. Sed ne scriberem ad Senatum vestrum, haec est causa, quod nesciebam, quem ei locum in schola velis attribuere. Et tibi deliberandum censeo, ubi eum nunc audieris, et coram loquentem latine ac pronunciantem videris. Saepe eum hortatus sum, ut virium et aetatis rationem haberet, nec distraheret ingenium in diversa studia, sed contentus esset Grammaticis et Dialecticis exercitiis, et adiungeret Theologica. Iudicabam enim propter mores pios et placidos statim ad Ecclesiasticum munus provehendum esse, ac etiamnum iudico magis aptum fore Ecclesiis docendis, quam formando stylo iuventutis, quo in genere scis, quam sint morosa iudicia multorum. Si ceteris collegis praeerit, saepe loquentem reprehendent; nam labitur interdum, vel naturae imbecillitate, vel animi perturbatione, vel quia distractus in varia studia non confirmavit ἕξιν loquendi. Et si in emendationibus scriptionum errabit, non solum ipse ridebitur, sed etiam tuum consilium reprehendetur. Nec tu ignoras *Antonii* *) acumen. Censor est ingeniorum, nec hebes nec oscitans. Quare quid statuendum sit delibera. Sin autem iudicabis, *Ioachimum* mediocriter, sine iusta reprehensione tueri locum, de quo deliberas, posse, non sum dissuasor eius retinendi. Malim autem eum ad Ecclesiastica munera traduci. Nam schola requirit non solum literatos, sed etiam animis excitatiores gubernatores. Bene vale, et rescribe. Die X. Decembris.

Philip. Melanthon.

*) Ioachimus *Gmunder*, artium Mag. (Nota Bavari.)

*) Antonii Nicolai *Amerbachi*. (Nota Bavari.)

---

No. 4422. die brumae, d. 11. Dec.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 567 sqq. — Nuper iterum edita ex autographo (?) in bibliotheca Cygnea, in Hertelii progr. „Stimmen aus der Zeit der Reformation" (Cygneae 1830. 4.) p. 19.

*Michaeli Meienburgio, (consuli Northusano).*

S. D. Intelligo, tres Electores, *Palatinum*, *Saxonicum* et *Marchicum*, communicare inter se omnia consilia de Ecclesiarum mutatione, et velle libri Augustani adprobatores et inceptores esse. *Marchio* nondum quicquam [1]) proposuit de mutatione, etiamsi sermones privati ipsius satis inhumani sunt. Sed ubi Saxonici Ducis decreta probata fuerint: ipse suis subditis etiam proponet fortassis eadem, etsi nunc audio Canonem ab eo emendari, et misit Saxonico, nescio, quas de Canone disputationes.

*Cellae* deliberatio mediocris fuit de mediis ceremoniis. Sed an intra has metas mansura res sit, dubito. Video, machinationes artificiosas fieri, quas tamen tempus patefaciet. Ac mirum est, sapientes, qui non sunt prophani, velle inflectere Ecclesias ad Episcoporum et Papae voluntatem, cum manifeste [2]) augeant adversarii crudelitatem. *Cellae* ostendi Consiliariis Coloniensia acta in recenti Synodo. Erant decreta sanguine scripta. Et arbitror Moguntina, quae nondum vidi, non fore mitiora. Sed consilia quorundam Politicorum virorum alias res magis curant [3]),

1) Hertel: *quidquam*.
2) Hert. *quum manifesto*.
3) Saub. *curat*, ex mendo.

quam conservationem verae et incorruptae doctrinae. Omnium controversiarum aliarum diiudicatio perspicua est, et evidens est [4]) veritas earum sententiarum, quas docemus. Nec possunt adversarii speciose contradicere: Tantum de Missa aliquid obscuritatis haeret, et cur haereat, multi boni et eruditi norunt, qui hanc Ecclesiae calamitatem assiduis gemitibus deplorant.

*Osiander* in Prussiam proficiscitur laetus, qui abdicavit munus concionandi [5]). Nec discedit propter recentes mutationes: sed propterea, quia de Missa videt, secuturas esse disputationes difficiliores.

Dei beneficio filius recte valet, et discit, et simul studia Philosophiae et eloquentiae, et doctrinae Christianae colit. Pro muneribus vestris, vino et mortario, vobis gratias ago, etsi profecto nollem, vos tantos sumptus mea causa facere. Fortassis etiam nova migratio impediet, ne frui vino possim. Sed Deo aeterno, Patri Domini nostri Jesu Christi, et Ecclesiam et me commendo, ac oro eum, ut vos et honestissimam coniugem vestram, et dulcissimos liberos vestros servet incolumes. Bene et feliciter valete. Die Brumae.

Clariss. et integerrimo viro, Dn. Doctori Matthaeo, salutem opto.

Philippus.

---

**No. 4423.** die brumae, d. 11. Dec.

## *M. Collino.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.*

S. D. Doctissime et cariss. Colline. Quod in patria in munere honestissimo docendi sedes mediocriter tranquilla tibi contigit, magnum Dei beneficium est, quem oro; ut te servet et regat, et faciat te σκεῦος ἐλέους salutare tibi et aliis multis. Nostros labores spero Ecclesiae prodesse ad intelligendas praecipuas partes doctrinae Ecclesiasticae; sed pro his laboribus exilia vel supplicia nobis expectanda sunt. Hactenus Academiolae nostrae mediocria studia fuerunt, ut pagellae ostendunt, quas subinde mitto; ἀλλὰ τὸ μέλλον ἕρπει τυφλόν. Spero tamen et deinceps Deo hanc Ecclesiam curae futuram esse. *Crucigerum*, ingeniosissimum virum, Deus in coelestem Academiam abduxit. Pro muneribus vestris tibi et *Adamo* gratias ago. Bene vale. Die Brumae 1548.

---

4) *est* Saub. posuit post *veritas*.
5) *concionandi*] Saub. *docendi*.

**No. 4424.** 11. Dec.

## *Georgio Princ. Anhaltino.*

Beckmanni Accession. hist. Anhalt. p. 18.

*Georgio, Princ. Anhaltino.*

Illustrissime et Reverendissime Princeps. Vocatus sum ad *Iuterbog*, nec significant literae, de qua re deliberatio futura sit, nec qui sint futuri socii aut antagonistae; Suspicor autem *Marchicos* eo venturos esse, et *Islebium* nobis allaturum medicatum Canonem. Itaque multae causae sunt, cur ex his insidiosis actionibus extricare me cupiam. Hoc agitur, ut paulatim implicemur, quasi omnes articulos reiiceremus. Postea ad statas ditiones referetur, mea adprobatione omnia recipi; idem proponetur pastoribus. Quales autem fremitus erunt, si nos cum *Islebio* videbimur? Haec iudicia non contemno, deinde revera etiam abhorreo ab his fucosis actionibus, quia manifestum est, quaeri ut priores abusus restituantur et confirmentur. Est et ipsa disputatio de oblatione talis, de qua cum doctis et bonis oportebat sincere conferre. Magna res est; peto igitur, ut Celsit. V. mihi significet, an et ipsa vocata sit, et an existimet, me recte facturum esse, si ad hunc conventum accessero. Bene valeat C. V. Die Brumae.

Cel. V. addictus.
Phil. Mel.

---

**No. 4425.** 16. Dec.

## *Scriptum Theologorum in conventu Iuterbocensi.*

Editum in Actis synodicis latin. p. 856. et ex iisdem repetitum in Mel. Consil. lat. T. II. p. 60—72. Apographa, inter se convenientia, in cod. Monac. 90. No. VII. p. 328. ubi inscribitur: „*de sacrificio seu missa*", et in cod. Monac. 66. p. 144. Apographa in multis a textu Peuceri in Actis synod. discedunt, qui passim quaedam uberius exposuit, quaedam vero etiam praetermisit. Puto, Peucerum quum scriptum ediderit, quaedam ex arbitrio, Melanthone hoc permittente, mutasse. Simile scriptum iam

supra d. 20. Maii 1541. legimus. — Quod ad conventum Iuterbocensem attinet, Principes Electores, *Mauritius* et *Ioachimus*, convenerunt Iuterboci d. 16. Dec., ut de sacris ex praescripto Caesaris mutandis deliberarent. Arcesserunt Episcopos, Iulium Pflug, Naumburgensem, et Georgium Anhaltinum, Merseburgensem, et ex Academiis Melanthonem, Pfeffingerum et Camerarium, denique Dan. Gresserum, Pastorem Dresdensem. A Theologis ibi nihil actum est, nisi quod, ut promiserant in conventu Cellensi, sententiam suam de Canone et Chrismate uberius exposuerunt in scripto quod hic legitur, quodque lingua latina exaratum fuit.

*Refutatio et explicatio Sophismatum recentiorum, quibus privatarum Missarum, et Canonis blasphemiae idololatricae pinguntur. Scripta a Philippo Melanthone in Conventu Iuterbocensi.*

Ingens multitudo sacerdotum in toto orbe Christiano, omnibus fere seculis veteribus et recentibus, ceremonias missae servavit, neque cogitans, neque intelligens, quid ageret, sed propter consuetudinem illa praescripta fecit, sicut pueri recitant dictata, sicut in suis sacrificiis fecerunt sacerdotes Levitici et Ethnici. Cumque talis placrunque sit et fuerit, et futura sit multitudo, facile intelligi potest, saepe magnam multitudinem in loco ordinario in Ecclesia magnis erroribus et peccatis pollutam esse. Nec excusanda est multitudo praetextu huius dicti, *Ecclesia non errat.*

Aliqui vero docti, sed tamen superstitiosi, Missam cogitarunt esse sacrificium pro peccato, mereri facienti, et aliis remissionem. Et sic multi docuerunt et cumularunt errores. Extant enim libri praecipuorum scriptorum Thomae, Scoti, et aliorum, qui testantur, hanc fuisse doctrinam ordinariam temporum multorum. Imo sic multae precationes et Canonis verba loquuntur. Tantae tenebrae cum essent, et plurimi [1]) tamen ventris et quaestus caussa sacrificarent, mota mentione abusuum Ecclesiasticorum, etiam de hac profanatione Coenae dici necesse fuit, praesertim cum extet manifesta comminatio, *Qui indigne sumit, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

Primum igitur Ethnica inscitia et negligentia taxata est maximae multitudinis, quae nec curat, nec scit, nec cogitat, quid agat. Quid est enim indignius, quam adferre tantam negligentiam ad illud mirandum opus, quod voluit filius Dei pignus esse suae praesentiae, et suorum beneficiorum?

1) *plurimi*] Pez. *multi.*

Deinde evidenter ostensum est, hoc opus non esse sacrificium pro peccato, hoc est, non mereri remissionem peccatorum facienti aut aliis. Quia tale sacrificium est unicum, obedientia filii Dei in passione sua tota et morte, sicut scriptum est: *Unica oblatione consummavit sanctos.*

Haec sententia adeo evidenter vera est, ut omnes non profani et mediocriter instituti assentiantur. Et liber Augustanus manifeste hanc sententiam recipit. Quare fatendum est, late grassari posse errores in Ecclesia, cum haec persuasio, quae velut idolum est, tam diu in magna parte hominum haeserit.

Sed non satis fuit abusus taxare, addi doctrinam et de vero usu necesse fuit.

Et hanc fideliter addidimus. Secuti sumus narrationes in Evangeliis, et antiquae Ecclesiae consuetudinem. Manifestum est institutam esse distributionem et sumtionem, et cum sumtio sit Sacramentum, necessario facienda est ad hunc finem principalem [2]), sicut de Sacramentorum usu in adultis universaliter sentit Ecclesia, quod mens [3]) sumentis intuens in hanc sumtionem moveatur, ut credat, se recipi propter filium Dei, et membrum fieri filii Dei, quia hoc testimonio ostendit filius Dei, nos sibi adiungi tanquam membra, et nos ablui suo sanguine.

Non meretur tunc sumtio remissionem, nec prodest ipsa sumtio sine fide, et ut loquuntur, ex opere operato, sed multo ante sacrificium factum est ab ipso filio Dei, quod merebatur remissionem. Nunc testimonium exhibet in hoc ritu, sicut et in voce Evangelii, aut in absolutione, quod credens te recipi propter sacrificium antea a filio Dei factum, vere recipiaris [4]), et vere sis membrum. Et hanc sumtionem vult crebro fieri, ut saepe commonefacti, firmius statuamus, nos esse membra filii Dei.

Hoc modo fit applicatio promissionum propria fide, et consolatio est piae menti gratissima, in qua consolatione simul Spiritus sanctus in corde est efficax, et accendit nos, ut firmius statuamus nos exaudiri, et ardentius invocemus, etc.

Quod autem ad hunc finem principaliter instituta sit sumtio, manifestum est ex verbis, quae iubent sumere, et simul admonent nos de remis-

2) Codd. *principaliter.*
3) Pez. sic: *Ecclesia. Mens*, praetermisso *quod.*
4) *vere recipiaris*] codd. Mon. non habent.

sione peccatorum, et nobis exhiberi seu applicari beneficia filii Dei testantur, hic est sanguis novi Testamenti, qui pro vobis effunditur. In Testamento nobis exhibentur bona. Et quidem institutio pariter pro tota Ecclesia facta est. Idem fructus est ministri sumentis, et aliorum.

Accedunt autem ad hunc principalem finem alii, Invocatio, Gratiarum actio, Confessio. Nam hoc facto in publico coetu ostendis, te esse socium huius Ecclesiae, approbare hanc doctrinam, et eundem Deum invocare. Ipsi etiam sumentes intelligunt, foedus inter sese fieri, et se obligari ad mutuam dilectionem, quia sunt eiusdem corporis membra.

Concurrunt ergo haec opera omnia, Concio de beneficiis filii Dei; consecratio continens recitationem verborum Evangelii, quibus Coena instituitur; distributio et sumtio corporis et sanguinis Domini; invocatio seu oratio ad Deum, petens remissionem propter sacrificium propitium [5]) filii Dei; fides applicans; gratiarum actio, in qua mens laeta accedens ad Deum, invocat eum, subiicit se ei, et celebrat eum voce, confessione, et moribus. Hoc modo de pie sumentibus loquitur Cyprianus: *Pietas inter data et condonata se dividens, gratias agit, tam uberis beneficii largitori*, id est, pietas intuetur data et condonata, hoc est, confert inter se magnitudinem beneficiorum Dei, et magnitudinem nostrorum malorum, mortis, et peccati, et agit gratias.

Haec opera omnia collective vocat antiquitas sacrificium seu oblationem. Et quidem non intelligunt veteres sacrificium pro peccato, sed, ut nunc aliqui loquuntur, sacrificium commemorativum, seu sacrificium laudis, id est opus, in quo Deo tribuimus honorem proprium divinitati, quo testamur, hunc esse Deum, quem sic colimus. Nam haec est vera definitio sacrificii in genere. Et quanquam scriptores veteres saepe improprie loquuntur, tamen constat, eos plaerunque totam actionem nominare sacrificium.

Ita monstratus est verus usus Coenae Domini, et in concionibus doctrina de vero usu Sacramenti, et de sacrificio saepe repetitur, ut auditores non solum intelligant, quid ibi agendum sit, sed etiam recte et pie utantur Sacramento, id est, petant ibi consolationem in vera poenitentia, et sibi applicent fide beneficia Christi, ac simul sacrificent, hoc est, invocent, et agant gratias.

Horum operum, sacerdos est inchoator, *καὶ ἔξαρχος*, nomine universae Ecclesiae agit gratias Deo, quod miserit filium, et mirandum decretum de redemtione patefecerit, etc. Postea et bona petit propter filium nomine Ecclesiae. Et populus audiens hanc publicam gratiarum actionem, et petitionem adiungit sua vota. Haec fiunt convenientius, quam in latino aut graeco Canone, ubi praecipua pars precum consumitur in hac impia et blasphema petitione, ut minister digne offerat. Imo petitur etiam, ut haec oblatio sit accepta, quasi sacerdos petat pro filio Dei. Item, multa miscentur de sacrificio pro peccato. Item, vix tenuiter aguntur gratiae pro principali beneficio, scilicet quod miserit filium. Et profecto Canones illi satis confusas, et ieiunas recitationes continent, ut postea dicetur.

Cum igitur in nostris Ecclesiis omnia fiant in Coena Domini vera reverentia, quae sunt expressa in verbis Evangelii, et quae sunt de substantia Sacramenti et sacrificii, nec taxanda est consuetudo nostra, nec debet mutari.

Sed haec, quae hactenus recensuimus, nequaquam satisfaciunt adversariis, qui clamant, nos horribili impietate mutilare divinum ritum. Principalem partem operis omitti dicunt, *πάρεργα*, inquiunt, facitis, *ἔργον* omittitis.

Tollitis ex Ecclesia Dei iuge sacrificium, de populi communione loquimini, non de proprio sacerdotis opere, quod quidem est principalius, videlicet, quod sacerdos dicit, offerimus pro aliis. Hanc oblationem, in qua applicari aliis merita filii Dei per sacerdotis opus dicunt, adeo necessariam esse Ecclesiae contendunt, ut sine ea negent populo prodesse passionem Christi.

Etsi autem duae quaestiones sunt, altera de oblatione simpliciter, offerimus tibi filium: altera de applicatione: tamen haec posterior de applicatione, nunc praecipuus est controversiae status, quia quaerunt sacrificium aliis profuturum seu applicandum. Et Canon dicit, *Offerimus pro aliis.*

Olim docuerunt, Missam mereri remissionem aliis etiam nihil agentibus. Id cum minus absurdum sit, detrahunt Missae hanc personam, et induunt aliam priori vicinam, sed quae minus agnosci potest. Fit igitur haec disputatio obscurior. Sed teneant pii firma et perspicua fundamenta haec.

5) *propitium*] Pez. *proprium*.

*Unica oblatione filius Dei consummavit sanctos, et ea oblatio applicatur singulis propria fide et usu Sacramentorum.*

Haec manifesta sunt. Iam si addunt: Sed non prodest Christi sacrificium, nisi applicet sacerdos hac oblatione. Quid hoc aliud est, quam praeter illud Christi sacrificium, et haec sacrificia sacerdotum necessaria esse, nec una oblatione sanctificari electos?

*Secundo sumtio singulorum instituta est, ut fide sua quinque sibi applicet. Non igitur applicat sacerdotis oblatio.* Quid est enim propria sumtione opus, si applicatio fit alieno opere?

*Tertio nihil addendum est vel detrahendum testamento filii Dei. Nulla fit autem mentio vel oblationis, vel applicationis pro aliis in ipso testamento, ac potius contrarium praecipitur. Quia ita vult nos membra fieri, cum ipsi sumimus. Non est igitur principalis pars huius ritus haec applicatio, quam in oblatione fieri dicunt.* Nam dicere, principalem partem non esse institutam expresso verbo, et tamen de παρέργῳ tradi expressum verbum, quanta erit absurditas? Retineamus igitur, quod institutum est. Fiat applicatio, sed propria fide, et propria sumtione, ut ratio Sacramentorum docet. Removeatur opinio, sacrificium filii Dei inane esse, nisi simul accedant sacrificia sacerdotum. Ne quidem Levitica sacrificia hac opinione facienda erant, sed erant, ut postea dicam, signa docentia bonos et malos. Interea pii commonefacti his signis, applicabant sibi promissiones propria fide, et utebantur his spectaculis, tanquam Sacramentis.

*Quarto certissimum est, in novo Testamento nullam ceremoniam esse sacrificium*, ut vulgo loquuntur, *ex opere operato.* Nam expresse dictum est, *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate. Ac ne quidem Levitica sacrificia vere erant sacrificia tantum ex opere operato. Et tamen cur fieri oportuerit a bonis et malis, postea dicetur. Non igitur ceremonia oblationis sacrificium est. Quare nec applicat aliis merita Christi.* Nec veteres scriptores, Irenaeus et Augustinus, cum oblationem nominant, de applicatione eam intelligunt. Imo et Canon graecus non applicationem, sed gratiarum actionem intelligit, cum oblationis mentionem facit.

Et considera, quid sequatur? si opus sacerdotis applicat: Distrahitur fiducia in haec duo, in oblationem a filio Dei factam, et in sacerdotis sacrificium.

Nunc argumenta consideremus, quae videntur nobis adversari.

*Omnibus aetatibus inde usque ab Abel fuit sacerdotium certum, et eius sacerdotii certum sacrificium. Sint igitur et nunc certum sacerdotium, et certum sacrificium.*

Etsi scimus, discerni hic tempora, tamen seposita [7]) paulisper hac explicatione, quid fuerint typi? Respondemus, verum esse totum argumentum dextre intellectum. Est enim unicum sacerdotium perpetuum, et sunt in eo sacrificia vera, non typica, uniusmodi, et Sacramentorum usus similis, etiam si picturae in ipsis Sacramentis differunt. Summus sacerdos semper est filius Dei, caeteri sacerdotes quolibet tempore sunt Doctores Evangelii, et custodes ceremoniarum, ut singulis temporibus ordinatae sunt, et vera sacrificia offerunt cum Ecclesia, invocationem, fidem, gratiarum actionem, dilectionem, confessionem, et omnes virtutes. Haec conveniunt omnibus aetatibus. Sed quaelibet aetas videat, quomodo, et ad quem finem ceremoniae institutae sint.

Ceremoniae Leviticae, quia Deus politiam illam voluit discerni ab aliis gentibus, servandae erant a bonis et malis. Erant enim res politicae, etsi typi et signa erant, docendi caussa, et propter professionem instituta. Nec erant meritum, aut applicatio beneficiorum Messiae per sese, sed quia in eo populo erat vera Ecclesia Dei, pii commonefacti illis spectaculis fide sibi promissa beneficia Messiae applicabant. Ita isti ceremoniis utebantur, ut nos Sacramentis, id est [8]), promissionum testimoniis, quae exuscitare fidem debent.

Nostrae vero ceremoniae non sunt a bonis et a malis faciendae, sed videndum, quomodo sint ordinatae. Coenam legimus institutam esse, in qua fide propria, et sumtione singuli sibi applicare beneficia filii Dei debent. Non legimus institutam applicationem alieno opere faciendam. Et, ut dixi, ne quidem Leviticae ceremoniae erant meritum, aut applicatio beneficii Messiae per sese.

Et sciunt, omnes recte instituti in doctrina Ecclesiae prudenter de ceremoniis iudicandum esse, ne depraventur falsis opinionibus. Et κακοζηλίαι ceremoniarum Moysi multos deceperunt.

---

7) *seposita*] cod. Mon. 90. *supposita.*

8) *id est*] cod. Mon. 90. *et.*

De historia Melchisedech [8]) respondemus, etiamsi convivium illud typus esset Coenae Domini, tamen inde non sequi in hoc ritu meritum, ut hic applicationem seu oblationem dicunt pro aliis fieri oportere, sed propior est imago distributioni seu sumtioni, praesertim cum in textu non sit verbum offerendi, sed protulit seu proposuit panem et vinum uti convivis.

Arbitramur et alios typos ad hanc sacratissimam Coenam accommodari posse. Ut adest filius Dei in Coena Abrahae, ita huic Coenae adest, et quidem nos efficit membra sua. Notum est autem prudenter faciendas esse tales accommodationes, ne quid ex typo extruatur, quod sit alienum a re significata.

Erat Melchisedech verus Ecclesiae Dei Pastor, et veros cultus intelligebat, qui etiamsi aliquo ritu gratias agebat, tamen id opus sciebat, non mereri aliis remissionem, nec esse applicationem pro aliis, sed esse gratiarum actionem, et confessionem, qua ipse declarabat, se eundem verum Deum invocare et colere, quem invocabat et colebat Abraham. Hi fines in sacrificiis, invocatio fide ardens, gratiarum actio, confessio verum Deum monstrans aspiciantur, et aggregatio ad Ecclesiam.

Removeatur opinio, gestum esse meritum, aut applicationem pro aliis, sed fide sibi quisque applicet promissiones. Dolendum est autem in mentione sacerdotii Melchisedech de pane et vino tam multa dici, omitti vero principale officium sacerdotii, quod in textu recensetur, et in Epistola ad Hebraeos illustratur, videlicet benedictionem. Ideo filius Dei est sacerdos secundum ordinem Levi, quia benedicit, sonat vocem reconciliationis divinae, et reddit iustitiam, et vitam, et in sacerdotio novi Testamenti haec benedictio annunciatur et distribuitur, et summus sacerdos ipse est efficax. Semper aliquem coetum sua potentia servat, et colligit, et in hoc coetu tuetur ministerium Evangelii, reddit iustitiam, et vitam aeternam iis, qui convertuntur ad Deum, et ab his vult agnosci, et invocari, vult fide accipi haec beneficia. Harum maximarum rerum doctrina vel omittitur, vel corrumpitur, cum laudes, ceremoniae, et typi cumulantur, sine doctrina de vero usu Sacramenti.

De Malachia, cavillationem Sidonii mirati sumus, qui ait: *Non posse dictum Malachiae de sacrificiis cordis intelligi, quia tunc quoque in omnibus gentibus offerebantur, sed de nova ceremonia nondum nota gentibus.* Hoc sophisma indignum est huius caussae magnitudine. Loquitur Malachias de Ecclesia colligenda ex gentibus, ut loqui solent Prophetae de futura gentium vocatione, et complectitur vocem Evangelii, veram invocationem, et alios cultus. Hinc non potest effici oblationem in hoc ritu pro aliis applicandam esse.

Inprimis vero plausibile est [9]), quod de iugi sacrificio obiiciunt: *Fuit iuge sacrificium in lege, ut esset quotidiani ministerii nervus. Sit igitur nunc quoque tale sacrificium.* Respondemus, Non dubium esse, quin iugi sacrificio vere et principaliter significetur proprium filii Dei sacrificium. Agnus crematus, typus fuit mortis filii Dei. Libatio, et vini effusio typus erant Evangelii, et distributionis. Et verum est in Ecclesia omnium temporum unicum esse iuge sacrificium, quod vere fuit pretium pro nobis, scilicet sacrificium proprium filii Dei, quod significatur sacrificiis quorumcunque temporum. Nec tamen displicet nobis, typum accommodare, ad hanc totam actionem in Coena Domini. Nam et ritus ipse est nervus publici ministerii, et oportet ibi fieri recordationem, hoc est, doceri Ecclesiam, et fieri veram in-

8) Pro toto hoc loco: *de historia Melchisedech* etc., usque ad verba infra: *De Malachia* etc., in codicibus tantum haec leguntur: „Nec exemplum Melchizedek nobis adversatur. „Etsi disputant alii, verba non loqui de oblatione ad Deum „facta, tamen cum usitatissimum fuerit facere libationes in „omnibus conviviis piorum, existimo et ibi libationem fa„ctam esse, et placet mihi transferri eam ad significandam „coenam domini. Sed significat tale sacrificium, quale est „in Ecclesia, videlicet verum usum ceremoniae cum invo„catione et gratiarum actione, quale et ipsius sacrificium „fuit, qui cum esset vere Evangelicus pastor, certe intel„lexit veros cultus, et sciebat, ceremoniam esse signum „confessionis et gratiarum actionis, et oportere adiungi „fidem, invocationem, gratiarum actionem, et haec omnia „collective sacrificium esse. Haec conveniunt ad coenam „domini, in qua cum fiunt invocatio et gratiarum actio, „tota actio sacrificium est, ut saepe diximus."

*D. Hieronymo Baumgartnero Philippus Melanchthon*

S. D. Quod rarius ad te scribo, vir optime, quidvis potius in causa esse putes, quam oblivionem tuae erga me benevolentiae. Ego enim te et pro-

*) In cod. Goth. adscribitur ann. 1550. Sed rectius Danz. eum ad epist. anni 1548. retulit.

**) Danzius hunc epist. refert ad ann. 1548. In cod. Goth. adscriptus est ann. 1549.

pter excellens ingenium tuum feci plurimi: et cum me semper omni officii genere coli senserim, ingratus sim, si dissimulem me tibi non debere plurimum. Sed haec tempora, quae te quoque (ut video) non leviter exercent, non solum haec nostra[1]) officia, sed etiam plane evertunt omnia[2]). Legi epistolam tuam non sine magno dolore, in qua et significas, quae te causae moveant, ut de deserenda Republica cogites. Esset illud quidem his temporibus optandum nobis, ut latere liceret: neque ego tibi quicquam praecipio. Sed tamen vides, mi Hieronyme, in qua quasi statione collocatus sis: quam, nisi Respublica prorsus oppressa esset tyrannide, nolim te deserere. Sed non vacat nunc multa scribere. Spero te consilia tua ad publicam utilitatem accommodaturum esse.

Hic iuvenis satis literatus est, †et pauper" petit unum ex stipendiis minoribus: qua in re ut eum adiuves, te etiam atque etiam oro. Vale.

1) Cod. Mehn. *communia.*

2) Cod. Mehn. *sed paene omnia mihi studia literarum excutiunt. Vides quod non dico inclinent, sed plane ruant omnia.*

No. 4451. (h. a. ut videtur.)

## *B. Zieglero.*

Epist. lib. VI. p. 318 sq. — Contuli autogr. in cod. Monac. I. p. 32.

*Clarissimo viro, nobilitate generis, eruditione et virtute praestanti, D. Bernhardo Cigler, amico suo cariss.*

S. D. Etsi consilium tuum de filio erudiendo in eo coetu, qui *Fabricii* iudicio et gubernatur et doctrina excolitur, probo, et locus filio servabitur, tamen hoc tempore reducendum esse duximus et *Ascanius* et ego. Ac matri certe gratum facere nos speramus, etiamsi tu fortasse severius iudicabis. Sed te oro, ut boni consulas hanc animi mei molliciem. Nolebam gementem et lacrymantem istic relinquere. Saepe de στοργῇ parentum cogitans ratiocinor impressam esse hanc ingentem vim amoris natorum pectoribus hominum, ut sit commonefactrix de amore aeterni patris erga filium, et*) erga nos, Teque propter illam στοργὴν oro, ne mihi succenseas, quod filium reduximus, quem ut servet tibi Deus opto, sicut scriptum est, *Non est voluntas Dei ut pereat unus de parvulis istis.* Bene vale.

Philippus Melanthon.

*) Spanh. *ut*, mendose.

# 1 5 4 9.

No. 4452. (ineunte anno ut videtur.)

## *Brentius ad Melanthonem.*

† Ex apographo in cod. Bav. Vol. II. p. 87.

*Consilium et Iudicium docti theologi, Ioan. Brentii de Idolo Caesareo Interim ad P. M. (Phil. Melanthonem).*

Salutem in Christo. Legi literas tuas, curas et sollicitudines, et laudo quidem pietatem tuam, quam erga patriam et Ecclesiam vestram declaras: sed qua ratione tuis consiliis satisfieri possit, non video. Speras inveniri posse aliquem modum, quo et Christo et Caesareo *Interitui* [1]) inserviri queat, hoc est, in his periculis quaerere modum, quo duobus dominis inter se pugnantibus servire possis. Manifestum est, quod Caesar urgeat non sententiam, quam quivis pro sua libidine aut iuxta suam opinionem ex *Interitu* isto sumere potest, sed ipsam literam huius *Interitus*, literam inquam usque ad minimos apices vult observari.

Non mihi nunc obiicias declarationem istam, quae spargitur. Fieri quidem postest, quod de ea aliquid inter Electores sit collocutum; sed an ea sint Caesari oblata et a Caesare approbata, haudquaquam etiam inter eos, qui ipsam spargunt, constat. Manifestum est etiam, quod Senatus, Senatus inquam, non enim loquor de paucis piis in senatu, sed de maiori parte, quae vincit meliorem, omnino cupiat voluntati Caesaris obsequi, ne se amplius tot periculis exponat. Manifestum quoque est, quod *Interitus* pugnat cum verbo domini. Inter tam pugnantia quae potest inveniri concordia?

1) Sic appellat Interim Augustanum.

Succurrendum putas Ecclesiis et piis ministris. Recte, si id sine contumelia Christi fieri potest. Existimas forte, Interimistos toleraturos piam doctrinam, si nos accipiamus [2]) omnes ipsorum ceremonias faciendas. Sed an nescis, perspicue in prooemio *Interitus* mandari, ne quis loquatur aut scribat adversus hunc librum? Quae est ista doctrinae libertas? Quare si Ecclesia et pii ministri non possunt alia ratione quam cum contumelia piae doctrinae servari, commendemus eos Christo filio Dei; huic erunt curae; nos interea feramus patienter nostrum exilium et expectemus dominum.

In hoc ducatu permittitur seorsim pia doctrina, Papatus, et cultus Interimisticus, donec id per Caesarem licuerit. Hoc si etiam in civitatibus Imperialibus permitteretur, tolerabile esset; sed ut haec omnia, pia doctrina, papatus, et cultus Interimisticus conflantur in unum et fiet ex iis unum compositum, quid inde praeter Samaritanam religionem, aut potius Chimaeram, nascetur? Quare mittamus ista consilia et ponamus has curas. Deus tuebitur suam Ecclesiam, et non exigit, ut faciamus et mala et periculosa, vel, ut isti loquuntur, scandalosa, quo fiant bona. Vides ipse quam frigido affectu desiderent meliora, etiam hi, quos putamus [3]) meliores. Cur igitur propter hos susciperemus consilia conscientiae nostrae gravissimae? Nam qui vere pii sunt, ut sunt pauci, ita habent tutorem, qui non sinet ipsos eripi, donec illustretur gloria domini, etiam in oculis huius mundi.

Memineris quaeso, quod Christus dicit: *multi vocati, pauci vero electi.* Qui illi multi sunt?

2) Bavarus adscripsit: alii *suscipiamus.*
3) Bavarus adscripsit: alii *putaremus.*

civitas. Qui pauci? Ecclesia. Civitas igitur non est in Ecclesia, sed Ecclesia est in civitate; dominatur autem civitas, quia multi; Ecclesia subiicitur, quia pauci. Ergo ferendum est Ecclesiae, quod civitas ferendum imponit, hoc est, ut eiiciantur pii doctores Ecclesiae, ut restituatur idolatria et turbetur disciplina. Interea respiciat ipsa Ecclesia ad dominum et expectet liberationem. Cur nos propter impietatem civitatis imponeremus Ecclesiae onera intolerabilia? At haec quidem de illustrioribus locis seu civitatibus dixerim. Nam quid sentiam de obscurioribus locis seu pagis et ministris earum Ecclesiarum, exponet tibi *Michael* noster meam sententiam, et etiam de tuis rebus; tuae enim res non minus nobis quam nostrae sunt curae. Bene et feliciter vale. 1549.

Ioann. Brencius.

---

No. 4453. 4. Ian. (Lipsiae.)

## *Petro Blesano.*

† Ex autographo in bibliotheca regia Aschaffenburgensi servato, descripta a Bibliothecae curatore Clariss. *Merkelio*, et mihi missa a Nobili *a Thann* in Thann prope Fuldam.

*Venerabili viro, et pietate et doctrina egregia praedito, Domino Petro Blesano pastori Ecclesiae Doblensis, amico suo,*

S. D. Venerande vir. Ex ea epistola quam modo Lipsiae accepi, intellexi te antea quoque ad me scripsisse. Etsi autem mihi priores illae tuae litterae non sunt redditae, tamen tibi gratiam habeo, quod a mea amicitia non abhorres. Prodest Ecclesiae, totum ordinem docentium quā *) et sententiis et vera benevolentia coniunctum esse. Ideo et appeto piorum pastorum amicitias, et meam voluntatem si quibus possum officiis studiose declaro. Quod vero suspicaris de te aliquos mecum secus locutos esse, hanc te suspicionem prorsus abiicere velim. Nam ego non delector hoc genere sermonum, quo de fama absentium detrahitur. Ac scio omnibus nobis, qui partem aliquam reipublicae administramus facile aspergi aliquid criminum; quale tales fabellas non fere admitto. Humanitate, moderatione animi et officiis communem concordiam alamus, et populi voluntates coniungamus. Id profecto tempora postulant. Hostes nostrae piae doctrinae magis quam unquam furere animadverto. Nostrum igitur consensum tueamur.

Diaconum nostrum *Gabrielem* tibi commendo, cuius integritatem tibi iam perspectam esse non dubito. Ego certe comperi esse fidelem et candidum. Bene vale. Lipsiae 4. die Ianuarii.

Philippus Melanthon.

*) Sic descriptum habeo. Manifestum autem est, aut hoc *quam* delendum esse, aut excidisse *arctissime*, vel simile.

---

No. 4454. 6. Ian. (Witebergae.)

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 628.

*Mich. Meienburgio, consuli Northusano.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Tabellarium, qui me absente huc venit, mea familia hic retinuit. Nunc eum dimisi, et tradidi literas ipsi, quas alter tabellarius *Laurentius* attulit, in quibus responsio est ad Moguntinum, in qua pauca verba addidi. Scribam autem copiosius per *Laurentium*. In *Iutrebog*, audio, duos Electores, Saxonicum et Marchiacum, constituisse, se similem formam Ecclesiarum retenturos esse, et de Missa et Canone non turbaturos esse suas Ecclesias. Lipsica actio non facit in Ecclesia mutationem, quia controversia de Missa et Canone reiicitur ad alias deliberationes. Sed tamen quaedam optarim aliter deliberationes. Sed tamen quaedam optarim aliter acta esse. Meamque sententiam exposui praecipuis consiliariis. Totam historiam coram narrabo. Placet mihi in vestra responsione, non fieri expresse mentionem Canonis. Bene et feliciter valete. Die 6. Ian.

Philippus.

---

No. 4455. 7. Ian.

## *Theologi Berolinenses ad Witebergenses.*

Ex apographo in cod. Monac. 90. no. VII. p. 800. Editum in libro: der Theologen Bedenken, oder Beschluß des Landtags zu Leipzig, so im Decb. des 48. Jahrs von wegen des Augsb. Interims gehalten ist etc. durch Nicol. Gallum und Matth. Flac. Illyricum. 1550. Magdeburg. 4. plag. N. 3.

**Dem Achtbarn Ehrwürdigen und Hochgelahrten Herrn Doctor Johann Bugenhagen Pommern, Erzbischoff und Pastor, und D. M. *Philippi Melanthoni*, Professori der löblichen Universität, und andern Theologen zu Wittenberg, unsern günstigen Herrn Vättern und Präceptorn.**

Gottes Gnad und Fried durch unsern Herrn Jesum Christum, Gottes Sohn, Amen. Erbaren, Ehrwürdigen, hochgelehrten, großgünstigen Herrn Väter und praeceptores, unsre schuldige[1]) Dienst zuvor. Wenn es euch, E. A. W.[*]), und allen den euern wohlginge, wäre uns eine begierliche Freud zu erfahren, und wollen E. A. W. nicht verhalten, wie am Tag Thomae, des Apostels, vergangen, Mag. Eißleben von dem Predigstuhl herab gesagt: „lieben Leut, auf nächsten Sonntag wolle sich ein jeder in der Kirchen finden, denn da wird man ablesen, was beide Churfürsten, Sachsen und Brandenburg, zu Jüterbok sich verglichen haben, und auch ins Werk bringen wollen; kann denn ja[2]) der Wirth[**]) oder Wirthin nicht selber hereinkommen[3]), so laß er doch einen Knecht oder Magd aus seinem Hause anher[4]) gehen, und Nachbarn bei Nachbarn, damit es kund und offenbar werde, und man wissen möge, was da gehandelt wurde"[5]). Also ist des Sonntags hernach die Schloßkirche[6]) zu Kölln hie voller Leut worden, und ist unser Churfürst, deßgleichen die beiden jungen Herzoge von Mechelburg auch drinnen gewesen. Also hat M. Eißleben eine halbe Stund das Evangelium am ersten vom Sonntag gepredigt, und darnach angehoben: „lieben Leut, ihr wisset, daß viel Schreibens von dem Kaiserlichen Buch hin und wieder geschehen, und sind viel Leut geschändet worden, deßgleichen[7]) ich sonderlich, als wolle man die reine Lehre verfälschen oder unterdrücken. Damit ihr aber sehet und höret, daß man uns ganz[8]) unrecht gethan hat, so haben die Theologen zu Wittenberg auf das Interim eine Verklärung und Ordination[9]) gestellet, die den beiden Churfürsten, als Sachsen und Brandenburg, überantwortet, die auch bewilligt worden in beiden Churfürstenthumen und Landen zu halten, wie solches beide Ihrer Chf. Gnad. mit eigenen Handen untersiegelt und unterschrieben, und lautet also etc." und ist so nach einander, wie es versiegelt, öffentlich vorgelesen worden[10]).

Nach der Verlesung hat Eißleben gesagt: „Da habt ihrs nun, lieben Leut, was Gott für große Gnad zu Jüterbock gewirkt hat. Derhalben halt ein jeglicher sein Maul hinfürder, und belüge und lästere unschuldige Leut nicht mehr, und, wenn du nun willst wissen, was das Kaiserliche Buch oder Interim sey, so sag, es ist meines gnädigen Herrn von Brandenburg Churfürsten ausgegangene Ordnung, und glaube den Lügenmäulern nicht mehr, die jetzt mit Schanden müssen bestehen, die vor in alle Welt ausgeschrieben, gesagt und geplaudert, der Kaiser wolle das Evangelium austilgen[11]), welches ihr nun wisset[12]), daß es erlogen ist. Denn das ich jetzund verlesen[13]), haben die Theologen zu Wittenberg gestellt. Derhalben steht nun[14]) die Thür offen dem Evangelio durch ganz Europa; allein bittet, daß Gott nun[15]) getreue Diener des Worts wolle geben, die sich darinnen[16]) recht schicken können. Das geb Gott durch seinen Geist"[17]).

Nun haben wir, hochgelehrten Herren, an der verlesenen Ordnung, so ihr gemacht, keinen Mangel, allein den, daß in rebus adiaphoris stund generaliter, daß man alles wolle halten, was im Papstthum gewesen, ob schon es gefallen. Nun deuten etliche das Wort so weit[18]), daß sie meinen, ihr wollt wieder Weihwasser, Salz, Kräuter, Palmen, Fladenweihen, alle Processionen mit Fahnen und Kerzen, Oelung bei der Tauf und Kranken brauchen, Kreutz in der Marterwochen legen, an Ostern wieder aufheben; item die Vigilien, die wir auch sonderlich hörten im Ablesen nennen; wiewohl ich etliche der Unsern, die unser gnädiger Herr zu sich gefordert und das Exemplar gezeigt hat, gefragt; die sagen, daß von keinen Vigilien darin stehe. Dieweil denn[19]) unser gnädigster Herr der Churfürst mit uns

1) Cod. Mon. 90. günstige.

*) Euer achtbar Würden.

2) Cod. Mon. 90. kann ja drum.

**) i. e. Hauswirth, Hausvater.

3) Cod. Mon. 90. selbst zu kommen.

4) Cod. Mon. 90. auch. Verba aus seinem Hause tantum in cod. Mon. leguntur.

5) und man wissen möge x.] addit cod. Mon. 90.

6) Liber impr. das Schloß.

7) Liber impr. dergleichen.

8) uns ganz] tantum habet cod. Mon. 90.

9) Cod. Mon. 90. Oration.

10) Cod. Mon. 90. nach einander denotirt, wie es öffentlich versiegelt worden.

11) Cod. Mon. 90. vertilgen.

12) Lib. impr. du nun weißt.

13) Lib. impr. vorgelesen habe, das.

14) Cod. Mon. 90. sehet ihr.

15) Lib. impr. bittet Gott, daß er nur.

16) Lib. impr. darein.

17) Lib. impr. Gnade, Amen.

18) Lib. impr. Nun deuten es etliche so weit.

19) Cod. Mon. 90. aber.

alhie zu Berlin und Kölln am ersten[20]), vielleicht noch die Wochen, oder die andere Woche aufs längst will anfahen, und die bewilligte Ordenung[21]) zu Jüterbock ins Werk zu bringen: nun wollen wir je gern bei euerer Kirchen bleiben, und halten was ihr haltet[22]), als eure discipuli und Schüler: so bitten wir[23]) demüthiglich am ersten, ihr wollet uns eine rechte Copey übersenden, mit eurer aller Hand unterschrieben von euerm Exemplar, weß ihr euch zu Jüterbock verglichen. Zum Andern wollet uns deuten und erklären, was ihr res adiaphoras nennet und meinet, und das specialiter ausdrücken mit Namen. Zum Dritten, wollet uns doch auch anzeigen, mit was Worten wir die Oelung den Kranken sollen geben, und an[24]) welchem Ort wir ölen sollen, Kopf, Bein oder Händ[25]), und was wir für Oel dazu nehmen sollen, vom Bischoff benedicirt oder nicht[26]); und wenn wir die Kranken ölen sollen, ob es geschehen soll wenn der Kranke erst krank wird, oder wenn man ihm das Sacrament gibt, oder wie er zu ölen sey, vor oder hernach nach dem Sacrament; besonder[27]) ob es auch ein Diener der Kirchen allein ausrichten könne. Denn wie könnten alle Kirchendiener zugleich zu allen Kranken gehen und die ölen? und ob einer die Oelung nicht halten wollte, ob wir ihn nöthigen sollen, dieselbe anzunehmen.

Zum Vierten, wir vernehmen auch, daß man uns diese eure[28]) Ordination will überantworten mit dem Interim, wie es zu Frankfurt an der Oder gedruckt ist, im Namen als hielten[29]) wir das ganze Interim. Man will auch solchs dem Kaiser zuschreiben. Ob uns auch[30]) solchs in solchem Namen zu thun sey in solcher Confession, als hielten wir das ganze Interim, haben wir Bedenken.

Bitten derhalben E. A. W. demüthiglich, wollet uns dieser Stuck allereigentlich berichten, was uns zu thun, damit wir nicht zu viel oder zu wenig thun, und also Aufrührische[31]), die nichts gleiches leiden oder dulten können, möchten genennet[32]) werden. Denn wir diesen Boten derhalben abgefertigt, bei euch so lang zu verharren, daß wir eigentliche Antwort von euch als unsern Vätern erlangen. Wollet uns in dem nicht lassen. Solchs wollen wir uns E. A. W. gegen Gott verbitten[33]), und mit unserm willigen Dienst verdienen, damit es allen[34]) unsern Kirchen zu großer Besserung und zu Vermeidung vieler Aergerniß gereichen und kommen möge[35]). Bitten deß E. Achtbar W. günstige und schriftliche Antwort[36]), darnach wir uns haben zu richten[37]). Datum zum Berlin[38]) Mondtag nach trium Regum, anno 1549.

E. A. W.

williger
D. Georg etc.[39])

20) am ersten] non habet cod. Mon. 90.
21) Cod. Mon. 90. Ordination.
22) Cod. Mon. 90. und was ihr haltet, wir auch wollen halten.
23) Cod. Mon. 90. bitten aber.
24) Cod. Mon. 90. bei.
25) Lib. impr. [Hand oder Arsch]. Verba uncis inclusa puto ab editoribus addita esse.
26) oder nicht] desiderantur in cod. Mon. 90.
27) Lib. impr. pro verbis: wie er zu ölen sey etc. tantum habet: oder nach dem Sacrament besonder.
28) Cod. Mon. 90. neue.
29) Cod. Mon. 90. hätten.
30) auch] abest a libro impr.

31) Cod. Mon. 90. als aufrührische.
32) Cod. Mon. 90. gemeinet.
33) Lib. impr. vorbitten.
34) Cod. Mon. 90. und mit allen.
35) möge] non habet cod. Mon. 90.
36) Lib. impr. bitten, daß — Antwort zufügen.
37) Cod. Mon. 90. darnach wir uns richten.
38) zum Berlin non habet cod. Mon. 90.
39) Georgius Buchholzer et reliqui concionatores Berolinenses. — In libro impresso nulla legitur subscriptio.

No. 4456. 8. Ian.

## B. Mithobio.

Epist. lib. II. p. 344. (ed. Lond. lib. II. ep. 349.).

*D. Burcardo Mithobio*

S. D. Mediocris levatio est dolorum, colloqui vel coram vel per literas cum amicis bene sentientibus. Quare mihi pergratum fuit colloquium Secretarii Inclytae Principis vestrae, viri prudentis et optime volentis Ecclesiae Dei. Dedi ei pagellas quae ostendunt vocem doctrinae, Dei beneficio, in Ecclesiis et scholis harum regionum sonare adhuc incorruptam. Commendamus autem nos Deo, scimus enim solis humanis consiliis ac praesidiis non servari genus humanum. Sed custos est praesertim Ecclesiae suae filius Dei, quem oro ut te et nos et universam Ecclesiam suam servet. Bene vale 8. Ianuarii.

No. 4457. 8. Ian.

## H. Schuollio.

Manlii farrag. p. 113 sq. ubi inscripta est N. N. At non Buchholzero, ut Strobelio visum est, sed Hier. Schuollio inscripta fuit. Vid. ep. infra d. 20. Iun. h. a.

*Venerando viro etc. D. Hieronymo Schuollio docenti Evangelium fideliter in urbe Arctoa, amico suo.*

S. D. Venerande vir, et amice charissime. Etsi non scio penitus deliberata principum in *Iuterbock:* tamen quantum audivi, optandam esset, Ecclesias non magis onerari, quam ibi deliberatum est. Nolunt corrumpi doctrinam de iusticia fidei, nolunt etiam onerari Ecclesias receptione Canonis, aut aliarum rerum, quae sine impietate recipi non possunt. Et consensum harum Ecclesiarum retineri cupiunt. De adiaphoris ego quidem servitutem tolerare non recuso, et pleraque in usu sunt in nostris et vestris Ecclesiis. Eventus autem ostendet, quo vel N. Principum consilia spectarint, vel quid obtinere possint. T. M. B. [*Thomas Matthias* Brandenburgensis] poterit tibi plura narrare de hoc negocio: nam literis omnia complecti non possum.

Ad Rhenum horribilis confusio est, sicut meus frater mihi scribit: multi pastores pelluntur in exilium cum familiis: alii coniuges dimittunt, et coniugium negant metu, contra conscientiam. Haec fiunt: quia liber, quem isti laudant, armat Episcoporum furores. Oremus autem filium Dei, ut his tantis miseriis medeatur. Salutem opto reverendo D. Georgio, et caeteris amicis. Bene vale. 8. Ianuarii.

---

No. 4458. 11. Ian.

## Maior ad Wanckelium.

† Ex apographo in cod. Bav. II. p. 1.

*Georgius Maior ad M. Matthiam Wanckel, Hallensem ministrum.*

S. Velim te, mi cariss. frater, non tam ex vulgi quam vero iudicio de nostris statuere, quos et amare te scio, et satis nosti multos iam annos non sine magnis periculis semper in acie et dimicatione stetisse, et adhuc stare, ac nihil aliud agere, quam ut vera doctrina Christi, per ipsos illustrata, ad omnem posteritatem propagari et conservari possit. In hoc unico omnes esse et elaborare, res ipsa tandem ostendet. Quid enim miseri aliud quaerimus, quam ne Ecclesiae harum regionum bene constitutae turbentur, et ut vera de Deo doctrina retineri possit? Quae enim *Lypsiae* acta vel concessa esse dicuntur, de iis velim te coram hoc ex ipsis audire, qui his rebus interfuerunt. Neque enim consilia omnia et rationes omnes literis explicari possunt, et tales causae opus habent iudice prudente, docto, pio, moderato et aequo. Speramus autem, Ecclesias harum regionum mansuras in eo statu, in quo hactenus fuerunt, Id enim unum agitur. Quod si nos haec spes fallit, ut fallere potest, tamen de nobis dici non poterit, nos nostra pertinacia dedisse causam ad dissipationes Ecclesiarum aut vastationes harum regionum.

Si intra illos limites nostri mansissent, qui in proximo colloquio *Cellensi* constituti erant, minus offensionis et rumoris esset. Et tamen, quae *Lipsiae* concessa sunt coram aequis et doctis iudicibus facile excusari possunt.

*Confirmatio* sine chrismate et omni superstitione recepta est, ut nihil aliud sit quam exploratio doctrinae et profectus iuventutis, quae non ab Episcopis, sed a ministris verbi sit exercenda.

*Oleum*, de quo magnum certamen fuit nostris cum altera parte, nostri quasi temporum iniuria victi, cui prudentes saepe multa largiri coguntur, ita approbarunt, ut si quis eo uti velit, utatur semotis omnibus abusibus, iuxta formam apostolicam, quae Marci 6. et Iacobi 5. descripta est. Eiusdem multum usum in primitiva Ecclesia fuisse certum est, et eundem quoque piae memoriae D. *Martinum Lutherum* concessisse, ostendit libellus, cui titulus est: *Bekenntniss des Glaubens Doctoris Martini.*

*Iurisdictio* permissa est Episcopis tali conditione, si non sint futuri hostes et persecutores doctrinae Christi, et, si velint ordinare sacerdotes, ne qua impia obligatione ipsos oneret. Sed episcopi ipsi concesserunt *ordinationem* duabus Universitatibus, Lipsensi et Wittenbergensi, quod dicunt, sibi nondum licere ordinare sacerdotes uxoratos, nisi facultate impetrata a Romano Pontifice. Es steht noch alles weitläuftig, und ist noch nichts grosses vergeben, und auch noch nicht so bald alles ins Werk gebracht worden. Es ist

gut schreien ausserhalb der Händel, wer aber drinnen steckt der fühlet's. Darum so sollt man Gedult haben. Est ist unserm Herrn Christo Gottlob noch nichts vergeben. Da es aber geschähe, steht's darnach bei einem jeglichen was er thun will.

Haec breviter respondere volui. Salutabis meo nomine reverenter reverendum D. D. *Ionam*, D. M. *Benedictum*, M. *Emericum*, et caeteros nostros fratres omnes. Bene vale, tu, familia et tota Ecclesia. Wittenb. 11. Ianuarii anno 1549.

Utinam tuae novitates essent verae. Hoc certum est, Saxonicas civitates non habere conventum Lubecae.

---

**No. 4459.** **11. Ian.**

## *I. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 50. (ed. Lond. lib. II. ep. 82.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. *Saxonicae* Civitates tandem decreverunt aperte et sine ambiguitate, se non velle turbare Ecclesias, in quibus iam sonat vox Evangelii incorrupta, receptione libri *Augustani*. Et exemplo tristissimo *Suevicarum* Ecclesiarum moveri *Saxonicam* gentem existimo. Miserabiliter in *Suevis* Ecclesiae vastantur, pelluntur pii pastores cum totis familiis. *Tubingae*, ubi Academia est, solitudo est in Ecclesia, tantum ibi sacrificulus senex facit oblationem, ut libro *Augustano* satisfiat. Haec est illa aurea aetas, quam promiserunt eius libri laudatores. Etsi autem magna sunt pericula: tamen spero Deum nostras Ecclesias ita gubernaturum esse, ut non fiat in eis mutatio. Ac Deo iuvante corruptelas nullas approbabimus. In conventu *Lipsico*, etsi in aliquibus ἐπιεικείᾳ opus est: tamen honestae sententiae dictae sunt. Bene vale, undecimo die Ianuarii.

---

**No. 4460.** **11. Ian.**

## *Theologi Wittebergenses ad Berolinenses.*

Edita in Actis synodicis lat. p. 404. Item in Manlii farrag. p. 116 sqq., in select. Epist. p. 468. et in Epist. lib. I. p. 251. (ed. Lond. lib. I. ep. 80.). Repetita etiam a Pezelio in Mel. Consil. latin. P. II. p. 86. — Apographon in cod. Monac. 66. p. 94. Aliud apographon in cod. Landshut. fol. 207. Bugenhagius amico cuidam misisse videtur. Sua enim manu non solum inscriptio epistolae facta est, sed adscripta etiam sunt: „Sic respondimus quibusdam praedicatoribus." Contulit illud S. V. *Schulzius*.

*Venerando viro, etc. domino Georgio Buchholzero, Ecclesiae in urbe Arctoa praeposito, et aliis praedicatoribus Christi, dominis et fratribus nostris*[1]),

S. D. Venerandi viri. Sicut ipse filius Dei ante agonem oravit, ut Ecclesia sit unum in Deo: ita maxime oremus ipsum, ut consensum harum Ecclesiarum in quibus sonat vox Evangelii incorrupta, et in quibus vera fit invocatio Dei, tueatur. Principes etiam Electores, cum una essent, longa commemoratione exponens, qualis sit dissipatio in aliis regionibus, hortatus est *Anhaltinus*, ne sinant distrahi harum regionum Ecclesias, iam recte sentientes. Ac nos sane doctrinam in Ecclesia nostra sonantem, quae quidem cum Electoris *Marchionis* scripto congruit, quod ante annos octo Ecclesiis suis proposuit, non mutabimus, nec restituemus vitiosos cultus, quos hactenus improbavimus.

Quod vero de articulis in *Iuterboch* factis interrogatis: scitote nos non interfuisse illi arcanae deliberationi, in qua principum facta est supscriptio. Nec exemplar[2]) illorum articulorum habemus: nec consecrationes oleorum aut salis inter adiaphora recensemus, ac semper improbavimus illas oleorum consecrationes et similes, et adhuc improbabimus. Si qua in illis articulis mentio facta est unctionis, illud etiam additum fuit, restare articulos non conciliatos: de quibus necesse sit ab Episcopis significari[3]), quid desideretur.

Postremo, quod interrogatis, si liber Augustanus vobis simul cum articulis proponeretur, quid sit respondendum: simplex est veritatis oratio. Respondete, vos normam doctrinae, quam Elector ante aliquot annos publico scripto Ecclesiis Marchiacis commendavit, fideliter servaturos, nec eam normam mutaturos esse. Si autem princeps sic interpretetur librum Augustanum aut alios

---

1) Sic in Manlio recte. Alii: *ad Pastores ecclesiae Dei in Marchia*, — vel, ut Pez. in Consil. habet: *ad Pastores ecclesiae Berolinensis et vicinarum in Marchia*.

2) Peuc. et Pez. *exempla*.

3) Manl. *sit episcopis significare*, quod mutandum censui, cum Peuc. pro *significare* habeat *iudicari*, Pezel. *indicari*.

articulos, quasi congruant cum hac doctrina sui scripti, ac velit ita respondere Imperatori de ea interpretatione aut responsione ad imperatorem dicite: vos ipsi principi nihil praescribere, sed vos testari, quod normam hactenus servatam secuturi sitis. Hac responsione fortassis Elector contentus erit.

Scimus fieri solitudines in multis Ecclesiis: pulsi sunt pastores plures quadringentis in Suevia et ad Rhenum. *Tubingae*, ubi Academia est, pulsis pastorib. et concionatoribus, tantum ibi nunc senex sacrificulus est: qui ut libro Augustano satisfiat, oblationem restituit. Mirum est igitur, cur aetatem auream promittat *Islebius*, cum manifeste videat vastari tam multas Ecclesias, pios et doctos viros exulare cum totis familiis. Tantae vastationes cum alibi fiant, nos etiam duram servitutem (modo sit sine impietate) tolerandam esse potius existimamus, quam discedendum ab Ecclesiis. Datae 11. Ianuaaii, anno 49. Witebergae.

Ioannes Bugenhagius D. pastor Ecclesiae Witembergensis: Philippus Melanthon.

---

No. 4461. 11. Ian.

## Bucerus ad Melanthonem.

Edita, sed non integra, in der neuen Bibliothek seltener Bücher, von Hummel, Vol. I. p. 115, haud dubie ex apographo in cod. Hummeliano, qui nunc est Monacensis 90. no. VII. p. 316. — Hummelius multa, potissimum ea, quae male descripta sunt, praetermisit. Apographon enim passim est mendosum, quum Buceri manus lectu difficillima sit. Hic integra ex apographo Monacensi edita.

### *Mart. Bucerus ad Phil. Melanthonem.*

Aeternus filius Dei summusque moderator omnium et temporum et hominum velit vertentis anni momenta et hominum corda sic regere, ut tam diuturnorum cruciatuum si non liberationem, tamen aliquantulum percipiatis tandem mitigationem, repressis † voce eius"[1]) ventis ac fluctibus, quibus ecclesiae adeo nunc perniciose iactantur, Amen.

Nos propter vicinarum ecclesiarum terribiles vastationes, Suevicas ac Rhenanas atque agri proximi, et crescens periculum, acerrime affligit metus de vobis et ecclesiis vestris. A *Sturmii* enim nostri reditu nihil certi[2]) de vobis cognovimus, nisi de maximo provinciae vestrae conventu, qui coierit Lipsiae, in quo cum scriptum sit frequentes esse adhibitos[3]) ecclesiarum doctores, respiramus aliqua spe boni eventus nobis confirmata. † Etenim[4]), nisi audire illorum sententias voluissent qui rebus praesunt, existimamus, non fuisse admissuros adeo multos"[5]). Quo itaque aliquid certius de concilii huius decretis cognosceremus, misimus hunc hominem ad vos, per quem de ecclesiarum vestrarum et vestra fortuna ut scribere velitis, vos etiam atque etiam oramus.

Nos, ut et alii multi, non parum illarum rerum exsolvimus, quas Deus minatus est Esai. 3. Iterum a summo mane fere usque ad secundam † horam" a meridie laboratum est, antequam consul potuerit deligi. Ditiores quique ad 50 numero[6]) et supra migrarunt hinc, cum Imperator esset Spirae. Iamiam enim fulminantem[7]) in nos proscriptionem persuaderi sibi passi fuerunt literis cuiusdam vanissimi nebulonis. Nunc cum extrahitur tempus recipiendi Interim[8]), qui supersunt ex ditionibus maxima ex parte minantur civitati sic renunciaturos esse. Nam iterum sparserunt quidam insani conscriptam et consignatam proscriptionem in nos. Esse enim in manu Christi corda et manus eorum, quibus datum est proscribere, non credunt. Ideo quos plus posse videri putant, eorum iram amplius expavescunt, horrendumque est, quod multum seminis evangelici in petrea corda passim sparsum sit. Sunt tamen hic permulti Deum vero corde invocantes. Paulo ante et ipso tempore calamitatis praesentis eripuit Dominus nobis aliquot praestantes viros. Nonnulli senio et morbis fracti sunt, et qui his succedunt loco, animis et pietate succedere eis non ita student, ut praesentia poscunt reipublicae tempora. Itaque a potentioribus creditur potestatem servandi publice religionem alio esse translatam. Hactenus tamen senatus noluit ipse aliquid mutare vel in doctrina vel in ritibus. Tentavit autem cum epi-

---

1) *voce eius*] Humm. praetermisit.

2) Humm. *sorte*, ex mendo.

3) Humm. *adhibitas*, ex mendo.

4) *Etenim*] sic scripsi ex coniectura; non apographon habet verbum, quod legi non potest.

5) Praetermisit haec Humm.

6) Humm. *ad numerum* 50.

7) Humm. *fulminandam*.

8) Cod. Mon. 90. et Humm. *recipiendi*, *interim*.

scopo et eius canonicis transigere, ut ipsi, quaestu[9]) suarum superstitionum contenti, nobis permisissent parochiam, †huic etiam administrationem sinceram"[10]). Illi autem cum aliunde pendeant et antichristi ministri res sui domini multo curant diligentius quam nos Christi, postulant sibi restitui omnia"[11]). †Reiecto[12]) iam hoc, quod tentatum „fuit a nostris, Dominus ut corroboret eos et dirigat, orate nobiscum. Plerique eorum angoribus et moeroribus non confirmantur; nolunt[13]) se „contaminare illa restitutione pietatis, quam ipse[14]) „restituit; horrent patefacere omnia iis, qui[15]) „restituta volunt caetera omnia; ut remittat aliquid sibi de indicta formula, exorant; spem nullam habent reliquam, postquam id tertio frustra „tentaverint; extremam vero subire indignationem „eorum, quos Christus sic evehit, non audent. „Itaque et Dei et hominum metu examinantur et „tabescunt. Nonnulli decreverant, si quid oporteat mutari, abire*).

„In *Helvetiis* quoque misere turbantur. Septem pagi obstinatissime Antichristo Romano, „quorum mores etiam plurimum congruunt, adhaerent. His coniunxerunt se pagi duo, qui tamen plures parochias habent profitentes Evangelium, sed publice gubernacula tenent Papistae. „Hi novem pagi legatos miserunt ad quatuor reliquos, Tigurum, Bernam, Basileam et Schafhusiam, postulatum, ut hi futuro se concilio „subiiciant, ne communi patriae malum aliquod „accersant. Responderunt quidem hi: ubi concilium vere christianum coactum fuerit, et christiano suo munere fungatur, se memores fore „officii sui; nemini tamen se quam verbo Dei credere posse, quod cum sectari non dubitent, nihil se in religione mutare propter hominum decreta. Tamen languent inter hos nonnulli, an „accommode accidat, quod a *Bernatibus* reposcitur ditionis *Sabaudiae* pars, quam occupaverant, cum *Genevam* urbem suam obsidione Sabaudi solverent. In hac enim causa valde verendum esse, ne deficiant etiam Bernates ab „Evangelicis sociis. Gallus autem forsan se illis „adiungit, qui sibi quoque peranxie metuit; et „metuunt sibi non pauci ex sapientissimis hominibus utique ex multis causis, quibus adiecta est „nuper horribilis seditio in Xantonibus ad Burdegalem, praesertim cum renovata sit nova et infanda saevitia*).

„In Ducatu *Wirtembergensi* speravit princeps, admissis posse se conciones sinceras retinere suo populo, verum brevi post accepit „literas, ut a concionibus removeret quotquot novam formulam noluerint recipere. Iussit tamen „concionatores, ut, dum accipiant successores, „aegrotis verbum et sacramenta administrent. „Abeuntes iuvat honesto viatico; collegit et aliunde pulsos et prolixam benignitatem praestat multis. Utinam id non faciat sero. Nam nemo prudentium non expectat, ut ditio eius adiiciatur „regi *Ferdinando*. Passim fertur de ingenti apparatu imperatoris, et plures dicunt, moliri eum „restitutionem Sabaudiae. Quare et Galli et Bernates quoque certum bellum expectant, cuius „molitionis quanquam plurima et perspicua signa „appareant, non desunt tamen, qui metuant, ista „[fieri][16]), ut alii, securiores eo facti opprimantur ab Imperatore[17]). Paulo ante promiserant „quidam istarum rerum augures, annum hunc „tranquillum fore, et impendendum rebus confirmandis; sed constat duces vocatos, et caetera „multa sic geri, ut maximum bellum metuatur, „et forsan in multis locis. In procinctu est magnus equitatus in Belgico, qui occurrere dicitur „filio Imperatoris**), ad quem occursum parantur aliquot Hispani, qui hiberna agunt in Ducatu „Wirtembergensi, atque hi cum pedites sunt, „equos sibi sumpserunt a rusticis. Horribilis est „in ista regione vastitas et Ecclesiarum et politiae „in plerisque locis. Intra 8 septimanas nulla est „habita concio. Dux *Bipontinus* et noster vicinus cum canonicis Episcopis patefecerunt ecclesias suas, sed non habent Episcopi, quos mittant

9) Sic Humm. recte pro *quosdam*, quod habet cod. Mon. 90.

10) Mendosa videntur haec, quare Humm. ea non dedit. *Huic* fortasse ad Episcopum referendum.

11) Quae iam sequuntur omnia, Hummelius praetermisit.

12) Cod. Mon. 90. *Recto*, mendose.

13) Sic scripsi pro *voluit*, quod habet cod. Mon. 90.

14) i. e. Episcopus.

15) *qui* scripsi pro *quae*, quod habet cod. Mon. 90.

*) De iis, quae illo tempore Argentorati acta sunt, vid. Sleidan in comment. ad ann. 1548. et 1549., imprimis p. 656.

*) De seditione, Burdegalae orta mense Octob. 1548. vid. Sleidani comment. p. 648.

16) *fieri* vel simile hic excidit.

17) *opprimantur ab Imperatore* scripsi pro: *opprimant Imperatores*, ut habet codex ex manifesto, ut puto, mendo.

**) Philippi. De eius itinere hoc tempore vid. Sleidani comment. p. 654.

„sacrificulos. Contra Interim retinent suos ministros. *Hiperensis* respondit Bipontino, se non „posse mittere sacrificulos, qui ministrent secundum Interim, cum in eo quaedam sint aliena a „doctrina et ritibus ecclesiae catholicae; tum etiam „se quos mitteret non habere; postremo etiamsi „haberet quos mitteret, et posset eos per legionem mittere, tamen opus fore maioris cautionis „pro suis, ut tuti essent ab iniuriis et contumeliis „populi. Aliquibus miserunt ministros, papistae „praesertim. Illi autem agunt tam ferociter et „vivunt tam flagitiose, ut alicubi iterum eiiciantur, alicubi etiam pene rapiantur, unde nuper „*Pilatus* dixerit: isti mali homines (eo recitant „nomine) explent adeo orbem suis et clamoribus „et scriptis, ut res nostrae non possint restitui. „Et omnino confido, dominum suis Antichristis „diebus finem citius impositurum, quam omnes „Antichristi existiment. Hic, si verum sit, Episcopum instituere collegia, extincta est plane nostra schola, et, si formula ista nova reciperetur, „nos ministri etiam alias quaeremus sedes, si quidem licebit. Evocari ad patrem optimum foret „proximum exilium. In[18]) locis Christi patentibus a vinculo impiorum abhorreo, sed Christus „nec in his deserit invocantes se, qui vindicat patientes iniuriam, et solvit vinctos. Et utinam „respicere dignetur vinctos *Ulmenses* *), quos „scripserunt quidam liberandos invita (?) formula, „ad quam se obtulissent. Alius autem scripsit, „eos domino constare, qui confirmet eos. Gravissimum enim vulnus Ecclesiis infligerent, si se „frangi paterentur, eorumque exemplum spem superandi adversariis non parvam augeret. Perdurum est, vinctum teneri apud hos homines; sed „quid durum adeo, quod non leve reddat nomen „domini nostri Iesu Christi?

„Hic fertur quidam Misnensis durissimum „carcerem sustinuisse plus 16 annis, nulla alia de „causa, quam quod non vult abiurare vindictam „inter principes vestros. Si sic potest durare diabolus suos martyres, sustinebit etiam suos sectatores Christus invocatus. Habes, ut nos visitamur a Christo merito nostro. Utinam tu scribas „mitiora. Quid in *Anglia* constitutum sit, nondum rescivimus. Det dominus, ut istic fundamenta Syon in sanctis mentibus suis firmius quam „factum est apud nos collocentur."

Scripsit[19]) his diebus ad D. *Iacobum* D. *Michael* [Meienburg] consul Northusanus, D. *Crucigerum* tandem evocatum esse in domum suam coelestem, quod illi quidem gratulari debemus, maxime hoc tempore et corpore eius sic affecto. De te quoque scripsit † quae nos terrent supra motum", te omnino parum edere, nihil dormire, metum esse de veneno, quo credatur et *Crucigerus* esse confectus. O Christe, placator patris, mitiga hanc iram in nos severissimam ne[20]) talibus doctrinae tuae custodibus et assertoribus tantisque[21]) † misericordiae tuae pignoribus spoliemur." Collegae omnes salutem et consolationem domini uberrimam tibi et vestrae scholae et ecclesiae, cunctisque earum administris toto corde precantur, quorum ne unus quidem, ut confido, mutationi doctrinae et rituum assentietur. † Recreavit nos plurimum oratio et disputatio clarissimi „viri *Melchioris Isinderi*, quas nobis misit D. „*Michael*. Harum nomine maximas tibi agimus „gratias. *Baptistam* nostrum τοῦ ἐγκαυστικοῦ „abduxit his diebus τῆς βασιλείας ἡγεμών, *Christophorus*; puto tamen brevi iterum eo restitutum, quo vocatus est. Recte valet quod ad ipsum „attinet si eum non conterrerent publicae calamitates. Uxorem tamen etiam amisit ante mensem, „verum quae ita affecta erat corpore, ut nihil „aliud nec optandum nec sperandum ei fuerit, „quam cito dissolvi et ad Christum evocari. In „hoc optime valet summa ecclesiarum in omnibus „consolatio. Finem tandem facio scribendi. Agere „enim tecum, vel quovis modo, molestiam animi „mirifice levat."

Dominus Iesus levet te et nos[22]) omnes omni molestia, et sua coelesti consolatione quam plenissime recreet. Idem votum precor offeras nostris verbis D. *Pomerano*, † D. *Maiori*", M. *Paulo*, D. *Milichio*. Bene vale. 11. Ian. 1549.

---

18) Sic interpungendum putavi. In codice: *exilium in locis* etc.

*) Videl. concionatores, quos Caesar vinctos secum abduxerat, quos autem d. 8. Martii h. a. e vinculis dimisit, cum pro victu solvissent.

19) Hic iterum incipit textus impressus.

20) *ne*] edidi pro *in*, quod habet cod. Mon. 90.

21) Humm. *tantis*.

22) Humm. *vos*.

No. 4462. (h. t.)

## Helo Frisius ad Melanthonem.

† Ex apographo in cod. Bav. Vol. II. p. 52., ubi inscriptione et subscriptione caret. Adscripsit Bavarus: „*creditur Brema scriptum Domino Philippo.*" Utique Melanthoni scripta fuit ab Helone Frisio, ut ex epist. d. 4. Febr. ad Bucerum intelligitur.

*(Helo Frisius Philippo Melanthoni.)*

Si tam essent tuta itinera quam haec tempora plena rerum novarum, haberemus quotidie quod ultro citroque scriberemus, mi anime. Sed, quod omnia sint plena periculis et perfidiis, cogimur et amicis et nuntiis et nobis ipsis silentio consulere, donec tandem per gratiam Dei Halcyonia nobis redeant, quod ut non videtur primis mensibus futurum, ita tamen spes certa est, brevi futurum, quod tuam pietatem certe constituere iubeo. Nam sunt omnia plena mutationum et rerum novarum, quas spero me brevi ad te perscripturum. Nunc non aliud quam quod legatus Angliae hic mecum fuit, qui miranda bona promisit, quorum si non omnia aliqua saltem vera erunt; id dictum existima. Dominus *a Lasco* illic est cum aliis doctis viris, qui te quoque expectant, si istic non licebit haerere. Natio illa tota iam in Evangelium Dei consentit. Tantum disputatur leviter de Eucharistia, quae tamen controversia speratur propitio Deo nunc quoque aut finita, aut paulum mox definienda iuxta verbum domini. Ego hodie ad illos scribo, qui ad me paulo ante, quorum unus est Dominus *a Lasco.* De bonis episcoporum litigatur nonnihil. Legatus cum Dano agit de perseverando. Habet et *Gallus* istic suos nuntios et alii. *Gallus* edixit, ne quis puniat aliquem propter religionem, nisi ab ipsa Maiestate auditum. *Burdegalis* sedata est seditio, exorta propter graviorem exactionem; plexi sunt aliquot et alii alio mortis genere peremti*) *Gallus* affectissimus dicitur ad nos. *Sturmium* novisti. Is ad me bona. Reliqua alias quae habeo certa, sed quae tacita [tacere?] oporteat, nisi ut tu bonis bonam spem facias in Deo aeterno patre et Domino Iesu, qui dispersionem suam brevi recolliget. Moriuntur, qui puerum quaerunt, et aperiuntur ubique Evangelio portae principum et regnorum.

De *Polono* ad me certa Dominus *Lascius*, vos quoque fortasse non incerta. Exulat inde Papismus, favetur verbo, vocatus *Lascius*, sed Angli illum non dimittunt, ut neque *Frisii*, ad quos ad ver redibit. Utinam tibi contigisset audire legatum Anglicum, optimum virum, qui de multis multa, quae tuis cogitationibus permitto. *Burensis* certo mortuus*), ut et *Scortius*, qui unus totam istam tragoediam ludebat, sigillator et praeses Bruxellensis aulae. Sed, quod doleo, nos hodie sepelimus fortissimum virum *Theodorinum Vasmarum***) consulem. Reddat Deus nobis aliquem illo meliorem ac constantiorem. Reliquit apud me multas christianas voces, plenas christianae constantiae et pietatis. Huius mortem tota civitas iure plorat, et alii aliter eam interpretantur. Ego non alio fine, quam quod Deus ipse vult nostra bella depugnare sine humanis praesidiis. Ita enim malo hoc interpretari, quam punire nos velit ablatis bonis viris. Mirum tamen, quod hoc sesquianno, quo hic ago, nobis septem Senatores, tres prudentissimi consules mortui sunt, in quibus vere summa rerum stabat. Dominus nos respiciat misericorditer, Amen.

Nostri Comites fortes viri sunt, et bona spe sustentantur. Alter hic est, alter in vicinia ad sextum miliare, sed interim ad nos excurrit. Uterque mihi est carissimus, et qui de rebus magnis non dubitent mecum colloqui. O utinam te coram videam! quam te plenum facerem pleni gaudii! Id tu tamen paulo mox, quale sit, videbis. In silentio et spe fortitudo nostra; vivit ille absconditus Deus. Id dic omnibus praeceptoribus et patribus nostris. *Bucerus* heri ad me multa, sed varia ea, ut tempora sunt, et illius urbis perplexitas; tamen bene speratur. Mira de *Caesare*, *Gallo*, *Anglo*, *Dano*, *Polono*, et aliis, quae qualia sint docebit tempus. Nos interim oremus. Mi pater, obsecro, scribe ad nos, quid constitutum, quid obtentum aut permissum in vestris synodis et conventibus. Hic multi gemunt quod rumores spargantur de nescio qua conniventia ad *Interim.* Sed ego statuo a vobis nihil permissum, quod non bona conscientia donari possit. Ea mihi de omnibus vobis certa spes est, quam scio vos non falsuros. Nos pergimus unanimes et con-

*) Vid. Sleidan. p. 648.

*) Comes Burensis (a Büren) Bruxellae a vita discessit mense Decb. 1548.

**) Vasmannum? consulem Bremensem.

stantes in ministerio nostro nemine prohibente, acclamantibus omnibus; nam omnium una vox: pugnemus, aut certe moriamur pro lege et grege, moriatur anima nostra morte iustorum.

Cuperem *Hamburgenses* patres cessare a rixa de descensu Christi ad inferos, de quo tuam expecto sententiam, ut de eo, quod nuper rogavi ex obiectione adversariorum, qui scilicet fiat, ut, quum haberemus non tantum imputativam ab Adamo et labem et damnationem, quomodo non in Christo etiam praeter imputativam habeamus talem iustitiam inhaerentem et personalem ad vitam, qualem ad mortem. Intelligit Pietas tua argumentum, quod ego solvo, sed non expedite et categorice iuxta regulas. Id, mi anime, quaeso, ut mihi simpliciter exponas, non quod dubitem, sed quod ars me destituat.

*Colniensis* novus perturbabit omnia in sua dioecesi: nemo illic mansit in fidei confessione praeter unum nobilem dominum *de Hüls*. *Frisiis* orientalibus minatur Caesar: habent legatos in aula propter *Interim*, sed nihil impetrant. De alio luditur corio. Sed cadunt multa inter os et offam. Vale.

---

No. 4463. 13. Ian.

## Spangenbergio et collegis.

In Manlii farrag. bis: A) p. 157., et B) p. 215. — Apographa in codicibus Gothanis 19. p. 15., no. 28. p. 156 b., in cod. Bav. II. p. 18. et in cod. Mehn. II. p. 131 b.

*Reverendis viris, eruditione et virtute praestantibus, D. Iohanni Spangenbergio, et collegis ministerii in Isleben, amicis suis charissimis,*

S. D. Reverendi viri et amici charissimi. Optarim ad nos missum esse aliquem ex collegio vestro[1]), cui coram totam seriem actionum illarum exponere[2]) potuissem, de quibus scribitis. Sed ipsa aula nobis testis esse potest, nobis non probantibus insertum esse articulum de oleo et unctionibus. Et[3]) scimus consecrationes oleorum, quae extant in libris Episcoporum, impias et magicis similes esse. Idque[4]) semper in deliberationibus a nobis dictum est, et constanter dictum est. Illi autem, qui articulum de oleo inseruerunt, corrigi haec[5]) dicebant, quia addiderunt: *remotis omnibus superstitionibus*. Et in fine diserte dicitur, reliquos[6]) esse aliquos articulos non conciliatos, de quibus cum Episcopis deliberandum sit, si has Ecclesias velint regere. In his nondum conciliatis articulis numerari necesse est et illas consecrationum et unctionum absurditates. Intelligantur[7]) ergo non comprobatae[8]), sed ad illam deliberationem reiectae[9]). Sed decebat esse magis ingenuam orationem, dicetis[10]). Stylus indicat, non esse illa scripta ab uno. Nos, deo iuvante, vocem Evangelii incorruptam[11]) docebimus, et in nostra confessione semper sonabimus[12]). Pagellas vestras vobis remitto. Bene valete. Die 13. Ianuarii[13]).

1) Manl. A. *collegis vestris.*
2) *exponere*] cod. Goth. 28. *recensere.*
3) Cod. Goth. 19. *Sed.*

---

No. 4464. 15. Ian.

## Georgio Princ. Anhaltino.

Mel. select. epist. p. 279. Iterum Epist. lib. I. p. 104. (ed. Lond. lib. I. ep. 50.). Apographon cum textu Peuceri conveniens in msto. Manliano p. 111.

*D. Georgio Principi Anhaldino*

S. D. Si genus humanum casu aut tantum naturae legibus sine Dei gubernatione regeretur, nec servata esset Ecclesia antea, nec deinceps servaretur in tam horrendis confusionibus, sed firmissima fide statuamus, semper Filium Dei colligere, et inter ingentes procellas ac tumultus Imperiorum servare aliquem coetum, in quo lucet agnitio Dei, et ibi quidem servare, ubi mediocria sunt studia doctrinae a Deo traditae: sic inquit ipse Filius Dei, *Ero vobiscum usque ad consummationem seculi.* Et *Irenaeus* inquit: *Semper adfuit generi humano*

4) Manl. B. et cod. Goth. 19. *Id*; cod. Mehn. *Sed id.*
5) Cod. Goth. 28. *correxisse sic.*
6) Manl. A. *relictos.*
7) Cod. Bav., cod. Goth. 19. et cod. Mehn. *intelliguntur.*
8) Manl. A. *approbatae*; cod. Goth. 28. *comprobare.*
9) Cod. Goth. 28. *reiicere.*
10) Manl. B. *diceris*; cod. Mehn. *dicebatis.*
11) Manl. A. *incorrupte.*
12) *et in nostra — sonabimus* Manl. A. non habet.
13) Codd. addunt: 1549., et cod. Goth. 19. habet *d. 23. Ianuarii.*

*Filius Dei.* Hic servabit et deinceps aliquos coetus et doctrinae studia. Hac spe et alia multa communis vitae officia facio, et hortator sum iunioribus, ut non defugiant piam et Deo placentem coniugii servitutem, et cogitans de communibus periculis toto pectore precor, ut Filius Dei custodiat hanc societatem, et servet publicas et domesticas Ecclesias. Haec vota etiam huc adfero ad sacrum nuptiale filiae *Ioachimi Camerarii*, et sponsi, adolescentis eruditissimi, et sanctissimis moribus ornati, quos ut servet et regat Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani et Ecclesiae suae, toto eum pectore oro. Si valetudo firmior esset, iter istuc facerem. Necesse est enim nos colloqui. *Saxoniae* civitates tandem decreverunt, se prorsus non recepturos esse librum *Augustanum.* Rex *Ferdinandus* in *Pannonia* proposuit Ecclesiis quae nobiscum sentiunt, eundem librum: sed nequaquam receptus est. Discessit igitur Rex iratus, et minitans atrocia. De *Lipsico* conventus querelas et criminationes multorum audio, quas quidem lenire studeo. Bene et feliciter valeat C. T. Die Ianuarii XV.

---

No. 4465. 20. Ian.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 154. — Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 188.

*Clariss. viro — — D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noriberg. etc.*

S. D. Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et Ecclesiae, toto pectore oro, ut tibi vires corporis restituat, et vitae spatium longius concedat, cum propter Ecclesiam publicam, tum propter domesticam tuam Ecclesiam, quae praesertim in hac tristi confusione, nunc et consolationem tuam et gubernationem magis requirit. Et servet Deus aliquos coetus ipsum invocantes, et doctrinae testes, ut scriptum est: *non mortui laudabunt te Domine.* Quare spero eum vota et gemitus suorum exauditurum esse.

Meam valetudinem etiam duriter adfligunt et Physicae causae et aliae. Nec tantum praesentia spectacula cruciant animum meum, sed etiam cogitatio causarum, a quibus praecipue hae miseriae ortae sunt. Sed eluctaturam esse veritatem aliquanto post spero, et Filium Dei custodem Ecclesiae suae tecum oro, ut suos coetus servet et gubernet. Bene et feliciter vale. Die 20. Ianuarii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4466. 20. Ian.

## *V. Theodoro.*

Epist. lib. VI. p. 500 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 657. — Est *ultima* epistola ad Theodorum.

*D. Vito Theodoro, testi Evangelii filii Dei in inclyta Noriberga.*

S. D. Carissime Vite; Saepe hac cogitatione me consolor: Cum Adam et Eva lapsi essent, nullius creaturae ope restitui et servari potuerunt. Hic Deus immensa bonitate prodiit ex arcana sede, et sua voce, edita per filium et suo sancto Spiritu, revocavit Ecclesiam suam ex ipsis inferis. Non igitur deerit Ecclesiae Deus, te quoque clementer servabit, cum quidem iusserit nos petere et expectare salutem propter filium, ut ibi dictum est: *semen mulieris conculbabit caput serpentis.* Misi paginas Hieronymo *Besoldo*, quas legito. Bene vale. Die 20. Ianuarii *).

Philippus Melanthon.

---

No. 4467. 22. Ian.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 30. (edit. Lond. lib. II. ep. 12.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et amice charissime, Vagantur scholastici passim sine hospitiis et sine nidulis. Nos vero affici nostri gregis aerumnis decet. Quaeso igitur ut hunc *Nicolaum Ulmensem*, doctum, honestum et patientem laboris, mittas in eum locum, cuius nuper hic mentionem faciebas, aut in alium locum, aut quaeras civem istic, qui ei paedagogiam domesticam commendet. Obsecro te, ut eum quacunque ratione adiuves. In *Sue-*

---

*) Alia manus adscripsit: *ann.* 1549.

*via* pulsi sunt plures trecentis pastores Ecclesiarum. Imo et trucidati aliqui ab *Hispanis*, qui eis et viaticum et coniuges eripiunt. In Ecclesiis fit solitudo. Oremus Deum ut haec ingentia mala finiat. Bene vale, die 22. Ianuarii.

---

No. 4468. 23. Ian.

## *Io. Spangenbergio.*

Manlii farrag. p. 158 sq. et ibid. altera vice p. 217 sq. — Apographa in cod. Bav. II. p. 22. et in cod. Goth. 19. p. 16.

*Reverendo viro, D. Ioanni Spangenbergio, pastori Ecclesiae Dei in oppido Eisleben, et gubernanti vicinas Ecclesias, amico suo,*

S. D. Reverende vir et amice charissime. Meministi consolationem, quae extat in Esaiae concionibus, ubi inquit Deus: Ego Ecclesiam condidi, ego gestabo eam etiam in senecta, et canescentem. Et quo maior[1]) est senectae infirmitas, eo magis ipsam esse curae Deo nunc speramus[2]). Talibus consolationibus, ut te in hoc tanto dolore tuo[3]) erigas, valde te adhortor. Etsi autem video, qui terrores nobis proponantur: tamen spero filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum nobis adfuturum esse, invocantibus ipsum, et moderate[4]) necessaria facientibus. Vestram deliberationem cum nostris sententiis congruere iudico, qua de re in altera epistola scripsi prolixius. Bene et feliciter vale, die 23. Ianuarii[5]).

---

No. 4469. 23. Ian.

## *Spangenbergio et collegis.*

Edita in Actis synodicis lat. 405. In Manlii farrag. p. 159. In Mel. select. Epist. p. 470. Iterum in Epist. lib. I. p. 253. (ed. Lond. lib. I. ep. 81.) et apud Schlüsselburgum p. 88. Repetita in Mel. Cons. lat. P. II. p. 87. — Apographa in cod. Bav. II. p. 20. Cod. Goth. 28. p. 157. Cod. Goth. 19. p. 18. et cod. Goth. 191. p. 44.

1) *maior* edidi ex utr. cod. pro *acrior*.
2) Cod. Bav. *speremus*.
3) *tuo* addit cod. Goth. 19., sed cod. Bav. *modo*.
4) Mst. 19. *cum moderatione*.
5) Addit utr. cod. 1549.

*Reverendis viris, D. Ioanni Spangenbergio, gubernanti Ecclesias Dei in comitatu Mansfeldensi, et pastoribus caeteris, eorum collegis, amicis suis,*

S. D. Reverendi viri, et amici charissimi. Orat filius Dei in agone suo, ut aeternus pater consensum Ecclesiae tueatur, ut simus unum in ipso, ut verba, quae extant in ea narratione recitem[1]). Nec est irrita illa filii Dei precatio. Semper erit aliquis coetus, custos verae doctrinae consentiens. Legi vestram deliberationem, quam iudico et piam esse, et cum nostris Ecclesiis congruere. Etsi autem multa[2]) Ecclesiis nostris minitantur[3]), et profecto horribilis crudelitas in Suevia exercetur: tamen nec verae doctrinae corruptelas unquam recipiemus, nec vitiosos cultus approbabimus. In aliis[4]) rebus adiaphoris servitutem quamlibet duram tolerabimus. Nec propter leves causas occasionem praebendam censemus iis, qui pellere pastores conantur; qua de re cum a multis interrogati simus, scripsi quid mihi videretur. Quanquam autem scio quibusdam horridiores sententias magis placere[5]): tamen haec magna causa est cur servitutem toleremus, ne fiat in Ecclesiis solitudo, qualis iam in multis locis est. Ad Rhenum, et in Suevia, nulli sunt congressus, templa clausa[6]) sunt: ne baptismus quidem in templis administratur: pelluntur pastores, aliqui etiam trucidantur, et rapiuntur aliquorum coniuges et filiae. Nec magistratus ulli[7]) opem fert suis pastoribus: quidam etiam gaudent eos exeuti. Cum igitur videamus quo[8]) in periculo sint non tantum docentes, sed etiam ipsae Ecclesiae, hoc est pii coetus: tantisper donec pie possumus, manere apud Ecclesias studeamus: etiamsi toleranda est[9]) aliqua servitus, quae tamen sit sine impietate. Oremus autem filium Dei, ut ipse vos gubernet, et poenas mitiget. Non enim humanis consiliis retineri lux Evangelii in genere humano potest: sed Dei opus

1) *ut verba* etc. casu exciderant ex Manlio.
2) *multi*] Pezel. et codd. Goth. 19. et 28.
3) *minitantur*] Pez., Schlüsselb. et codd. Goth. excepto cod. Goth. 28., qui cum Manlio habet *minantur*.
4) Manl. *iis*. Cod. Goth. 191. *reliquis*.
5) Peuc. et Pez. *probari*, sed Schlüsselb. et codd. Goth. *placere*.
6) *muta* Schlüsselb., cod. Bav. et cod. Goth. 28.
7) *ullam* Manl. et cod. Goth. 28.
8) Peuc. et Pez. *quomodo*, sed codd. Goth. tuentur *quo*.
9) *est* Manl., Schlüsselb. et cod. Bav. Reliqui *sit*.

et beneficium est tanti boni conservatio. Ab ipso igitur petamus et expectemus auxilium. Bene valete: Die 23. Ianuarii[10]) 1549.

---

No. 4470. 23. Ian.

## Io. Aepino.

† Ex apogr. in cod. Bav. Vol. II. p. 23.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti Dom. Ioanni Aepino, Doct. Theologiae, gubernanti Ecclesiam Dei in inclyta Hamburga, amico suo carissimo,*

S. D. Etsi fama perfert ad nos exempla crudelitatis, quae adversus doctores Ecclesiarum exercetur, tamen iisdem de rebus ad te scribendum esse duxi, ut certam historiam habeatis. Nec inutile est, vos scire, quid alibi fiat. Certum est, eodem tempore in *Suevia* mandatum esse pluribus quam trecentis Ecclesiarum doctoribus, ut cum familiis suis migrent. Inter hos qui cito potuerunt discedere minus crudelitatis experti sunt, alii tardiores trucidantur ab Hispanis, aliquorum etiam coniuges aut filiae rapiuntur. Magistratus haec spectacula otiosi intuentur, ac nonnulli laetantes novo statu, libenter eos hac occasione excutiunt. Haec exempla considerari a gravibus et piis gubernatoribus utile est. Plura nunc scribere non volui, sed expecto confutationem libri Augustani, quam editurus es, ac inprimis videre cupio, quid περὶ λειτουργίας disputes. Est enim nunc in hac subtilitate difficilior, quam fuit antea. Meam tibi sententiam misi, nec mutabo quicquam in doctrina Ecclesiarum nostrarum, nec corruptelas ullas purae doctrinae recipiam. Exilia potius aut supplisia feram, sed servitutem in Adiaphoris potius ferendam esse et pastoribus et populo, censeo, quam ut deserantur Ecclesiae, si modo potest obtineri hoc modo, ne pellantur pastores, ut aliqui sperant. Plura alias. Bene et feliciter vale. Die 23. Ianuarii 1549.

Phil. Melanthon.

---

10) Sic etiam codd. Goth. 19. et 28. Sed Pezel. et cod. Bav. habent 21. *Ianuarii*, Schlüsselb. *die* 13. *Ian.*

No. 4471. 25. Ian.

## I. Ionae.

Ex autographo (ut editori visum est, sed puto, illum apographon habuisse) editum in den Unschuld. Nachrichten ann. 1738. p. 264. Antea iam edito in Manlii farrag. p. 550 b. — Contuli apographa in cod. Bav. Vol. II. p. 233. et in cod. Monac. 88. no. IV. p. 129 b. — Scripta est a Melanthone nomine Academiae Witebergensis.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Dom. Iusto Ionae, Doct. Theol., gubernatori Ecclesiae Dei in Salinis Saxonicis, amico nostro.*

S. D. Reverende vir et amice colende. Quoties de Academiae nostrae statu, qualis fuit ante hoc tempus, cum sedes doctrinae celebris esset[1]), cogitamus, tuae consuetudinis etiam[2]) recordamur, teque propter ingenii, eruditionis, eloquentiae et virtutis praestantiam singulare ornamentum nostri coetus fuisse iudicamus, ac tuam assiduitatem in variis Ecclesiarum negotiis, in dandis consiliis, in iudiciis et[3]) aliis laboribus grata commemoratione praedicamus. Ac inter exempla inconstantiae rerum humanarum recensemus et huius nostrae politiae concussionem, in qua tam multa ornamenta amisimus. Etsi autem ab Illustrissimo Principe Electore, postquam ex tanto naufragio non solum nostrae Academiae, sed paene universae Germaniae tanquam tabulas colligere coepimus, benigne adiuti sumus, tamen aerarii iacturae[4]) nondum sarciri potuerunt[5]). Coloni enim[6]) nondum pendunt usitata tributa. Comes *Albertus*[7]) debet iam 1600 aureos. In hac tanta[8]) aerarii inopia novam scholae dissipationem et nova exilia[9]) metuimus, quae iam eo erunt difficiliora[10]), quia in his ipsis regionibus, in quibus hospitia quaerenda erunt, vagantur exercitus[11]). Itaque te oramus, ut tu quoque calamitatum nostrarum rationem habeas, ac responsionem nostram[12]) boni consulas, quae

---

1) *cum sedes — esset* non habentur in U. N.
2) *etiam* Manl. non habet.
3) *et*] Manl. *in.*
4) *iacturae*] Manl. *iacturam*; U. N. *tabulae.*
5) Manl. *sarcire poterimus.*
6) *enim* abest a cod. Mon. 88. et U. N.
7) Manl. *tributa, et comes N.*
8) *tanta* abest a Manl.
9) *et nova exilia* Manl. non habet.
10) Manl. *quae eo erit difficilior.*
11) Manl. habet: *regionibus in quibus vivimus, nova hospitia quaerenda erunt. Vagantur passim exercitus.*
12) *nostram* Manl. non habet.

vera et simplex est. Cum non sit in aerario tantum, ut solvi stipendia proximo quadrante anni possint, mittere nunc nihil possumus[13]). Nec ignota est haec nostra[14]) inopia Illustrissimo Electori, qui nunc deliberat de pensione, quae ex fundis, quos habuit Comes *Albertus* debetur. Hanc si non obtinebimus, ne nobis quidem stipendia solvi poterunt. Ferenda igitur communis calamitas, in qua haec pecuniarum iactura multo levior existimanda erit[15]), quia[16]) alia maiora toleranda sunt. Turbantur Ecclesiae; pelluntur ex suis nidulis pii pastores[17]) cum totis familiis; multi senes pastores crudelissime trucidantur; rapiuntur eorum coniuges et filiae; scribuntur etiam edicta sanguinea[18]), et impiae leges Ecclesiis imponuntur. Haec tristissima spectacula magis excruciant omnium[19]) mediocrium animos, quam privatae aerumnae. Sed si hanc doctrinae sedem Deus sua bonitate servabit, benevolentiam nostram erga te et tuos cum aliis officiis tum vero etiam hac in re, quam petis, declarabimus. Vitebergae, d. 25. Ianuarii[20]).

13) Manl. *potuimus.*

14) *nostra* abest a Manl.

15) *in qua — erit* praetermissa sunt in den U. N.

16) *quia*] U. N. *quae.*

17) *pastores*] codd. *doctores.*

18) Manl. *sanguine.*

19) *omnium*] Manl. *hominum.*

20) U. N. habent: d. 25. Ianuar, et Manlius addidit: 1549. — Paulus *Eberus* in epist. „Iusto Ionae, Theol. Doctori, ac Superint. Ecclesiae Christi in Salinis Saxonicis", quae legitur in Epist. Volum. Meining. ep. 75., data Witebergae d. 27. Iulii 1550. haec Ionae scripsit: „Quod petivisti, ut in „negotio tuo laborarem, utinam possem cum tuo aliquo „fructu meam erga te observationem declarare. Certe vo„luntas mihi non deest. Remitto autem literas, quas ne„mini ostendi, nisi Dm. *Philippo*, qui iudicat mecum, fru„stra hoc tempore multa a te ad Academiam de pecunia scribi, „cum Academiae simpliciter sit impossibile, si maneat pro„fessorum hic numerus et haec redituum paucitas, istam, „quam petis, summam, vel praeteritam pensionem vel fu„turam tibi solvere, id quod magno consensu aliquoties dici „ab iis audivi, qui exactam cognitionem habent omnium „rationem expensi et accepti huius Academiae. Quare im„mediate istud ab Illustrissimo Principe Electore petendum „est, qui, si volet, ut potest, et non sine causa faciet, erga „te munificus esse, modum inveniet, quo tuae egestati sub„veniatur, salvis reditibus Academiae. Hoc occupatissimus „breviter ad te scripsi, ut, quid spei ipse habeam, intelli„geres, quae, quod ad istud negotium attinet, solius Ele„ctoris munificentia nititur. Hic enim in nostro aerario ni„hil audio reperiri posse, quo tibi satisfiat."

No. 4472. 25. Ian.

## *Alb. Hardenbergio.*

Epist. ad Hardenberg. ep. 18.

### *D. Alberto Hardenbergio.*

Reverende vir, et carissime frater. Gratiam tibi habeo, quod ad nos interdum scribis, teque oro, ut donec colloqui possumus, literas mittas. Nec deerit tibi meum officium in eo genere. Dei beneficio in Ecclesiis nostris nondum facta est ulla mutatio. Et mediocria sunt in Academiis Studia doctrinae coelestis et aliarum artium. Etsi autem sperant aliqui posse obtineri, ne duriora imperentur, si de vestitu et cibis, aut similibus nugis non pugnemus, tamen quid futurum sit, tempus ostendet. Mihi nunquam placuit rixari de parvis rebus. Sed magno in dolore et fui annos decem et amplius et adhuc sum, quod inquisitio Doctrinae necessariae impedita est. Propter quam causam nunc etiam nos plecti, utinam multi agnoscerent, et vera invocatione Dei in fiducia filii, peteremus auxilium. In Suevicis Ecclesiis pelluntur Pastores, et fit solitudo, ac multis locis nulli sunt congressus in templis. Talis est Reformatio, quam iactitabant facturam esse aureum seculum. Bene vale et rescribe. Die conversionis Pauli. Inclyto Comiti *Alberto* salutem, et fausta omnia opto 1549.

Philippus Melanthon.

*Crucigerum* Deus in scholam coelestem abduxit.

No. 4473. 25. Ian.

## *And. Kegelio.*

Manlii farrag. p. 518. — Apographa in cod. Goth. 212. p. 105., cod. Zeltn. ep. 29. et cod. Monac. 88. no. IV. p. 131 b. — Epistolam a Melanthone scriptam esse dubio caret, et testatur cod. Goth. 212. qui addit: „*Ph. M. fecit.*"

*Eruditione et virtute praestanti M. Andreae Kegel*[1]), *gubernanti studia literarum in oppido Isleben, amico nostro, Rector, Magistri et doctores Academiae Witebergensis*[2])

S. D.[3]) Valde dileximus virum clarissimum *Casparum Crucigerum*, Doctorem Theologiae,

1) Manl. *Regel*, ex mendo.

2) *Rector* etc. codd. habent in fine epist.

3) Manlius tantum habet: *S.* Sed Melanthon semper: *S. D.*, ut et codd. habent.

socerum tuum, collegam nostrum, propter ingenii, eruditionis et virtutis praestantiam, ac dolemus, et nos et Ecclesiam voce ipsius eruditissima et consiliis orbatam esse. Quanquam igitur Academia nostra tecum luget eius mortem, tamen hac consolatione leniamus moestitiam, quod non dubium est, eum in Academiam multo pulchriorem et tranquilliorem abductum[4]) esse, videlicet ad consuetudinem Dei et filii eius Domini nostri I. C. in coetum Angelorum, Patrum, Prophetarum et Apostolorum, cum quibus iam dulcissime de ea doctrina, cuius hic elementa didicit, colloquitur. Memoriam vero[5]) ipsius grati conservemus, et benivolentiam erga eum liberis ipsius praestemus, quod te quidem praecipue facere decet, cui cum filiam[6]) virtute et forma praestantem, quam valde diligebat, despondit[7]), ostendit, se de te quoque amanter sentire. Cum autem nunc divisio haereditatis iuxta testamentum, quod socer iudicavit aequum esse, facta sit, et tua coniunx suam partem ex haereditate ad te adferat, te vicissim hortamur, ut, quod iustissimum est, vicissim ei donationem propter nuptias constituas, et in[8]) hac re honestissima cum iustitiam coniugi debitam, tum vero pietatem erga socerum declares, quem te quidem, et propter affinitatem, patris loco venerari et amare existimamus. Nos vero excellens ingenium eius, eruditionem, iudicii dexteritatem, gravitatem et pietatem tanti facimus, vix ut desiderium eius lenire in nobis possimus. Bene vale. Die conversionis Pauli, 1549.

---

No. 4474. 25. Ian.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Ep. lib. II. p. 248. (ed. Lond. lib. II. ep. 246.). — Fortasse scripta est ad Ioachimum Principum Anhaltinum, non ad Georgium Episcopum Mersb., quem haud dubie non solum Illustrissimum sed simul etiam Reverendissimum principem alloquutus esset.

### *D. Georgio Principi in Anhalt*

**S. D.** Illustrissime Princeps. Mediocriter in his regionibus, Dei beneficio, Ecclesiae et studia doctrinae floruerunt, et consensus fuit docentium in hac tota ora *Germaniae* a saltu *Turingico* usque ad littus *Balticum*. Et fuerunt hae vicinae Academiae quasi praecipua doctrinae sedes. Ideo in his locis haesi, et hanc coniunctionem Ecclesiarum magnis laboribus adiuvi. Idque facere deinceps, Deo iuvante, studebo, donec conceditur. Ac Filium Dei oro, ut gubernet omnia mea consilia, et meam vocem, meque faciat σκεῦος ἐλέους. Sed illae proximae actiones, de quibus et *Pastor* noster questus est, magnum mihi dolorem attulerunt. Potuissent articuli maiore gravitate componi, qui et Imperatoris consilio magis placuissent, si scivissemus quo spectassent eorum deliberationes. Excanduit noster *Pastor* propter *Islebii* triumphos, et propter multorum obiurgatrices literas, et iudicavit necessario opponendam esse excusationem, seu potius confessionem, quod ita fecit, simul ut clamores multorum hic represserit, qui nobis rabiose maledicebant. Quod autem interrogat C. V. quid respondendum sit, si nobiscum expostulabitur, facilis est responsio V. C. quae procul a nostris sermonibus abest. Mea responsio difficilior; me enim dicent hoc vulnus tegere debuisse. Ego vero nihil disputabo contra, sed cum irasci se mihi ostendent, nisi captus fuero, discedam. Et quanquam invitus has Academias et hoc dulcissimum sodalitium relinquam: tamen huius commodi cogitatione dolorem leniam, quod haec me fuga ab insidiosis deliberationibus istorum liberabit. Quantum erit periculi, cum aliquanto post de canone, de Episcoporum gubernatione colloquendum erit; quanti armorum terrores, quam variae sophismatum praestigiae proponentur. *Plato* citat *Aeschylum* dicentem: *Aliis civitatibus alios homines congruere.* Fortassis et meae opiniones non congruunt ad eam Reipubl. formam, quam constituere nunc conantur. Quod vero C. V. censet, praecipiendum esse scholasticis ne narrationes periculosas spargant in Epistolis, eo edicto curiosas naturas irritaremus. Nunc multa prudentum dissimulatione sanari possunt. Protestationem legi et probo, sed quaedam scripsi aliter, de quibus tamen iudicium C. V. permitto. Nollem in *Daniam* mitti τὸ σύγγραμμα περὶ ἀδιαφόρων. Bene valeat Cels. V. Datae die conversionis *Pauli* 17.

---

4) Cod. Goth. et Zelt. *adductum.*
5) *vero*] Manl. *igitur.*
6) *filiam*] Manl. *famulam.*
7) Manl. *desponderit.*
8) *in* non habent codd.

No. 4475. 29. Ian.

## *Pastoribus Francoford.*

Edita in den Unschuld. Nachrichten, ann. 1732. p. 857. Contulimus apographon in cod. Goth. 191. p. 82. et apographon in bibl. Francoford., manu Hartmanni factum, nobis descriptum a Cl. *Boehmio.*

*Reverendis viris, eruditione et virtute praestantibus, Pastoribus Ecclesiae Dei in inclyta*[1]) *Francofordia ad Moenum et eorum collegis, amicis suis*[2]).

S. D. Reverendi viri. Etsi spero vobis non deesse consilium, tamen, quia et vir venerandus Mag. *Hartmannus*, et alii in vestra vicinia interrogarunt, quid mihi videretur, si peterent gubernatores, ut ritus aliquos veteres adiaphoros restituamus, quia sperant, ea moderatione vel servitute potius obtineri posse, ne alia imperentur, quae recipi non possunt: in his pagellis, quas vobis mitto*), recitavi meam opinionem. Videor fortassis mollior aut timidior[3]); sed omne consilium meum eo spectat, ne deserantur Ecclesiae. Saepe cogito, haec mala, in quibus nunc sumus[4]), ex nostris dissidiis orta esse, et confirmatam esse audaciam[5]) eorum, qui stabilire impios cultus conantur, cum viderent nos de re non parva dissidere. Deploremus igitur nostras miserias, et nostra moderatione eas lenire studeamus, ita, ne prorsus Ecclesiae deserantur. Bene valete. 20. Ianuarii[6]) 1549.

Philippus Melanthon.

---

No. 4476. 29. Ian.

## *Iisdem.*

Edita primum in Actis synod. lat. p. 406. Postea in Manlii farrag. p. 42. a Peucero in select. Epist. p. 472. Repetita Epist. lib. I. p. 254. (ed. Lond. lib. I. ep. 82.) et a Pezelio in Melanth. Consil. lat. P. II. p. 81. Denique edita in Joh. Balthas. Ritters evangelischem Denkmal der Stadt Francfurt am Mayn, p. 899 sq. — Apographa in cod. Bav. II. p. 67., ubi inscripta est: „*Phil. Mel. iudicium de adiaphoris. Alii sic: iudicium Alex. Alesii, theol. Doct. de mutatione ceremoniarum.*" — in cod. Goth. 191. p. 1. et ibidem altera vice p. 82. et in cod. Galli II. p. 259., ubi inscribitur: „concionatoribus Norinbergensibus." Denique contuli apograph. vetust. quod est in Biblioth. ministeriali Erford.

*Epistola scripta Ecclesiae Dei in urbe Francofurto ad ripas Meni.*

S. D. In tanta Ecclesiarum dissipatione et moestitia optarim quam minimum fieri mutationum. Semper enim, etiam tranquillis temporibus, aliquid est in mutatione incommodi. Nunc multo magis dolore afficiuntur bonae mentes, cum vident tales mutationes institui, quae significant inclinationem ad inimicos nostros, quos certum est defendere viciosos cultus. Propter hanc inclinationis opinionem triumphant et confirmantur inimici, et inter nos multi[1]) languefiunt, et in dubitationem adducuntur. Quare suasores mutationis graviter accusantur, et iudicantur scandalorum insignium autores esse, videlicet languefactionis in ea parte, quae recte sentit, et confirmationis errantium, denique et obscurationis veritatis et gloriae Dei. Haec non sunt exigua mala, de quibus postea rursus dicendum est, cum fiet collatio scandalorum, quae ex durioribus et mollioribus sententiis sequuntur. Prius autem discernenda est privata confessio a consilio, quod aliis infirmis et dissimilibus datur.

*Laurentius* recte fecit, quod mortem praetulit edicto *Decii* de pecunia. Fuit enim in ea occasione confessio eius illustrior, et talis celsitudo animi singulari motu Spiritus sancti iuvabatur. Alius timidior censuisset pecuniam potius amittendam esse, quam vitam, et fuisset huius infirmitas excusabilis. Nihil igitur hic praescribam fortibus, qui etiam levi occasione confessionem illustrem suo periculo edere volunt. Sed videant ut veras sententias profiteantur, earum fontes norint, et non sint θρασύδειλοι, audaces ante pugnam, postea in pugna dubitare, trepidare et deficere incipiant, quales vidimus multos usque ad ancillae vocem fortes, ut in *Petri* historia exemplum propositum est.

Nunc autem non de privata confessione disputo, sed de consilio dando aliis dissimilibus et

---

1) Cod. Goth. 191. *inclyta urbe.*
2) Cod. Goth. 191. *et collegis eorum.*
*) Iudicium, quod sequitur.
3) *Videor fort. moll. aut tim.* desiderantur in apographo Boehmii.
4) Cod. Goth. 191. *fuimus.*
5) Cod. Goth. 191. *confirmata esse audacia.*
6) Cod. Goth. 191. 2. Ianuar. anno salutis nostrae. — Quum iudicium, quod simul cum hac epistola misit, datum sit d. 29. Ianuarii, aut hic scribendum est d. 29. Ian., aut in iudicio 20. Ian. pro 29.

1) † *pii*] cod. Bav. et mst. Erford.

infirmis, ut hoc tempore multi gubernatores petunt, ut pastores restituant aliquos veteres ritus *ἀδιαφόρους*, eamque moderationem sperant profuturam, ut plus non postuletur, nec turbentur Ecclesiae propter alias res maiores. Fortassis autem haec spes vana[2]) est. Hic tamen sentio petentibus tali moderatione gratificandum esse. Nec ignoro multa stoice et horride dici contra hanc sententiam seu timidiorem seu aequiorem, cum initia mutationis confirment adversarios, ne quidem haec parva ducenda esse *ἀδιάφορα*. Hanc duriorem opinionem si qui amplectuntur, amplectantur suo, non alieno periculo.

Cum *Petrus* dicit, *patiendum esse ubi opus est*, praecipit, ut confessio sit de rebus veris et necessariis, et occasio sit honesta abeundi periculi, ut cum Magistratus interrogant de doctrina, vel praecipiunt, ut facto ipso abiiciamus doctrinam, sicut Ethnici praecipiebant, ut milites sacrificarent Idolis. Itaque non solum privatim docti et fortes, sed etiam populus anteferre debet veritatis confessionem vitae, et paci in rebus veris, quarum cognitio omnibus necessaria est: ut cum praecipitur de corruptelis doctrinae recipiendis, aut de manifesto abusu Missarum, aut de Invocatione mortuorum. Et erudiendus est populus, ut discrimen intelligat inter necessaria, et non necessaria. Sed cum petitur, ut servetur ordo veterum cantionum, Ferarium et vestitus, hic non iudico populum onerandum esse periculis, cum *Petri* regula dicat, *Patientes ubi opus est.* Ut meminimus in loco vicino *Basileae* igne crematum esse quendam propter esum carnium. Etsi crudelitatem Iudicum iustissime execramur, et constantiam boni hominis in confessione laudamus, tamen et ipse nequaquam male fecisset, si hoc periculum vitasset; et certe alios onerare nemo debet, ut tali occasione pericula sibi accersant. Secundo, Non tantum metu moveor, ut pias, elegantes et similes ceremonias optem in Ecclesiis nostris esse. Saepe ante multos annos non ego tantum, sed etiam alii multi gubernatores Ecclesiarum hortatores fuerunt, ut in Ecclesiis pia et similis forma rituum institueretur. Nec propterea doctrinam de libertate Evangelica abolemus, quae de rebus multo maioribus concionatur; Sed omnes sani intelligunt, naturae hominis convenire ordinis elegantiam in publicis congressibus, sicut et *Paulus* dicit: *Fiant omnia decore et bono ordine.* Ac dolemus in multis locis etiam utiles ceremonias, absolutionis, cantionum, a caeteris[3]) abolitas esse.

Sed scandalum est confirmare adversarios hac specie inclinationis. Ad hoc respondeo: Si constantia erit confessionis in rebus necessariis, ut esse debet, non poterit defectio nobis vere obiici. Volo enim et deinceps semper eandem vocem verae doctrinae servari[4]), et nullos recepi impios cultus. In caeteris autem rebus ostendamus modestiam et tolerantiam nostram in servitute. Haec ipsa submissio si fieret[5]) retinendi Evangelii causa, honestior esset, quam superbia in deserendis Ecclesiis: Praeterea maius est scandalum deserere Ecclesias propter causas non maximas, aut praebere causam iudiciis populi, qui diceret, nos propter parvas res pertinacia nostra attrahere bella, quam praebere adversariis qualemcunque occasionem calumniandi nostram moderationem. Et cogita, uter male faciat, an ille durus et horridus, qui ut retineat laudem constantiae, mavult Ecclesiam deserere, quam vestem mutare; an vero †hic" patientior servitutis, qui ut prosit Ecclesiae, sustinet onera quamvis ingrata, sed sine impietate, ut interea maneat Ecclesia in rebus principalibus in eodem statu, et non tollatur ministerium Evangelii, et non turbetur invocatio in populo. Saepe fit etiam, ut illi ipsi duri et vehementes maiora negligant, imo etiam impediant, et interea de rebus minutis tumultuentur, sicut scriptum est de colantibus culicem, et devorantibus Camelum. Pugnant aliqui de veste, et interea prorsus tacent de disciplina, imo magis eam laxant[6]), tacent et de excommunicatione, et aliis nervis viciosorum cultuum. Sed confirmas, inquiunt, adversarios.

Si erit constantia in rebus necessariis, non confirmamus adversarios, sed declaramus modestiam nostram, et studium iuvandae Ecclesiae, quod etiam[7]) servitutem duriorem toleramus, et quidem ideo toleramus, ne Ecclesiae deserantur, item ut intelligant omnes, nos non de nostra libertate, sed de necessariis articulis doctrinae[8]) dimicare. Ac servitutem eo modestius feramus,

2) *vana* Pez., cod. Erf. et cod. Bav. pro *una*, quod edidit Peuc.

3) Cod. Bav. et cod. Erf. *et caeteras.*

4) *sonare* cod. Goth. 191. et cod. Erf.

5) *cum fuerit* cod. Goth. 191. *cum fieret* mst. Erf.

6) Peuc. mendose *taxant* pro *laxant*, quod et codd. tuentur.

7) Codd. *videlicet.*

8) *doctrinae* Pez., cod. Bav. et mst. Erfurt. Sed Peucer et cod. Goth. 191. *disciplina.*

quia praetextu libertatis †christianae" nimium abusi sumus omnes. Fatendum est, non vulgarem fuisse petulantiam multorum in turbanda doctrina. Nec populus tantum, sed etiam gubernatores et seniores[9]) nimium neglexerunt exercitia temperantiae, utilia invocationi. Magna fuit in discendo, in inquisitione, et explicatione veritatis negligentia, nemo curavit inspici Ecclesias et rudiores Pastores erudiri. Multi doctores affectibus suis nimium indulserunt. Aliqui etiam miscuerunt intempestive causam Ecclesiae et alia negotia. Haec nostra peccata et alia multa commonefacti iam praesentibus aerumnis deploremus, et ita feramus servitutem, ut donec possumus prodesse Ecclesiis, non discedamus.

Nec propterea amittitur libertas *Christiana*, si recte docebimus. Nam corda scient tales ritus non esse cultus Dei, sed alia maiora opera, veram fidem, invocationem, dilectionem, spem, patientiam, veritatis[10]) confessionem, castitatem, iustitiam erga proximos, et alias virtutes veros cultus Dei esse. Sine hac doctrina, et sine his virtutibus, libertas externa in cibis, vestitu, et similibus Adiaphoris non est libertas *Christiana*, sed nova politia, gratior fortasse populo, quia pauciora vincula habet. Obiiciunt autem aliqui dictum *Pauli: Si quae destruxi, ea restituo, praevaricatur fio.* Non erravit *Paulus* in destruendo. At in hac nostra infirmitate, cum primum veteres ritus aboliti sunt, magna fuit et docentium, et opinionum et locorum dissimilitudo. Aliqui privatam absolutionem prorsus aboleverant, quod cum non sit recte factum, etiam ante hoc tempus restitui eam optavi. Fateamur nos homines esse, et potuisse quaedam temere et incircumspecte dicere et facere. Talia si qua sunt, non gravatim emendemus. Nec restitutio aliorum rituum mediorum praevaricatio est, cum doctrinae puritas retinetur. Nam qui *Paulo* obiiciebant restitutionem illam, volebant eum doctrinae genus mutare, et aliis imponere legem *Mosaicam* tanquam necessariam. Hic repugnat *Paulus*: alibi in usu attemperat se ad mores eorum, cum quibus versatur, et propter Ecclesiae utilitatem sua libertate non utitur.

Etsi autem scio multos de hac quaestione duriorem sententiam magis probare, tamen si profutura est servitus ad hoc, ne amittant Ecclesiae vocem †verae" doctrinae, nec onerentur viciosis cultibus, pia et gravis causa est, cur servitutem quamvis duram anteferamus aliis consiliis, in qua tamen nec conscientiae vulnerentur, nec invocatio piorum turbetur. Et quia non leviter antea nobis dissidia nostra nocuerunt, non moveamus nunc inter nos ipsos certamina non necessaria, sed singuli in aliis quaedam boni consulamus, et communi tranquillitati condonemus, et leniamus Ecclesiae moestitiam nostra aequitate, quantum possumus. Ac Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ne sinat extingui lucem verae doctrinae et veram invocationem. **29.** Ianuarii, Anno **1549.**

9) *senatores* cod. Bav. et mst. Erf.

10) Sic codd. pro *veritatem*, nisi quod mst. Erf. *veritatem* habet.

---

No. 4477. 30. Ian.

## *G. Fabricio.*

Epist. lib. V. p. 401 sq.

*Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misnensem.*

Non dubium est, et causas graves esse, propter quas Deus sensum harmoniarum generi humano indidit, et arcanas esse significationes in illa harmoniarum concinnitate. Sed inter praecipuas causas hanc esse existimo, quod carminibus vult conservari suam doctrinam, libenter enim accipiunt cantilenas naturae mitiores, et ad posteritatem transmittunt. Optandum est igitur, non negligi Musica studia. Atque utinam Principes ea in re etiam illud cogitarent: *τιμὰ δὲ τὰ πράγματα κρείσσονα ποιεῖ.*

Mitto ad te iuvenem *Mersburgensem*, *Michaëlem*, qui et canere et docere artem potest. Intelligit enim *θεωρίαν* harmoniarum. Sed vos ipsi de eo statuetis. Inprimis enim in hoc genere fastidiose iudicatur. Si non placebit, remittite eum ad nos, nam hic in templo certum munus habet.

De Epitaphiis gratias ago tibi et caeteris amicis. Scribam et *λόγον ἐπιτάφιον*, ubi adiungemus et Epicedia, et vestras Elegias.

Magna omnino praestantia ingenii in *Crucigero* fuit, et cognitio universae Philosophiae, quae insigni ornamento orbati sumus. Deus foveat coetus docentium et discentium.

Terentii emendationem inspexi, non perlegi totam. Sed iudico, utilem lucubrationem esse, teque praeclare meritum de studiis literarum hac editione. Bene vale. Salutem opto Collegis. Prid. Calend. Februarii.

---

No. 4478. (m. Ian. ut videtur.)

## G. Buchholtzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

*Georgio Buchholtzero, Pastori Ecclesiae Berolinensis*

S. D. Venerande vir et amice carissime. Declarationem, quam sic vocatis, remitto vobis. Vidi eam antea, et intelligo magis conformationem fucosam esse, collectam ex dictis *Lutheri*, qui si videret articulum de iustificatione, ut in libro recitatur, non probaret eum. Quod de argumentis additis, de tolerandis infirmis meam sententiam flagitatis, dico et ego, multos naevos in singulis tolerandos esse. Multa vitia et magnam caliginem singuli habemus, sed tamen doctores curent, ut fundamentum doctrinae maneat incorruptum, ut monet Paulus. Ego graves causas habeo, quare meam conscientiam adprobatione libri nequaquam onerari velim. Et principes pie facerent, etiamsi politicis consiliis moti receperunt librum, si non onerarent pastorum conscientias approbatione tot articulorum, quos pauci intelligunt. Formulam quae legenda est ante canonem existimo a scriba mendose aliunde descriptam esse. Et cum pugnare videatur cum ipso canone, cur aliud intus aliud foris, ut in Comoediis, recitabit Sacerdos in tam sancto et venerando ministerio? Bene vale.

Philippus.

---

No. 4479. 3. Febr.

## I. Sigefrido.

Manlii farrag. p. 124 et in Schlüsselburgii studio Eccles. Dei inserv. p. 91.

*Reverendo viro, etc. Ioanni Sigefrido, pastori Ecclesiae Dei in oppido Brandenburg, amico et affini suo charissimo,*

S. D. Reverende vir, et amice ac affinis charissime. Inter alias[1]) vos hac consolatione confirmate, quam Filius Dei proponit, inquiens: Non sitis solliciti, quomodo aut quid dicturi sitis: dabitur enim vobis in illa hora, quid dicendum sit. Et ut vobis adsit Filius Dei, toto pectore eum oro. Videmus[2]) Ecclesiam tristi servitute oppressam esse. Haec[3]) sapienter feramus, ne deserantur Ecclesiae propter ineptos ritus, si modo absit impietas. Nescio qualis propositio in conventu futura sit. Sed vos respondere poteritis, vos in doctrina et Missa nihil mutaturos esse. In caeteris rebus adiaphoris servitutem ego quoque servitutem[4]) tolerari non recusabo[5]). De Canone non est obscura deliberatio, ego eum nunquam approbo: Si glossas *Sydonii* putant sufficere, errant. Nam et glossae illae confirmant falsam opinionem de applicatione operis sacerdotis pro Ecclesia. Magna causa est, et optarim, te et alios pios et eruditos et amantes veritatem, posse colloqui cum de aliis articulis, tum praecipue de Missa. *Georgius*[6]) praepositus in urbe Arctoa[7]) petivit, ut gratiarum actionem, precationem et confessionem, recitandam loco Canonis, componerem. Quod faciam: sed iudicio piorum subiiciam. Bene valete. 3. die Februarii 1549.

---

No. 4480. 4. Febr.

## Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 499. (ed. Lond. lib. II. ep. 527.). Mel. Consil. P. II. p. 74.

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Charissime *Ioachime*. Scio tibi notas et cogitatas esse laudes veras et praecipuas coniugii.

---

1) *Inter alias* Schlüsselb. pro *initio*, quod Manl. edidit.
2) Schlüsselb. *Video*.
3) Manl. mendose *hanc* pro *haec*.
4) *servit.* omisit Manl.
5) Schlüsselb. *recusa*.
6) Manl. mendose *Gregorius*.
7) Schlüsselb. *praepositus Berlinensis*.
8) Schlüsselb. *die 3. Febr*, et addit annum 1549.

Ideo sum brevior, praesertim cum valde occupatus sim. Illam tamen laudationem saepe nunc recito. Instituit Deus certum ordinem generationi, et metas nobis circumdedit, ut intellectus castitatis sit in genere humano. Vult enim Deus hoc a nobis sciri, sese mentem castam esse, et horribiliter vagas libidines, et seminum confusionem odisse, et cogitatione castitatis discerni vult ab omnibus naturis incestis et impuris. Haec quotidie in invocatione cogito, discernens Deum a Diabolis, et aliis naturis immundis, eademque te cogitare volo in precatione; scis enim et hoc foedus coniugale castitatem esse. Erit tibi vitae genus iucundius, cum et hanc causam inter caeteras considerabis, Cur Deus haec vincula generationi addiderit. Oro autem toto pectore hunc ipsum Deum, aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, bonum, iustum, castum, veracem, ut te et sponsam servet incolumes, et faciat ut coniugium vestrum sit vobis faustum, felix, tranquillum, foecundum, et tuo patri et socero iucundum, utque tua Ecclesia domestica tranquillis mentibus Deum invocet. Sponsae hoc parvum munusculum meo nomine exhibebis, et addes ὅσιον φίλημα. De Republica scripsi κορυφαιότατα, in pagella, quam addidi. In Ecclesiis nostris, Dei beneficio, nondum ulla mutatio facta est. Nec quisquam adsensit, ut aliquid recipiatur, quod pugnat cum Evangelio. Putant quidam posse retineri pacem, si qua adiaphora, ut vestitus aut feriarum et concionum ordo, recipiantur. De his non pugnavimus unquam. Sed adversarii postulabunt longe alia; αὐτὸς αὐτοκράτωρ ἔλεξε περὶ λειτουργίας, Canonem principale punctum esse, quod postulet. In conventu *Lipsico* Nobilitas dixit pias et graves sententias, ἀλλὰ οἱ ἐν αὔλῃ νομικοὶ, προσέμιξάν τινὰ σοφίσματα, quae res, quomodo acta sit, id ut *Aristoteles* dicebat, οὐκ ἐστὶν ἐπιστολικὸν διήγημα. Sed ut spero, οὐ ταράξει τὴν ἐκκλησίαν. Alia arcana consilia agitari audio, ut vos et nos pariter armis cogamur, ne novis illis legibus adversari possimus. Imperatorem aiunt et *Sabaudiam* a *Bernatibus* repetere. Ea erit ἀφορμὴ belli *Helvetici*, quod ei non difficile futurum putant, quia iam sibi adiunxit addictos doctrinae Pontificiae. Heri a *Bucero* literas accepi *), quae narrant nondum factam esse mutationem Ecclesiae *Argentoratensis*, sed dubitat, quid futurum sit, etsi populi piam voluntatem esse scribit. Misit eruditam refutationem *Sphingis Augustanae*, scriptam a *Calvino*. Rex *Ferdinandus* Pragam venit, ubi nunc sunt deliberationes de *Silesia*, *Mysia*, *Saxonia*. Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ut nos gubernet, et servet. Bene vale. 4. Februarii. Colloquamur per literas saepe, donec possumus.

*) Vid. ep. Buceri d. d. 11. Ian.

---

No. 4481. (h. t.)

## M. Bucero.

† Ex autographo Melanthonis in tabular. Ecclesiae Evangel. Argentoratensis, mihi descripta a Cl. *Strobelio*.

(*Martino Bucero*, ut videtur; interiit enim folium, in quo fuit inscriptio.)

Nondum in Ecclesiis harum regionum ac ne quidem in Marchia, mutatio ulla doctrinae aut rituum facta est, et sententiae nobilitatis in conventu *Lipsico* graves, honestae et piae fuerunt.

Etsi autem, quo voluntates quorundam potentum spectent, et quid cupiant dubium est, tamen nondum postulatum est, ut fiat mutatio τῆς λιτουργίας. De caeteris ceremoniis, quas vocant adiaphoras, petunt, ut similes ritus observentur; qua de re non multa pugnamus. Nam propemodum similitudo est in his regionibus, et ritus veteres plurimi hactenus retenti fuerunt. Sperare se dicunt aulici, Imperatorem hac ceremoniarum specie contentum fore. Ἐμοὶ δὲ οὐ δοκεῖ, ὅτι ἀκριβῶς τὴν προσφορὰν ἐν λιτουργίᾳ ἀνακαθιστάναι ἐπιτάζει. Sed Deo commendemus futura. Metui autem has confusiones ante multos annos, cum viderem nostros stabilire τὴν προσφορὰν, defendentes τὴν μεταβολὴν τοῦ ἄρτου.

Rex *Ferdinandus* ex Hungaria Pragam venit. Ostendit, se in Silesiis et reliqua vicinia mutaturum esse Ecclesias. Etsi autem non ubique pellere pios pastores poterit, tamen magna erit confusio. In *Hungaria* edicta proposuit. Sed Hungarorum hae sunt voces: auferat bona, auferat vitam, verbum Dei et animas nobis non auferet. Heri enim huc venit Senator civitatis Hungaricae petens ex hac Academia, mitti in suae civitatis Ecclesiam Pastorem.

Civitates Saxoniae palam καὶ διαῤῥήδην reiiciunt librum Augustanum, et edita est confutatio cum subscriptione aliquot Pastorum, cuius exemplum quotidie expecto[1]).

A doctore *Frisio* ex urbe *Brema* heri literas accepi plenas bonae spei, in quibus amanter de te quoque scribit[2]).

Tantisper donec Ecclesiae in his regionibus in eodem statu manebunt, iudico, hanc Academiam non deserendam esse. Ac mediocriter nunc florent hic omnium artium studia. Adhuc enim retinemus morem ordinandi sacerdotes nostris et vicinis Ecclesiis, et quidem multis in regis *Ferdinandi* ditione. Nam Episcopi hoc labore se non onerant. Interea vociferantur de sua auctoritate, cum nihil agere velint, quod ad ipsorum officium pertinet. Spero, si mediocri patientia iam hanc adflictionem tolerabimus, aliquanto post tranquilliores fore Ecclesias nostras.

(*Reliqua epistolae perierunt.*)

---

No. 4482. 6. Febr.

## *G. Fabricio.*

† Ex apogr. in cod. Zittaviensi ep. 8.

*Georgio Fabricio*

S. D. Misi ad vos adolescentem *Mersburgensem*, qui in docenda arte musica operam suam scholae vestrae deferet, vobisque de se iudicium permittet, quem quidem iam istic esse arbitror. De lugubri cantilena *Crucigero* composita studium vestrum probo et officio delector. Sunt haec, ut ille dicit, solatia luctus exigua ingentis. Nam profecto magnum ornamentum amisimus. Fuit enim in *Crucigero* vis ingenii tanta, quantam nescio an in alio animadverterim. Tot linguas norat, et omnes philosophiae partes didicerat, et erat iudicii dexteritas summa. Talis vir in vera synodo Ecclesiae de praecipuis controversiis dicere sententias et potuisset et debuisset. Bene et feliciter vale. Die 6. Febr.

Phil. Melanthon.

1) Bekenntniß und Erklärung aufs Interim durch der ehrbaren Städte Lübeck, Hamburg, Lüneburg etc. Superintendenten, Pastoren und Prediger zu nothwendiger und christlicher Unterrichtung gestellt. 1548. 4.

2) Vid. epist. supra post d. 11. Ian.

No. 4483. 7. Febr.

## *G. Buchholtzero.*

Manlii farrag. p. 98. et Schlüsselburg. p. 92.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Buchholtzero, praeposito in urbe Arctoa, amico suo,*

S. D. Reverende vir. Oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut gubernet conventum vestrum, et tueatur pium consensum in his Ecclesiis. Scio magnos tumultus hoc anno[1]) futuros esse: ideo principes optarim non turbare Ecclesias, quae alioqui magno in moerore sunt et erunt. Si praecipietur vobis ut Canonem legatis, arbitror multos discessuros esse ex vestris Ecclesiis. Et profecto sophisticum est, excusare canonem. Si filius Dei offertur, cur orant tanquam pro filio Dei? Sed omitto disputationem. Optarim pie et graviter precationem ibi recitari, in qua haec membra quinque continerentur[2]): Gratiarum actio pro universis beneficiis Dei: deinde precatio idonea: tertio verba precationis: quarto professio fidei, quod hanc sumptionem credamus vere testimonium esse, quod efficiamur membra filii Dei, et accipiamus beneficia Evangelii: quinto precatio pro gubernatoribus et aliis. At in canone usitato longe alia dicuntur. Bene vale. 7. Februarii[3]).

---

No. 4484. 7. Febr.

## *Senatui Cygneo.*

Ex autographo in Tabul. Senat. urbis Cygneae edita in *Hertelii* progr. Stimmen aus der Zeit der Reformation etc. (Zwickau, 1830. 4.) p. 24.

Den Ehrbaren, Fürnehmen und Weisen Herrn Bürgermeistern und Rath der Stadt Zwicka, meinen günstigen Herrn und Freunden.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn, Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Ehrbare, weise, fürnehme, günstige Herrn. Ew. Weisheit Schrift, darin E. W. begehren, daß ich einen ansehnlichen Mann, zur Pfarrregierung tüchtig,

1) *hoc anno* addidi e Schlüsselb.

2) Schlüsselb. *contineantur.*

3) Schlüsselb. *d.* 1. *Febr. anno* 1549.

anzeigen wolle, habe ich empfangen, und davon mit den andern Herrn Doctoren Unterrede gehabt. Und haben wir erstlich dieses bedacht, daß zu Einigkeit besser wäre, daß in Zwicka die Kirchenpersonen also geordnet wären, daß nur ein einiger Pastor wäre, und die andern alle als Diaconi, und nicht daß zwo gleiche Personen, Pastor und Prediger, neben einander regierten. Wo nun der ehrenwürdige Mag. Ering sich wollte zu Pastorem wählen lassen, so bedenken wir, daß ihm das Amt also im Namen Gottes zu befehlen sey. Darnach an seine Statt, doch im Titel und Stand eines Diaconi, zeigen wir an den würdigen Herrn Georg Hala von Berreut, der zu Leipzik zu finden, und ist Pastor gewesen zu Weislingen im Land Wirteberg, hat in dieser Universität studirt, und ist ein ernster ansehnlicher Mann, und wartet seines Amts, menget sich nicht in andere Regierung.

Zeigen auch an den würdigen Magistrum Andream Bog von Eillenburg, der anjetzt zu Nordhausen ist, ist wohlgelahrt, ernst, und wartet seines Berufs.

Es sind auch beide, so zu Regensburg gewesen, Doctor Nopus und Magister Nicolaus ehrliche gelahrte Männer, und ich achte, Magister Nicolaus ließ sich als einen Diacon annehmen.

So aber der Ehrwürdig Magister Ering das Pfarramt nicht annehmen wollte, so bleibet er Prediger wie vor, und ist zu bedenken, ob Doctor Nopus, oder Doctor Erhardus Schnep, der zu Tübingen abziehet, oder der vorgenannten einer zu wählen. Aber ich wollte, man arbeitete auf den ersten Weg, achte auch, es sollte bei dem Herrn Magister Ering zu erhalten seyn, besonder so ein sittiger Mann an seine Statt käme, und er die Autorität über alle Personen haben würde. So ist Gelegenheit der Zeit also, daß wir alle mit einander Gedult haben müssen, und müssen helfen flicken, wie man kann, daß die Kirchen in rechter Lahr und rechten Gottesdiensten und einträchtig bleiben, dazu unser Heiland Jesus Christus seine Gnad verleihen wolle. Der wolle auch diesen Landen gnädigen Fried und Regiment geben. Datum Witeberg am 7. Februarii 1549.

Ew. Weisheit

williger

Philippus Melanchthon*).

*) Haud dubie Melanthon scriptum est.

No. 4485. 9. Febr.

## E. Schnepfio.

Epist. lib. II. p. 117. (ed. Lond. lib. II. ep. 104.).

*Doctori Erhardo Schnepfio*

S. D. Reverende vir et amice charissime. In his regionibus nondum facta est ulla Ecclesiarum mutatio. Et in Academiis studia coelestis doctrinae et aliarum artium florent. Quare te optarim in haec loca venire. Pridie etiam antequam tuas literas accepi, scripsi de te accersendo ad senatum *Cygneum*, ad quem rursus scribam postquam intellexi quo in loco sis. Sed, nisi alia commodior conditio te in *Francis* retinet, consulo ut quam primum huc venias. Mea domus, Deo dante, hospitium tibi praebebit. Nam vel *Cygneae*, vel in Academia *Rostochiana* locum habere poteris. Ac de Academia *Rostochiana* pene promittere ausim. Nam et Princeps ad me scripsit et praecipui Professores, ut lectorem theologicum ipsis quaererem. Rex *Danicus* etiam petivit mitti in Academiam *Hafniensem* lectorem theologicum, qui *Germanice* concionari possit. Dabit Deus tibi iam canescenti honestum hospitium in his gentibus, quarum gravitatem ego ipse moribus patriae antefero. Bene vale, et vel mox advenito, vel rescribito. Die 9. Februarii.

No. 4486. 13. Febr. (Lipsiae)

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 545 sq.

*Mich. Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Mihi quoque aliquid de Saxonicis adparatibus significatum est. Nos inter tantos motus et furores hominum petamus, ut Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, servet aliquos suos coetus in his regionibus, nec sinat fieri barbaricam vastitatem. Et spero, gemitus et vota piorum non fore irrita. Sed humana consilia mederi tantis miseriis non possunt. Significavi tamen D. *Iulio*, quid *Iacobus Sturmius* scripserit. Quotidie veniunt ex Suevia sacerdotes pulsi, quorum alii alia hospitia hactenus, Dei beneficio, inveniunt. Iam in Ungariam mittemus aliquos.

Mitto vobis exempla disputationis, cuius lectio etiam aliquam consolationem continet: et quod adhuc sunt tales docentium et discentium coetus, in quibus vera vox doctrinae sonat, Dei beneficium est. Et, ut servet eos, Deum oro. *Christophorus* morbo usitato laborare coeperat, sed convalescit Dei beneficio. Duxi eum mecum Lipsiam, quo non solum propter nuptias *), sed propter disputationem etiam accessi. Filium *Christophorum* hoc turbulento tempore in literis versari commodius esse iudico, quam alias res agere. Et proficere eum, res ipsa ostendit. Deus eum servet et regat, et vos omnes clementer protegat.

De *Erasmo Benedicto* cogitabo, ut per occasionem alicubi honestum locum habeat. Lectionum apud nos hoc tempore non fit mutatio, quia *Forsterum*, audio, successurum *Crucigero*. Bene et feliciter valete. Die Feb. 13. quo ante annos 1719 Nicanor victus est, et brachium suspensum ante templum, quo exemplo Deus ostendit, sibi Ecclesiam curae esse. Hac spe leniamus dolores, quam quidem habere nos praecipit. Iterum V.

Philip.

---

**No. 4487.** 15. Febr.

## *Io. Spangenbergio.*

Manlii farrag. p. 219 sq.

*Reverendo viro, eruditione et pietate praestanti, domino Ioanni Spangebergio, Episcopo et pastori Ecclesiae Dei in Isleben fideli, amico suo colendo,*

S. D. Reverende vir, et amice charissime. Magna consolatio piis proposita est in dicto Psalmi: Generationi rectorum benedicetur. Hanc vocem dulcissimam in hac tua senecta intuens, filios tuos honestos et eruditos, saepe cogitato: ac Deo gratias agito, qui tuae senectuti tales filios donavit. Nos libenter ei doctrinae testimonium tribuimus, et loco ornavimus natu maiorum, ut virtus etiam ipsius meretur. Nec depones benevolentiam erga nos tuam, propter falsos clamores quorundam, qui calumnias contra nos spargunt. Ipsi filii tui testes erunt, nec doctrinae vocem, nec ritus in hac Ecclesia mutatos esse. Vicini *) libertate urbis contra nostras Ecclesias, et contra veteres amicos immodice abutuntur. Vos oro, ut coniunctionem nostram non sinatis distrahi. Die 15. Februarii.

---

**No. 4488.** 17. Febr.

## *Fr. Burchardo.*

Epist. lib. II. p. 128. (ed. Lond. lib. II. ep. 118.).

*Francisco Burcardo Consiliario Illustriss. Ducum Saxoniae*

S. D. Clarissime vir et amice charissime. Multi sciunt ante hanc tristem Reipub. mutationem, me annixum esse, ut in hac Academia retineretur *Victorinus*, futurus ad posteritatem custos doctrinae coelestis in hac ipsa sede, in qua voce *Lutheri* primum doctrina Ecclesiae repurgata est. Postea suasi ut in *Turingiam* proficisceretur, ut in his regionibus tamen maneret. Inde intelligi potest me de ipsius ingenio, eruditione et voluntate praeclare sentire. Nunc postquam sanctissimo foedere tibi eum adiunxisti, magis eum amabo. Nam et tibi et tuis me optime velle, vere adfirmare possum. Gratulor autem utrique, tibi et *Victorino* coniunctionem vestram, et Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi conditorem generis humani et Ecclesiae suae, oro, ut faciat, ut haec coniunctio vobis omnibus fausta, felix et iucunda sit. Ipsi etiam *Victorino* post paucos dies literas mittam. De consiliis Conventus *Lipsici* scito me dixisse pias sententias. Nec possum impedire quo minus alii potentiores addant aliquid de suo, ut stylus in scriptis ostendit, non esse unius orationem: reiectum etiam fuit meum quoddam scriptum. Donec autem Ecclesiae et scholae vocem Evangelii incorruptam sonare possunt, non temere dissipationes maiores faciendas esse censeo. Mitto pagellam *Lipsicae* disputationis quae ostendit non mutari a nobis doctrinae genus. Quod autem multi de nobis atrociter loquuntur, usitatum est ociosis maledicere praesertim miseris. Nos in servitute miseri et certamina et labores in doctrinae propagatione sustinemus et res difficillimas et in-

---

*) Nuptias Meureri, vid. ep. ad Fabric. d. 16. April. h. a.

*) Brandenburgenses.

volutas explicamus. Quam controversiam unquam illustrarunt in quibus ὀψαύνιον est, ut *Pindarus* inquit, in conviviis maledicere calamitosis? Me non cupiditas ulla, non ambitio, non spes novarum rerum huc attraxit. Sed in summa moestitia ad veteres amicos accessi, cum vos ipsi iudicaretis, me, si istic manerem, pericula vobis cumulaturum esse. Bene et feliciter vale. Die XVII. Febr.

---

No. 4489. 21. Febr.

## *A. Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 128.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Antonio Lauterbach, Pastori Ecclesiae dei in oppido Birn, amico suo cariss.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Etsi cymba filii Dei magnis fluctibus et periculis nunc concutitur, tamen ab ipso filio Dei servabitur. Multi exules eiecti ex suis Ecclesiis ad Rhenum et ad Danubium, quia noluerunt recipere corruptelas verae doctrinae, veniunt in has regiones, et spero, Deum haec hospitia piis doctoribus servaturum esse. Sed haec alias. Nunc te oro, ut hunc M. *Stephanum Tanebergum*, natum in oppido *Birn*, civibus tuis commendes. Intellexit, desiderari gubernatorem scholae vestrae. Ea in re patriae suam operam offert. Et mallet in patria, ac praesertim ubi te audire posset, Ecclesiae servire. Iudico esse bono ingenio praeditum. Et iam in examine audivi eum, ubi specimen eruditionis dignum laude exhibuit. Ac pollicetur, se tibi reverenter obtemperaturum esse, et in munere suo perfecturum, ut fidem et assiduitatem praestet. Quare eum tibi commendo. Brevi tibi mittam Tomum tertium*) operum *Lutheri*, egregium thesaurum, continentem, lucubrationes, in quibus auctor excelluit; videlicet enarrationes librorum propheticorum et apostolicorum. Bene et feliciter vale. Die 21. Febr. 1549.

P. M.

*) *tertium* Tomum opp. Lutheri latinorum, ad quem praefatus est Melanthon infra d. 1. Maii.

No. 4490. 21. Febr.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 208. (ed. Lond. lib. II. ep. 200.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Non tam mea causa, quam C. V. causa, laetor iudicio et robore animi vestri, qui moderate ferendas esse calumnias sentit. Ego vere et feram graviter, et propter publicam tranquillitatem dissimulabo tantisper, donec doctrinam labefactare incipient. *Albertus**) dicitur auctor esse libelli contra nos editi, qui et epistolam sua manu scriptam huc misit, in qua narrat, se impeditum esse a falsis fratribus, quo minus praefectus sit Ecclesiae *Goslariensi*. Talis viri calumniis moveri me, etiam levitas esset. Sed si illa sua *Stoica* de libero arbitrio edent, gravissime et eruditissime respondebo. Bene et feliciter valeat C. V. Die 21. Februarii.

---

No. 4491. 22. Febr.

## *V. Strigelio.*

Epist. lib. III. p. 249. (ed. Lond. lib. III. ep. 164.).

*D. Victorino Strigelio*

S. D. *Casta Deus mens est: casta vult mente vocari:* Et quidem ut intellectu castitatis discernatur a naturis immundis, ideo in genere humano castitatem sanxit, quam virtutem quotidie cogito in invocatione. Est autem et coniugii fides, castitas. Quare et gratulor tibi vitae genus castum, et Deo placens, et oro Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, et autorem castitatis, et foederis coniugalis, ut faciat, ut coniugium tuum sit faustum et felix, et tibi, sponsae, ac parentibus iucundum, et ut posteritas habeat Ecclesiam, et hospitia tranquilla. In Academia vox doctrinae eadem est, quam audivisti, nec ad nos pertinent consilia τῶν ἄλλα τίνα τεχναζόντων, etsi, ut in servitute, multum aerumnarum ferimus. *Stosselius* ornatus est te-

*) Alberus.

stimonio publico, quem quidem dignum omnium eruditorum benevolentia iudico. Bene et feliciter vale et rescribe. Die 22. Februarii.

No. 4492. 24. Febr.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 155 sq. Contuli autographon in cod. Monac. I. p. 131.

*D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noriberg.*

S. D. Optandum quidem est, ut aliqui vivant boni doctores et gubernatores. Sed tamen si *Vitus* ex hac mortali vita evocatus est, ipsi iam gratulemur dulcissimam consuetudinem Dei et Domini nostri Iesu Christi, et collegarum nostrorum Prophetarum et Apostolorum, et cogitatione Sodalitii illius exsuscitemus in nobis desiderium coelestis vitae, ut Paulus inquit, ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλύσαι, καὶ σὺν χριστῷ εἶναι πολλῷ κρεῖσσον. Simul autem in cogitatione de nostra migratione, Filium Dei sedentem ad dextram aeterni Patris, ut det dona hominibus, oremus, ut posteris servet Ecclesiam et eius hospitia nosque hac vera consolatione sustentemus, quod inter horribiles fluctus suam cymbam servaturum se esse promisit.

Expecto *Snepium* et *Bucerum*; etsi *Bucerus* adhuc de migratione dubitat. Nostra pericula Deo commendo, ac non minus excrucior cogitatione causarum, unde haec confusio praecipue orta est, quam his ipsis miseriis, ac Filium Dei oro tecum, ut poenas mitiget, ac iustam iram Dei placet.

Mitto tibi *Micylli* Poëma. Etsi enim argumentum non est laetum, tamen genus versuum probare te scio. Scriberem multa, si non minus multi eodem tempore flagitarent literas.

*Pannonii* nuper hinc ministros Evangelii vocarunt et narrant se suas Ecclesias, in quibus sonat vox Evangelii, nequaquam mutaturos esse. Hi sunt firmiores, quam nos Germani. Hodie *Marchio* Elector filium ad Salinas ducit, ut collocet eum in Episcopi regno. Propter haec regna veritas opprimitur. αἱ σαξονικαὶ πόλεις κἂν αἰτοῦσιν εἰρήνην, ὅμως τοῦτο ὁμηρικὸν φρονοῦσιν, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης. Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi gubernet te et servet te incolumem. Die Matthiae *).

Philippus.

No. 4493. 24. Febr.

## H. Besoldo.

† Ex apogr. in cod. Goth. 212. p. 112. coll. cum apogr. Regiomont. et apogr. Dresd.

*Hieronymo Besoldo, (concionatori Norinberg.)*

S. D. Carissime Hieronyme. Etsi Deus orandus est, ut aliquibus bonis doctoribus vitam concedat diuturniorem, ut longum fuit curriculum *Ioannis Evangelistae*, *Titi*, *Polycarpi:* tamen si *Vitus* ex hac mortali vita evocatus est, gratulemur iam ipsi dulcissimam consuetudinem Dei et Domini nostri Iesu Christi, et collegarum nostrorum, prophetarum et apostolorum. Oro autem filium Dei, sedentem ad dexteram patris, ut te nunc regat et diu servet incolumem. Succedes in stationem duorum doctorum, qui eruditione et virtute ornarunt ministerium, soceri tui et *Viti.*

De quaestione tua differamus disputationem donec vobis mandata proponentur [1]). Non discedo ab hac regula. Fundamentum, ut Paulus nominat, retinendum est [2]); de *adiaphoris* non pugnandum est, etsi scio, populum valde moveri ritibus incurrentibus in oculos. Sed postquam in servitutem retracti sumus propter nostras dissensiones; nunc sapientes eam ferre [3]) discamus, nec deseramus tristes Ecclesias [4]), nisi necesse sit. Salutem opto *Rhotingo*, *Hellero*, et caeteris [5]) amicis, quibus poëma *Mycilli* ostendes [6]). Dat. Wittenbergae die Matthiae anno 1549.

*) Ann. 1549. alia manus adscripsit.

1) Cod. Goth. 212. *proponantur.*

2) Verba: *non discedo — retinendum est*, non leguntur in cod. Reg.

3) Cod. Reg. *sapienter fortitudinem.*

4) Pro *tristes eccles.* cod. Reg. *custodiam ecclesiae.*

5) Cod. Dresd. *D. Rofingio et aliis*; cod. Reg. *D. Artingo et aliis.*

6) Verba: *quibus* etc., non habentur in cod. Reg. et cod. Dresd.

No. 4494. 24. Febr.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 613. (ed. Lond. lib. IV. ep. 754.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Cam. Bam. fratri suo carissimo,*

S. D. Etsi Meliis Athenienses apud Thucydidem suadent, ne moveantur, nomine τοῦ αἰσχροῦ quo minus deditionem faciant, et iubent μὴ τὰ χείρω φιλονεικῆσαι, tamen vellem ὑψηλοπύργους[1]) illos fuisse graviores et firmiores, ac vere metuisse τὸ αἰσχρὸν, caeteris magis ignosco, qui aut assuefiunt, ad illam veterem Diagorae sapientiam, aut simulant religionem, ut imperia amplificent, ὥσπερ ὁ δεῖνα[2]). Sed apud illos[3]) scio multos doctos viros esse, qui controversias intelligunt. *Ioannes Sturmius* Bremam venit. Litteras mitto *Buceri* et alterius cuiusdam amici, quae recitant Senatusconsultum quoddam sane μικρόψυχον. *Marchio* nos non allocutus est, tantum per alios de puerorum conviciis[4]) nobiscum expostulavit. Bene vale, die Natali Caroli.

Philippus.

---

No. 4495. 24. Febr.

## *I. Sigfrido.*

Manlii farrag. p. 114 sq.

*Reverendo viro Sigfrido*), pastori Ecclesiae Dei in oppido Brandenburg.*), amico suo charissimo,*

S. D. Venerande vir, et amice charissime. Oro filium Dei, Dominum Iesum Christum pro nobis resuscitatum, et sedentem ad dextram aeterni patris, ut det dona hominibus, ac regat Evangelii ministros consilio. Fuit nobiscum pastor Ecclesiae B. S. qui exposuit historiam conventus vestri**). Recte factum est, quod diserte protestati estis, vos non adsentiri libro Augustano. Nam etiamsi illa ordinatio, quae fuit addita, reciperetur, et mansuri essetis in Ecclesiis vestris: tamen non potest approbari liber Augustanus.

Nunc de altera parte dicam. Multa possunt dici contra iocularium rituum instaurationis, sed cum non oriatur a nobis, et sit tanta in potentibus pertinacia, ut velint imponere talem servitutem Ecclesiis: ego hoc do consilium, ne deserantur Ecclesiae: ut fit ad Rhenum, et alibi, ubi iam aut prorsus solitudo est in templis, aut lupi in ea grassantur. Tulimus et antea regnum et clamores indoctorum: nunc feramus sapienter hanc novam servitutem, si tamen absit impietas. Maxima mihi certamina de Canone fuerunt: et Deo gratias ago, si obtineo, ne imperent illa impia pastoribus. Si de adiaphoris etiam vehementer contenderem, prorsus nulla ea de re audiremur.

Iam hic expecto *Snepfium* et *Bucerum*. Nam et tua patria decretum fecit, ut restituantur Ecclesiae ad normam libri Augustani. O! rem miseram, quoties quam paucis annis mutatae sunt in tua patria Ecclesiae? Ideo si potes manere, non temere discedas: ioculares illae ceremoniae per diaconum possent confici. Iam rescribo *Bucero*. Bene vale, et rursus scribito quam primum. Die Matthiae, 1549.

1) Argentoratenses et alias civitates. C. W.
2) Marchio C. W.
3) Argentorati C. W.
4) qui coniecerunt coenam et nivem in ipsum C. W.
*) Nomina, quae Manl. tacuit, adscripta sunt in exempl. quod habuit Georg Buchholtzer.
**) De eo vid. etiam ep. Mel. d. 2. Apr. h. anni.

---

No. 4496. 24. Febr.

## *M. Bucero.*

† Ex autographo Melanthonis in tabulario Eccles. Evangel. Argentoratensis mihi descripta a Cl. *Strobelio*.

*Reverendo Viro, eruditione et virtute praestanti, Domino Martino Bucero, Evangelii confessori et fratri suo carissimo,*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Ingenti dolore adficior, quod vestra civitas proiicit causae maximae confessionem, etsi autem non nunc primum servitute opprimitur Ecclesia. Regnaverunt et antea indocti, et semper aliqua est Ecclesiae servitus; tamen adhuc quidem mediocris status est in his regionibus. Ideo si erit cedendum, ad nos venias. Mea tibi domus hospitium praebebit, donec locum nactus eris honestiorem. In Academia *Rostochiana* professore opus est. Nuper hinc et Pannones vocarunt ministros Evangelii. Commode nobiscum aliquamdiu esse pote-

ris, etiamsi navigare in Brittaniam voles *). Deus regat et servet nos et te et alios fideles doctores. Bene vale. Die Matthiae 1549.

Philippus Melanthon.

---

No. 4497. 25. Febr.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 57. (ed. Lond. lib. II. ep. 440.). Repetita in Mel. Consil. latin. P. II. p. 226.

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Accepi tuam Epistolam, in qua narras formam verborum, qua collega tuus usus est de Coena Domini. Nolo inter vos serere discordias aut certamina, sed etiam auditorum te rationem habere volo. Legi ea quae antea ad D. D. *Crucigerum* de contentione anni superioris scripsisti, quae fuit cum illo, qui a *Bucero* attulit declarationem. His rixis ne des occasionem: consulo, ut sis contentus ea simplicitate verborum, qua ego sum usus in editione recenti *Germanica* locorum communium. Et arbitror te, si legeris et expenderis, intellecturum me gravem causam habuisse mei consilii, cur illa absurda vitem, quae multi praeter rem magno studio populo proponunt. Certe imaginatio tota *de Transubstantiatione, de conclusione corporis durabili cum pane*, ut fornaci ligna includuntur commentitia est. Longe est alia ratio sacramentorum, ut in ipsa actione Spiritus sanctus abest Baptismo, et est efficax in Baptisato: sic cum sumitur coena, adest Christus ut sit efficax. Nec adest propter panem, sed propter sumentem. Hic iam de fide dici necesse est et de usu sacramenti, ut in receuti editione locorum admonui copiosius. Utrunque facies, cavebis ne videaris notare collegam, ut audio, alioqui suspicacem, et ne irrites auditores. Habeo causam mei consilii. De usu et utilitate dicito copiosius, et retine hanc formam verborum quod Christus hoc testimonio: Mit diesem zeugnus macht er uns seine gliedmas, und bezeuget das wir seyne gliedmas sein. De tota hac re cuperem tecum loqui coram, et si expetis meum colloquium copiosum de hac re, significes mihi te venturum *Lipsiam* ad nundinas Maii. Bene vale, die 25. Februarii.

*) Scribit Sleidanus in Comment. ad ann. 1549. p. 655.: „Thomas Crannerus, Angliae primas, — crebris literis Bucerum inprimis et Paulum Fagium, hebraicae linguae peritissimum, sollicitabat, ut in Angliam venirent. — Itaque — Calendis Aprilis iter ingrediuntur."

No. 4498. (his dieb.)

## I. Milichio.

Epist. lib. II. p. 446. (ed. Lond. lib. II. ep. 470.).

*D. Iacobo Milichio*

S. D. Aliquoties iam petivit in literis *Vitus Noribergensis* iudicium nostrorum Medicorum de medicatione, quae fit usu *Quaiaci*, an putetis ipsi profuturam esse. Audio pedem alterum, dextrum opinor, epatis loco viciniorem valde intumuisse. Unde existimari potest, non iam tantum χαχεξίαν esse immedicabilem, sed initia hydropis. Quaeso tamen ut in pagella tuum iudicium iam mihi significes. Bonum ingenium Viri amantis honesta studia male habitat. Sed tales sunt hominum communes miseriae, quas nec Panacea curare potest, quantumvis gloriosum nomen habet. Bene vale.

---

No. 4499. (ex. Febr.)

## G. Fabricio.

† Ex apogr. in codice Zittaviensi ep. 9.

*Georgio Fabricio*

S. D. Doctissime vir et amice carissime. Si fratri tuo prodesse possem libentissime et ipsi et tibi ostenderem, vos a me vere diligi. Et si erunt in his locis, conferemus operas, ut ei mittamus exempla utilia. Nunc hic duo libri τῆς μεγάλης συντάξεως Ptolemaei cuduntur, ut in schola enarrari possint. Coniugium fratris ut sit faustum et felix opto. *Albinus* nobis omnibus gratum fecit, quod ad nos expatiatus est. Colloquamur enim donec possumus. Nam gigantomachia non levis impendet. Coniunctio Saturni et Martis, quae fuit in Capricorno proximo anno [1]), significavit omnino genti Saxonicae, et scis in fabulis dici Typhona repressum esse a Pane conversio in Capricornum. Sed haec aliquando coram. In sacro nuptiali [2]) sperabam nos Lipsiae conventuros esse, ac saepe tui amanter facta est mentio ab amicis communibus. Bene et feliciter vale.

Phil. Melanthon.

1) i. e. anno 1548.

2) Meureri, d. 13. Febr. 15.9. Vid. ep. ad Fabr. d. 16. April. h. a.

No. 4500. 1. Mart.

## Th. Crannero.

Epistola praemissa Matthiae Flacii Illyrici libro: „de voce et re fidei"; cuius editione ea quae anno 1563. 4. prodiit, usi sumus. Legitur etiam in Melanth. Declamat. IV. p. 641.

*Reverendiss. Domino Thomae, Archiepiscopo Cantuariensi Phil. Mel.* S. D.

Ars et mirandus ordo in toto opificio naturae, in coeli et elementorum positu, in siderum motibus et conservatione specierum, in fabricatione corporis humani, denique in luce mentis, in numeris, legibus et omnibus artibus vitae necessariis, evidenter ostendit, hanc rerum naturam non extitisse casu, ac monet, intuendum esse mente horum operum architectum et conditorem. Hic vero immensa bonitate non solum in hoc opificio se patefecit, sed etiam prodiens ex arcana sede allocutus est homines sua voce, et qualis sit, quomodo agnosci et invocari velit, ostendit, ac legem et promissiones tradidit. Cum autem pro hac patefactione grata esse universa hominum natura deberet, et hoc testimonio mens erudienda et confirmanda esset, et vox Dei reverenter audienda, et firmissime amplectenda: dolendum est, praestigiis diaboli etiam has patefactiones obscurari, et humanis mentibus vocem Dei excuti. Nam hac cavillatione labefactant impii coelestem sermonem: ambigue dicta relinquenda sunt, et quaerendi alii doctores, qui perspicuam et firmam doctrinam tradunt. At, magna ex parte, inquiunt, obscurus, ambiguus et aenigmatum similis est, aut numerorum Platonis, sermo coelestis. Itaque si doctrina quaeritur, gubernatrix vitae, certa et firma proponatur, relictis illis labyrinthis. Novimus igitur quosdam, qui, prorsus abiectis libris Prophetarum et Apostolorum, in templis ad verbum enarrabant Aristotelis ethica, et pauca de ceremoniis addebant, sumpta a consuetudine, eamque docendi formam iudicabant utilissimam esse. Haec exaggerantur commemoratione horribilium certaminum, quae omnibus seculis in Ecclesia extiterunt: quae si non esset ambiguus sermo divinus, oriri non potuisse videntur. Cur litigat Paulus de legis usu cum Pharisaeis, si expressa est eadem doctrina in concionibus Prophetarum? Cur Samosatenus, Arius et alii movent bella de filio Dei, si nihil est obscuritatis in scriptis Apostolorum?

Sed his argumentis initio oppono illustre exemplum, quod ostendit, certamina non semper a scripti obscuritate oriri, sed saepe a perversitate hominum. Videbant Iudaei mortuos in vitam revocari a filio Mariae, et tamen eius doctrinae acerrime adversabantur. Cum igitur ne convicti quidem evidentia miraculorum Deo crederent: manifestum est, saepe non a doctrinae obscuritate, sed ab hominum malicia dissensiones oriri. Deinde quanquam verum est, homines sophisticos seu sycophanticos omnia omnium dicta posse cavillationibus depravare, tamen non propterea certitudo nulla est: ut, etiamsi ludit aliquis praestigiator in hoc dicto: nunc iustitia Dei sine lege apparuit, tamen non propterea obscura aut ambigua est oratio. Nam series disputationis quid velit dicere Paulus indicat. Sed lectores adferant in iudicando cognitionem phrasis, mediocrem eruditionem et dexteritatem iudicii, candorem, timorem Dei, amorem veritatis, nec sint fascinati pravis opinionibus, nec ambitioni aut aliis affectibus serviant. Certa sunt igitur, quae tali verborum genere narrantur, quod unam quandam sententiam gignit, iudicio sanorum et intelligentium phrasin, et non calumniose transformantium verba in alienam significationem. Denique ut in foro sapientes et iusti iudices in ferendis sententiis utuntur perspicuo et certo genere orationis: ita in sermone coelesti perspicuae et certae sunt legum et promissionum narrationes, et plurimorum articulorum fidei. Non enim putemus, Deum ex illa sua arcana sede prodiisse, ut ambigua dicta spargeret, et generi humano tanquam μῆλον ἔριδος obiiceret. Sed in lege iudicium et iram vere agnosci voluit, in promissionibus conspici immensam bonitatem et misericordiam: quas hanc ipsam ob causam patefecit, ne totum genus humanum periret: ac voluit notam esse suam voluntatem de mediatore filio, de reconciliatione, de remissione peccatorum, de venturo iudicio, de restitutione vitae aeternae. Cum in schola interpres artis alicuius obscure docet, aut spargit ambigue dicta, desideratur in docente vel eruditio vel fides. Nec dubium est, sapientes et fideles doctores praecipue in hanc curam incumbere, ut planissime doceant et tradant certam et quasi metis ac septis inclusam doctrinam, ne ambiguitas errorem pariat. Non potest autem Deo tribui inscitia: potest diserte dicere, quae cogitat, et cum immensa misericordia generis humani adficeretur, voluit certe consolationes non ambiguas esse. Quoties Abrahamum quam blande alloquitur, quoties easdem consolationes repetit, ut et ipsum et universam

Ecclesiam confirmet? Iubet etiam aeternus pater clara voce de coelo sonante, audiri filium, cum inquit: hic est filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Quid attinet audire, si non adfert certam et firmam doctrinam? Denique de his ipsis scriptis propheticis, quae extant in Ecclesia, inquit Paulus: tota scriptura divino spiritu tradita utilis est ad docendum etc. Et Petrus: habentes sermonem propheticum, hunc sequamini intenti, ceu lychnum in obscuro loco lucentem. Petrus lychno lucenti confert sermonem propheticum. Homines prophani dicunt esse tenebras aut praestigias. Psalmus inquit: lucerna pedibus meis verbum tuum; homines prophani inquiunt: imo legantur Aristotelis ethica, legantur decreta pontificum: in his est politia Ecclesiae certo et sine ambiguitate constituta. Esaias inquit: ad legem et ad testimonium qui non dixerit iuxta verbum hoc, non erit ei matutina lux. Denique talia praecommunia sermonis divini multa extant, quae movent bonas mentes, ut statuant, et legendos esse libros propheticos ac apostolicos, et ex ipsis tanquam fontibus petendum esse doctrinam certam legum, promissionum et articulorum fidei, et Deo se patefacienti hunc honorem tribuant, ut sentiant, voluisse eum vere et utiliter docere et consolari genus humanum, non voluit ut impostor tantum offundere praestigias. Quod cogitari scelus potest atrocius, quam fingere, Deum voluisse in docendo tantum discordias serere? Ab hac impia opinione abhorrere totis mentibus et pectoribus omnes oportebat.

Sed clamitant aliqui, multa breviter dici; plerumque autem in brevitate inest obscuritas, ut dicitur: brevis esse laboro, obscurus fio. Deinde si esset perspicuitas tanta, non essent toties exortae dissensiones. Praeterea cur iudicia doctrinae in Ecclesia constituta sunt, et addita interpretatio, si litera ipsa sui interpres est?

Non difficilis responsio est, si sine calumniis iudicare volumus. Vult Deus in Ecclesia ministerium Evangelii esse, et filius Dei sedens ad dexteram aeterni patris servat hoc ministerium, sonans Evangelii vocem, ac dat dona hominibus, pastores et doctores. Hos vult audiri: qui quidem non novum doctrinae genus gignunt, sed rudibus ostendunt, de quibus rebus Deus concionetur in suo sermone, phrasin enarrant, conferunt ad divinas leges et promissiones humanam sapientiam: monent, quid conveniat, quid non conveniat. Denique Ecclesia est velut grammatica sermonis divini. Non enim res novas excogitat, sed iunioribus ostendit rerum ordinem et sermonis proprietatem. Quod autem magna certamina et sunt et fuerunt, saepius causa est et fuit perversitas ingeniorum magis quam sermonis divini ambiguitas. Ideoque vult Deus, iudicia doctrinae esse, vult etiam, sententiis piorum iudicum confirmari imbecilliores, ut dictum est: et tu conversus confirma fratres tuos. Sed hi iudices non condunt novam doctrinam, tantum confessionem edunt, qua ostendunt, se amplecti patefactionem divinam, et collectis testimoniis sermonis divini refutant corruptelas; ut Ecclesia Antiochena refutat Samosatenum, negantem, λόγον significare personam in hac narratione: in principio erat verbum. Adiungit enim sequentia dicta, quae perspicue adfirmant mentionem fieri personae: et verbum caro factum est. Et hos ipsos iudices adiuvari probitatis testimoniis eorum, qui fideles doctrinae custodes fuerunt initio post Apostolos, non est absurdum: ut nos de divinitate filii Dei testimonia quaerimus Gregorii Neocaesariensis, Irenaei aut talium, qui Apostolos aut Apostolorum discipulos audiverunt. Commonefacti ergo imbecilliores diligentius considerant fontes, et credunt ibi λόγον significari personam: invocant filium Dei non propter horum iudicum sententiam, sed quia agnoscunt in sermone divino hanc doctrinam traditam esse. Neque angelorum neque hominum tanta est auctoritas, ut condere talem articulum possint, ab aeterno patre genitum esse filium. Sed hanc arcanam rem Deus ipse patefecit, et addidit testimonia patefactioni. Deo igitur credimus, et filium invocamus, quia ex divinis testimoniis certo statuimus, esse omnipotentem.

Si qua etiam in parte brevitas est, vox ministerii collatione testimoniorum illa breviora dicta illustrat. Et nequaquam negandum est, vocem ministerii audiendam esse. Sed credit mens et invocat propter patefactionem divinam. Ubi autem ministri et alii spargunt opiniones aperte pugnantes cum sermone divino, iudicem esse oportet ipsum sermonem divinum, ut perspicue dicitur: si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Haec eo recitavi, ut invitentur ad lectionem propheticorum et apostolicorum monumentorum bonae mentes, nec deterreri se prophanis illorum iudiciis sinant, qui clamitant, esse folia Sibyllae, aut Sphingos aenigmata. Si lector adferet timorem Dei, et amorem veritatis et aliquam literarum et

phrasis cognitionem, animadvertet, orationem nequaquam ambiguam esse. Et ut alios artifices usus multa docet, ita in hoc genere doctrinae fit illustrior fidei exercitiis in invocatione, et Deus lucem in mentibus in his exercitiis accendit, de qua dictum est: unctio docet. Sed inter ea, quae confert eruditio plurimum adiuvat lectorem cognitio phrasis. Ideo in hoc libello de vocabulorum aliquot propriis et vicinis significationibus disseritur. O rem miseram, et omnium piorum lacrymis deplorandam! Ut ille in Tragoedia Euripidis ad Menelaum inquit: barbarus factus es longa commoratione inter barbaros: ita Ecclesia longa commoratione inter barbaros monachos linguam maternam dedidicit: ac dolendum est, praecipuarum appellationum significationes vel amissas vel obscuratas esse, velut fidei, sacrificii, gratiae, iustificationis. Toties clamitant adversarii, fide tantum noticiam significari, ac propterea dictum corrumpunt: fide iustificamur: cum impossibile sit, ullam creaturam sola noticia iustam esse. Decurrunt igitur ad hanc corruptelam: fide praeparamur ad iustitiam; cognita autem Ebraei sermonis consuetudine facillima est refutatio. Non enim de noticia tantum loquebatur filius Dei, cum diceret: o mulier, magna est fides tua!

Laudanda est igitur diligentia *Matthiae*, qui hebraeam consuetudinem ostendit, quam eo studiosius iuniores considerent, ut se ad hanc diligentiam et ipsi adsuefaciant iudicandae phrasis, quaesitis fontibus; nam multae controversiae, quae videntur esse difficiles, facile hoc modo et vere diiudicari possunt, cum phrasis explicatur.

Citantur horride dicta: quem vult indurat, et similia. Unde ratiocinantur, Deum impellere mentes et corda ut scelerate faciant. Hic error execrandus est. Ac de forma sermonis notissimum est, hebraeis verba activa saepissime permissionem significare. Possem et ex aliis controversiis exempla sumere; sed nolo hic prolixior esse, praesertim cum libellus ipse offerat plura exempla. Magna autem confirmatio est fidei, certo scire, quae sit vis verborum in fontibus. Ideo discentes adsuefaciant se singulari cura et studio ad iudicandam phrasin.

Tibi autem, Reverendissime Archiepiscope, mittimus hanc lucubrationem, ut iuniores haec ipsa studia magis ament, cum tibi, viro praestanti sapientia et virtute, probari ea cogitabunt. Bene vale. Vitebergae, Calendis Martii, anno 1549.

**No. 4501.** **6. Mart.**

## *A. Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 129.

*Antonio Lauterbach, Pastori Eccles. in oppido Pirna.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Consilium vestrum de vocatione *Clementis* adprobo. Iudico enim in eo timorem dei et alias virtutes esse; et cognitione doctrinae Evangelii et aliarum artium bene instructus est. Curemus nos, ut pii et docti ministri sint in Ecclesiis, et ut vox Evangelii incorrupta sonet in concionibus et scriptis nostris, etiamsi, ut in servitute, toleranda sunt in politicis gubernationibus quaedam non congruentia cum nostris iudiciis. Semper aliqua est Ecclesiae servitus, et durior erit apud illos, qui nunc bella pro libertate sua potius quam pro Evangelio moliuntur, qui nos accusant, quod timidiores simus, cum plus periculorum sustineamus quam ipsi. Et nos magno labore doctrinam et literas propagamus; ipsi negligunt studia doctrinae. Quaeramus salutem populi etiam si nos premimur. Id agam, donec Deus concedit. Et Deum oro, ut nos regat. *Imperatoris filium* venisse *Augustam* *) certum est. Et *Bruxellae* pluit ignem et cruorem. Impendet magna mutatio rerum, quam Deus mitiget. Bene vale. 6. Martii. *Clementi* sum hortator, ut cito ad vos proficiscatur. Iterum vale. 1549.

P. M.

---

**No. 4502.** **16. Mart.**

## *H. Baumgartnero.*

† Ex autographo Melanth. in cod. Monac. I. p. 269.

*Clariss. et optimo viro, Dom. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noribergensi, amico suo cariss.*

S. D. Hic scholasticus *Leonartus Ketnerus* natus est in oppido vestro Hersbruk. Est autem et antea a me tibi commendatus **) cum quidem eius ad te

*) Philippus ex Italia in Belgium iter faciens, per Tridentum Augustam venit, deinde Spiram. Vid. Sleidani comment. p. 654.

**) Vid. epist. d. 8. Decb. 1548.

elegiam mitterem. Nunc rescivit in patria desiderari gubernatorem scholae, quare istuc proficiscitur, et sibi id munus mandari orat. Scio eum bono et modesto ingenio praeditum esse, et vel in schola vel in Ecclesia aliquando servire utiliter poterit. Rogo igitur te, ut eum adiuves. Ornate vestras Ecclesias dum potestis. Nam et vestras Respublicas spero domicilia Ecclesiarum fore. Vides enim, quo principum imperia ruant. Te quoque adhortor, ut magno animo tuos labores perferas, quos haud dubie deus adiuvat et provehit, ut iubet pios sentire vox Paulina, cum inquit, ὁ θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Cum te excitarit, ut vere de rebus divinis sentias, et bene velis Ecclesiae, addet etiam successus, ut aliqua fiant ipsi grata, nec tantum fiant in mundo ea, quae sunt adversus Deum contumeliosa. Deus pater domini nostri Iesu Christi te servet, optime Hieronyme. 16. Martii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4503. 18. Mart.

## *A. Hardenbergio.*

Epist. ad Hardenberg. ep. 37.

### *D. Alberto Hardebergio.*

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Dei beneficio nulla porsus adhuc mutatio vel doctrinae vel rituum in nostris Ecclesiis facta est. Studia etiam Philosophica hic mediocriter florent. Et fere singulis septimanis usitato ritu commendatur ministerium aliquibus, qui in aliis Ecclesiis docebunt. Ex hac ipsa voce et Ecclesiae specie publica potius de nobis iudicate, quam ex pagellis, quibus quaedam inserta sunt, quae non sunt nostra. Sed tamen de Adiaphoris non valde pugnavimus, quia scis pleraque retenta esse ex veteri more in nostris Ecclesiis. Non fuit igitur rixandi causa. Sed de aliis maioribus rebus magna et sunt et fuerunt et erunt certamina praecipue de oblatione. Aulici vociferantur, nisi vel in mediis rebus obtemperemus, Imperatori missurum exercitus in has regiones, qui vastent Ecclesias, sicut in Suevia vastatae sunt. Aiunt non necessariis rebus non esse tantas calamitates accersendas. Sumus igitur minus duri in illis mediis rebus, quarum pleraeque nondum sunt in his terris abolitae. Sed de oblatione impetratum est ab Aulicis, ne oneretur Ecclesia instauratione sacrificii Pontificii. Qua de re eo difficilius est certamen, quia nervum stabilierunt iam olim nostri Doctores, quod scis nos saepe gementes et lachrymantes deplorasse.

### *Post Scripta.*

Comes *Albertus* scribit, me a *Iulio**) pecunia corruptum esse. Hanc falsissimam calumniam refutare possum ipsius *Iulii* et totius Aulae testimonio: teque oro, ut me excuses. Deo iuvante, constantiam praestabo in confessione necessariae doctrinae, ubicunque ero. Spero me tecum brevi collocuturum esse. Dicas Comiti adeo non mutatam esse doctrinam in hoc Oppido, ut nunc Typographi edituri sint tomum lucubrationum *Lutheri* optimarum, qui continet Enarrationem in Psalmos et Prophetas. Exemplum mittam. Vosque oro, ut, si in hac servitute non fecimus omnia, quae vos in libertate facitis, misericordia nostri adficiamini, non augeatis nostros dolores falsis criminationibus. Scio qualia sunt iudicia multorum. Et alii alias causas suae vehementiae vel iracundiae habent. Te et tui similes, doctos et sapientes viros decet fovere nostros coetus, ne inter nos tanquam Cadmaei fratres dimicamus. Bene et feliciter vale. Die 18. Martii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4504. 25. Mart.

## *Mauritio, Electori.*

† Ex autographo cod. Goth. 379. fol. 31. a scriba scripto, a Melanthone sua manu passim emendato, qui etiam nomen sua manu subscripsit.

Dem Durchleuchtigsten Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Moritzen, Herzogen zu Sachsen, des heil. Röm. Reichs Erzmarschall und Churfürsten, Landgraven in Döring, Markgraven zu Meissen und Burggraven zu Meideburg rc., unserm gnädigsten Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtigster, hochgeborner, gnädigster Churfürst und Herr. E. C. F. G. bitten wir in Unterthä-

---

*) Iulio Pflugk, episcopo Naumburgensi.

nigkeit, diese unsere Schrift gnädiglich anzunehmen, belangend einen ehrlichen wolgelahrten jungen Mann von Birn [Pirna], Christophorum Finken, dem neulich die durchlaucht. hochgeborn Fürstin, Frau Catharina Herzogin zu Sachsen ꝛc., E. C. F. G. Frau Mutter, eine Jungfrau aus ihrer F. G. Frauenzimmer aus besondern Gnaden zur Ehe gegeben, mit gnädiger Vertröstung, ihr F. G. wollten ihm auch sonst gnädige Förderung zum Studio thun, bis er in E. C. F. G. Landen in Kirchen oder Schulen zu Dienst kommen möchte; doch sollte er Zeugniß seines Studii an E. C. F. G. von uns bringen. Nun wissen wir, daß gemeldter Christophorus züchtig ist, und hat wohl studiret, also daß er auch andre Jungen in der Universität, und zuvor zu Görlitz treulich und nützlich unterwiesen hat, und noch fleißig in löblichen Künsten und in christlicher Lehre studirt. Dieses Gezeugniß, dieweil es wahrhaftig, sind wir ihm zu geben schuldig, und bitten in Unterthänigkeit, E. C. F. G. wollen es gnädiglich vernehmen, und ihr E. F. G. diesen Christophorum Finken von Birn gnädiglich lassen befohlen seyn. Denn durch Gottes Gnaden zu hoffen, daß die Hülf an ihm wohl bewandt [angewendet] seyn werde, und daß er in Kirchen oder Schulen nützlich dienen werde. Denn zu dem, daß er verständig und gelehrt ist, ist er züchtig, gottfürchtig und friedlich. Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi wolle E. C. F. G. gnädiglich bewahren und seliglich regieren. Datum Witteberg 25. Martii, an welchem Tag vor 1550 Jahren der Sohn Gottes menschliche Natur in der Jungfrau Maria an sich genommen, an welchem Tag auch er vor 1516 Jahren am Kreuz gelitten hat, und man schreibt, daß Adam auf denselbigen Tag auch vor 5511 Jahren erschaffen sey.

E. C. F. G.

unterthänige Diener

Johannes Bugenhagen, Pomer. D.
Philippus Melanthon.

---

**No. 4505.** **25. Mart.**

## *Senatui in Dommitzsch.*

† Ex apogr. in cod. Mehnert no. 4. p. 1.

Den Ehrbaren und Weisen Herrn, Bürgermeister und Rath zu Dommatsch[1]), meinen guten Freunden.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Ehrbare, weise, gute Freunde. Zeiger dieser Schriften Magister *Vitus Richter* von Witteberg[2]), ist Pfarrer zu Praten, und ist christlicher Sitten und wohlgelahrt, und in seinem Amt fleißig. Nachdem er nun vernommen, daß durch Gottes Willen der Pastor in eurer Kirche aus diesem betrüblichen Leben verschieden, und eure Kirche noch nicht mit einem andern Pastor versorget, hat er bedacht, sich anzuzeigen, daß er in eurer Kirche gern dienen wollte, und bittet, Ew. W. wolle ihn zum Pastor annehmen, oder ihm förderlich seyn bei denjenigen, so Befehl haben. Denn er hat drei junge Söhnlein, die er gern zur Schule halten wollte, welches ihm in einer Stadt bequemer wäre, denn auf einem Dorf. Und wiewohl ihr an den würdigen Herrn Magistrum *Petrum* gen Stendal geschrieben, so vernehme ich doch, daß er da bleiben wird. Auch bittet Zeiger dieser Schrift nicht anders, denn auf solchen Fall, so gedachter M. Petrus eurer Kirchen Regierung nicht annehmen wollte. Derhalben bitt ich, E. W. wolle diesen M. *Vitum* hören und ihm hernach auf gedachten [i. e. wie gedacht] Förderung thun. Er ist Gottfürchtig, verständig, und nicht zänkisch, und hat ein fromm, tugendsam Weib, die nicht den Leuten beschwerlich ist. Darum bitt ich, E. W. wolle ihr diesen Mann lassen befohlen seyn. Datum Witteberg anno 1549 die 25. Martii, an welchem Tag der Sohn Gottes vor 1550 Jahren empfangen und vor 1516 Jahren gekreuzigt ist, und an welchem Tag Adam vor 5511 Jahren erschaffen ist.

Philippus Melanthon.

---

1) *Dommitzsch*, oppidum in vicinia.

2) Adscriptum est in cod. Mehn. p. 3. testimonium Richtero exhibitum hoc:
Magnifice D. Rector, Eximii D. Doctores. Hic iuvenis *Vitus Richter* Witebergensis est orphanus, et bene studiosus, adiutus saepe a D. Doct. Martino, et Diacono D. Petro, et aliis. Petit in templo munus cantandi, quod relinquet *Conon* Cygneus. Rogo ut eius rationem habeatis. Soror eius servit apud D. Doct. *Augustinum*, quod eo adscripsi, ut sciri posset, quis sit. Censeo hunc pauperem, quia studiosus est, et hic natus, adiuvandum esse.

Georgius *Curio*, Rector.
Iustus *Ionas* D.
Philippus *Melanthon*.
Augustinus *Schurff*.

No. 4506. 25. Mart.

## Testimon. Populari datum.

† Ex apographo in cod. Monac. 88. no. IV. p. 57 b.

### *Testimonium Caspari Popularis Volcachensis.*

Et nos, qui docemus, saepe inspicere studia discentium necesse est, et ipsis honestum petere testimonia fidelium praeceptorum. Cum igitur explorassem eruditionem huius *Gaspari Popularis* *), nati in oppido Volcachii, quod situm est in ripa Moeni, dedi petenti testimonium. Bonam operam navavit hic *Gaspar Popularis* Volchachensis in lingua latina, et Grammaticen recte didicit, et praecepta dialectices, et arithmetices principia tenet. Habet autem et domesticum gubernatorem studiorum et morum, virum honestum, gravem et eruditum, Magistrum *Iohannem Esfeldensem*, cuius familiaritatem ei prodesse iudico et ad eruditionem et ad bonos mores. Hic indolem huius Gaspari ad literas et ad virtutem iudicat idoneam esse. Est autem praecipua virtus vera Dei agnitio et invocatio, et ut scriptum est: initium sapientiae timor domini. Studiose igitur discit hic Caspar veram doctrinam de Deo et amplectitur consensum Ecclesiae catholicae Dei, et Deum vera invocatione et piis moribus colit. Propter has virtutes hunc Casparum omnibus honestis viris commendo, ac nominatim tutores adhortor, ne a studiis literarum eum abducant, cum quidem et natura capax sit doctrinae, et diligentiam ipse promittat. Magnum per sese decus est cognitio rerum bonarum, et necesse est, aliquos esse custodes literarum et artium, quibus vita hominum praecipue regitur. Oro autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris, custodem Ecclesiae suae, ut regat huius Gaspari vitam et studia, et colligat sibi inter nos perpetuam Ecclesiam, et non sinat extingui lucem Evangelii. Datae Wittembergae anno 1549 die 25. Martii, quo die ante annos 1550 filius Dei mirando consilio in utero virginis conceptus est, quo item die ante annos 1516 crucifixus est, et quo die scribitur Adam conditus esse ante annos 5511.

Philippus Melanthon.

*) Völker?

No. 4507. 29. Mart.

## Georgio Pr. Anhaltino.

Epist. lib. II. p. 210. (ed. Lond. lib. II. ep. 202.).

### *D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram aeterni Patris, ac regentem studia doctrinae, ut in hoc nostro oppido coetus docentium et discentium regat et servet. Doctori *Forstero* spero non insuavem consuetudinem nobiscum fore, si diutius hic locus erit hospitium studiorum: De aedibus ad eum scripsimus. Eliget inter eas quas indicamus. Ac si pacem Deus restituet, poterit emere domum pro familia. *Illyricus* hinc abiit, aperte causam hanc dicens, se nolle spectatorem esse mutationis rituum. Etsi autem nondum certo scimus, de reditu quid decreverit: arbitror tamen, quaerere eum sedem, unde liberius nos criminari possit. Itaque si non redibit, lectio *Ebraica* etiam Doctori *Forstero* mandabitur, ita stipendium habiturus esset aureos trecentos. *Torgam* vocatus sum, ut die X. Aprilis eo veniam, quo literae narrant et alios vocatos esse. Quid ea de re sciat C. V. significari mihi optarim. Bene valeat C. V. Die 29. Martii. 1549.

---

No. 4508. 29. Mart.

## A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 14.

### *D. Alberto Hardenbergio*

S. D. Reverende vir, et amice carissime. Adiunxi Epistolae ad *Comitem* scriptae literas, in quibus tibi respondeo. Nec libet prolixe eandem narrationem repetere. Tantum te oro, ut in iudicando ἐπιείκειαν adhibeas, praesertim cum confessio nostra nota sit omnibus. Nam in Ecclesiis nostris eadem vox Evangelii sonat, quam audivisti, et scribimus in nostris lucubrationibus eadem, et in administratione Coenae Domini nulla facta est mutatio. Nec illud Poëma aulicum delet nostram confessionem, ubi quaedam inserta sunt, quae non sunt nostra. Cur toleratis, inquies, cur non opponitis scripta? Scio haec duriter disputari

posse. Sed nolo harum regionum Ecclesias turbari, quae si Pastores pellerentur, prorsus fierent vastae, ut ad Rhenum et ad Neccharum accidit. De Adiaphoris ideo minus contendimus, quia alia maiora certamina sustinemus, de Missa, in quibus utinam nostri non stabiliissent nervum Pontificiorum errorum et Pontificiae potentiae. Praeterea alioqui retenta sunt Adiaphora pleraque in nostris Ecclesiis. Obsecro te, concordiam inter vos tueamur, nec propter Adiaphora inter nos ipsi dimicemus. Bene et feliciter vale. Omnino colloqui tecum decrevi. Die 29. Martii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4509. 31. Mart.

## Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 86. Cod. Goth. 188. ep. 105.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ, fratri suo chariss.* S. D.

Clariss. vir et cariss. frater. Hoc die, videlicet ultimo Martii, *Hieronymus* Stridonensis, anno (— *) — ob oculos sunt. Nec dubito, curae esse Deo captivum Principem. Oro autem Deum vobiscum, ut et Principes et te, et honesstissimam coniugem tuam, et dulcissimam familiam servet incolumes. Pro assiduitate tua in scribendo, et missis carminibus, ago gratias. Brevi mittemus *Ptolemaei* primum librum. Bene vale.

Philippus Melanthon.

---

No. 4510. 1. Apr.

## N. Medlero.

E cod. Bavar. Vol. II. p. 228. edita a Danz. in epp. ad Medl. ep. 86., nunc ex eod. cod. descripta.

*D. Nicolao Medlero*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Animadverti, nonsolum eruditione praeclare instructum esse *Sturionem*, sed etiam eximiam in eo prudentiam esse. Ac scholam ei *Olsnicensem* commendaturi eramus. Sed monuit me *Paulus* noster, prius nidulum attribuendum esse *Naoburgensi* [1]), quem nobis commendasti, quia maritus esset. Sic Torgenses ad me scribent, cum *Marcus* [2]) ex hac mortali vita ad aeternam scholae consuetudinem adductus est, hunc *Sturionem* eis commendabo. De Ecclesia et academia audire poteris *Sturionem*, cuius prudentiam et fidem probamus. Nec doctrinae nec rituum mutatio facta est, et studia literarum Dei beneficio mediocriter florent. Postulant a nobis aliqui in rebus minutis [3]); Certe de magnis rebus acerrima certamina sustinemus, in quibus utinam ab aliis adiuvaremur. Mitto tibi pagellas meo more. Post paucos dies missurus primum librum μεγάλης συντάξεως Ptolemaei, qui graece et latine editur, ut enarrari in schola possit. Bene vale. Kalendis Aprilis 1549.

---

No. 4511. 2. Apr.

## Alberto Duci Pruss.

Edita a Fabro in epist. p. 156. ep. 47.

*Alberto Duci Borussiae*

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps, Etsi noster Civis, Typographus *), vir honestus et integer, narrare poterit quis sit status harum regionum, tamen literas ei dedi, ut observantiam meam Celsitudini vestrae ostenderem. ac primum significo Celsitudini vestrae, nondum in Mysia aut Marchia doctrinae aut rituum mutationem ullam factam esse, etsi consilia mutationis varia tentata sunt. *Marchio* Elector proposuit suarum Ecclesiarum pastoribus simul et librum Augustanum, et suas quasdam declarationes. Pastores responderunt se non adsentiri libro Augustano sed servaturos esse ordinationem quam hactenus servarunt, ab ipso principe ante annos aliquot propositum. Hac responsione *Marchio* Elector nunc quidem contentus est.

Pastoribus in ducatu Saxonico nondum nova mandata proposita sunt. Consiliarii suas quasdam

---

*) Exciderunt hic quaedam.

1) i. e. *Melchior Runtzler.* (Nota Bavari.)
2) i. e. *Marcus Krodelius.* (Nota Bavari.)
3) Praetermisisse hic quaedam videtur Bavarus.
*) Iohann. Luft.

moderationes quaerunt, quae non mutant res necessarias. Sed deum oramus, ut ipse gubernet Ecclesiam suam, quia conservatio et gubernatio Ecclesiarum non est solius humanae prudentiae et humanarum virium, ut in lapsu primorum parentum videmus, et in restitutione in qua deus sua immensa bonitate rursus erexit lapsos, praeter et extra consilium omnium creaturarum. Ab ipso igitur petimus conservationem Ecclesiae suae.

Celsitudini vestrae mitto Orationes Demosthenis in germanicam linguam conversas a Pastore Ecclesiae *Calensis*. vir bonus et doctus est et pater familias pauper. Celsitudini igitur vestrae commendari se orat.

Scripsi nuper Cels. v. de magistro *Christophoro Langner* Goldpergensi, qui offert Cels. v. suam operam in Ecclesiis Cels. v. vir honestus, doctus, ingeniosus et facundus est. Existimo utiliter serviturum esse Ecclesiis. Ideo eum Cels. v. reverenter commendo. Bene et foeliciter valeat Cels. v. die 2. Aprilis 1549.

Celsitudini vestrae
addictus
Philippus Melanthon.

---

**No. 4512.** **2. Apr.**

## *Senatui Hildesiano.*

Ex I. B. Lauensteinii Hildesheimischer Kirchen- und Reformationshistorie P. XI. p. 100*). Anno 1548. canonici iterum aperuerunt templum suum et episcopus denegavit pastoribus suos reditus, qua de re Senatus Hildeshem. Bugenhagium et Melanthonem rogavit, ut quid de ea re ipsis videretur, dicerent, cui hi responderunt hoc modo:

### (An den Stadtrath in Hildesheim.)

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Chr., unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor.

Ehrbare, weise, günstige Herren. Eure Schrift haben wir empfangen, und wiewohl jetzund schwer zu rathen ist von wegen verkehrlicher Deutung, so wollen wir doch Ew. W. unser wahrhaftig und christlich Bedenken treuer und christlicher Wohlmeinung nicht verhalten.

Und erstlich rathen wir, zu Gottes Ehren und zur Seligkeit der christlichen Menschen in Hildesheim, daß ihr die reine christliche Lehre des Evangelii, die ich, D. Johann Bugenhagen, *Pomeranus*, bei euch gepredigt habe, und welche ihr nun etliche Jahre von christlichen Prädicanten bei euch gehört habt, und rechten Brauch der Sacramente in Hildesheim erhalten wollet, wie ihr Gott zu Ehren, und von wegen eurer Seligkeit zu thun schuldig seid, und wollet dieselbige rechte Lehre nicht aus der Stadt wegtreiben, oder zu Verfolgung und Vertilgung derselben helfen. Denn es nicht Kaiserlicher Majestät Declaration, Wille und Verstand, daß unsre Kirchen sollen zerstöret werden, obgleich Bischoff und Dom-Herrn zu gründlicher Zerstörung unsrer Kirchen arbeiten. Denn so Kaiserliche Majestät also wie der Bischoff gewesen wäre, hätte Ihro Kais. Majestät diesem Theil keine besondere Declaration gegeben.

Zum Andern so wollet ernstlich bedenken, wie eine große, erschreckliche, verdammliche Sünde es ist, erkannte Wahrheit des Evangelii helfen verfolgen, und Abgötterei wiederum aufrichten; und das Evangelium und rechten Brauch der Sacramente zu erhalten, ist noth, den Predigern und Dienern der Sacramente Unterhaltung zu verordnen; darauf ich D. Joh. Bugenhagen, *Pomeranus*, auf die Einkommen, wie sie mir die Zeit angezeiget, eine Ordnung gestellet. Wie aber die Gelegenheit mit denselbigen Gütern ist, kann ich nicht wissen. Nachdem aber E. W. jetzund schreibet, daß dieselbigen Güter zum Theil andern zugehören, und daß gleichwohl zu hoffen, daß durch Vertrag Friede zu erlangen, und etwas von den Gütern bei dem Predigtamte zu erhalten, so ist unser Bedenken, daß E. W. dieselbigen Verträge untersuchen wolle, und so man von solchen Sachen, Zins und Einkommen belangend, mit den alten Besitzern auf diese Wege handeln wird, ist billig, daß die Prediger hierin Geduld haben. Und nachdem die Stift vorhin die Pfarren haben versorgen müssen, ist recht und billig, daß sie nochmals, so viel zur Unterhaltung eurer christlichen Prediger und Schulen noth ist, folgen lassen. Denn Kirchengüter sind vornemlich um der Pfarren willen gestiftet, wie die Dom-Herrn selbst wissen. So aber die Kapitel nichts wollten folgen lassen, sollen gleichwohl christliche Regenten und

---

*) Certior factus eram, esse epistolam Melanthonis et Bugenhagii anno 1549. scriptam in tabulario Senatus Hildesiani, Acta Reform. Vol. II. no. 2. Roganti vero mihi, ut illa epistola describatur, senatus respondit: „diesses Schreiben „sey nicht aus eigner Bewegung von dem Verfasser erlassen, „sondern als Antwort auf eine Anfrage des Raths, die nicht „das Werk und die Lehre der Reformation, sondern eine besondere städtische Angelegenheit betreffe, deren Mittheilung „an das Publicum nicht für angemessen erachtet „werden könne." Nisi fallor vero illa epist. eadem est, quae hic legitur, quanquam mirum videri potest, Senatum Hildesh. nescivisse, eam epistolam iam a Lauensteinio editam esse.

Commun = rechte *) christliche Lehr darum nicht verlassen, sondern sollen dennoch Gott zu Ehren, und ihnen zur Seligkeit öffentliche, ordentliche, ehrliche Versammlungen in öffentlichen Kirchen erhalten, und den Pastor und Predigern aus eigener Mildigkeit Unterhaltung zusammenbringen, wie unser Heiland Jesus Christus spricht: Dem Arbeiter gebühret seine Belohnung. Ew. Weisheit wollen doch bedenken, wie ernstlich der allmächtige Gott vom Himmel mit eigener Stimme befohlen hat, daß wir seinen Sohn Jesum Christum hören sollen, und wie theuer und hoch unser Heiland Jesus Christus diese Gnade, die in reiner Lehre des Evangelii verkündigt wird, mit seinem Blute erkauft hat. Darum sollen wir sie erhalten, und nicht zu Vertilgung helfen. Gott bewahr euch. Datum Witeberg, 2. Aprilis 1549.

E. A. W.

willige

Johannes Bugenhagen, Pommer D.

Philippus Melanthon.

---

No. 4513. 7. Apr.

## * M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 714 sqq.

*Michaëli Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Etsi heri ex Noriberga literae nobis allatae sunt: tamen de Republica nihil continebant. *Viti* Concionatoris mortem narrabant: qui cum diu multis morbis saevissimis conflictatus sit: tandem ex his miseriis liberatus est. Scribit et *Frechtus*, se dimissum esse ex carcere. Redituram *Ulmam* Senatus in urbe esse prohibuit. Venit igitur Noribergam ad sororem.

In *Marchia* vicina finis est deliberationum de libro Augustano. *Marchio* proposuit librum cum declarationibus. Pastores responderunt, se non adsentire libro, sed servaturos esse Formam ab ipso ante annos octo editam. Hac responsione Marchio contentus est. Ita manet Forma Ecclesiarum, qualis fuit hactenus. Habeo gratiam Marchioni, qui de libro non pugnavit vehementius, cum quidem velit videri approbator huius novae Reformationis. Sed Deo curae erunt Ecclesiae.

Iam *Torgae* deliberationes erunt de ritibus Ecclesiarum. *Anhaltinus* collegit Agendam, quam inspexerunt Pastores, Noster, Lipsicus et Dresdensis. Tunc tolerabilis fuit. Sed an Aula aliquid postea addiderit, nondum scio.

Si manebit Academia, ut adhuc quidem spero, iudico, filios ad hanc frequentiam scholae mittendos esse. Nam, Dei beneficio, studia mediocriter florent. Iam adornatur editio *libri Ptolomaei* graece et latine de moribus coelestibus. Magister *Erasmus Benedictus* me rogavit, ut in meis literis etiam vobis significaretur, se brevi tempore expatiaturum esse in Patriam. Interea vero alius Magister, honestus vir, in habitatione apud *Christophorum* erit, et eum exercebit. Ego quoque inspector ero studiorum *Christophori*. Lipsiae in nundinis, ut spero, colloquemur, aut si eo non veneritis, ipsi ad vos expatiabimur. De vino gratias vobis ago, nec velim vos onerare. Plenus adhuc est cadus vini Rhenani, quod mihi misistis. Fortassis coget me durities alvi assidua iam cerevisiam bibere deinceps. Edetur brevi Tomus enarrationum *Lutheri*, liber utilis, quem mittam Clarissimo viro, Dn. Doctori *Matthaeo*, cui reverenter dici salutem meis verbis oro. Filiis mitto pagellas recentes. Bene et feliciter valete. Die 7. Aprilis.

Philippus.

---

No. 4514. 12. Apr.

## Eberus ad Lauterbachium.

† Ex apographo in cod. Goth. 190. p. 89.

*Reverendo viro, pietate ac doctrina praestanti, D. M. Antonio Lauterbach, Pastori Ecclesiae Christi in oppido Mysniae Pyrenae, suo domino et amico observando et caro.*

S. D. Gratulor utique et tibi societatem in ministerii cura huius *Clementis*, iuvenis pii, docti et modesti, et ipsi *Clementi* tuam consuetudinem, qua plurimum iuvabitur, Deumque, aeternum patrem domini nostri Iesu Chr. precor, ut utriusque ministerium faxit esse salutare Ecclesiae Christi. Etsi autem certo sciebam tibi Clementem carissimum esse, tamen, cum ipse quoque eum propter mores placidos et eruditionem diligam, facere non possum, quin mea quoque voce eum tibi com-

*) Sine dubio mendum hic agnoscendum et Commun-Rechte scribendum.

mendem, rogemque ut tanquam filium complectaris, erudias, admoneas, horteris, ubi opus erit, denique totum effingas ad tuum exemplum, ut tuis praeceptis et exemplis edoctus aliquando magnum coetum aliquem ipse regere cum fructu queat. *Clemens* haud dubie se tibi obsequentem, fidum et officio diligentem praebebit.

Ex eo cognosces, quis sit huius Ecclesiae et scholae status. Omnia adhuc dei beneficio essent tolerabilia, si esset*) absque quorundam clamoribus, qui occultatis suis nominibus libellos spargunt in vulgus, quibus nostros praeceptores, et inprimis D. *Philippum* praegravant et deformare student, qui profecto tantam occupationum et curarum molem sustinet, ut etiam acerbissimis hostibus commiserationi esse possit. Sed nihil haec quosdam movent, qui ex hac schola egressi in munitis arcibus *Magdeburgae* et aliis latitantes in aliis fortitudinem requirunt, et ignaviam arguunt, cum ipsi tantum animi non habeant, ut maledicis illis suis libellis nomen suum praefigere audeant. Nonne haec putas gratum spectaculum esse adversariis nostris, Monachis et Episcopis, cernentibus nos ipsos mutuis morsibus inter nos conficere? At non possum plura prae dolore.

Tu, quaeso, reverende D. Pastor, Cariss. M. *Antoni*, adiuva nos piis precibus tuis, ad Deum nobiscum clamans, ut ipse Ecclesiae turbatae vulnera sanet, et puritatem doctrinae ac praesertim statum Ecclesiarum et scholarum tueatur, et praeceptores nostros regat ac conservet, ne istarum vespertilionum sibilis excruciati nobis ante tempus eripiantur. Deus te quoque cum familia ac tota Ecclesia suo sancto spiritu regat ac confirmet in propagatione constanti veritatis. Datae Vitebergae 12. die Aprilis 1549.

Paulus Eberus.

*) Excidit hic aliquid, vel pro *esset* scriptum fuit *essent*, ve *essemus*.

---

No. 4515. 13. Apr.

## *Theologi in conventu Torgav.*

Promiserat Mauritius Princeps Elector in Conventu Lipsico mense Decb. 1548. ordinibus suis, se curaturum esse, ut liber agendorum sacrorum, qui *Agenda* dici solet, a Theologis componeretur. Quod ut fieret Theologi, et in iisdem Philippus Melanthon mense Martio convenerunt Mersburgi, ibique sub praesidio *Georgii* Principis Anhaltini manum operi admoverunt. Usi sunt ea in re libro Agendorum, qui a Georgio Anhaltino antea conscriptus, et probatus a Luthero in usu fuerat in terris Henrici Ducis Saxoniae. Hunc librum relegerunt, passim mutarunt vel auxerunt Theologi, illumque iam, Torgam vocati, ibidem 13. Aprilis 1549. praelegere voluerunt legatis ex ordine equestri. Convenerunt igitur Torgae Georgius Anhaltinus, Ph. Melanthon, Io. Pfeffinger, Ioach. Camerarius, Daniel Gresserus et quidam alii. Quum autem surrexisset quidam Theologus, qui in Actis synodicis ex Flacianorum cohorte fuisse dicitur, cuius autem nomen tacetur, (quem fuisse *Schultzium* Diaconum Torgaviensem opinatur Saligius in hist. confess. Aug. I. 626.) et Theologos graviter accusasset, eos ad Papismum homines reducere conari, praelectio libri impedita est, Theologi autem sese purgare studuerunt hoc scripto, quod verosimiliter legatis ex ordine equestri tradiderunt, quodque lingua vernacula exaratum est. Editum est in Actis synodicis germanicis p. 280, (latinis p. 393.).

*(Scriptum Theologorum Torgae d. 13. Apr. congregatorum.)*

Wir haben anfänglich in diesen Unterreden, so von Kirchen gehalten sind, dieses besorgt, daß, obgleich wir guter Meinung in etlichen Mittel Ceremonien etwas nachgegeben, wie denn die Gewissen in Mittelsachen etwas dulden mögen, und nach Gelgenheit sollen, so würden dennoch die Pfarherren an vielen Orten unruhig werden, und würde viel Zerrüttung daraus folgen. Nu ist gegen diese Sorgfältigkeit fürgewandt eine andre größere Fährlichkeit, daß ein fremd Volk in diese Lande möchte gesandt werden, wie in Wirtemberg*), das eine Verwüstung machet, Pfarherren ganz verjagt oder todtschlüge, und diese wohlgeordnete Regiment ganz zerrisse etc. Solches abzuwenden haben wir in Mittel Ceremonien nicht hart seyn wollen und dienen hiermit nicht dem Papst, sondern erhalten erstlich alle nöthige Stück der Lehre und Sacrament, und den Papst anfechten ist nicht seinen bloßen Namen anfechten, sondern unrechte Lehre in Hauptstücken anfechten. Und gehet das Papstthum nicht an, daß man Ceremonien williget, die in der ersten Kirchen gewesen sind in der Apostel Zeiten, als Natalis Domini, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Dies dominica etc., deren wir bis anher auch viele gehalten haben; und so wir sie nicht wollten halten, sagten solches wäre päpstlich, so wäre solche Barbarei eine sträfliche Halsstarrigkeit und eine Unordnung, die dem Volk zu Verhinderung der Zucht und Lehre dienete. Denn dieses ist ja gewißlich wahr, daß zur Zucht und Pflanzung der Lehre bei der Jugend und dem Volk Ceremonien vonnöthen sind, wiewohl dabei Irrthum von Ceremonien einreißen, so man nicht verständige Prediger hat, die das Volk davon recht unterrichten.

*) Textus: Wittemberg; ex mendo. Versio latina: *in Ducatu Wirtembergensi*.

Zum Andern, so ist diese Ordnung, die bedacht ist, fürnehmlich zu einer ehrlichen Gleichheit der Lehre und Ceremonien in dieser Kirchen bedacht, und nicht zu Stärkung des Papstthums, und ist wahr, daß in der ersten Visitation, da an vielen Orten die PrivatAbsolutio sechs Wochen, und viel ehrlicher Ceremonien ganz abgethan waren, hat man derselbigen etliche wiederum aufgerichtet; und ob wohl die Zeit auch Eißleben und und andre schrieen, wir richteten das Papstthum wiederum auf, so ist gleichwohl solche Aufrichtung der Ceremonien nicht dafür gehalten worden. Und so man durch diese Ordnung zu besserer Disciplin kommen könnte mit dem Bann, und anderm züchtigen Wesen, so wäre es sehr gut, und wir wünschen solches von Herzen, arbeiten auch, daß die Jugend zu den Kirchen und Ceremonien gezogen werde, so viel uns immer müglich; wissen aber wohl, daß viele Leut also verwöhnet sind, daß sie zu viel Freiheit haben wollen, und streiten mehr von eigner Freiheit, denn von hohen nöthigen Artikeln christlicher Lehre und von rechter und falscher Anrufung und guter Zucht etc.

Zum Dritten, ob man gleich spricht, dieses Weichen geschehe aus Furcht, darum stärke man damit das Papstthum; wenn gleich diese Furcht auch eine Ursache wäre: so ist doch solches nicht zu strafen, daß wir nicht unsern Personen zu gut, sondern dem Volk, Kindern und dem ganzen Regimente zu gute furchtsam seyn, so ferne, daß wir zu Erhaltung nöthiger Artikel in unnöthigen weichen; besondern weil geschrieben stehet, man solle leiden wo es nöthig ist; item: ihr sollt friedlich seyn mit allen, so viel an euch ist. Und ist eines jeden Gewissen tröstlich, so er weiß, daß er von wegen nöthiger Sachen leidet, und nicht Ursach gibt, in unnöthigen ihme selbst zu leiden, Kirchen zu verlassen und sonst zu Zerstörungen.

Zum Vierten, so ist vielmal auch durch Doct. Martinus gerathen worden, daß man sich zu solcher Gleichheit in Mittelbingen erbieten sollt, wie auch etliche Mal in den Reichstagen geschehen, und ist derwegen von Regensburg der Durchleuchte, hochgeborne Fürst und Herr, Herr Fürst Hans zu Anhalt, zu Doctor Martino, davon mit ihme zu reden, abgefertigt worden etc.

Zum Fünften, so sind in dieser jetzigen Ordnung keine neue Ceremonien, sondern die jetzt gewöhnlichen Ceremonien sind um guter Ordnung und Gleichheit willen also gefaßt, und ist dabei so oft ausgedruckt und erholet, daß rechte reine Lehre soll dabei erhalten werden. Dieweil man denn bekennen muß, daß Ceremonien, wie droben gesagt ist, nöthig sind: warum will man denn diese gewöhnliche Feste und Gesänge nicht halten? Dabei sind etliche Stück von öffentlicher poenitentia und von Bekenntniß des Glaubens in der Confirmatio, welches nützliche Stück sind zur Zucht etc.

Zum Sechsten, so mag diese Ordnung andern Nachbarn nützlich werden etliche zu rechter Lehre zu bringen, etliche bei rechter Lehre zu erhalten. Denn in Schlesien und andern Landen haben viele Leut Scheue gehabt an rechter Lehre derhalben, daß sie große Ungleichheit in Ceremonien besorget, etc.

Zum Siebenden, dagegen aber werden wir schrecklich angeklaget, daß wir Abgötterei anrichten, dafür uns Gott gnädiglich behüten wolle, und werden die Exempel der Jüden unbillig wider uns gedeutet. Denn die Jüden machen neue Gottesdienst wider öffentlich Verbot, und dazu in falscher Lehre, daß sie dadurch Gott versühneten, wie vor dieser Zeit die Messe und Möncherei gehalten worden. Nu machen wir keine neue Gottesdienst, erhalten auch rechte Lehre, und ist keiner Kirchen verboten, Ordnung in Ceremonien zu machen im rechten Verstande, zur Zucht und zu Unterweisung des Volks, wie Sanct Paulus spricht: es solle alles in der Versammlung ordentlich und zierlich gehalten werden. Und eben diese Form, die wir in der Messe halten, ist also gehalten worden vor tausend Jahren, wie Dionysius klar bezeuget. Darum unsre Nothdurft ist, zu antworten, daß wir nicht Abgötterei in dieser Ordnung anrichten, sondern bitten Gott von ganzem Herzen, daß er uns vor Abgötterei bewahren wolle. Daß aber die Päpstlichen aus unsrer selbst Uneinigkeit gestärkt und trotziger worden sind, davon wäre viel zu klagen, und sind Ursach solche Leut, die von unnöthigen Sachen mehr denn von nöthigen Sachen streiten. Es sollen billig die ungestümen Leut bedenken, daß wir auch Gliedmaß dieser Kirchen sind, und rechte Lehre lieben, und darum vielleicht mehr denn sie leiden, und sollten uns nicht so grausam lästern, als wären wir abgöttisch etc.

Und ist dieses ein neues Papstthum, daß solche ungestüme Leut alle andre zu ihrer Weis bringen wollen, und wer ihnen nicht folget, denselbigen also greulich verdammen.

---

**No. 4516.** **16. Apr.**

## *Concionatoribus Hamburgens.*

Primum separatim edita simul cum epistola Hamburgensium ad Melanthonem: „De rebus adiaphoris epistola Concio-

natorum Hamburgensium ad D. Philippum Melanthonem, et responsio eiusdem. Psal. XXVI. Non consideo hominibus vanis, nec cum dolosis conversor." (Sine loco et anno.) 8. Ex hac prima editione hic utramque epistolam dedimus.

## A.

(*Epistola Hamburgensium ad Melanthonem.*)

**S.** et G. in Iesu Christo Domino nostro. Veremur, ne modestia et verecundia in nobis desiderari possit, Reverendi Praeceptores, quod his temporibus infelicissimis, laboribus et molestiis plenis, plus laborum et molestiarum vobis imponimus, animosque vestros iamdudum moeroribus et periculis undique oppugnatos et gravatos magis oneramus, quos iustius consolari et erigere oportebat. Confidimus tamen vos in meliorem partem esse accepturos nostram audaciam et hanc potius imputaturos temporibus turbulentis, et communibus Ecclesiae periculis ac calamitatibus, quam nobis, quae ab invitis hanc scriptionem extorserunt. Etiam veniam merebitur nostra audacia, quod communis salus Ecclesiae in his, quae scribimus ac petimus, vestrum clarum, explicatum et certum iudicium requirat, quod sequatur in controversia illa, quae agitari coepta est de Adiaphoris, sub quorum specie hodie passim multae mutationes in Ecclesias optime constitutas invehunt, ut labefactetur et evertatur optimus purae nostrae religionis status, ut astuti et vafri quidam homines potentiorum favores et sua commoda captantes eo facilius Papatum astute et tecte revehant paulatim suis dolis, hoc est, commentitiis suis Adiaphoris vestram auctoritatem, consensum et suffragationem praetexunt suis conatibus, hacque astutia vehementissime percellunt ac labefactant multorum piorum animos, Ecclesias turbant, ad defectionem inflectunt, et eruditorum piorumque virorum adhortationes ad constantiam et confessionem Evangelii Christi enervant, planeque inefficaces et irritas apud multos reddunt. Eruntque nocentiores in Ecclesia Christi pestes, quam unquam Pseudoapostoli et Pseudoprophetae fuerunt, dabuntque damnum gravissimum Ecclesiae, nisi his malis et improbis conatibus in tempore obviam itum fuerit a vobis, qui auctoritate et eruditione praecellitis, quorum fides et integritas omnibus semper testatissima fuit, et qui post D. *M. Lutherum*, sanctissimum virum sincerum, fidum et constantem purae doctrinae et veri divini cultus instauratorem ac propugnatorem, Ecclesiam docuistis cum voce, tum scriptis, et qui Ecclesias nostras in Saxonia bene constitutas consilio et opera vestra ita instituistis, ut in his hactenus semper conservatus sit summus in docendo consensus, et Ecclesiastici ritus ordine, decentissime in tranquillitatem ubique sunt observati. Sanctum hoc vestrum depositum in nostris Ecclesiis hucusque sancte custodivimus, libenterque in posterum custodiemus, adiuvante Christo. Ut autem hoc melius et felicius fiat, necesse est, ut vestra subsidiaria opera muniatis Ecclesias a nobis inprimis exaedificatas, et praescriptis Ecclesiasticis constitutionibus a Pontificia ἀταξίᾳ servitute et impietate assertas et vindicatas, et vestram sententiam de Adiaphoris Ecclesiis proponatis, in qua piae mentes possint acquiescere in hac iudiciorum varietate. Hoc nisi feceritis profecto apud non paucos discindetur consensus, qui in Ecclesiis bene ordinatis hactenus fuit, omnia in singulis implebuntur factionibus et dissidiis, hostium Christi improbitas, hac inclinatione ad hostes nostros valde augebitur et corroborabitur. Ideo oramus vos[1]) per Dei misericordiam et veritatem, qua erexit Christi regnum et Satanae tyrannidem evertit, Ecclesiam perpetuo defendit ac servat, ut ineatis consilium, ac reperiatis rationes conservandi Ecclesiarum incolumitatem, constituatisque certam sententiam de Adiaphoris, quam quisque salva conscientia sequi possit sub his pugnis et periculis[2]). Ecclesia passim habet pios, doctos et cordatos viros, qui hac controversia bene intellecta animi constantiam adiuvante Deo praestabunt in tenenda puritate nostrae religionis, imitabunturque ex verbo Dei ostensa vestra consilia, ad conservationem Ecclesiarum utilia et necessaria. Nisi hic ceu ad sistendum publicum incendium vestram operam contuleritis, Ecclesia damnum accipiet, quod nunquam resarcietur.

Nos scimus vos in ea esse sententia, quod potius velitis, exilia, direptionem bonorum, carceris et quaevis supplicia ferre, quam in doctrina, hactenus pure tradita sitis vel minimum mutaturi, ullasque corruptelas purae doctrinae recepturi. Hic adsentiuntur nobis omnes pii animi, nec possunt dissentire, qui spem salutis in Christo promissae sunt retenturi. De doctrina in Augustano conventu olim confessa nulla sunt inter nostros

---

1) Text. *nos*, quod mendosum habeo.

2) Textus hic habet comma, sed plene interpungendum est.

certamina; nec ulla ambiguitas. Sed de susceptione Adiaphororum tamen discrepant iudicia.

Existimant multi vos inclinare ad illorum iudicia, qui existimant satius esse servitutem in Adiaphoris ferre, quam deserere Ecclesias suas propter res tam leves, quod existimetis hac servitute ab aulis imposita. Ecclesias bene institutas posse conservari, quae si semel desererentur, venirent in potestatem Papae prorsusque vastarentur. Intelligimus hoc consilium niti suis quibusdam rationibus et id spectari, ut aularum favore et patrocinio reliquiae Ecclesiae defendantur et custodiantur. Sed hic vobis etiam atque etiam considerandum est, quam non sit tutum hisce arundineis baculis inniti, et aulicis consiliis sine verbo Dei vivere. Quae narrantur de servitute in Adiaphoris ferenda, periculose dicta sunt. Ideo necesse est, ut doctrina de Adiaphoris distincte explicetur et diserte doceatur, quae vere ac ficte Adiaphora ac media vocentur, et quibus finibus includendae sint res mediae. Nam conscientiae in periculis et certaminibus stabiliri ambiguis et flexibilibus opinionibus nequeunt. Quibus perspecta est vestra integritas et pietas, illi candide (ut par est) interpretantur, quae consulitis de servitute in Adiaphoris ferenda, vestraeque sententiae interpretationem sumunt ex vestris libris, ex Augustana confessione, Smalcaldianis deliberationibus, ex epistola super hac re Noribergensibus Pastoribus scripta, ex vestrae Ecclesiae ritibus et aliis iudiciis, quae vestri animi vestraeque sententiae sunt testes.

Alii autem suspicantur in praesentibus periculis priorem vestram sententiam mutatam esse, iamque plus in Adiaphoris concedi quam antea. Haec callide in multorum aures ingeruntur, ut ceu per cuniculos his fucis adversarii ulterius irrepant in nostras Ecclesias, utunturque consilio vestro de ferenda servitute in Adiaphoris ad stabiliendas omnes suas corruptelas et Idolomanias. Et ut ex unius *Islebii* cavillatione de reliquis iudicium faciatis, non gravabimur hic asscribere, quae passim ex epistola *Islebii* hic sparguntur, quibusque exponitur vestra sententia de servitute ferenda in Adiaphoris. Bonus ille vir scribit, Saxonicos et Vitebergenses Theologos plane consensisse, in Augustanam editionem a Caesare promulgatam, atque etiam in ipsum Canonem sic satis repurgatum. His subiicit et haec verba, unus praecipuus ex Theologis Vitebergensibus scripsit ad amicum: *Ego non recuso ferre servitutem in Adiaphoris salva doctrina*, utque praecipue explicet, quid Adiaphora appellitet e diplomate concordiae Interbochii factae super observationibus Ecclesiasticis teutonice haec verba latinis admiscet: *Und in Mitteldingen soll man alles halten, wie es die alten heiligen Väter gehalten haben, und jenes Theil jetziger Zeit auch noch hält.*

Hic quaeso attendite, observandissimi domini Praeceptores, quomodo callidi homines, qui superstitionem Papisticam restitui cupiunt, vestra verba de ferenda servitute in Adiaphoris interpretentur, et quid quaerant astuti isti Interimistici conciliatores, et quam foede vos deforment ubique terrarum apud omnes pios, quantumque noceant Ecclesiae ambiguae et flexibiles illae sententiae de ferenda servitute in Adiaphoris apud illos, quibus vestra doctrina vesterque animus de his controversiis non est satis perspectus, et quantum animi addant obstinatis nostris adversariis, qui ne pilum quidem latum a suis superstitionibus et impietatibus discedere volunt, solumque id agunt, ut nos vel arte vel vi retrahant in societatem suam perversam, quam pii non possunt non odisse et fugere propter impietatem, quae in ea longe lateque vagantur. Si vultis vestro honori et Ecclesiae Christi recte consultum, operae pretium est, ut doctrina vestra nunc denuo de Adiaphoris novo scripto proposito publicetur, quo diluantur calumniatorum mendacia et Ecclesiae recte informentur de controversia rerum mediarum ac indifferentium, nec poteritis nunc ullo officio melius mereri de Ecclesia Christi quam eiusmodi scripto. Agnoscimus nostram Ecclesiam opera vestra adiutam esse in recipienda coelesti, pura ac vera doctrina, quam et utili et necessaria reformatione ornastis, in qua, quia nos posuit S. Sanctus inspectores, ob id semper nobis summae curae fuit, ut custodiremus vestrum apud nos depositum, hoc est, ut conservaremus puritatem doctrinae et verum Dei cultum in Ecclesiis fidei nostrae commissis. Nunc vero, quia passim incidunt mutationes et Ecclesiae verae ex Interim ita transformantur, seu potius deformantur; ut inde pericula noxia et scandalosa certamina oriantur inter veros Ecclesiae doctores et pastores, quibus coniunctarum Ecclesiarum concors harmonia et doctorum virorum consensus omnino dissolvitur, nervique Ecclesiasticae concordiae rumpuntur. Ideo ne gravius in hac parte sauciarentur multorum conscientiae, et ne quid secus ageretur a nobis quam opor-

tet, putavimus vestrum explicatum consilium de Adiaphoris vel admittendis vel excludendis quaerendum esse. Vestra scripta prius edita in consilium adhiberi potuerunt, ex quibus satis cognoscitur, quae vobis vere Adiaphora sunt, quae in Ecclesia conservari, quae tolerari et quae eiici debent. Sed nunc potentiorum decreta et imminentia pericula astutorum allegoriis ac fucis et dissimilitudine iudiciorum res sic involvitur, ut pii nesciant, quid de Adiaphoris tenendum sit.

Ad hoc malum hoc etiam accedit, pios viros, verae religionis amantes, qui in bene constitutis Ecclesiis mutationes nullas recipere volunt, (quod videant ista ratione Pontificios integram papisticam superstitionem rursus invehere velle, seque exponere malunt summis periculis, quam auctores esse mutationum in Ecclesia et impios conatus impiorum adiuvare) pessime audire et praegravari odiosi apud illos, qui appellatione Adiaphororum omnia extenuant, excusant et involvunt, quique non assentientes ipsorum flexibilibus allegoriis iudicant stoicos, duros, contumaces et rebelles Ecclesiae desertores, qui praesentibus calamitatibus et periculis Ecclesiae non afficiantur. Hic cum utrinque in receptione Adiaphororum et in desertione Ecclesiarum grave periculum sit, nihil putamus tam esse necessarium, quam ut piorum, bonorum et prudentium virorum consilio bonae conscientiae testimonium retineamus apud Dominum, et faciamus, quae sunt nostri officii et quae coram Deo salva conscientia fieri debent. Hic ut inculpati simus super hac re, expetimus vestrum pium consilium, etiam atque etiam orantes, ut diserte nobis significare dignemini; quae via vobis ingrediunda sit inoffense sub his Adiaphoricis disputationibus, ne derogetur gloriae Dei, ne impediatur Ecclesiae salus, et ne vulnerentur nostrae aliorumque piorum conscientiae. Scimus longe horribilius et gravius esse incidere in manus Domini, quam in manus hominum. Ideo dabimus operam, ut in omnibus incidentibus periculis teneamus hunc scopum in nostro ministerio, ut coram Domino fide reperiamur, et conscientiam habeamus illaesam. Eventum rei committemus Deo, in cuius manu omnia sunt sita. Idque nobis unice curae erit, ut innocentiae testimonio animus noster sit confirmatus; in vita et morte corroborante nos Deo per sanctum suum Spiritum, potius cervices carnifici feriendas praebebimus, et potius exilia et supplicia feremus, quam ut contra conscientiam simus aliquid facturi in nostro ministerio. Reipublicae relinquimus sua consilia, quae, ut pia, iusta et recta sint, apud Deum, hortamur et oramus, idque conamur praecipue, ut nos pie et iuste fungamur nostro officio, utque verbum Dei recte secantes, pie in omnibus applicemus, et quae Dei sunt, Deo, et quae Caesaris sunt, Caesari demus, nostroque officio, ut oportet, fungamur.

Ut autem V. R. P. nobis apposite suum consilium dare possint, de conservando vero Dei cultu et Adiaphoris vel recipiendis vel excludendis nostram sententiam scripturae conscientem vobis aperiemus. Veri divini cultus auctorem solum Deum facimus, eumque solum modo recte et salutariter coli, eo cultu, quem ipse praecipit, statuimus, ipsius cultum solius divini verbi regula metimur, et caeci suis limitibus ac terminis includimus praeceptis utriusque tabulae Decalogi, ponimusque verum Dei cultum in fide, Dei adoratione, invocatione, glorificatione, praedicatione et explicatione verbi Dei, Sacramentorum iuxta Christi mandatum administratione, precibus, hymnis, Psalmis, Spiritualibus cantionibus, gratiarumque actionibus, in Dei timore, studio innocentiae ac virtutis, et obedientia erga Dei verbum. Iudicamus, verum Dei cultum ornandum et gubernandum esse piis Ecclesiasticis observationibus, necessariamque esse Ecclesiasticam εὐταξίαν ad religionis divinique cultus prorogationem et conservationem. Probamus, ut, quae ad decorum, ordinem, honestatem, disciplinam et tranquillitatem spectent in Ecclesiis, in gubernatione divini cultus retineantur, et ubi ea sunt sublata absque offendiculo commode restituantur ad aedificationem Ecclesiae, ad amplificandam Dei laudem et alendam publicam concordiam et tranquillitatem; sed ita, ne fores aperiantur explosae Papisticae impietati et tyrannidi. Ad decorum, ordinem, honestatem, tranquillitatem et disciplinam referimus vera Adiaphora, hoc est, observationes illas, quas Deus neque praecipit neque prohibuit, sed liberas permisit Ecclesiae ad aedificationem sui ipsius, pro locorum, temporum et personarum conditione et commoditate. Huius generis arbitramur esse haec et similia, viros aperto, mulieres velato capite orare. In Ecclesia viros docere non mulieres; statis diebus et horis orare, docere, psallere; campanae sonitu conventus sacros cogere ad audiendas conciones et celebrandam

Eucharistiam; sobrias et sanctas ferias, ad audiendum Dei verbum decernere, et decentibus vestibus in Ecclesiasticis ministeriis uti; certam doctrinam pro captu populi in concionibus et lectionibus proponere ac distribuere; vernaculam latinamque linguam in templis certis legibus sonare; organis uti; imagines et picturas ad conservandam rerum utilium memoriam ferre; non nisi ante exploratos, examinatos, et instructos ad sacram σύναξιν admitti; absolutionem a sacerdote peti; in ipsa Eucharistia domini observari omnia, quae pia et decora, et boni ordinis sunt; matutinas ac vespertinas preces ac lectiones, e sacris literis sumtas, decantari certis horis; vetera pia cantica et consueta sacrarum lectionum exercitia ab omni superstitione et errore repurgata servari; iusta ordinatione ad sacra officia electos et vocatos admitti; mortuos honeste pio cantu, et campanarum moderato sono sepeliri; memorias sanctorum sine idolatria pie conservari; catechesin institui; moderatas Ecclesiasticas censuras, ad conservandam iustam et necessariam disciplinam, restitui; sponsum et sponsam honesto et pio ritu in templo matrimonialiter coniungi; canones de clericorum honesta vita et conversatione condi; ieiunia moderata absque superstitione praescribi, et id genus alia.

His et similibus Adiaphoris, quae habent manifestam utilitatem, et ad decorum, ordinem, disciplinam et honestatem faciunt, si durabilis concordia, tranquillitas et conformitas in Ecclesiis in doctrina pura consentientibus constitui posset, putamus propter vera Adiaphora consensum Ecclesiae non esse dissolvendum, nec Ecclesias a pastoribus esse deserendas, nec certamina de Adiaphoris suscitanda, nec alenda esse schismata in illis Ecclesiis, quae in eandem doctrinam Christi consentiunt. Et existimamus, non esse habendum pro servitute, quando libera conscientia Christianae concordiae studio et propter aedificationem apud homines pios haec servantur. Hac Adiaphororum observatione, si salva nostra doctrina in omnibus nostris Ecclesiis sine superstitione et metu reducendi impium Papatum conformitatem Caesar constitui vellet, non dubitamus salva conscientia Ecclesias parere posse.

Adiaphora autem, quae vere sic vocantur, inclusa sunt certis finibus, quos, si transgrediuntur, Adiaphora esse desinunt, fiuntque corruptelae, profanationes, seminaria superstitionis, conscientiarum laquei et aptae occasiones reducendi veterem abusum et impietatem. Necesse autem est, ut circa Adiaphora sit libertas recte ac pie docendi, et ea gubernanda doctrina Christi, Apostolorum et Prophetarum. Ad Adiaphororum catalogum ea non possunt vere referri, quae aedificationi Ecclesiae, decoro, ordini honestati ac disciplinae non serviunt, libertatem Christianam obruunt, superstitionem alunt, cum verbo Dei pugnant, sacramentorum mysteria verumque Dei cultum obscurant, confusionem et impedimenta veri divini cultus secum trahunt, Ecclesiam dehonestant, religionem Christi in Antichristi superstitionem pervertunt, nervique sunt Papisticae superstitionis et abusus. Eiusmodi conficta Adiaphora sunt ridiculae sacrificorum in sacris gesticulationes, scenica spectacula, inanes ceremoniolae ac pompae, magici exorcismi, consecrationes Chrismatis, Baptismi, salis, aquae lustralis, palmarum, ignis et aliarum plurimarum rerum, quae execrandam in cantationum speciem habent, quibusque aliquid spiritualis et divinae energiae et virtutis tribuitur, circuitus coemiterii, circumlatio panis, imaginum ac reliquiarum, pomposa lotio pedum, pompa ingressus Christi in die palmarum, crucis in sepulchrum depositio, et excubiae, quae aguntur circa sepulchrum, cum reliquis sepulchralibus spectaculis, sumtuosum spectaculum accensarum candelarum in die purificationis Mariae, supplicatoriae processiones, plenae abusuum et vitiorum, ludus ascensionis Christi et devolantis columbae in die Penteoostes. Haec et his similia sunt tantum vanae, frivolae et ineptae lusoriae occupationes in templis. Adiaphororum usum et finem non habent, religionem nostram ludibrio ac risui exponunt, ministrorum Ecclesiae fidem et auctoritatem elevant, pastores ridiculos faciunt, eorum doctrinam suspectam reddunt, et totum ministerium Evangelii ridendum propinant, summum contemtum doctrinae et Sacramentorum Christi pariunt, ad destructionem non ad aedificationem spectant. Nam vulgus ab his etiam vera Adiaphora et utiles Ecclesiae observationes ac ritus aestimabit, iudicabitque omnes eiusdem ordinis ac generis esse, unde orietur nocentissimus Religionis contemtus, Epicureismus et deformis ἀταξία ac confusio in Ecclesia. Ideo non licebit cum offendiculo et licenti perturbatione bene constitutas Ecclesias istis nugis onerare. Nam omisso Adiaphororum fine, Adiaphora nec esse, nec vere dici possunt, sunt-

que nihil aliud, quam corruptelae semina et nervi Papisticae superstitionis, et cuniculi, per quos adversarii in nostras Ecclesias irripere conantur, ut eas a fundamento evertant, totumque Papatum restituant, et id quidem per nosmet ipsos et per fictorum Adiaphororum receptionem, quod haec via facilior et expeditior esse videatur ad recuperandam et occupandam arcem Papisticae impietatis. Haec ioculana et conficta Adiaphora quia fide, quae nititur solo verbo Dei restitui, defendi et conservari nequeunt. Item, quia sunt veteris impietatis nervi totumque Papatum secum trahunt.

Ideo illi Ecclesiarum pastores suis conscientiis rectius aliis consulere videntur, qui malunt deserere Ecclesias suas et exilium pati, quam in istarum futilium et periculosarum rerum ludos consentire, et his nugis fenestram ac viam sternere rediturae abominationi. Hic iudicia variant diversaeque audiuntur sententiae. Alii dicunt, has ineptias et stultitias potius suscipendas esse, quam Ecclesiae deserantur; alii contrarium statuunt, quod restitutio istarum ineptiarum sint auspicia reducendi impii Papismi, quorum iudicio et sententiae videtur suffragari magna pars Theologorum, quod confictorum Adiaphororum restitutione id agatur, ut nostra doctrina suspecta fiat vulgo et per nosmet ipsos asperae viae prioribus superstitionibus explanentur. Hic cum iudicia doctorum tantopere varient et hae res tanti sint momenti, ut Ecclesiarum bene constitutarum eversionem secum trahant et omnia dissidiis et scandalis repleta sint in Ecclesia et Rep. ideo obtestantur vos R. P. per communem Ecclesiae salutem et gloriam Iesu Christi, liberatoris nostri, ut de his rebus, quae Adiaphororum naturam et finem exuunt, et Ecclesiae nocent, vestrum iudicium exponatis, ut inde in praesenti periculo statuere liceat, quae sint verbo Dei et voluntati consentanea, et Ecclesiae utilia.

Audimus, multos esse, qui se satis excusatos apud Deum esse putant, quod in necessitate e duobus malis minus eligant, et quod tyrannidem et servitutem ferre non sit peccatum; sed nondum definitum est, utrum sit peius, Ecclesiasne deserere, an Adiaphororum noxia figmenta approbare, et sublata scandala rursus erigere et observare. Quae de servitute ferenda dicuntur, si civiliter acciperentur vera esse possent, sed servitutem in impiis rebus et confictis Adiaphoris in Ecclesia Christi admittendam et ferendam esse non est verisimile, quod[3]) destructionis sit non aedificationis in Ecclesia. Quod vero quidam ineptiunt doctrinam de vitiosis ceremoniis liberam esse debere, easque libere debere reprehendi, ridiculum est. Qui enim potest pius pastor administrare, de quo eum reprehendit conscientia, perpetuoque observare, quod coram tota Ecclesia quotidie ipsemet redarguit? Quis habebit doctrinae illorum fidem, quae a se reprehensa, damnata et reiecta rursus instauratur[4]), et contra semet ipsos ceu impoenitentes quotidie coguntur concionari? Quomodo ibi consistit concordia et tranquillitas, ubi pastores Ecclesiae publice reprehenduntur, ac taxant, quae aulae absque ulla violatione observari volunt. Cum omnia diligenter perpenduntur res ipsa loquitur fucum fieri Ecclesiis Adiaphoricis mitigationibus, pastoribus imponi[5]) et insidias parari ad revehendam Papisticam impietatem, quam Pontificii totam volunt recipi. Haec cum ita sint, pastoribus tutius esse videtur, de suo munere cedere et Ecclesias relinquere, quam se polluere Papisticis ineptiis, quae Ecclesiae nocent, et quae ad restituendum Papatum sub falsa Adiaphororum appellatione ei obtruduntur a sapientibus huius seculi, qui hac ratione student consulere sibi et suis commodis, non Ecclesiae Iesu Christi. Tolerabilius est aut mori aut in exilio agere bonae conscientiae testimonio, quam inquieto animo in Ecclesiarum administratione cum propria conscientia luctari. Ideo necesse est, ut tota doctrina de Adiaphoris extet. Periculosa sunt conscientiarum vulnera. Ne ergo hic conscientias vulneremus, et ne quid committamus, ingruentibus periculis, cuius nos postea poenitere, et quibus conscientiae nostrae redargui possent, magnopere petimus, ut a V. R. P. controversia de Adiaphoris diserte et distincte explicetur, quid sit concedendum, quid ferendum, quid reiiciendum.

Hactenus exposuimus nostram sententiam, qui sint veri cultus Dei, et quae recte habeantur pro Adiaphoris, et contra, quae falso hoc nomine recenseantur. Nunc ea prosequemur, quae a quibusdam inter Adiaphora numerantur, et variis coloribus et allegoriis pinguntur et ornantur, ut aliquam utilitatis speciem habere videantur. Haec autem, cum eiusmodi sint, ut damnetur doctrina

---

3) Text. *quid*, quod mendosum videtur.
4) Haud dubie mendose pro: *qui* a se — *instaurant*.
5) Desideratur *iugum* vel simile.

Christi, Prophetarum et Apostolorum, et cum fidei nostrae ἀναλογίᾳ pugnent, manifesteque impia et execrabilia sint, nec probanda nec recipienda esse credimus. Item cum ἐθελοθρησκεία semper a conditis seculis a Patribus, Prophetis, Christo et Apostolis ut inutilis, inanis, irrita et impia damnata sit, iudicamus nullos ritus, nullasque observationes, ab hominibus excogitatas et confictas, ad colendum et placandum Deum, ad promerendam gratiam Dei et ad satisfaciendum pro peccatis absque salutis aeternae iactura approbari, recipi et instaurari posse. Huius generis sunt Monachatus cum votis et aliis impiis appendicibus; Missa privata cum Canone; coelibatus clericorum; Sanctorum invocatio et cultus; Sacramenta ab hominibus instituta, quibus ad sanctificandum, ad arcendum Sathanam, ad salutem animae et corporis procurandam, spiritualis vis attribuitur; confessio, in qua requiritur enumeratio peccatorum omnium, tanquam res necessaria ad remissionem peccatorum; ieiunia, in quibus delectus ciborum praecipitur, et quae ad satisfaciendum et remissionem ac salutem promerendam mandantur; mortuorum vigiliae et Missae; animae commemorationes, sanctificationes, peregrinationes, indulgentiarum nundinationes, omnesque aliae observationes, quae proponuntur ad conciliandum Deum et ad promerendam iustitiam coram Deo; Haec omnia pugnant contra Evangelium et fidei ἀναλογίαν et libertatem, in quam nos Christus asseruit. Ideo salva Dei veritate et illaesis conscientiis, sineque salutis iactura nemo in has et similes ἐθελοθρησκείας consentire potest.

Omnes horum trium ordinum ritus atque observationes callidi conciliatores et mitigatores sine discrimine inter Adiaphora ponunt, ut sub Adiaphororum appellatione Ecclesiae omnes impios usus, profanationes et corruptelas rursus obtrudant, atque hac astutia nostram doctrinam et religionem ex fundamento evertant, et Papismi impietates omnes restituant, utque hoc astute efficiant Adiaphororum commento fascinant [6]) pios animos, persuadentque vulgo, fieri posse, quidquid observationum unquam fuit aut adhuc est in Papatu. Ita enim recessus [7]) Iuterbochii factus dicitur interpretari his verbis: *In Mitteldingen soll man alles halten, wie es die heiligen alten Väter gehalten haben, und jenes Theil jetziger Zeit auch noch hält.* Quid hoc aliud est, quam praetextu Adiaphororum totum Papatum revehere velle in nostras Ecclesias, Ecclesiarumque pastores decipere voce Adiaphororum, ut sic decepti, etiam nescientes, Christi Evangelio et vero Dei cultu excluso, impiis Papisticis superstitionibus viam sternant ad Ecclesias nostras in Adiaphoris, hoc est, omnibus Papisticis superstitionibus, ut nunc Adiaphora exponuntur, servitutem salva conscientia ferri posse. Si concionatores vulgo persuaserint, et impii Episcopi receperint suae iurisdictionis auctoritatem, effecta illis ex animi sententia sunt omnia, statim restituentur impii abusus, extinguetur puritas doctrinae et veri cultus obruentur et opprimentur fidi et sinceri doctores Ecclesiarum. Ut hoc efficiatur, obtruduntur commentitia Adiaphora, quibus receptis cogetur Synodus, quae nostrarum Ecclesiarum doctrinam damnabit, et pro arbitrio quaslibet imponet Ecclesiae leges. Res ipsa etiam nunc clamat, Episcopos id solum nunc conari, ut totus Papatus cum omnibus suis superstitionibus et tyrannide instauretur, et pura doctrina deleatur. Idque declarant Diocoesanis suis conventibus passim promulgatis. Duo postrema genera Papisticarum observationum, quae partim transgrediuntur Adiaphororum limites et amittunt usum et finem Adiaphororum, partim sunt prohibitae et damnatae ἐθελοθρησκείαι, salva pietate et gloria Dei, adversariis urgentibus recipi non posse, nec impiorum servitutem sine iniuria, et verae religionis evangelicae doctrinae manifesta corruptione et extinctione Ecclesiae imponi arbitrantur, satiusque esse aut mori aut relicta Ecclesia exulare et extrema pati, quam contra conscientiam approbare et simul cum aliis Papistis administrare ἐθελοθρησκείας et mentita Adiaphora, quod conficta ista Adiaphora destructioni serviunt, ministerium Evangelii ludibrio exponunt, doctrinae nostra fidem abrogant, adversariorum superstitionem et abusus stabiliuntur, horribilia scandala creant, imbecillium fidem labefactant, omnes doctos et cordatos a ministeriis sacris deterrent et efficiunt, ut religionis administratio brevi commendanda sit indoctissimis asinis et ventribus.

Cum ficta Adiaphora semel recepta certissime allatura sint Ecclesiae dissipationem, necesse erit, ut pii pastores se fucosis Adiaphororum restitutionibus opponant, sibi in conscientiis tutius

6) Text. mendose *fascinam.*
7) Text. mendose *recessui.*

esse statuant a ministerio discedere, quam se noxia fictorum Adiaphororum restitutione polluere, et isto modo veras Ecclesias erroris arguere, fidei doctrinam corrumpere, dubiam et suspectam reddere, Evangelii veritatem abnegare, et fores aperire Pontificiis imposturis reducendis. In confesso cum sit id agi tantum, ut Papatus restituatur et pura doctrina Evangelii et Christi religio extinguatur et sepeliatur, censemus, diligenter cavendum esse, ne ullis mutationibus ausa praebeatur adversariis, rursus erigendi suas superstitiones. Si semel coeperint animi labascere et dubitare, tum actum erit, nec quicquam proderit nobis ulla Adiaphorica mutatio, quia totum Papatum adversarii restitui volunt. Ad nos se pertrahi nulla aequitate aut mitigatione patientur, ipsi volunt, nos tanquam haereticos et schismaticos ad se, tanquam catholicos et orthodoxos reduci. Hoc semper egerunt et in hoc proposito persistunt. Ideo Adiaphoricis mutationibus frustra quaeritur concordia apud adversarios.

Aulica consilia de recipiendis Adiaphoris tantum patefaciunt adversariis viam ad id, quod moliuntur. *Islebius* in epistolis suis, quas ad suos scribit, quaeritur, inscitia pastorum fieri, quod sua Adiaphora gravatim admittantur, et pro Adiaphoris non agnoscantur, quae ipse somniat, et cum summo offendiculo et certa Ecclesiarum eversione observari debere contendit. Sed ipse sibi habeat suae eruditionis laudem *Islebius*, relinquat nobis simplicitatem nostrae innocentiae, et ut sequamur sacrae scripturae et orthodoxae Ecclesiae iudicium, quae Adiaphora libera pronuntiat, quae his vult Ecclesiam aedificari non destrui scandalis, mederi non ea suscitari, superstitionem et corruptelas et impietates Ecclesia excludi non introduci. Non est satis, homines ludere fucosis figmentis et ineptas nugas allegoricis fucis ornate et callide accommodare ad res bonas et novum rationale divinorum comminisci sine verbo Dei. Novis umbris et typis Ecclesia non habet opus, iis per Christum est liberata, habet suum cultum, Evangelio Christi descriptum et constitutum, cui nec addere nec adimere quicquam debet humana audacia.

Adiaphora vero, quae primo ordine posuimus, concordiae et tranquillitatis causa libenter observaremus cum aliis Ecclesiis, puritatem doctrinae custodientibus, optaremus generalem constitui posse conformitatem Ecclesiarum sine offendiculo et cum tranquillitate. Indicamus enim ad alendam concordiam valde prodesse conformitatem rituum in Ecclesia. Si potentes hic tam diligentes essent, quam sunt, ut coniunctae Ecclesiae confictis Adiaphoris disiungantur et scindantur, melius suam operam collocarent. Verum, quum non quaeratur Ecclesiarum concordia et salus, sed paretur tantum via, ad omnia illa erigenda et restituenda, quae synodus decernet, nihil proderunt hae particulares mutationes, et, ut apparet ex multis iudiciis, nihil piis pastoribus melius et tutius erit coram Deo, quam longissime abesse a fucosis et dolosis deliberationibus de recipiendis Adiaphoris et fraudulentis mutationibus, eo quod Interimistarum deliberationum finis sit, ut totius Papatus impietas restituatur, nec iusta diiudicatio doctrinae, nec recta reformatio Ecclesiarum expectanda sit. Item nihil videtur coram Deo tutius et Ecclesiis utilius esse, quam nullas omnino mutationes facere, antequam certo constet, posse illa subsistere, quae mutatione nova in veris Adiaphoris admittuntur. Sine hac certitudine nihil erit mutationibus tentandum, quae tum Ecclesiae tum Reip. valde periculosae erunt. Quodsi vero pastores improbantes noxias mutationes Ecclesia eiicerentur, satius erit, ut patiantur, se eiici, quam ut adiuvent Interimisticos conatus, se polluant alienis peccatis et prodant Christi religionem adversariis.

Quia autem novimus, adversarios Papistas esse improbiores et superbiores et pertinaciores, quam ut ratum habituri sint, si quid utiliter in nostris Ecclesiis constituantur; ideo propter communem concordiam cum Ecclesiis, nobis in doctrina Evangelii coniunctis, non recusabimus admittere Adiaphora vera, et ad veros usus et fines directa, qualia primo ordine recensuimus. Instaurent adversarii suam impietatem sine nobis; si persecutio et servitus ferenda est, feratur ea sine labefactatione Evangelii Christi; non offendantur pii, nec afficiantur ignominia Christi Ecclesia, non corrumpatur doctrina Christi, Apostolorum et Prophetarum; puri cultus non contaminentur. In quo discrimine nunc ubique Ecclesiae et Respublicae versentur, scimus, vellemusque libenter sic instituere nostri ministerii rationes, ut Ecclesiae Christi prodessemus et nostrae aliorumque conscientiae recte consuleremus, animosque nostros praeparemus in omnem

eventum. Ideo necessarium putavimus V. P. nostram sententiam exponere, et vestram super Adiaphoricis mutationibus audire, animosque nostros in quovis periculo vestro iudicio eo validius adversus quoslibet terrores, trepidationes et pericula munire.

Cum ubique spargatur, vestram esse sententiam, ut servitus feratur in Adiaphoris, etiam illis, quae *Islebius* et alii aulicis conciliis ebrii, Adiaphora vocant, et quibus venustas aliqua allegorica affingi potest, ut ad aliquem usum in Ecclesia accommodari queant, qua arte quaelibet nugae pro Adiaphoris obtrudi possent, cum flexibilem illam sententiam, servitutem in Adiaphoris ferendam esse, multi improbi usurpent: iterum oramus ve. R. P. per gloriam Christi Iesu et Ecclesiae salutem, ut vos in hac controversia de Adiaphoris dilucide declaretis edito scripto; alias illa sententia, servitutem in Adiaphoris ferendam esse, infinita schismata suscitabit et plures dissipabit Ecclesias quam adversariorum arma destruant. In vos conversi sunt omnium oculi et animi, a vestris iudiciis bona pars Christiani orbis pendet, quibus plus fidei habent, quam aliis. Ideo deserendi non sunt pii in dubitationibus et consiliorum variationibus. Extrema necessitas, Dei gloria, Ecclesiae salus, requirit a vobis eiusmodi explicationem. Pericula nostrae religioni et veritatis confessioni coniuncta, nec silentio, nec ullis rationibus humanis declinari possunt. Evitandi periculi causa non est, ut omittatur officium, quod Ecclesiis debetis. Sive sileamus, sive loquamur, adversariis idem est, nisi omnino abnegetur vera ac pura doctrina Christi et omnia Papistica approbentur, nulla tranquillitatis et pacis conditio proponitur.

Frustra aliunde quam a Deo nobis promittimus pacem ac defensionem. Huic et per Iesum Christum Ecclesias nostras, nos, vestraque omnia committamus, cum incessanter in his summis extremisque periculis, difficultatibus et calamitatibus invocemus necesse est, oremusque ardentibus votis, ut incolumitatem Ecclesiae suae, quam ab initio mundi sub variis persecutionibus sibi semper collegit, defendit et servavit, etiam nunc in postremis his tenebrarum procellis custodiat, tueatur et servet pater coelestis, propter suum filium unigenitum Iesum Christum, qui adsit vobis et nobis omnibus Spiritu suo sancto, dirigatque nostra consilia et actiones ad sui nominis gloriam et Ecclesiae suae salutem, Amen.

Nunc vero, cum fortassis sitis occupatiores, quam ut publicum scriptum brevi absolvere possitis, cum id plusculum temporis postulet, rogamus obnixe, ut in summa cum hoc tabellario ad nos vestram sententiam rescribatis, et paucis indicetis vestrum de nostra sententia iudicium. Rectissime valeant R. D. V. in Iesu Christo, unico Ecclesiae protectore et liberatore, sedente et regnante ad dexteram maiestatis Dei, cui sua Ecclesia semper curae fuit, et usque ad seculi consummationem semper curae erit.

---

## B.

(Sequitur responsio Melanthonis ad hanc epistolam, recusa in Act. syn. p. 401., in select. Ep. p. 244., edit. Lond. I. ep. 79. et in Consiliis latinis, P. II. p. 88. Apographon contulimus in cod. Bav. II. p. 224.)

*Pastoribus Ecclesiae Hamburgensis* S. D.

Reverendi viri et amici cariss. Non aegre ferimus, nos amanter a vobis vel moneri vel reprehendi. Sunt enim et haec officia in amicitia, praesertim in Ecclesia, necessaria. Sed tamen oramus vos, ut in iudicando, pro vestra prudentia, gravitate, et erga nos benevolentia, candorem adhibeatis, nec veteres amicos, qui amplius viginti annos magnos labores et varia certamina sustinuimus, et adhuc sustinemus, damnetis, sicut alii quidam, qui falsis criminationibus rabiose nos insectantur: quibus ideo non respondemus [1]), ne tam tristi tempore odia et dissidia magis inflammentur. Primum autem vobis significamus, Dei beneficio, vocem doctrinae eandem in Ecclesiis nostris et Academiis sonare, quam tot annorum consensu vobiscum profitemur, et quam nunc in vestra confessione propugnatis. Cumque sciamus hanc doctrinam aeternum Dei decretum esse, et perpetuam verae Ecclesiae sententiam, nihil in ea unquam mutaturi sumus, ac ne quid mutaretur in doctrina et Liturgia, acerrimae contentiones nobis hoc ipso anno cum aliquibus fuerunt, qui ingeniis, eruditione et autoritate in his regionibus excellunt. Quod cum ita sit, extant non obscura testimonia nostrae confessionis, ac aliquanto maiora odia et pericula subimus in tali

---

1) *non respondemus* text. prim. et cod. Bav. Pezel. *nondum respondemus.* Peuc. *nondum respondimus.*

confessione, quam illi, qui inter adplausores suos in tuto nobis conviciantur, quos optaremus interesse iis disputationibus, in quibus argumenta astutissime [2]) excogitata, magno labore refutamus. Eduntur apud nos et libri iidem, qui ante bellum editi sunt; Nec ritus alii sunt in Ecclesiis nostris, quam quos vidistis. Et quanquam non magna dissimilitudo est, tamen alibi plures, alibi pauciores sunt, de qua dissimilitudine nec antea rixati sumus, nec nunc rixamur. Nam et esse publicos congressus honestos, et ritus non barbaricos in illis congressibus, imo et quaedam disciplinae signa esse necesse est, in quibus [3]) si nihil contra mandata Dei institutum est, de gestibus ipsis non esse pugnandum [4]) vos ipsi scitis. Sed metuistis in generali verbo insidias, cum dicimus nos de Adiaphoris non pugnare. Veniunt eadem nobis in mentem, quae vos prudenter prospicitis. Et voluntates multorum eo spectant, ut inclinationem ad totam politiam Pontificiam faciant. Sed tamen cum occupati maioribus certaminibus de rebus necessariis, omittimus rixas de Adiaphoris, decet bonos viros, qui talia legunt, adhibere dexteritatem in iudicando. Vocamus Adiaphora, non magicas consecrationes, non statuarum adorationes, non circumgestationes panis aut similia, quae aperte damnantur voce nostra et scriptis, imo ne ineptias quidem, ut excubias ad sepulcrum. Talia qui vel odiose coacervant, ut nos exagitent, vel astute colligunt, ut Pastoribus duriora onera imponant, iniuriam nobis faciunt, et suis affectibus morem gerunt. Alia multa sunt Adiaphora, quae et antiquissima Ecclesia instituit, et ad concinnum ordinem, et ad docendos seu commonefaciendos rudiores conducunt, ut ordo Festorum, lectionum, publici congressus, examen et absolutio ante sumtionem Sacramenti, ritus aliquis publicae poenitentiae, examen in confirmatione, publica ordinatio ad ministerium Evangelicum, publicae desponsationes, et precationes in nuptiis, honesti comitatus aut etiam conciones in funeribus.

Haec cum pleraque in [5]) usu sint apud nos, et bono consilio retenta sint, qua fronte dicere poteramus, nos nulla Adiaphora, nihil usitatum admissuros esse? An ut fit in factionibus et studiis partium, odio adversariorum etiam istos vetustos mores congruentes cum Ecclesia Dei inde usque a primis parentibus abiiceremus? Sicut *Cinesias* quidam *Athenis* festos dies contrarios populi consuetudini celebrabat. Et *Asiani* [6]) sues mactarunt, et contrarium anni initium constituerunt, ut ostenderent se prorsus alienos esse ab *Israelitis*. Scimus ne vos quidem probare talem novitatem, et reverenter tueri vetustae Ecclesiae ordinem, qui bono consilio institutus est. Ac praecipui ritus in vestris et nostris Ecclesiis congruunt ad veterem formam, quae extat in scriptoribus, qui ante *Gregorium* fuerunt. Disciplinae severitas aliquanto maior fuit, et exercitia temperantiae maiora fuerunt, quas duas res nunc quoque optamus curae esse gubernatoribus, qui Ceremonias, et umbras disciplinae in speciem restituere conantur, non res ipsas.

Sed reprehensio vestra, non de hac honesta consuetudine Ecclesiarum nostrarum loquitur, sed de quorundam ineptorum rituum instauratione, quae fieri a potentibus videtur ut paulatim restituantur omnes abusus Pontificii. Hic mollities nostra accusatur, quod non vehementius adversamur, quod alicubi damus consilium Pastoribus, ne deserant Ecclesias propter hanc novam servitutem.

In ditione *Marchionis Alberti* aula primum petivit, ut Pastores totum librum *Augustanum* amplecterentur ac sequerentur. Pio consensu Nobilitatis, Civium et Pastorum modeste facta est recusatio. Decurrit ergo aula ad aliud consilium: proponit articulos, qui doctrinam et Liturgiam non mutant [7]), sed plus rituum imponunt, qui utcunque tolerari possunt. Additur comminatio, ut qui hanc normam sequi nolint, discedant. Etsi multi Pastores discedere malebant, tamen Ecclesiae petebant, ne desererentur. Tali tempore quid consilii dandum fuit? Respondent aliqui vehementiores, atroci scripto perterrefaciendam fuisse aulam metu seditionis, et hac *Gorgone* reprimendam, ne quid in Ecclesiis mutaretur. Id cur facere nolimus, multae honestae [8]) causae sunt. Et fortassis magis irritarentur inimici, qui nolunt sibi leges a nobis ferri: dicerent etiam attrahi exercitus Caesaris: talia scripta esse classica bel-

2) *asutissime* cod. Bav. et text. prim.
3) Cod. Bav. et text. prim. *qua*.
4) Text. prim. *rixandum*.
5) †*suo* cod. Bav. et text. prim.
6) Cod. Bav. et text. prim. *Asiatici*.
7) Cod. Bav. et text. prim. *notant*.
8) *honestae* addit cod. Bav. et text. prim.

lorum exitialium[9]) patriae. Nec volumus deseri Ecclesias, ut in *Suevia* accidit, ubi in multis templis iam prorsus solitudo est, aut lupi iam praesunt, qui doctrinam impiam et falsas invocationes restituunt. Si tali tempore hoc nostrum consilium reprehenditis, ignosci nobis petimus, nec propterea nos damnari, qui vocem Evangelii eandem vobiscum sonamus, et aliquanto propiores periculo sumus, quam vos, qui habetis auditores aequiores. Et coram plures graves causas dicere possemus, cur hoc moderatius consilium utilius esse iudicemus.

Quae res adversarios armaverit contra nos, et audaciam ac potentiam eorum confirmaverit, longum est[10]) dicere, et non est ἐπιστολικὸν, ut *Aristoteles* dicere solebat, sed tamen dissensiones et dissimilitudo Ecclesiarum nostrarum videretur ἀφορμὴ[11]) fuisse gubernatoribus, ut novam normam proponerent.

Ut igitur clare cerni possit, nos non cupiditate libertatis, non studio novitatis, non odio dissidere ab adversariis, de magnis rebus pugnamus, in quibus evidentia veritatis convincit saniores etiam inter inimicos. Id iudicamus utilius esse, quam de vestitu aut re simili rixari, ubi sapientes clamitant, nos tantum stulta morositate ac contumacia adversari gubernatoribus, alere dissidia, attrahere peregrinas gentes. Talia multa cum audiamus, opponi non leves causas necesse esse. Vobis in auditorio vestro omnia faciliora sunt, et vestram libertatem vobis gratulamur. Semper autem aliqua est Ecclesiae servitus, alibi mitior, alibi durior, ac leniri aerumnas servitutis consolatione vestra decet, non augeri condemnatione, dum fundamentum[12]) tenemus.

Concordiam igitur inter nos, et mutuam benevolentiam tueamur, ne invocatio in nobis, aut in populo turbetur, neve tristes et perniciosae dubitationes oriantur ex quaestionibus non necessariis, ut olim de Paschate accidit. Illi quibus ea libertas minus impedita est, agant Deo gratias, et pie utantur ea ad illustrandam doctrinam, nec disciplinae frenos propterea magis laxent. Alii in servitute agnoscant castigari nos divinitus, et veram Dei invocationem corrumpi non sinant, sicut scriptum est: *Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.* Nos non sumus suasores, ut Ecclesiae turbentur, nec in minore dolore et periculo sumus quam vos, sed ubi nova onera imponuntur, prudenter iudicandum esse sentimus, an relinquendae sint Ecclesiae lupis, aut facienda solitudo, an vero servitus toleranda sit. Nam neque nos impias Ceremonias recipi volumus, neque sine gravissimis causis deseri Ecclesias, sicut scriptum est: *Non deserentes congregationem vestram* *).

Hanc responsionem vobis satisfacturam esse speramus, et optamus, ut aeterna sit inter nos concordia, et animorum coniunctio in Deo, sicut Filius Dei in agone suo precatur, ut Pater mentes omnium in Ecclesia copulet, ut unum sint in Deo. Bene valete. 16. April. Anno 1549.

9) Text. prim. et cod. Bav. *excidium.*

10) Peuc. *esset.*

11) Text. prim. videntur ἀφορμαί.

12) Text. prim. *fundamenta.*

*) Text. prim. et cod. Bav. *nostram.*

---

**No. 4517.** **20. Apr.**

## *Ge. Fabricio.*

† Ex apographo in cod. Zittav. ep. 10. descripta.

*Georgio Fabricio*, (*Gubernatori Scholae Misnensis*),

**S. D.** In Argonautico[1]) inquit Triton ad principes:

*εἰ δέ τι τῆσδε πόρους μαίεσθ' ἁλός, οἷά τε πολλὰ*
*ἄνθρωποι χατέουσιν ἐπ' ἀλλοδαπῇ περόωντες,*
*ἐξερέω.*

Scis, haec officia hospitibus grata esse. Cum igitur hic *Georgius Eccardus*, cui hanc epistolam dedi proficiscenti ad virum clarissimum *L. Camerstadium*, non sciat, ubi sita sit ἡ κώμη *Chalcaria*[2]), iussi, ut a te monstratorem viae petat. Qua in re non deesse homini peregrino pium officium est. Et hic Georgius eo istuc mittitur, ut Ecclesiam in illa Chalcide doceat.

Legi carmen epithalamion nostro amico, viro optimo scriptum, in quo et amanter mentio facta est mei nominis[3]). Gaudeo istam publicam

1) Est locus in Apollonii Rhodii Argonauticis lib. IV. 1556 sq.

2) *Chalcart* habet apographon, sed mendose. Est villa *Kalkreuth* prope oppidulum Hayn, in Misnia.

3) Est epithalamion a G. Fabricio „Wolfgango Meurero, medico, et Margarithae Blasebalg, anno M.D.XLIX. die 12. Februarii" scriptum, quod legitur in libello: „Georgii

significationem nostrae amicitiae, tibique gratiam habeo. Bene vale. 16. Aprilis *).

Phil. Melanthon.

No. 4518. 21. Apr.

## Eidem.

Epist. lib. V. p. 408 sq.

*Georgio Fabricio, gubernanti Scholam Misnensem,*

S. D. Adolescens *Schoenbergius* recte commendari poterit vel *Paulo Ebero*, vel eius vicino, *Matthaeo Plochingero*, viro docto, et uterque convictores habet honestos. Ac scis, adolescentibus opus esse assiduis inspectoribus studiorum et morum. Me autem seu fata seu astra cogunt pene erronum modo vivere. Nec raro gemens recito versum Homericum:

πλανητοσύνης δ' οὐκ ἐστὶ κακώτερον ἄλλο βροτοῖσιν.

De *Viti* migratione in Academiam coelestem ad me scripsit eius Collega, antequam accepi tuas literas. Nunc occupati sumus editione primi *libri Ptolomaei* μεγάλης συντάξεως et aliis quibusdam editionibus. His absolutis ἐπιτάφιον λόγον *Crucigero* scribam, in quo etiam graviss. eius sententias de dogmatibus recitabo. Ibi et *Viti* mentionem faciam. De Epithalamio ad te heri scripsi, ac rursus ago gratias, quod amanter me tot praestantibus viris adiunxisti, quos sequor ut ille apud Platonem, iturus ad convivium cum Socrate, tanquam umbra. Et vere sum aliquanto minus, quam umbra, imo σκιᾶς ὄνειρος, ut Pindarus inquit. Oremus autem Filium Dei, ut nos regat, et faciat nos σκεύη ἐλέους. Bene vale. Anno 1549. in Paschate, quod est a primo Paschate, quod Israelitae ex Aegypto celebrarunt, Pascha 3058. *Albino* et Collegis tuis salutem opto.

Fabricii Chemnicensis poematum sacrorum libri XV. Basil. 1560. 8. p. 576 sqq." Ibi de Melanthone haec habentur p. 585.:

Esse decet castas taedas, quas ipse *Melanthon*
Non dedignatus conciliare fuit.
Esse decet placidas, quarum est *Camerarius* auctor:
Esse pias, quando est hic vir uterque pius.

*) Quum Melanthon in ep. seq. hanc scriptam dicat *heri*, necesse est, numerum 16 esse errorem, et fortasse scriptum fuisse 20.

No. 4519. 21. Apr.

## Georgio Princ. Anhaltino.

Epist. lib. II. p. 211. (ed. Lond. lib. II. ep. 203.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps. In Psalmo 47. scriptum est, *Quando Principes populorum congregantur cum Deo Abraham, exaltatur Deus valde.* Quibus verbis significatur, Ecclesiam et studia doctrinae magis florere, cum a bonis Principibus foventur. Agamus igitur Deo gratias, quod Regem *Danicum*, et alios Principes *Germanicos* ad agnitionem Evangelii vocavit, et ita confirmat, ut non abiiciant veritatem, et oremus, ut eos, et nos regat et protegat. Pastor Ecclesiae nostrae Doctor *Pomeranus*, et ego, agimus gratias C. V. quod lenire nobis moestitiam conatur, ac misit literas Regias pie scriptas. Mitto vicissim pagellam, cuius lectionem spero C. V. iucundiorem fore, quam lectio est librorum, qui eduntur in vicina *Parthenope*, quos, ut spero, refutat lux veritatis. Iam scribo praefationem in *Lutheri* Tomum, continentem enarrationes multorum librorum Propheticorum. Bene et feliciter valeat C. V. Die Paschatis, 1549.

No. 4520. 23. Apr.

## Christophoro Frid.

Ex libro: Epistolae consolatoriae (editae a Cyr. Spangenberg, Argentor. 1565.) p. 188. Apogr. in cod. Goth. 188. ep. 39.

*Philippus Mel. Christophoro Frid* S. D.

Venerande vir, et amice carissime. Usitata sunt exilia Ecclesiae, ut commonefaciant nos et de primo exilio primorum parentum, et de filio Dei, qui, ut nos reduceret, exul factus est. Ac scis, quam crudeliter saepe ex urbibus pulsa sunt agmina piorum, et equites missi, ut senes, infantes et matronae equis conculcarentur. Interdum senes in conspectu piorum in coelum intuentes translati sunt. Quare animum exemplis veteribus confirmabis, et sperabis, Deum tibi aliud hospitium tolerabile daturum esse. Nostra officia, ubicunque te iuvare poterimus, tibi non defutura sunt. Bene et feliciter vale. Die Georgii.

No. 4521. (25. Apr.)

## P. Ebero.

Epist. lib. II. p. 143. (ed. Lond. lib. II. ep. 130.).

*D. Paulo Ebero*

S. D. Etsi aliis curis exerceor, tamen et de suffragationibus vestris in electione Decani cogito, de quibus ante iter tecum locuturus eram. Suspicor duas fore disputationes: alteram, an omisso ordine redeundum sit ad electionem iuniorum, ut volebat *Illyricus*: Alteram, An *Erasmus Marcello* anteferendus sit. Exposui de utraque re *Vito* et *Marcello*, quid mihi videatur. Oro collegas ut omnibus rebus anteferant concordiam, ac placet mihi eligi Decanum *Erasmum*. Vides hoc ipso tempore ornari ab eo *Academiam* editione *Ptolemaei**). Etsi et aliorum labores digni sunt laude et praemiis: sed tamen nunc ostendamus nos delectari hac editione, et ipsius *Erasmi* studium excitemus. De moestitia meae coniugis magno cum dolore cogito, cui mederi studeas. Praefationem *Sarceriam* mittam aut certe adferam. Arbitror enim satis cito eam edi, si ante nundinas fuerit edita. Iussi hunc nuncium ad me *Grimam* venire, quare te oro ut mihi scribas. Bene vale. *Thebis* die Dominico **).

---

No. 4522. 1. Maii.

## Scriptum in Conv. Grimm.

Quum actio Torgensis d. 13. April. 1549. eventu caruisset, Mauritius Dux Elector ad Calendas Maii Grimmam convocavit Georgium Anhaltinum Principem, Phil. Melanthonem, reliquos Theologos in Academia Witembergensi et Lipsiensi, Ioachimum Camerarium et Superintendentes et Pastores, item ordines quoque istius regionis, ut Agendorum librum, de quo supra ad 13. April. h. a. dictum est, recognoscerent et sententias suas de eo dicerent. Adfuit etiam Mauritius ipse et sua voce testatus est: se minime petere doctrinae aut rerum necessariarum mutationem, sed solum modo ut Presbyteri ritus externos in ordine Festorum, lectionum, vestitu etc. retineant. Illi Superintendentes, qui Grimmae non adfuerant, in quibus etiam fuit Erasmus *Sarcerius*, paulo post Lipsiam vocati sunt, ibidemque librum ipsis propositum cognoverunt. — In illo igitur conventu Grimmensi Theologi haec scripta declararunt, quae sequuntur. Leguntur in Actis synod. germanicis p. 283 b. (versio latina in Actis syn. lat. p. 397.).

*(Declaratio Theologorum de libro Agendorum in conventu Grimmensi d. 1. Maii 1549.)*

Wir berichten in Unterthänigkeit, daß alle Pastores und andre, zu dieser Verlesung erfordert, einträchtiglich geantwortet, daß sie die gestellte Agenda ihnen allen gefallen lassen, in der Lehre und Ceremonien, wie sie im Buch geschrieben.

Dabei aber haben sie erinnert, erstlich, so diese Agenda solle ins Werk gebracht werden, daß man sie den Amptleuten und Räthen in Städten zuschicken wolle, daß dieselbigen suchen, daß die Pastores diese Agenda also halten wollen. Denn so die Pastores solche Aenderung anfingen ohne solche Suchung der Räthe in Städten, würde den Pastoribus aufgelegt, sie wollten Neuerungen auf sie bringen. etc.

Zum Andern, daß gleichwohl diese Agenda also solle verstanden werden*) nach Gelegenheit der Ort und Zahl der Kirchendiener, nachdem unmöglich, daß alles gehalten werde, wo nicht Personen darzu sind. Doch solle solches also gehalten werden, daß Niemand nichts Neues, dieser Agenda zu entgegen, einführe, sondern was man halten kann, daß solches dieser Agenden gemäß sey, mit Vorwissen und Befehl seines obersten Superintendenten.

Zum Dritten, daß die Oberkeit Aufsehen habe, daß die Feiertage ehrlich, züchtiglich und christlich gehalten werden. Denn so viel den Dienst der Pastoren belanget, sind sie willig in den Kirchen treulich und mit Fleiß zu warten.

Es wird auch unterthäniglich gefragt, dieweil zu Mersburg kein Consistorium mehr seyn möchte, wohin die vorfallenden Sachen sollen gewiesen werden. Geschehen zu Grimme den 1. Maii, Anno 1549.

---

No. 4523. 1. Maii.

## Alberto Duci Pruss.

Epistola nuncupatoria praemissa Tomo tertio Operum Mart. Lutheri latinor. ed. Witeb. 1549. fol. — Recusa in Declamationibus Melanth. T. IV. p. 573 sqq. — Data qui-

---

*) Post Vitum Winshemium electus est mense Septb. Decanus collegii philosophorum Erasmus Reinhold, qui illo tempore in usum scholae edidit „primum librum magnae constructionis Ptolemaei graece et latine." Vid. Scripta publ. anni 1549. T. I. p. 264 sq.

**) Dies Dom. fuit d. 1. Sptb., quo die profectus est ad Camerarium, ut de scholis cum eo et aula consilia conferret.

*) i. e. daß die Agenda nur soll gebraucht werden. Vocula also videtur vel redundare vel esse pro: also, wie sie ist, ut est comparata. Versio latina: Secundo, quae de agendis in hoc libro sunt, ea pro conditione et numero ministrorum in Ecclesiis ut accipiantur.

dem est d. 1. Maii, sed scripta d. 21. Aprilis 1549. — In Declam. Mel. inscriptio ad Albertum Ducem praetermissa, et pro ea argumentum his verbis designatur: „Praefatio in „tertium Tom. operum Lutheri: de causis, quare conser„vari in Ecclesia, et ad posteritatem transmitti prosit te„stimonia et interpretationes sacrarum literarum, ab au„toribus fide dignis acceptas."

*Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Alberto, Marchioni Brandenburgensi, Duci Prussiae, Pomeraniae etc., Burggravio Noribergensi, Domino clementissimo, Philippus Melanthon* S. D.

Multae gravissimae causae sunt, propter quas valde prodest in Ecclesia, autoritate publica et in monumentis publicis conservari et ad posteritatem transmitti testimonia et interpretationes ab autoribus fide dignis acceptas, quibus iudicia posteritatis et regantur et confirmentur. Vult enim filius Dei infirmiores ab eruditioribus et firmioribus adiuvari, ut scriptum est: et tu conversus confirma fratres tuos. Ac laetantur omnes bonae mentes in Ecclesia, cum legunt vetustissima testimonia de tribus personis divinitatis, tradita a Gregorio Neocaesariensi, ab Irenaeo, ab Eusebio Palestino, quem Basilius citat.

Adparet autem mediocrem fuisse diligentiam gubernatorum, qui docuerunt in urbe Alexandria, item in urbe Caesarea et Antiochiae, in custodiendis scriptis eorum, qui Apostolorum auditores fideles fuerant[1]). Sed cum in illis locis petulantia et malicia ingeniorum dissidiis opinionum Ecclesias dilacerasset ac poenas attraxisset, gentes barbarae infusae simul Ecclesias, libros et urbes deleverunt. In Europa minor fuit cura deligendi et custodiendi vetera scripta. Sed tamen Deo gratias agamus, cuius bonitate factum est, ut aliqua quamvis exigua et mutila fragmenta supersint, quae tamen bonis mentibus gratissima sunt. Cum autem negligentiam superiorum temporum vituperemus, simus nos in delectu enarrationum, et in custodiendis bonis libris diligentiores, qua quidem in re adiuvari privatos et inopes Regum et Principum pietate et liberalitate oportebat, Sed pauci in hoc genere munificentiae laudem amant.

Quanquam autem non alienum erat ab hoc loco, prolixiore querela deplorare gubernatorum in hac re negligentiam, unde orta inscitia magnos errores in populo stabilivit, tamen alia quaedam admonitio iuventuti magis necessaria hic recitanda est. Multi enim audaces abiiciunt omnes enarrationes, ac vociferantur: solos fontes legendos esse, scilicet Prophetica et Apostolica scripta, quia et universam doctrinam Ecclesiae continent, et non sunt ambigua, aut Sibyllae foliis similia. Nec solum, ut dicitur, gratius ex ipso fonte bibuntur aquae, sed etiam firmior est adsensio in mentibus et ardentior invocatio, cum auditur vox divina, quam cum leguntur hominum interpretationes, quibus ne quidem adsentiendum est, nisi cum fontibus eas[2]) congruere videamus. Deinde magna pars veterum et recentium interpretationum plena est, corruptelarum, quas explodi ex tota Ecclesia necesse erat.

Hic fatendum est, iustissimam esse reprehensionem inscitiae et audaciae multorum interpretum, qui non illustrarunt Prophetica et Apostolica monumenta, sed sordibus et coeno obruerunt. Nec in horum enarratione tantum hoc est vitii, ut alia cithara sonet, aliud pes, sicut de errantibus in saltando dicitur, sed etiam saepe tetrae et perniciosae hallucinationes admixtae sunt. Origenes, Thomas et multi hos secuti, in Paulo tota via, et vere, ut dicitur, toto coelo errant. *Augustinus* dexterior est. Sed huius etiam quam multae sunt ineptiae in Psalmorum enarratione, quia Ebraicae linguae ignarus fuit. Etsi autem multi et fuerunt, et sunt, et erunt indocti interpretes, et labuntur aliquando eruditi, tamen non propterea interpretatio omnis ex Ecclesia tollenda est, ut quanquam multi sunt Impostores, qui se pro medicis venditant, tamen non propterea nulla est ars medica, nec docti et[3]) fideles medici aspernandi sunt.

Intelligamus, officium interpretis et teneamus enarrationum metas, ac sit delectus interpretum, et res duae in enarratione praecipue quaerantur, illustret lectionem Autoris[4]), et explicatio sit confessio verae sententiae, et testimonium profuturum posteris. Non ludat Interpres ut Heraclides Ponticus, et similes, Homericos Deos in physiologiam transformant. Omnino frenari audaciam ingeniorum necesse est, et hae regulae constanter sequendae sunt: si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Et ut ad Romanos scriptum est: sit analoga fidei interpretatio. Et Petri praeceptum:

1) Decl. *fuerunt.*

2) Decl. *eos.*

3) *et*] Decl. *ac.*

4) Decl. *Auditoris.*

si quis loquitur, tanquam oracula Dei sonet [5]). Manifestum est autem, divinitus institutum esse ministerium docendi Evangelii statim initio, cum primi parentes post lapsum recepti sunt edita promissione, et hoc tantum munus, per quod Ecclesia Deo aeterna colligitur, divinitus in genere humano conservari, sicut et ad Ephesios scriptum est, ubi explicatur hoc dictum: sedet filius ad dextram aeterni patris, et dona dat hominibus. Ecclesia genita est voce promissionis de filio Dei, Ubi haec amittitur, extingui Ecclesiam necesse est. Deinde mentes vagabundae varios Deos et cultus comminiscuntur, ut apud Ethnicos accidit, et hos furores diabolus auget, ut Deum contumelia adficiat, et miserrimae hominum naturae illudat. Ideo alii Venerem, alii Bacchum, alii alia portenta, quae recitare nolo, excogitarunt. Haec ne fiant, inquit Paulus, accendit Deus lucem Evangelii in Ecclesia, nec eam prorsus extingui sinit, et subinde renovat, ne animi fluctuantes tanquam ventis falsarum opinionum agitentur, et a vero Deo aberrent.

Nec vero gignat Evangelii minister novum doctrinae genus, ut Orpheus, Numa, aut Hesiodus, sed sit custos vocis a Deo traditae fidus, vigilans, sapiens, non rudis literarum, et hanc populo proponat ordine, et via quae in docendo necessaria est, et refutet corruptelas. Haec officia attribuit Paulus Evangelii ministro, cum ait: sis diligens et adsiduus in legendo, consolando et docendo. Iubet ordiri nos a lectione. Arithmeticam non ordimur a lectione, sed natura ipsa numerationem docet, et principia adferimus ad artem. Ita de caeteris disciplinis, quae demonstrationibus extruuntur, dici potest; sed Evangelium dissimile est Philosophiae. Nequaquam nascitur nobiscum noticia promissionis divinae de reconciliatione propter filium. Sed haec vox promissionis decretum est prolatum ex arcano consilio divinitatis, et literis mandatum per Patres, Prophetas et Apostolos, et illustribus Dei testimoniis, resuscitatione mortuorum et aliis miraculis confirmatur. Hac voce cum Ecclesiam gigni et colligi necesse sit, quae in monumentis Propheticis et Apostolicis nobis tradita est, satis intelligi potest, a lectione ordiendum esse. Est igitur primum et praecipuum munus doctoris in Ecclesia, legere populo libros Propheticos et Apostolicos ad verbum.

5) Declam. *sonat*.

Iubet autem Paulus deinde docere et consolari, haec sunt interpretum propria. Si nihil nisi puerilis lectio proponeretur, multo pauciores intelligerent quid ageretur, ac voluit Deus non libros tantum extare, sed simul vocem ministerii sonare, ut rudiores commonefieri possint. Teneat interpres doctrinae summam, collectam ex Propheticis et Apostolicis monumentis, quae ut in conspectu sit, vetustas symbola condidit, dextre intelligat genus sermonis, videat diversa membra doctrinae, sapienter [6]) discernat Legem et Evangelium, sapientiam politicam et doctrinam Ecclesiae propriam, videat ad quem finem quaelibet doctrinae pars proprie referenda sit. Denique sit non rudis Grammaticae et Dialecticae, nec sit ignarus exercitiorum poenitentiae et invocationis, sit aliqua lux fidei in mente. Talis Lector [7]) sciet, quid sit interpretari seu docere, et quomodo rudioribus ordine membra doctrinae proponenda sint, monebit multa de phrasi, de ordine partium doctrinae. Nemo enim, nisi ordine monstrato, perspicue doceri potest, Aliqua communia evolvet, monstrabit genera, et discernet species.

Legit *Iulianus* hoc dictum, Auferenti tunicam, relinque et pallium, Hic putabat confundi totum politicum ordinem, tolli dominiorum distinctionem, aboleri iudicia et legitimas poenas. Talibus dubitationibus medeatur sapiens Interpres, et ut artifex deducat auditorem ad fontes, ostendat Evangelium concionari de luce in cordibus et aeterna iusticia, Foris autem concedere usum rerum politicarum, ut cibi et potus, et [8]) quid sit politicus ordo exponat, ac discernat privatam vindictam ab ordine politico, quem Deus et instituit et adprobat. Etsi igitur non gignit Interpres novam doctrinam, tamen magnum et difficile opus sustinet, quia mente totum corpus doctrinae coelestis complectens, iudicat quae membra coniungenda et coagmentanda sint, quae divellenda, quaerit idoneas singulorum definitiones et divisiones, indicat quid ex singulis membris bona consequentia extruendum sit, et refutat calumnias, quae specie aliqua incautos decipiunt.

Legit rudis aliquis: in principio erat verbum. Hunc necesse est moneri, Verbum hoc loco personam significare, videlicet filium Dei, qui alibi no-

6) Decl. *sapientem*.
7) Decl. *Lectio*.
8) *et* in Decl. praetermissum.

minatur imago aeterni Patris, Et cur imagini Patris tribuatur appellatio Verbi, quantum fieri potest, pie et reverenter declarandum est.

Legit Origenes apud Paulum, Nunc sine lege manifestata est iusticia Dei. Miratur quid dicat Paulus, cum toties repetitus sit decalogus in scriptis Apostolicis, et alienam interpretationem comminiscitur, quae nihil facit πρὸς ἔπος. Hic pius et sapiens Interpres sciet, non ex unico brevi et mutilo dicto iudicandum esse, sed universam Pauli doctrinam mente intuebitur, et omnia membra disputationis coagmentabit, et inde nativam sententiam sumet, hanc videlicet, Dari remissionem peccatorum, et recipi credentes propter Mediatorem gratis, non propter legem.

Etsi autem sermonis intellectus, grammatica, et dialectica, sunt adminicula enarranti, tamen in veris exercitiis poenitentiae, fidei invocationis, spei, haec sapientia multo fit illustrior. Addidit igitur Paulus ad officia interpretis, ut iis consolationibus se et alios erigat, quae in Evangelio proponuntur. Non enim satis est nosse historiam et dogmata, sed ad quem finem doctrina referenda sit, sciendum est. Accusatur peccatum, monstratur iustissima et ingens ira Dei, sed simul admiranda vox Evangelii proponitur, quae est promissio reconciliationis, quae donatur propter Mediatorem. In his promissionibus recte cognita voluntate Dei, accedendum est ad Deum, fiducia Mediatoris, petenda et expectanda sunt bona. In talibus exercitiis et intelligere promissiones discimus, et experimur, nequaquam irritam esse[9]) invocationem.

Cum igitur velit Deus voce ministerii et praelegi auditoribus prophetica et apostolica scripta, et ordine monstrari capita doctrinae, et refutari corruptelas, manifestum est, aliquam[10]) interpretationem necessariam esse. Sed haec discipula sit sermonis divini, non gignat novas sententias, nec novum doctrinae genus excogitet, sed tanquam fidelis grammatica nativam sententiam divini sermonis inquirat, et in hac doceat cognoscendam esse voluntatem Dei, et hac vera cognitione voluntatis divinae mentes ad invocationem, fidem, spem, exuscitandas esse. Monstrat Interpres, Verbum hic significare personam: In principio erat Verbum. Et agnosco veris testimoniis hanc interpretationem confirmari. Fides igitur, quae invocat filium Dei, nequaquam autoritate Interpretis, sed ipso sermone divinitus nobis tradito nititur.

Hic autem iustissimum est deplorare et taxare impiam audaciam καὶ θεομαχίας multorum in hoc coetu, qui titulum habent Ecclesiae, qui alienas sententias divino sermoni adfinxerunt. Pelagius retinebat apostolica verba: Gratia salvamur, Sed gratiam interpretabatur doctrinam legis, quia et ipsa[11]) munus est a Deo nobis traditum, et adfingebat, homines mereri remissionem peccatorum, et iustos esse hac qualicunque legis disciplina, et obruebat beneficia filii Dei. At constat, gratiam opponi legi in Apostolicis scriptis, et esse gratuitam reconciliationem, quae fit propter filium Dei, ut suo loco copiosius dicitur. Tales depravationes multae recitari possent. Fuitque in hoc genere Pontificum temeritas singularis, qui suas interpretationes Regum exemplis munierunt. Ut enim in imperiis Reges potestatem habent interpretandi leges, et addendi aut auferendi membra aliqua, et propter fastigium cui Deus autoritatem ferendarum legum ad ordinis politici conservationem dedit, necesse est eorum interpretationi obedire, Ita Pontifices sibi autoritatem interpretandi sermonem divinum arrogant, et adfirmant suas interpretationes propter fastigium sui loci necessario amplectendas esse. Haec κακοζηλία regiae dominationis in Ecclesia auxit potentiam pontificiam et multos errores, ac idola stabilivit et stabiliet in iis, qui hanc politicam sapientiam anteferunt Evangelio et verae invocationi Dei. Necesse est autem pias mentes intelligere discrimen inter Imperia et ministerium Evangelii. Et quanquam iudicia esse in Ecclesia necesse est, tamen sciendum est, in enarratione doctrinae Evangelii, iudices nec regiam nec praetoriam potestatem habere, id est, cui propter autoritatem ordinis adsentiri necesse sit. Donum divinum est in mentibus eruditorum et piorum vera interpretatio, seu iudicii dexteritas et rectitudo, ad quam necessaria quidem est eruditio, Sed tamen et mens sit non prophana, non fascinata opinionibus alienis ab Evangelio, non ignara exercitiorum poenitentiae et invocationis, non occupata odio et ambitione, et similibus morbis, qui iudicio officiunt.

In Synodo Tridentina factum est decretum, verbis etiam atrocibus, quod ferit anathemate do-

9) Decl. *esse irritam.*

10) *aliquam*] Decl. *aliquando.*

11) Decl. *ipsi.*

centes: agentem poenitentiam non debere dubitare, an recipiatur in gratiam, sed repugnare dubitationi in pavoribus, et eluctari, ac fide statuere, se recipi in gratiam. Ac iubet Synodus perseverare homines in dubitatione, et hanc interpretationem adfingit dicto Salomonis; Nescit homo, an amore vel odio dignus sit. Hic error Synodi delet Evangelii praecipuam et propriam doctrinam, adimit consolationem piis mentibus et extinguit invocationem. Nec vero defuit illi coetui eruditio. Sed Monachi, fascinati suis persuasionibus, cernere lucem veritatis nolunt, quia humanae mentes naturali iudicio dubitant, an Deo placeant, praesertim cum videant hanc miseram naturam ingentibus calamitatibus oneratam esse. Ideo autem promissio divina edita est, ut huic imaginationi opponatur, et agentibus poenitentiam voluntas Dei certo nota sit. Quid interest inter Ethnicos et Ecclesiam, si perpetuam in omnibus dubitationem esse oportet, si deleta promissione tantum vocem legis audiemus? Nec Synodus tantum Salomonis verba depravat, sed universam doctrinam de iusticia fidei delet. Tales interpretationes manifeste pugnantes cum Evangelio, si valere volent, ut iudicata in Imperiis, propter regiam autoritatem, quantum sceleris erit? Ac possem alia similia exempla recitare, nunc eo tantum haec recensui, ut discrimen iudiciorum in Imperiis, et in controversiis doctrinae consideretur, et ut prudentia adhibeatur in diiudicatione interpretationum, quae congruant cum fontibus, quae dissentiant.

Multae extant commonefactiones Oratorum, quae iubent congruere vocem Legis, et vocem Iudicis in gubernatione politica, ac Demosthenes honestissimam sententiam Solonis narrat, cum capitali supplicio adficiantur hi, qui nomismata corrumpunt, multo digniores esse poena eos, qui Legum corruptelas excogitant. Ac verum est, rem iniustam et perniciosam esse civili hominum societati legum depravationem. Sed infinitum est, quanto maius et perniciosius scelus est, decreta divina mutare, Deum contumelia adficere, abducere mentes hominum ab agnitione veri Dei, iubere ut commenticia Numina invocentur, ut Ethnici subinde nova numina excogitabant, et multis iam seculis populus ab hominibus mortuis opem implorat, et Monachi subinde novos ritus instituerunt. Quare summa cura nativae sententiae quaerendae et retinendae sunt, quod eo etiam fidelius et studiosius faciendum est, quia posteritas in multis controversiis iudicandis, interpretationes superiorum tanquam confessiones et Ecclesiae iudicia, inquirit. Sit igitur interpretatio vera, perspicua, plana, sine ambiguitate, ut tanquam vera confessio posteros erudiat et confirmet.

Itaque extare *Lutheri* commentarios utile est, quia et illustrant propheticos et apostolicos libros, et confessiones eius continent de universa doctrina Ecclesiae. Quanta enim fuerit eius dexteritas in interpretatione, prudentes facile iudicare possunt, praesertim collatis aliorum enarrationibus. Scio *Erasmum* Roterodamum solitum dicere, Neminem esse interpretem dexteriorem omnium, quorum extant literae post Apostolos. Et audivi ipse sapientes et graves viros, ac doctrinam Ecclesiae intelligentes, idem de *Luthero* praedicare, Nec obscura res est, iudicium et candorem in lectione adhibenti. Ac ut de laudibus ingenii, diligentiae et studiorum ipsius non dicam, cum divinitus excitatus fuerit ad restituendam doctrinae puritatem in Ecclesia, multis dotibus instructus fuit, quae necessariae sunt docenti. Pectus erat ardens studio illustrandae gloriae Dei, et iuvandae Ecclesiae, ut vera invocatione Deus coleretur. Legerat assidue, ut nemo alius, propheticos et apostolicos libros, et veterum omnium enarrationes. Nec rudis erat linguarum Ebraicae et Graecae, et eximia erat solertia in iudicanda phrasi. Hauserat ergo ex fontibus doctrinae summam, Et cognitionem alebant et confirmabant exercitia fidei et invocationis in multis periculis et difficillimis deliberationibus. Ac ad propheticam et apostolicam lectionem accedebat, ut ibi Deum loquentem audiret, et agnita Dei voluntate in ipsa voce divina acquiesceret. Sumebat igitur ex vera sermonis significatione sententiam unam et firmam, non adfingebat peregrinas sententias. Itaque cum magnae in Ecclesia tenebrae essent, et lux Evangelii oppressa esset sophisticis labyrinthis Sententiariorum, superstitione Canonistarum et Monachorum, et variis idolorum cultibus, ipse accensus divinitus, doctrinam emendavit, et revocavit Ecclesiam ad fontes, ostendit Legis et Evangelii discrimen, patefecit iusticiam fidei, sustulit errores doctrinae de poenitentia, distinxit veros cultus Dei et hypocrisin traditionum humanarum, monstravit usum sacramentorum, quae divinitus instituta sunt. Denique confessiones edidit de omnibus doctrinae capitibus, quas extare ad posterita-

tem erudiendam et confirmandam, utile est. In interpretatione igitur res gravissimas, ut sapiens et peritus gubernator Ecclesiae, et Prophetarum et Apostolorum comes, non ut homo rudis et imperitus vitae communis, enarrat, considerat occasiones Propheticarum enarrationum. Videt, ad quos fines referendae sint, ad quae doctrinae capita accommodandae sint singulae partes, quae sint legis, quae sint Evangelii conciones, quae de Ecclesia, quae de Imperiis loquantur.

Itaque primum Deo gratias agamus, qui immensa misericordia propter filium sibi inter nos Ecclesiam aeternam colligit, et ut illucesceret nobis Evangelii lux, Doctores exuscitavit, et oremus, ut multos regat, et faciat eos σκεύη ἐλέους, et organa salutaria Ecclesiae suae, Deinde et ipsius *Lutheri* memoriam grata recordatione conservemus. Debet gratitudinem posteritas et viris integerrimis *Casparo Crucigero*, *Vito Theodoro* et *Georgio Rorario*, quorum diligentia, fide et labore hi libri eduntur. Sed inter hos duo, Caspar et Vitus, brevi intervallo ex hac mortali vita ad dulcissimam aeternae Ecclesiae consuetudinem evocati sunt, qui cum aliis laboribus docendi et scribendi utiliter servierunt Ecclesiae Dei[12]), tum vero his editionibus praeclare de posteritate meriti sunt. Nam multae utiles enarrationes Lutheri, nisi ab his collectae essent, nunquam in hominum manus[13]) venturae erant.

Hanc autem editionem tibi, *Dux Alberte*, commendamus, quia scimus, te tales Ecclesiae thesauros magnifacere, et pie constanterque amplecti puram Evangelii doctrinam. Scimus etiam benevolentiam tuam erga Lutherum fuisse eximiam, qui quidem vicissim te diligebat, et tuas virtutes, tuamque pietatem in fovendis Ecclesiis et iuvandis studiis saepe praedicabat. Ac filium Dei sedentem ad dextram aeterni Patris, custodem Ecclesiae suae, veris votis et gemitibus oramus, ut perpetuo in his regionibus colligat et regat coetum pie sonantem Evangelii vocem, et vera invocatione colentem Deum, et protegat hospitia doctrinae, et pios Principes et Gubernatores. Datae[14]) Witebergae Cal. Maii, anno 1549.

12) *Dei* Decl. non habent.
13) Decl. *manus hominum*.
14) *Datae* Decl. non habent.

No. 4524. 4. Maii.

## *Erh. Schnepfio.*

Epist. lib. III. p. 245. (ed. Lond. lib. III. ep. 158.).

*Erhardo Sneppio. (Ienae.)*

S. D. Cum tabellarium ad te proprium post paucos dies missurus sim, scribo brevius. Interea mitto *Rostochianam* Epistolam scriptam a Viro integerrimo *Burenio*, qui hospiti tuo, Viro praestanti virtute et eruditione, D. *Francisco* notissimus est: Sed arbitror te in hac nostra vicinia retineri posse, de qua re coram loquemur. Coniugium *Victorini* et filiae*) hospitis tui, ut sit faustum et felix faciat Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi castus et castitatis amans, conditor generis humani. Bene vale. Die 4. Maii.

*) Barbarae, filiae Francisci Burchardi.

---

No. 4525. 5. Maii.

## *Io. Stigelio.*

Dans. epp. ad Stigel. ep. 40. Cod. Goth. 188. ep. 100.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, amico suo carissimo,* S. D.

Etsi semper ob oculos mihi versatur et optimi Principis captivi imago, et infelix pugna, seu desertio potius, facta die Dominico, ut vocamus, altero a Paschate, tamen dies auget dolorem. Itaque cum eo die Dominico, quo ante biennium captus est optimus Princeps[1]), hanc epistolam scriberem, non potui omittere mentionem huius historiae, etsi luctu et occupationibus impediebar, ne prolixe scriberem. Memini, me in somnio ante paucos menses tibi dicere, non plus biennio in his miseriis nos futuros esse. Et multa iam signa μελλούσης μεταβολῆς. Et collegarum adventus mihi et amicis gratissimus erit: et sine sumtu vestro apud me eritis, ubi, ut Bacchyllides scripsit, οὐ βοῶν σώματα παρέσονται, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενής, καὶ μοῦσαι, καὶ οἶνος ἡδύς. Bene vale. (17. Septembr.[2])

Philippus.

1) i. e. Dominica Misericord. Dom. d. 24. April. Idem dies Domin. 1549. fuit d. 5. Maii.
2) Quomodo adscribi potuit hic dies, vix liquet, certe non a Melanthon; est enim manifestus error.

No. 4526. 9. Maii.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 626 sqq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northus.*

S. D. Honestiss. vir, et amice charissime. Virum doctum, modestum ac facundum, quid fuit in *Dünckelspuhel*, et pie gubernavit Ecclesiam, vellem ad vos proficisci. Misi eum ad *Cummerstadii* Ecclesiam, unde existimare potestis, tribuere me ei moderationem. Inde, cum nondum redierit, aut scripserit, duxi, tantisper differendum esse consilium de aliquo vobis commendando, donec sciam, an ille Dünckelspuhelensis ad vos possit proficisci, aut non possit. De Pastore in *Henichen*, quem commendat *Antonius*, scitote, virum ingeniosum et prudentem esse. Sed vox admodum rauca est. Prius itaque audiamus, quid sit futurum de illo Dünckelspuhelensi, qui quamprimum redierit, aut scripserit, significabo vobis meum consilium. Si potero, Lipsiam veniam ad nundinas. Sed *Sabinus*, qui adest, ut aliquos ex pueris reducat, fortassis iter Lipsiense impediet.

In officinis Typographicis iam impedimenta non habeo. Tomus tertius Operum *Lutheri* absolutus est *). Asolutus est et liber Ptolomaei. Quare ad vos expatiari decrevi post *Sabini* abitum. Pericula Ecclesiae et consilia Imper. Deo commendemus. Scio, Ecclesiam humanis consiliis et praesidiis non defendi. Sed Deus immensa misericordia propter filium aliquos coetus servabit, qui sint verae doctrinae custodes. Bene et feliciter valete. Deus aeternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, Conditor coeli et terrae et hominum et Ecclesiae piae, servet vos et honestissimam coniugem, et liberos vestros incolumes, et foveat sua misericordia coetus invocantes ipsum, et verae doctrinae vocem sonantes. 9. Maii.

Philippus.

No. 4527. 9. Maii.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 156 sq. — Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 135.

*) i. e. scriptum Mel.; non vero labor typographi.

*Clarrissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noriberg. etc.*

S. D. In tua narratione de postremis *Viti* sermonibus, non solum benevolentiae tuae erga ipsum et doloris tui expressa signa sunt, sed etiam exempla recitantur aliis ad confirmandam fidem utilia. Fuit igitur pergrata nobis haec tua narratio, quanquam nemo sine lacrymis epistolam legebat. Gratulemur autem *Vito* iam consuetudinem dulcissimam Ecclesiae coelestis, et ipsius nos exemplo ad hoc iter praeparemus, quod ut gubernet Filius Dei, qui dixit, *O mors ero mors tua*, toto eum pectore oro. Simul etiam oro, ut servet Ecclesiae suae reliquias inter nos, nec sinat disputationes infinitas fieri. Τὸν αὐτοκράτορα scribunt nihil laxaturum esse in illa sua Nomothesia, quod credo, οὐ γὰρ εὐσεβὲς οἴεται περὶ λειτουργίας συγχωρεῖν τι τοῖς ἡμετέροις. Sed oremus Filium Dei custodem Ecclesiae suae, ut veritati opem ferat.

Mitto tibi *Osiandri* propositiones pie et erudite scriptas, adfirmo enim me adprobatorem et suffragatorem esse. Sed ἐν παρέργῳ inter *) disputandum orta est contentio περὶ ὀνόματος, An fides sit pars poenitentiae. Acta res est aliquanto minus placide, ac ad me quidem ipse amanter scripsit. Ero hortator nostris auditoribus, qui ibi moverunt hoc certamen, ut λογομαχίαν omittant, cum de rebus inter nos nulla sit dissensio. Ἐστὶ δὲ εὐχῆς ἔργον, ἵνα μὴ μετὰ τοῦτον ἀκροβαλισμὸν σύῤῥαξις ἄλλη ἕποιτο. Sed hoc quoque Deo curae erit. Bene vale. die 9. Maii. 1549.

Philippus Melanthon.

No. 4528. 10. Maii.

## Io. Voigtio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54².

*Ioanni Voit, Pastori Ecclesiae in Burgel.*

Reverende vir et amice colende. Scriptum est: Generationi rectorum benedicetur. Cum igitur fideliter servias iam annos quadraginta Ecclesiae

*) Autographon habet: *interdum*, sed *dum* delere debuisset Mel.

Dei, non dubito, filium Dei, hominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, etiam tuae familiae benedicturum esse. Eruditio et virtus egregia est in *Davide* filio *), et gaudeo tua causa, in hac tua senecta videre te filii virtutem: et oro Deum, ut et te et tuam domesticam Ecclesiam totam gubernet et servet. Hanc epistolam dedi *Davidi*, ut sit testimonium et nostrae amicitiae, qua etiam in coelesti Ecclesia fruemur, et familiaritatis cum Davide, quem propter eruditionem, iudicii gravitatem, pios mores, et in omni officio diligentiam diligo. Bene vale. Die X. Maii.

Philippus Mel.

*) Is profectus est illo tempore ad nuptias Strigelii. Cf. ep. d. 5. Maii et d. 15. Maii.

---

No. 4529. 10. Maii.

## *N. N.*

(Edita in d. Unschuld. Nachr. an. 1716. p. 388.)

*Excerptum ex literis D. Phil. Melanthonis.*

Gratulor tranquillitatem et Ecclesiae et reipublicae in regno Danico, et filium Dei oro, sedentem ad dextram aeterni patris et custodientem Ecclesiam, ut et nos regat et protegat et isthic quoque servet Ecclesiae reliquias et hospitia. In Germania passim fiunt magnae mutationes et dissipationes. Sed Dei beneficio in nostra Academia et hac vicinia adhuc vox doctrinae Evangelii et aliarum artium sonat. Et nulla doctrinae aut rituum mutatio facta est. 10. Maii anno 1549.

---

No. 4530. 10. Maii.

## *Ge. Fabricio.*

† Ex apogr. in codice Zittaviensi ep. 11.

*Georgio Fabricio, gubern. schol. Misn.*

S. D. Hanc epistolam dedi convictori meo *Casparo Peucero*, viro docto in tota philosophia, qui ut aditum ad te ac ad amicitiam tuam haberet, petivit, ut ad te scriberem. Nam et elegantiam tuorum scriptorum magni facit, et ingenium amat, etiamsi nondum inter vos notitia fuit. Nec dubito, tibi vicissim voluptati fore *Caspari* eruditionem et morum suavitatem, cum in colloquio eius naturam considerabis. Tantum igitur peto, ut hunc hospitem amanter excipias, postea et tua et ipsius virtus benivolentiam inter vos excitabit mutuam. Fruamur in his tantis ruinis rerum humanarum suavitate doctrinae et bonorum amicitiis, quantum conceditur, quod ipsum, si sapienter fiet, posteritati profuturum est, et nunc ad communem concordiam conducit, et speciem Ecclesiae εὐπρόσωπον efficit. Liber primus μεγάλης συντάξεως Ptolemaei nondum absolutus erat, cum haec scriberem. Mittam autem cum primum typographi edent. Bene et feliciter vale. Salutem opto collegis tuis. Die 10. Maii.

Phil. Melanthon.

---

No. 4531. 11. Maii.

## *Alb. Hardenbergio.*

Epist. ad Hardenberg. ep. 35.

*D. Alberto Hardebergio.*

S. D. Nec doctrinae nec rituum in Ecclesia nostra mutatio ulla facta est, ac iniuste faciunt Vicini, quod Ecclesiis nostris alioqui moestis augent dolorem. Sed ut spero illos adolescentulos Oratores refutabo, praesertim cum certamina moveant, de quibus dici plus prodest quam de linea veste *). Ego me voluntatis meae conscientia, in hac tota causa, quae iam annis triginta agitur, consolor. Non movi ulla nova dogmata: Sed cum essent mota, quaedam ex magna caligine et confusione opinionum mediocriter evolvere studui, et existimo eum tibi laborem probari. Meministi etiam gemitus meos de quibusdam negotiis. Sed hanc commemorationem omitto. Benevolentiam inter nos perpetuam esse volo, ac literas iam a te expecto, et flagito. Si illi, qui in me debachantur, veritatis explicationem pie quaerent, valeret aliquid apud eos memoria veteris amicitiae, nec tanta acerbitate in nos saevirent. Adficerentur

*) i. e. de lineo indumento albo, in administranda coena sacra induendo. Iusserat Mauritius ut eo uterentur pastores, qui vero putabant sic se redire ad Papismum.

etiam misericordia nostrarum Ecclesiarum. Sed haec alias. Salutem opto D. *Iacobo*, *Iohanni* et caeteris amicis. Bene et feliciter vale. 4. Non. Maii.

Philippus.

---

No. 4532. (h. t.)

## *Praefatio in librum Ptolemaei.*

Carmen Mel. praemissum librum: Ptolemaei mathematicae constructionis liber primus graece et latine editus, additae explicationes aliquot locorum ab Erasmo Reinholt, Salveldensi. Witeb. ex officina Ioh. Lufft. Anno 1549. 8. — Legitur etiam in epigramm. p. 243. — De edendo hoc libro vid. epp. ad Fabricium d. 15. Mart. et 10. Maii, ad Stigelium d. 31. Mart. et 18. Iun. et ad Camerar. d. 15. Maii.

*Οὐχὶ ἄτερ βουλῆς τυφλῇ τύχῃ αἰθέριος*) αὐγὴ,*
*καὶ τάξις κόσμου ἥδε πέφυκε καλή·*
*δαιδαλέη δὲ σοφὸν γνωρίζει τέκτονα τέχνη,*
*δείκνυσι καὶ κτίστην τὸν προνοοῦντα θεόν.*
*ἀθρῆσθ' οὖν ἐκέλευσεν ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι*
*φωστήρων ὁ θεὸς λαμπάδας ἥδε δρόμους.*
*καὶ γνῶναι πλάσαντα τὰ αὐτοῦ ἔργα ἰδόντας,*
*καὶ αὐτὸν τιμᾶν εὐσεβέεσσι φρεσίν.*
*ὃς γένει ἀνθρώπων σκηνὴν οἰκοδομήσας*
*βάθρον ὑπὲρ γαίας τὸν κύκλον οὐράνιον.*
*τέρματα ἐνθ' ὡρῶν ἔτεος τ' ἀκίνητα χάραξε,*
*καὶ θάλπει γαίαν φέγγεϊ ζωογόνῳ.*
*Ἔνθα καὶ ἀντέλλων ἀκρονύκτιος, ἄγγελός ἐστι*
*αὐτίκα ἐρχομένου ἦρος ὁ ἀρκτοφύλαξ.*
*τὸν χειμῶνα δ' ἄγει στιβαροῦ δύσις ὠρίωνος,*
*Ἑλλάδι ὃς σοφίαν τὴν δὲ ἔδρειξε πάλαι.*
*ἡ δὲ διδασκαλία σπουδῆς οὖν ἀξία ἐστὶ,*
*καὶ καλῆς ἀρετῆς ὠφέλιμος μελέτη.*

Phil. Mel.

---

No. 4533. 15. Maii.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 615. (ed. Lond. lib. IV. ep. 756.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti, Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Non ficta *πρόφασις* est *καὶ εὐπρόσωπος* non eundi in Tyrigetas, quod *Sabinum* me expectare necesse est. Et tamen significatio benevolentiae quae profecto non est fucosa, ostendenda fuit, praesertim cum illi veteres amici nostri [1]) nimium indulgeant *ταῖς ὑπονοίαις*, quas alienas esse a gravibus et prudentibus oportet. Mittimus igitur *Davidem* [2]), qui, si quid addes litterarum, perferet. Tibi mitto Ptolemaei pagellas, missurus etiam aliis. Nondum enim Typographi concinnarant.

*Sabinus* nondum huc rediit, quem cum dimisero, mox istuc veniam. De *Lignicensi* duce cum non sciam quando istuc venturus sit, vellem te scripsisse, quando ille ad vos venturus existimetur. *Borussia* mihi certe auget solicitudines, expecto enim *μετὰ τοῦτον ἀκροβολισμὸν ἄλλας μάχας*. Naturam, genesin, loci opportunitatem, imo et *κολακείας* Hyperboreae gentis metuo. Sed haec coram. Bene et feliciter vale. Die XV. Maii.

Philippus Melanth.

---

No. 4534. 15. Maii.

## *V. Strigelio.*

Epist. lib. II. p. 120. (ed. Lond. lib. II. ep. 107.). — De argumento conf. ep. ad Fr. Burchhardum d. 17. Febr. h. a.

*Domino Victorino Strigelio*

S. D. Utile est saepe multumque cogitare, et aspicere vestigia Dei in natura, quae testantur hunc mundum non extitisse casu, sed vere mentem esse aeternam Architectatricem ac Iudicem; quod quidem ostendunt hic pulcherrimus ordo corporum mundi, leges motuum coelestium mira arte institutae, vices temporum accommodatae rebus nascentibus, immota distinctio honestorum et turpium in humana mente, et iudicium conscientiae, imo et rati eventus, poenae atrocium scelerum, libidinum et caedium. Agnoscamus ergo, et esse Deum conditorem, et Iudicem generis

*) In epigr. *αἰθέρος*.

1) Menius et Scioppius, ac fortasse Sarpius. C. W.
2) Dav. Chytreum.

humani, et talem esse agnoscamus, qualem sese exprimit ipse in distinctione virtutum et vitiorum. Sciamus sapientem, beneficum, iustum, veracem, castum esse, ac vere et horribiliter irasci ruentibus contra hanc suae mentis normam. Sanxit igitur certas coniugii leges, ut sit intellectus castitatis in genere humano, ac ut in Invocatione hunc verum et castum Deum ab immundis naturis omnibus discernamus, quae lux quoties, ut in Ethnicis et in tetris sacrificulis, extincta est, non solum corpora polluta sunt, sed invocatio etiam horribiliter depravata est. Haec scelera semper et punivit et punit ira Dei iustissima ingentibus poenis, ruinis regnorum et aliis calamitatibus. Nos vero oremus Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem et servatorem generis humani, iustum et castum, et autorem foederis coniugalis, ut nos regat, et in mentibus intellectum et amorem verae invocationis et castitatis accendat, ut veris laudibus et vera eum obedientia celebremus. Omnia quae de coniugii laude dici possunt, tibi nota sunt. Sed haec laus inter praecipuas est, quod his legibus sancitis Deus voluit castitatis intellectum esse in genere humano, ut agnoscamus et ipsum mentem castam esse, ac discernendam a naturis immundis. Hunc igitur ordinem a Deo institutum laetus amplectere, ac Deo gratias agito, quod te ab impuris et incestis sacrificulis et Monachis seiunxit, et certa spe statuito tuam Ecclesiam domesticam Deo curae fore, quem oro, ut te et sponsam tuam et parentes servet incolumes, et faciat ut coniugium tuum sit faustum et felix. Venissem ipse, nec utor fucosa excusatione, nisi me *Sabinus* retineret, qui adest, et multa negotia attulit. Mitto tibi munus γαμήλιον, exhibiturus aliud aliquando coram. Mea coniunx tuae sponsae omnia fausta precatur, quae testis est Baptismi ipsius. Bene et feliciter valete omnes. Die 15. Maii. Anno 1549.

---

No. 4535. 22. Maii.

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 699 sq.

*Michaëli Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Nusquam sic acquiesco, ut in colloquiis fidelium amicorum, aut hominum eruditorum. Ideo libenter expatiatus essem Lipsiam, et vestri colloquii causa, et ut cum viris doctis ibi quasdam materias conferrem. Sed *Sabinus* me retinuit, qui abducturus est in Brussiam filiolam, quae a nobis educata est, quae saepe ad mensam vestram mecum sedit. Non sine magno dolore eam dimittimus. Sed Deo et publica et domestica commendo.

Decrevi ad vos expatiari post abitum *Sabini*, Deo iuvante. Mallem, viaticum non missum esse, sed tamen gratias a vobis ago pro eximia benevolentia. Filius *Christophorus*, Dei beneficio, recte valet, et discit.

Duces *Pomerani* *) tandem Imperatori facti sunt supplices, quod ad bellum attinet, et numerarunt nonaginta millia aureorum. Sic in gratiam recepti sunt. Sed de religione quid cum eis actum sit, nescio. Bene et feliciter valete. Die 22. Maii.

Philippus.

---

No. 4536. 22. Maii.

## *E. Schnepfio.*

Epist. lib. III. p. 253. (edit. Lond. lib. III. ep. 143.).

*Erhardo Sneppio*

S. D. Post iter *Davidis* nostri **), Dux *Lignicensis* Lipsiae cum *Ioachimo* de suis Ecclesiis collocutus est, eique mandata ad me dedit. Mitti ad se petit Virum doctum, gravem et peritum gubernationis Ecclesiarum, qui sit lector Theologicus in Urbe *Lignicia*, et inspector Ecclesiarum totius ditionis. Additurus est et alios lectores, ut coram ex *Ioachimo* et me audire poteris. Genus hominum placidum et officiosum est. Linguae sonus non alienus a nostra consuetudine, Mundities victus eximia est. Itaque certam, piam, et honestam functionem ibi habiturus es, si eam accipere voles. Bene et feliciter vale, et quamprimum voluntatem tuam significato. Die 22. Maii.

---

*) A. D., Saubert.: *Duces N. N.*

**) Chytraei.

No. 4537. 23. Maii.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 616. (ed. Lond. lib. IV. ep. 757.).

*Clariss. viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Meministi picturam in curia Norinbergensi, in qua cor regis in manu Dei pictum est, et spero Deum aliquorum principum voluntates ad Ecclesias iuvandas inclinaturum esse, et ut regat pectus et consilia Ducis *Lignicensis*, vota facio. Ad *Sneppium* scripsi de ea ἐπισκοπῇ, ac post *Sabini* abitum ad te proficiscar, ut de tota re colloquamur. De *Sabini* filia flecti avia potest, ipsam puellam quomodo inflectere possimus non video. Ego nihil pugnabo, etiamsi magno in dolore sum. Sed Deum oro ut et domesticas et publicas miserias nobis leniat. Bene vale, 23. Maii.

Philip. Melanth.

---

No. 4538. 25. Maii.

## Alberto, Duci Pruss.

Edita ex autographo a Fabro in epist. p. 158. ep. 48.

*Alberto, Duci Borussiae*

S. D. Illustriss. et clementiss. Princeps, Dei beneficio harum regionum nondum ulla mutatio facta est. Et vox doctrinae eadem est, quae sonat in Ecclesiis Cels. v. Libri etiam iidem eduntur, qui antea maxime probati fuerunt, ut iudicare poterit Cels. v. hac editione quae Celsitudini vestrae inscripta est. Nec mutabimus vocem doctrinae sonantem in Ecclesiis Cels. v. unquam. Scimus enim hanc solam doctrinam esse, veram et perpetuam Ecclesiae dei vocem.

Vidua *Lutheri*, matrona honestissima filium *Iohannem* Celsitudini vestrae mittit, et orat, ut liberalitate Cels. v. studia eius foveantur. Natura *Iohannis* ad virtutem egregia est, integer, modestus, verax, castus est, valet ingenio et facundia. Et corpus est agile ac labor patiens, ac si exercebitur in aula Cels. v. spero eius industria magno usui fore rei publicae. Talis cum ipse adolescens sit, oro reverenter ut Cels. v. hoc beneficium et memoriae patris, et virtuti adolescentis tribuat, ut eius studia clementer foveat. Cepit audire Iurisconsultos, et ad eam doctrinam natura idoneus est. Mater non dubitat, paternam voluntatem Celsitudinis vestrae erga ipsum fore. Vestra Celsitudo sola iam inter germaniae principes ornat literarum studia insigni munificentia, et prebet hospitium Ecclesiis commodius, quam alii. Pro his beneficiis publicis, deus vicissim Celsitudini vestrae bene faciet. Et patienter ferat Cels. v. quod multi ad eam confugiunt.

*Sabinus* gratissima predicatione beneficia Cels. v. commemorat. Et stylus eius magno ornamento est germaniae, et est utilis scholae. Ideo Celsitudini v. eum reverenter commendo. Ac simul eius filias et filium. Nam Cels. v. praecipuus tutor est.

Curae mihi erit, ut Academiarum in his regionibus consensum cum Academia Cels. v. tueamur, quarum omnium nunc quidem dei beneficio vox doctrinae eadem est.

Filius Dei dominus noster Iesus Christus gubernet et servet Cels. v. incolumem. Datae die 25. Maii *).

Celsitudini v.
addictus
Philippus Melanthon.

---

*) (Addidit huic epistolae Faber haec:)

Luthers Witwe empfiehlt ihren Sohn, Johann, ebenfalls dem Herzoge, in zwei Briefen, welche das geh. Archiv aufbewahrt. Beide sind nicht eigenhändig und von verschiedenen Händen geschrieben.

Der Erste d. d. Wittenberg vom 29sten Mai 1549. hat folgenden Inhalt:

Sie klagt, daß sie während des jetzigen Krieges bisher kümmerlich von ihren armen, verwüsteten und verheerten Gütern, sich mit ihren Kindern ernähren und unterhalten müssen. Auf den Rath des Herrn Philippi und auf Anzeigen des Herrn D. Sabini, wie geneigt der Herzog ihren Kindern sey, habe sie ihren ältesten Sohn Hans an ihn abgefertiget und danke für das Erbieten des Herzogs, ihn noch eine Zeitlang bei den Studiis zu unterhalten.

Weil dies aber ihres Sohnes erste Abreise sey, damit er neben seinen Studiis sich gegen die Leute zu verhalten lerne, bittet sie, der Herzog möge ihn nicht nur um ihres lieben gottseligen Herrn willen, in seinen gnädigen Schutz nehmen, sondern ihm auch zu Gnaden halten, wenn er sich in der ersten Zeit nicht in allem recht schicklich gegen ihn zu verhalten wüßte ꝛc.

Der zweite Brief d. d. Wittenberg auf Georgii 1551. ist folgenden Inhalts:

**No. 4539.** **25. Maii.**

## *M. Isindero.*

Edita ex autographo in programm. Pentecostali, quod prodiit Regiomonti 1822. 4. p. 8. (Danz.).

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Melchiori Isindero*[1]), *doctori Theologiae, amico suo,*

**S. D.** Sciebam te et amare iustitiam et Academiis libenter ostendere gratitudinem. Itaque non dubitabam, quin bona fide pecuniam missurus esses, tibique gratias ago, quod et cito et numismata bona misisti. Accepi enim aureos stateres διδραχμούς duodecim, quos statim exhibui Rectori *Milichio* in consessu publico. Reddidimus etiam quod tibi debebatur. De disputatione *Osiandri*[2]) laudo tuam moderationem, quia de rebus nulla inter nos dissensio est. In vocabuli usu ego consuetudinem non eruditam sequutus sum, ut scis, me libenter retinere quantum possum Ecclesiae sermonem. Pagellam autem vobis mitto, qua utinam prorsus obruatur huius certaminis mentio, ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ᾽ ἀνθρώπων ἀπόλοιτο[3]). Mitto tibi carmen *Ioachimi* de Eclipsi. Bene vale, die 25. Maii.

Philippus Melanthon.

---

Sie dankt für die gnädige Aufnahme und Unterhaltung ihres Sohnes, bittet, ihm ferner zur Vollendung seines angefangenen Studii in Frankreich oder in Italien Unterhaltung zu verordnen, damit er dem Herzoge nützlicher dienen könne. Sie beklagt sich, daß wenig Leute sind, die für die großen Wohlthaten ihres lieben Herrn, seinen armen Waisen zu helfen geneigt wären, und daß sie noch dazu an ihrer Armuth großen Schaden von bösen Nachbarn leide. Wiederholt ihre Bitte, ihren Sohn nach Italien oder Frankreich reisen und hernach auf eine kurze Zeit zu ihr kommen zu lassen, um mit ihr, seinen Brüdern und seiner Schwester einige nöthige Sachen zu bereden &c.

Johann Luther, mit dem der Vater schon in seiner Jugend nicht zufrieden war, machte demselben und Melanthons Empfehlung auch hier keine Ehre. Sowohl sein Fleiß als seine Führung wurden von dem Herzoge in der Antwort an Luthers Witwe getadelt, und ob er sich gleich geneigt erklärte, um seines Vaters willen, ihn, wenn er in Königsberg vor gut nehmen wolle, mit Unterhalt zu versorgen, so schlug er doch ab, ihn auf seine Kosten nach Italien oder Frankreich reisen zu lassen.

Daß er (wie im Erl. Preußen Tom. II. S. 53. angeführt wird) in des Herzogs Diensten gestanden, habe ich nicht gefunden. Wohl aber ein Empfehlungsschreiben des Herzogs Johann Wilhelm von Sachsen aus Weimar vom Jahr 1568, für seinen Rath und Diener, Johann Luther, der sich in seinen Geschäften nach Preußen begebe. — Er starb hier den 28. Oct. 1575. und erhielt sein Begräbniß in der Altstädtischen Pfarrkirche.

Sabinus machte in diesem Jahr in seinen Angelegenheiten eine Reise nach Deutschland und hatte auch mündliche Aufträge vom Herzoge an Melanthon, worunter einer den Mißbrauch betraf, der von den Briefen des Herzogs an Luther gemacht worden, daß sogar ein Brief an den kaiserlichen Hof gelangt war.

1) Fuit is primus Theologiae profess. in Academia Albertina, creatus Doctor Theol. in Acad. Viteberg. d. 8. Nov. 1548.

2) Vid. ep. d. d. 9. Maii.

3) Verba Achillis apud Homer. Iliad. 18, 107.

---

**No. 4540.** **24. Maii.**

## *Georgio Princ. Anhaltino.*

Epist. lib. II. p. 212. (ed. Lond. lib. II. ep. 205.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

**S. D.** Illustrissime et Reverendissime Princeps, Credo pium et utile consilium esse de Ecclesia istic constituenda. Quicunque enim electionis eventus erit, subita mutatio non fiet. Hunc igitur Magistrum *Wenceslaum Thomendorf Suidnicensem* istuc mittimus, ut C. V. eum audiat. Vir modestus est, et doctus, et biennio fuit in ministerio Evangelico, postea ad Academiam rediit. Ac tales, quos experientia in ministerii functione multa monet, reversi ad studia melius iudicant. Iussimus eum ad C. V. accedere, et nihil de causa sui itineris aliis significare. Mitto C. V. libellum *Ptolemaei*, ut videat, qualia sint studia iuventutis, et in hac moestitia temporum servanti tamen artes honestas et vitae utiles, Deo gratias agat nobiscum. Oro autem ut praefationem C. V. legat. Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi servet C. V. incolumem, et eam regat. Datae die Maii 27. anno 1549.

No. 4541. — 29. Maii.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 544 sq.

*Mich. Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Hunc virum Magistrum *Georgium Eckart Dinckelsbühelensem* mitto ad vos, ut, cum eum audieritis, deliberetis, an ministerium Evangelicum ei commendaturi sitis. Totam enim hanc deliberationem integram vobis relinquo. Tantum significo meum de ipso iudicium. Eruditione et facundia non vulgariter instructus est: et mores honesti sunt, et ut mihi videtur, sensus hominum considerat: et non est sine consilio. Oro autem Filium Dei, sedentem ad dextram aeterni Patris, et dona dantem hominibus, videlicet salutares Pastores, et alia omnia necessaria Ecclesiae, ut vestras Ecclesias etiam servet et regat: servet etiam vos et vestram domesticam Ecclesiam incolumem. Iter nostrum, Deo iuvante, brevi suscipiemus. Bene et felic. valete. Die 29. Maii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4542. — (ex. Maii.)

## Epitaphium Viti Theodori.

† Ex apograph. in cod. Dresd. Zeltneri p. 79. descr. a Cl. *Gersdorfio*. Aliud apographon habetur in cod. Monac. II. p. 177. quod etiam contuli.

*Epitaphium Viti Theodori.*

Hoc tumulo *Viti* ossa teguntur, cui urbs Norica fuit patria.

In cuius cognomine *Theodori*, vere omen fuit. Nam vere multis donis a deo ornatus fuit, ut prodesset gregi tuo Christe.

Fuit graece, latine et hebraice doctus, et vera fide deum coluit, ac profuit omnibus modis.

In patria docuit Evangelium, edidit libros utiles, pugnavit cum fanaticis doctoribus, et hostibus Evangelii, et cavit, ne ulla labe mali dogmatis patria inficeretur.

Debetur et haec laus ei, quod ab eo [1]) multa *Lutheri* scripta servata et edita sunt, quae alioqui fuissent interitura.

Fuit castus maritus.

Moriens pro patria ardentia vota fecit, et suam animam gnato [2]) dei commendavit.

Mortuus est illo ipso die, quo filius dei et in virgine Maria conceptus est, et quo die in cruce pependit, et quo die Adam conditus est. Anno 49.

Ph. Mel.

---

No. 4543. — 6. Iun.

## Alberto Duci Pruss.

Ex autographo edita in Fabri epist. p. 162. ep. 49.

*Alberto, Duci Borussiae*

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps, Vidi his diebus literas pontificiae dispensationis quam Papa in Germaniam mittit *), de Coniugio sacerdotum. Tantum sic dispensat ut retineant coniuges, sed removeantur a ministerio. Ita Caesaris concessionem Papa ipse evertit. Et erant in eodem scripto alia multa impie et atrociter mandata. Nunc de publicis negociis nihil habui recentius. Sed de studiis subditi Cels. v. Magistri *Matthiae Stoii* **) nati in urbe Cels. v. Regiomonte ut ad Cels. v. scribam moveor et ingenii in ipso praestantia et valetudine eius. Et oro reverenter ut Cels. v. tot meas petitiones clementer audiat. Natura in *Stoio* excellens est, et omnium artium capax. Et ad scribendi facultatem adiunxit eruditionem in philosophia et mathematica egregiam. Et mores sunt placidi et ad pacem idonei. Sed valetudo diu fuit adflicta, quare eo dignior est laude, quod studia optimarum artium etiam morbis eum duriter excruciantibus non abiecit.

---

1) Cod. Mon. *ipso*.

2) Cod. Mon. *nato*, mendose.

*) Vid. de illa dispensatione Sleidani Commentar. p. 660 sq.

**) Matthias Stojus hielt sich schon im Jahr 1547. als Magister der Philosophie hier auf, und es war ihm neben dem D. Brettschneider die Aufsicht über die Alumnos übertragen. Er begab sich nachher wieder nach Wittenberg zurück, um die Medizin zu studiren; ward darauf zweiter Professor der Medizin und fürstlicher Leibarzt. Sein Journal über die letzte Krankheit des Herzogs ist in den Actis boruss. Tom. I. S. 675 x. gedruckt. (Faber.)

Cum autem propter valetudinem sumptus fecerit maiores, orat Cels. v. reverenter, ut usitato stipendio aliqua accessio addatur. Spero patriae et Celsitudini vestrae hoc ingenium ornamento fore. Ideo reverenter eum Celsitudini vestrae commendo, et oro, ut Celsitudo vestra clementer accipiat meas literas. Deus erit protector Ecclesiarum harum in quibus sonat vox Evangelii incorrupta et Celsitudinem vestram iuvantem pia studia non deferet. Bene et foeliciter valeat Cels. v. Datae Anno 1549 die 6. Iuny.

Celsitudini vestrae
addictus
Philippus Melanthon.

---

No. 4544. 9. Iun.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 616 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 758.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,*

S. D. *David* noster ex sacro nuptiali reversus, febrim attulit, ego atroces dolores a calculo ortos, a Salae ripa rediens. Hic autem accepi epistolam *Sneppii* qui in Tyrigetis interpres erit linguae Ebreae. Itaque si non abiicimus Lignicense negocium, vel de *Sarcerio*, vel de *Frechto* cogitandum erit. Ac opinor *Sarcerium* non gravatim in his locis patriae vicinis mansurum esse, mihique nuper narravit se deferre suam operam Ecclesiis harum regionum. Et idoneum esse ad illam partem gubernationis, quae mandatur Inspectori Ecclesiarum iudico. Tuam Sententiam mihi significabis. De Academia Rostochiana legito et *Arnoldi*[1]) epistolam quam *Sneppianae* addidi gaudeo et consensum esse Academiarum quinque mediocrem, et docentium inter se benevolentiam mutuam. Novum illum hospitem [2]) gentis Hyperboreae metuo. Audio et *δραπέτην Slavum* [3]) in vicina parthenopea edere nova plaustra conviciorum. Sed haec arte ferenda sunt, et oro filium Dei sedentem ad dextram aeterni patris, ut corda nostra regat, et nos et has Ecclesias et coetus discentium faciat *σκεύη ἐλέους*, ac nobis adiungat Spiritum *παράκλητον* ex aeterni patris et filii pectore effulgentem. Hic sit custos etiam tuae domesticae Ecclesiae. Bene vale, in pentecosta.

Phil. Melanth.

1) Bureni.
2) Osiander.
3) Flacius Illyr.

---

No. 4545. 10. Iun.

## *Georgio Princ. Anhaltino.*

Epist. lib. II. p. 214. (ed. Lond. lib. II. ep. 207.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Orationem mitto de dicto *Pauli*, TYPUS ESTO, quam spero C. V. legenti iucundam fore, etiamsi fortassis non pronunciabitur publice. Mihi, quanquam atrocissimos dolores a calculo habeo, tamen scriptio et cogitatio non iniucunda fuit. Nondum scripsi responsionem de deliberatis *Grimmensibus*, quia et cruciatus a calculo orti me impedierunt, et intervenit negotium *Torgense*. *Gabriel* et Diaconus huc missi sunt, quia contendunt esse Idolatriam, et desertionem veritatis, lineam vestem induere. Tanta cum sit in aliquibus pertinacia, si mandata edentur, plus erit turbationum. Ego in exilium ire malo, quam rixari cum pertinacissimis hominibus. Et optarim aulam non properare in edendis his mandatis. In *Hungaria* multi Domini coniungunt se contra Regem *Ferdinandum*, coronaturi filium *Iohannis*, de mandato *Turcici* Imperatoris; et iam legatus *Polonicus* est in *Hungaria*, ut *Hungaros* hortetur, ad filium *Iohannis* coronandum. Et aiunt, ideo Regem *Ferdinandum* differre negotia Ecclesiarum in *Silesia*, quia *Hungaricis* tumultibus impeditur. De exercitu in *Saxonia* collecto scribit Dux *Franciscus Luneburgensis*, certo eum mitti in *Angliam*. In *Suevia* adhuc horrenda deformitas est Ecclesiarum. Multis locis nulli sunt pastores, nulli publici congressus, nec Baptismus, nec Coena Domini. Infantes diu sine Baptismo sunt, postea collocati in currum aliquot, vehuntur in oppidum vicinum, ut baptizentur. Talem vastitatem etiam hic mallent fieri quidam, quam remittere aliquid de pertinacia. C. V. gratias ago pro cerevisia, quae tamen mihi in hac saevitia calculi nequaquam conducit. Et nollem C. V. onerari sumptu mea causa. Mitto C. V. initium Catechismi, ut scripsi meae

filiolae. Sunt responsiones breves, et fortassis pueritiae convenientes. Sed in locis scribam explicationem longiorem. Bene et feliciter valeat C. V. Die post Pentecosten II. 1549.

---

No. 4546. 16. Iun.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 619 sq.

*Michaëli Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. De filii studiis et moribus nuper scripsi, et D. *Schneidewein* coram testis esse poterit modestiae ipsius. Postquam audivi eum his diebus accuratius, video sic praeparatum esse in lingua latina et Dialecticis, ut sit inchoandum Iuris studium. Ac rectissimum esset, eum commendari ipsi Doctori *Schneidewein* initio hyemis, qua de re iam quoque cum Doctore *Schneidewein* statuere poteritis. Oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut vos et vestros servet incolumes, et gubernet. Die 16. Iunii.

Philippus.

---

No. 4547. 18. Iun.

## Io. Stigelio.

Danz. epist. ad Stigel. ep. 52. Cod. Goth. 188. ep. 125.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, amico suo carissimo,*

S. D. Cariss. *Stigeli.* Non dubitemus, servaturum esse filium Dei cymbam suam, etiamsi ingentibus fluctibus quassatur, et prodigia novos motus sine ulla dubitatione significant. *Brunsvigae* nubes magna et atra, velut effusura magnum imbrem, conspecta est. Haec paulatim velut hiatu divisa est, in eo hiatu conspecta est crux flammea, deinde Angelus vibrans gladium. Hoc prodigium recens nuntiatum est; alia mihi ante menses aliquot a certissimis hominibus scripta sunt: exercitus in aëre dimicantes, adeo conspicui, ut omnium oculis iudicari possent, et sanguinis fontes ex terra erumpentes. Haec non sunt ἄσημα. Oremus autem filium Dei, ut eventus gubernet. Mitto tibi pagellam, in qua est Orionis allegoria, quem sectantem Lunam scorpius interficit *). Ita doctrinae studiis infesta sunt tempora, et ingenia infecta Scorpii veneno. Hanc allegoriam tuis versibus illustrari optarim. Tibi et *Victorino* mitto pagellas et *Ptolemaei* exempla. Bene vale, carissime *Stigeli.* 18. Iunii.

Mitto tibi nomisma aureum, quod te de Orione admoneat.

Philippus Melanthon.

---

No. 4548. 20. Iun.

## Hier. Schuollio.

Manlii farrag. p. 112. ubi inscribitur N. N. Strobelius opinabatur, eam Buchholzero inscriptam fuisse, sed in Manlii exemplo in Biblioth. Dresd. inscripta est, ut etiam in Apogr. in cod. Mehn. I. No. 181.

*Venerando viro — D. Hieronymo Schuollio, docenti Evangelium fideliter in urbe Arctoa (Berolini) amico suo,*

S. D. Venerande vir, et amice charissime. Etsi quidam, qui se ad populum venditant tanquam libertatis defensores, clamant, nos iniuste facere, quod onerari Ecclesias servitute sinimus: tamen propter haec tribunitia iudicia sentio non relinquendas esse Ecclesias: teque et alios multos doctos et bonos viros statuo recte facere, quod in statione vestra manetis, et Ecclesias non deseritis. Heri ex *Suevia* et *Argentorato* literas accepimus, in quibus significatur, in multis locis revocari iam pastores et pios, qui discesserant, et [1]) restaurent pias conciones, et caeremonias in Ecclesiis, in quibus aliquamdiu solitudo fuit, restitui; quia certe mediocres homines tetram illam et tristem solitudinem diu ferre non possunt. Imperator etiam *Moguntino* mandasse fertur [2]), ut differat illas Ecclesiarum mutationes quas inchoaverat, pulsis in vicinia piis pastoribus.

*Bucerus* venit in Angliam, ac scribit initia emendationis Ecclesiarum mediocria esse; † sed doctrinae forma nondum edita est." Nos tueamur consensum Ecclesiarum in his regionibus, quem

*) Est pagella *Erasmi Reinholdi*, in qua enarrationem libri primi *Ptolemaei* indixit. Vid. Scrpt. publ. T. I. p. 265 sq.

1) Manl. *ut restaurent.*

2) Cod. Mehn. *mandavit.*

spero salutarem fore posteritati. Bene et feliciter vale, 20. Iunii.

Mitto tibi propositiones, quarum lectionem spero tibi non ingratam fore. Misissem et aliis, et illustrissimo principi, si plura exempla habuissem. Reverenter salutem dicito domino Cancellario *), et domino Licentiato, et collegae tuo domino *Georgio*, et D. *Thomae Matthiae*. Iterum vale.

---

No. 4549. 22. Iun.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 589 sq.

*Michaëli Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Clariss. vir, et amice charissime. Hunc *Georgium* **) spero Ecclesiae Dei in oppido vestro pie et fideliter serviturum esse. Et Filium Dei oro, ut gubernet et protegat Ecclesias harum regionum. Ego non solum arma, sed etiam disputationes novas metuo. Et qui procul discedunt, ut *Osiander*, qui in Prussiam se contulit, et *Bucerus*, qui est in Anglia, non tam armorum metu, quam ut se liberent mole disputationum, cessisse videntur. Idem iudicavit *Gerardus Feldwik*. Sed coram plura. Mitto pagellam, in qua est recentissima narratio Legati Pomeranici, qui de futuro Conventu pene adfirmat, de loco adhuc dubitari dicebat. Me calculus atrociter cruciat adhuc. Sed magis crucior cogitatione miseriarum publicarum, quas Deus leniat. *Georgium* vobis commendo. Mitto filiis pagellas, de quorum studiis coram, Deo dante, colloquemur. Bene valete. Die 22. Iunii.

Philippus.

---

No. 4550. 24. Iun.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 618 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 760.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Cam. Bam. fratri suo carissimo,*

S. D. Etsi cruciatus a calculo ortos tuli saevissimos, qui nunc edito grandi scopulo, mitiores sunt, tamen magis crucior cogitatione miseriarum publicarum. Fuit hic legatus Pomeranicus reversus ex Belgico, qui narrat multorum opinionem esse, Carolum Imp. indicturum esse conventum, et quidem in Tyrigetis, ubi de libro Augustano singulorum sententias rursus audire velit. Sed coram haec, et interea plura audiemus.

Inchoaveram praefationem, quam petit typographus. Sed operae aulicae interruperunt. Vespasianum habeo aureum στατῆρα, addendum caeteris quos habes. Mitto tibi *Micylli* et filii epistolas. Bene et feliciter vale, Filius Dei servet te et Ecclesiam tuam domesticam, die Iohannis Baptistae.

Philippus Melanth.

---

No. 4550. 24. Iun.

## Georgio Princ. Anhaltino.

Epist. lib. II. p. 217. (ed. Lond. lib. II. ep. 210.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Spero Magistrum *Wenceslaum* fideliter et utiliter serviturum esse Ecclesiae Dei, et quidem oro Filium Dei sedentem ad textram aeterni Patris, ac dantem dona Ecclesiae, ut et hunc ministrum et alios regat, et non sinat in his regionibus extingui vocem Evangelii, et doctrinae studia. Commendo etiam hunc *Wenceslaum* C. V. gubernandum et tuendum. Fuit his diebus apud nos *Pomeranicus* legatus, reversus ex aula Imperatoris, qui narrat sermones esse de conventu indicendo *Erfordiam*: sed tamen certi nihil adfirmare poterat. Hoc adfirmabat, Doctorem *Stratium Marchionis* Electoris legatum in aula Imperatoris multas fabellas ibi spargere contra nostras Ecclesias. Sed commendemus nos Filio Dei custodi Ecclesiae suae, qui est καρδιογνώστης, et scit, an studia doctrinae fideliter propagari velimus, et videt odia Diaboli adversus nos in *Epicureis*, et multis aliis, qui regna et seditiones quaerunt, non illustrant doctrinam. Bene et feliciter valeat C. V. die collegae nostri Iohannis Baptistae, 1549.

---

*) *Ioanni Weinleben.*

**) *Georg. Eckhardus.*

No. 4551. 24. Iun.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 157 sq. — Contuli autographum in cod. Monac. I. p. 187. cui adscripta sunt: „d. 6. Iul. 1549. per Andream."

*Hieron. Bomgartnero, Senatori Noriberg.*

S. D. Fontes earum consolationum, quas Deus Ecclesiae tradidit, nosti. Inde quod facis, petito remedia in hoc tuo luctu, qui propter sororis migrationem ad alios tuos dolores accessit. Scio erga sorores, ut erga filias ardentiores esse στοργάς. Utrumque autem vult Deus, adfici nos desiderio nostrorum, et moderari dolores et suae voluntati obtemperare. Mitto tibi pagellas, quae ostendunt ad quae doctrinae genera iuventus adsuefiat.

*Erasmus Reinholt* tabulas motuum coelestium, quas iudicat valde profuturas esse, magno labore construxit, et patronum quaerit, qui talium laborum rationem habere velit. Senatui vestro partem operis dedicaturus erat, si qua spes esset praemii. Certe Reip. et posteritatis causa optarim Principes in hoc genere liberaliores esse. Significabis igitur, quid sperandum sit.

Commendo tibi etiam *Andream Stokel*, de quo ad Senatum scripsi. *Ambrosius Reuter* de fratris damno angitur, teque orat, ut si poteris, remitti aliquid de mulcta petas. Negotium mihi non est notum, et haec forensia inquirere non soleo. Bene et feliciter vale, die Ioannis Baptistae *).

Philippus Melanthon.

No. 4552. 29. Iun.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 574 sq.

*Mich. Meienburgio.*

S. D. Integerrime vir, et amice charissime. Spero, istuc venisse *Georgium* [1]), et literas meas attulisse, qui erit Pastor Ecclesiae ad S. Petrum. Dei beneficio filius recte valet, et discit, et quanquam Iuris studium inchoavit: tamen adhuc simul eum exerceri in elementis doctrinae motuum coelestium, iudico, ei utile esse, et ad acuendum ingenium, et recte argumentandi scientiam, et ad morum suavitatem. Mihi etiam curae est, ne implicetur sodalitiis. *Erasmum Benedictum* quotidie expecto, post cuius adventum commendabo *Christophorum Ulrico Sizingero*, legenti Institutiones et simul alias artes philosophicas exercenti et repetenti. Si aberit *Erasmus* diutius, id consilium etiam eo absente sequemur. Oro autem Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, Conditorem Ecclesiae suae, ut servet Rempublicam, et vos et coniugem honestissimam, et filios et filiam. Mitto filiis pagellas. Accepi decem Ioachimicos, etsi mitti pecuniam non opus fuit. Rationes notae sunt Magistro *Erasmo*.

Scitis, venisse *Lazarum Svende*, quem, non dubito, terribilia mandata adferre. Maledicta et calumnias, quibus me onerant aliqui, vel ignari negotiorum, vel servientes suis adfectibus, refutabit tempus. † Ago quidem, quod egi semper, res necessarias illustravi mediocriter, de non necessariis et vulgi licentia laxanda non pugnavi, et optavi, ut alii moderati essent. Sic sentiam in exilii mei suppliciis et in omni aeternitate" *). Bene et feliciter valete. Die Petri et Pauli 49.

Philippus.

*) Alia manus adscripsit: *ann.* 1549.

1) *Georgium Eckardum.* Vid. supra d. 22. Iun.

No. 4553. 2. Iul.

## Lecturis.

† Ex autogr. Mel. in bibl. Μεγαλαρχοντ. Badensis mihi descripta a Cl. *Moltero.*

*(Lecturis)*

S. D. Omnibus seculis exilia Ecclesiae tristia fuerunt, et saepe magna agmina piorum ex urbibus pulsa sunt, et immissae equitum turmae, ut euntes senes et mulieres et pueros conculcarent. Legimus etiam sanctos sacerdotes quosdam cum uxoribus suis euntes in exilium subito in itinere ex conspectu aliorum evanuisse raptos in coelum. Talibus exemplis hoc tempore nos consolemur, et cogitemus, decere nos obedientiam in ferendis communibus Ecclesiae miseriis, cum quidem antea multo duriora tulerint plurimi Deum recte invocantes. Ideo autem exilia praecipue sunt usitata Ecclesiae, quia vult Deus nos commonefacere de

*) Addit haec A. D.

primo exilio, videlicet de amissa patria coelesti, cum Adam et Heva tristi lapsu amiserunt iustitiam et immortalitatem. Vult nos etiam commonefacere de filio reducente exules in coelestem patriam. Propter has causas et ipsi in aerumnis exilii tolerandis flectamus animos ad obedientiam, et simus benefici erga pios exules, cum et Deus nostrum exilium leniat. Est autem eximia virtus huius *Iohannis Valentini Deygeri*, Argentinensis, qui docuit Ecclesiam non procul ab *Augusta*, et nunc propter veritatis confessionem exulat, quia recipere errores et vitiosos cultus noluit. Amplectitur autem consensum Ecclesiae catholicae Dei, quem Saxonici Ecclesiae uno spiritu et una voce cum catholica Ecclesia Dei profitentur, iuxta confessionem Augustae in conventu anni 1530. exhibitam Imperatori Carolo Augusto etc. Oro igitur bonos viros, ad quos veniet hic *Iohannes Valentinus*, ut amanter eum excipiant, et iuvent hospitalibus officiis. Datae Witebergae die Synodi Mariae et Elizabeth. Anno 1549.

Philippus Melanthon,
manu propria.

---

**No. 4554.** **2. Iul.**

## *Cph. Piscatori.*

Ex autographo Phil. Mel. in cod. Cypr. Goth. iam antea edita a Cypriano in epist. claror. viror. p. 18.

*Rev. viro, eruditione et virtute praestanti, D. Christophoro Piscatori, Pastori Ecclesiae Dei in Bovemorum Bensen* [1]), *amico suo.*

**S. D.** Reverende vir et amice cariss. Etsi nondum in Ecclesiis nostris ulla mutatio facta est, tamen sic saepe respondimus, nos non pugnare de adiaphoris. Certe ordinem honestum lectionum et festorum esse decet, et commodius est, retineri ritus veteres, quatenus non sunt impii.

Si postulabitur, ut ordinatio *Pragae* [2]) petatur, inquirenda erit forma verborum, quia haud dubie miscebitur aliquid de sacrificio. Et miscebuntur alia impia. Ideo improbanda erit illa ordinatio. Sed Deum oremus, ut haec Ecclesiarum pericula regat. Et opinor, moram interventuram esse Regis [3]) consiliis.

1) Iüterbpg.
2) Cf. ep. d. 8. Ian. 1550.
3) Ferdinandi.

De obstetricum consuetudine scio multos anxie disputare. Sed cum prosit etiam, tales [4]) infantes commendari Deo, voce praesentium et aliquo testimonio, ego quidem talem consuetudinem tolerari vellem. Et cum sunt superstites pueri, baptizari tamen in publico possunt, quia baptismus, quantum fieri potest, publica et multis nota ceremonia esse debet. Sed optarim, nos posse colloqui de hac re coram. Bene et feliciter vale. Die sanctiss. Synodi Mariae et Elisabethae.

Philippus Melanthon.

---

**No. 4555.** **4. Iul.**

## *Edictum Mauritii.*

Postquam liber Agendorum a Theologis, Grimmae d. 1. Maii convocatis, approbatus fuerat, Mauritius, Dux Elector ad suos et ordinis equestris praefectos hoc mandatum promulgavit, quod hic habes. Legitur in Actis synod. germ. p. 284. (versio latina in Actis syn. latinis p. 399.). — Etiam editum in editione Interim Lipsici, quae cura Galli et Flacii prodiit anno 1550.

(*Mauritius, Dux Saxoniae Princeps Elector, ad suos praefectos et ad Magistratus ordinis equestris.*)

**Von Gottes Gnaden Moritz, Herzog zu Sachsen, des heil. Römischen Reichs Erzmarschall und Churfürst etc.**

Lieber getreuer. Wir vernehmen aus mancherlei Anzeigung, daß viel Leut in unserm Lande sind, deren eines Theils ihnen selbst Sorgfältigkeit machen, eines Theils aber von Andern, die zu Unruhe und Entpörung heimlich geneigt, und sich doch nicht wollen merken lassen, zu solcher Sorgfältigkeit bewegt und angeleitet werden, als sey unser Wille, Gemüth, Vorsatz und Meinung, die alten Mißbräuch in unsern Landen wieder anzurichten, sie von Gottes Wort zu dringen, und mit den Sachen so lang gemach umzugehen, bis wir andere und mehr Bequemheit *) darzu ersehen.

Darin wir denn die Prädicanten eines Theils nicht wollen entschuldigt halten. Und haben aus solcher Sorgfältigkeit und Verdacht leichtlich zu ermessen, daß alle solche argwohnige unsre Unterthanen und Prädicanten ihre Hoffnung zur Aenderung haben, daraus wie leichtlich zu erachten, wo sich jemand unterstünde, Unruhe und Entpörung zu erwecken, daß sich dieselbigen miß-

4) Cyprian. edidit *natos*, quod error est.
*) Flac. Bequemigkeit.

traurigen und sorgfältigen Leute leichtlich würden bewegen lassen, eines Theils wegen solcher Sorgfältigkeit und der Andacht, die sie der Religion halben zu haben vermeinen, die andern aber aus bösem, hässigen und unruhigen Gemüth und Willen, den sie jetzo drucken, und alsdann an den Tag bringen würden. Und wiewohl wir uns in mannigfaltigen unsern Ausschreiben gnädiglich erkläret, und männiglich so viel angezeigt, daß niemand Ursach habe, sich deß wie gemeldt, bei uns zu versehen: so wollen wir doch nochmals dir und andern unsern Unterthanen hiermit vermeldet haben, daß unser Wille, Meinung und Gemüth nicht sey, uns in einigen Mißbrauch, der wider Gott, sein heiliges Wort und die christliche Religion ist, einzulassen; sondern vielmehr dasjenige zu fördern und zu halten, das Gottes Wort gemäß, und zu Erhaltung der christlichen Religion dienstlich. Darum wir denn, und wie wir unsre Unterthanen in Friede und Ruhe erhalten und regieren möchten, zum Höchsten sorgfältig sind.

Vermahnen derhalben diejenigen, so aus Einfalt und für sich also sorgfältig, oder durch andre darzu überredt sind, gnädiglich, sie wollten unserthalben von solcher Sorge abe, und sich weiter darzu nicht bewegen lassen, sondern dieser unsrer Schrift gänzlichen statt geben. Und wie wir fleißig trachten, sie bei der christlichen Religion zu erhalten, und in Ruhe und Friede zu regieren, daß sie auch also ihr Herz rechtschaffen zu Gott heben, christlich wandeln, und zu der Obrigkeit, wie Gott befiehlet, ein gutwilliges gehorsams Gemüth tragen. Die andern aber, die solche Sorgfältigkeit verursachen, die Dinge erdichten und in die Leute tragen, der sie keinen Grund haben, wo sie sich nicht bekehren und ablassen, werden ihrer Strafe, es sey dort oder hier, nicht entgehen, dieweil ihre Herzen und Gemüth nicht christlich, sondern unchristlich, unwahrhaftig und aufrührisch begierig sind. Und nachdem wir aus dem Beschluß des jüngst gehaltenen Landtages zu Leipzig, so der Röm. Kais. Maj., unserm allergnädigsten Herrn, zu unterthänigstem Gehorsam in Sachen unsre christliche Religion belangende, etliche Artikel haben ziehen lassen *), in den Kirchen unsrer Lande durch unsre Consistoria und Superintendenten ins Werk und Ordnung zu bringen, wie du dich an deinen Pfarherrn zu erkunden haben wirst: begehren wir, du wollest auf deinen Pfarherrn Achtung geben, ob er demselben, auf Schaffen des Consistorii oder Superattendenten, Folge thüe, oder aber deß in Wegerung sey, und solche Ordnung auf der Canzel oder sonst berede, und uns oder unserm Statthalter und Räthen oder den Consistoriis solches anzeigen.

*) Videlicet scriptum quod sequitur.

Ob auch dein Pfarherr ferners Berichts bedürfte, deß mag er sich bei den Consistoriis oder bei den Theologis in unsern Universitäten, Wittemberg und Leipzig, erholen, damit Einigkeit in den Kirchen in unsern Landen gehalten, Gottes Ehr und gebührlicher Gehorsam, beide gegen Gott und der ordentlichen Oberkeit, gefördert werde; wie wir denn nicht zweifeln, [daß] du zu thun solches, auch deinen Unterthanen zu verkünden, in keiner Wegerung seyn werdest. Und geschiehet daran unsre gänzliche Meinung. Datum Dresden Donnerstag *) nach Visitationis Mariä, den 4. Julii, Anno 1549.

---

**No. 4556.** **4. Iul.**

## *Epitome ex libro Interim.*

Editum in Actis synodicis germanicis p. 274. (latinis p. 384.) et in libro Galli et Flacii de Interim Lips. (Der Theologen Bedenken, oder Beschluß des Landtags zu Leipzig etc. Magd. 1550. 4.) in fine libri. — Vid. edictum antecedens. Est epitome scripti Cellensis in Conventu Lipsico approbati, quam Flaciani appellarunt: Das kleine Leipziger Interim. Contra hanc epitomen scripsit Flacius libellum; „Widder den Außzug des Leipsischen Interims, oder das kleine Interim. Durch Math. Flacium Illyricum." Gedruckt zu Magdeburg bei Christian Röringer, Anno M. D. XLIX. 4. — Quae ad verbum deprompta sunt ex scripto Cellensi, s. Interim Lipsico, ea hic repetere nolui, sed ea ubique indicavi.

### Auszug aus dem Beschluß des jüngst gehaltenen Landtags zu Leipzig, in Weihenachten des 49. Jahres.

Die Kindertaufe mit dem Exorcismo, Absagung, Beistand und Bekenntniß der Pathen und andern christlichen Ceremonien soll gelehrt und gehalten werden.

Die Jugend soll im Catechismo fleißig unterwiesen, und wenn die erwachsen [1]), ihres Glaubens, daß sie denen bekennen, verhöret werden, und die Zusage, die ihre Pathen in der Taufe für sie gethan, und dem Teufel abgesagt haben, bekräftigen, und also in ihrem Glauben vermittelst göttlicher Gnade confirmirt und bestätiget werden mit Auflegung der Hände und christlichen Gebethen und Ceremonien.

Die Buße, Beichte und Absolution soll fleißig gelehrt — — — — (ad verbum ut in scripto Cellensi de poenitentia usque ad verba:) Buße, Ge-

*) Flac. Dornstag.

1) und wenn die erwachsen exciderunt ex textu Act. syn.

beth, Almosen, Mäßigkeit und andern christlichen Wandel angehalten werden.

Mit den Kranken mag mans halten nach der Apostel Brauch, und über sie christliche Gebeth und Trostsprüche aus der heiligen Schrift sprechen.

Die Ehe in diesen Landen soll nach Gottes Einsetzung bei allen Ständen gehalten werden.

Die Messe soll in diesen Landen gehalten werden mit Läuten, Lichten, Gefäßen, Gesängen — — — — (et sic porro ad verbum ut in scripto Cell. artic. de Missa usque ad finem:) Communicatio oder Nießung, Collecta Benedictio.

Die Kirchendiener sollen, wann sie predigen, das Sacrament reichen, oder andre Kirchenampt üben, die gewöhnlichen KirchenKleider brauchen.

Daß man die horas canonicas, die gottseligen Psalmen in den Stiften und in Städten, in den Kirchen da es vorhin gehalten ist, singe, von der Zeit, auch von dem Sonntag und andern hohen Festen, und daß man auch also die alten und reine gewöhnliche Gesänge de tempore und Hauptfesten halte.

Die christlichen Gesänge in und nach dem Begräbniß mögen gehalten werden auf Ansuchen derer, die es begehren zu Gedächtniß der Verstorbenen und unsrer verheisenen und gewissen Auferstehung.

Die Bilder und Gemälde — — — — — (ad verbum ut scriptum Cellense in articulo: Bilder, usque ad finem).

### Feiertage.

Die Sonntage. Der Geburtstag des Herrn Jesu Christi. Sanct Steffans Tag. Sanct Johannis Evangelistä. Die Beschneidung des Herrn. Der heiligen dreier König Tag. Die Ostern mit zwei folgenden Tagen. Die Auffahrt des Herrn. Die Pfingsten mit zweien folgenden Tagen. Corporis Christi, vom hochwürdigen Sacrament Leibs und Bluts Christi zu predigen und zu communiciren. Die Feiertage der heiligen Jungfrauen Mariä, nach der Historien der heiligen Schrift. Die Tage der heiligen Apostel. Sanct Johannis Baptistä. Sanct Mariä Magdalenä. Sanct Michael und etliche andere, darauf man allein Kirchenfeier mit Predigt und Messe mit Communion hält, als: Conversionis Pauli, Decollationis Iohannis, Donnerstag, Freitag und Sonnabend in der Karwochen.

Item, daß man sich am Freitag und Sonnabend, auch in der Fasten Fleischessens enthalte, und daß solches als eine äußerliche Ordnung auf der Kais. Maj. Befehl gehalten werde; doch daß diejenigen, welche die Noth entschuldiget, als da sind harte Arbeiter, wandernde Leute, schwangere Weiber, Kindbetterin, alte schwache Leut, Kindere, hiemit nicht verbunden sind.

Und wir sehen vor ehrlich und gut an, daß sich die Pfarherrn und Kirchendiener mit der Kleidung, auch sonst mit Zucht und Wandel, priesterlich und ehrlich halten, und unter sich selbst, mit Zuthun und Rath der Bischoffe oder Consistorien, Ordnung machen, und darob halten, daß mit der Kleidung zwischen Kirchendienern und weltlichen Personen Unterschiede vermerket, und dem priesterlichen Stande, wie billig, seine Reverenz möge gegeben werden.

---

No. 4557. 10. Iul.

## Io. Aepino.

Manlii farrag. p. 220. Select. epist. p. 315. Epistol. lib. I. p. 280. (ed. Lond. lib. I. ep. 96.). Apographon in cod. Monac. 90. No. VII. p. 414.

*D. Iohanni Aepino, Episcopo Ecclesiae Dei in inclyta Hamburga, Philippus Melanthon*

S. D. Reverende vir, et amice carissime, Quanquam publica moestitia facit, ut sensus in privatis doloribus sit hebetior, tamen in omnibus bonis ingeniis nativa[1]) στοργὴ minime lentos motus ciet. Quare non dubitamus te propter mortem honestissimae coniugis tuae magno in dolore esse. Nos quoque cum ex literis venerandi viri Magistri *Iohannis Garcaei* intellexissemus, eam superatam doloribus partus extinctam esse, valde augeri moestitiam nostram propter tantum carissimi amici vulnus sensimus. Cum enim et virtutibus omnibus quae piae matronae conveniunt excelluerit, et concordia inter vos perpetua, et consuetudo plena pietatis et suavitatis fuerit, et iam communi[2]) cura et amore liberi educandi essent, et tua aetas et valetudo[3]) iam hanc vitae sociam necessario[4]) requireret, magnas doloris et desiderii causas te habere cogitavimus. Miserabilior etiam hic interitus eo videtur, quod partus laboribus oppressa est. Itaque etsi coniugis tuae causa etiam dolemus, eam a te et a liberis avulsam esse, tamen vulnus tuum intuentes, singulari dolore adficimur. Cumque

1) Cod. Monac. 90. *naturalis.*
2) Cod. Monac. 90. addit *labore.*
3) Cod. Monac. 90. addit *maxime.*
4) „*necessario*" deest cod. Monac. 90.

absentes non possimus aliis officiis tibi mederi, decurrimus *) ad hoc remedium, quod omnium efficacissimum est, Dominum nostrum Iesum Christum, fontem et instauratorem vitae oramus, ut te Spiritu suo sancto consoletur, et servet incolumem Ecclesiae tuae domesticae et publicae. Oramus etiam, ut tibi liberos servet incolumes. Scimus autem te non solum nosse omnia, quae divinitus ad consolandam Ecclesiam tradita sunt, sed etiam vera fide amplecti. Cum igitur certissime statuas, nec nasci nec extingui nos casu, et tuam coniugem iam frui coelestis Ecclesiae consuetudine, in qua rursus eam complecteris, et cum ea de sapientia Dei colloqueris, cuius elementa a te didicit, habes moestitiae vera remedia. Vult Deus ut et doleamus, et ut desiderio nostrorum adficiamur; Sed vult simul, ut moderemur dolorem, et flectamus animos ad obedientiam ipsi debitam, praesertim cum laetissimos exitus Ecclesiae proposuerit. Meminimus quendam amicum **), qui mortuo filio, cum in magno dolore esset, forte in itinere, in recenti luctu incidit in Psalmi locum, *Ipse fecit nos, et non ipsi nos:* haec ipsa commonefactio de providentia ita penetravit in animum eius, ut diceret, fuisse in corde suo divinam quandam flammam subito accensam, cum hoc dictum legeret, ac postea mediocriter quievit. Nec vero dubitamus, quin tibi exercitia fidei talia et nota et usitata sint. Quare speramus, te intuentem in universam doctrinam coelestem, repugnare dolori: Et tecum et cum tuis liberis Deum oramus, ut tibi adsit, et te regat et servet incolumem. De aliis disputationibus nihil nunc scribendum esse duximus, et quidam inclementius nobiscum agunt, cum quidem iniuriam nostris Ecclesiis faciant, et non ignorent nos de rebus magnis certamina sustinere acerrima. Bene vale. Die 10. Iulii, Anno 1549.

---

No. 4558. 10. Iul.

## *Cph. Pannonio.*

Epist. lib. V. p. 328 sq.

*) Cod. Monac. 90. *devenimus.*

**) De se ipso loquitur Philippus, ut ex alia quadam epistola intelligitur.

### *Christophoro Pannonio.*

S. D. Charissime Christophore. Vidisti meas lachrymas ante aliquot annos. Et memini filiam meam miserrimam praedicare tuam erga se benevolentiam et fidem. Itaque non dubito, quin iam, cum aspiceres puellas ex ipsa natas *), multa de Matris miseriis et de meis doloribus cogitaveris. Ingenti dolore adficior, quod a me abstractae sunt. Ac non solum naturali στοργῇ et desiderio moveor, sed etiam ipsis puellis iudico, hanc nostram educationem futuram fuisse suaviorem. Sed commendo miseros orphanos Deo aeterno, Patri orphanorum. Tecum mihi semper erit amicitia sincera et fidei plena. Memini enim tuam erga meos benevolentiam, et de tuo ingenio semper praeclare sensi, scioque, te ea prudentia esse, ut non mireris, me de tua controversia nihil profecisse, cum lachrymae nostrae in mea caussa non proficerent. Bene vale, et rescribe. Die 10. Iulii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4559. 12. Iul. (h. a.?)

## *M. Delio.*

Epist. lib. II. p. 542. (ed. Lond. lib. II. ep. 567.).

### *D. Matthaeo Delio*

S. D. Charissime *Matthaee*, Reverendo pastori Ecclesiae nostrae et mihi, filius tuus *Iohannes* **) exhibuit literas tuas, in quibus nos de ipsius coniugio in consilium vis adhiberi. Etsi autem ea deliberatio in tempus incidit non satis tranquillum: tamen quia te videbamus non refragari filii voluntati, si modo puella honesta esset, scripsimus ad *Ambrosium*, cuius epistolam tibi mitto. Nunc diserte scribes filio tuam sententiam, quem quidem tibi commendo. Nam postquam ad literas rediit, mores graviter rexit, ac in studiis doctrinae plurimum profecit, quod eo possum affirmare, quia saepe eum audio. Quare nec repugnare te filii voluntati, nec deesse eius saluti optarim. Sum pater, et scio quas solicitudines nobis στοργαὶ

*) Videtur Sabinus, quum anno 1554. mense Martio iterum esset Francofordiae in Academia, filias suas ad se vocasse, igitur epistola anno 1554. scripta esse. Eas postea ad Melanthonem reduxit. Vid. d. 27. Iul. 1556.

**) De eo vid. epist. ad Pastores Hamburg. d. 19. Nov. 1547., quare putaverim hanc ep. scriptam esse a. 1549.

pariant, sed in rebus honestis aliquid concedendum est liberis, etiamsi interdum id fit cum aliquo nostro incommodo. Scriberem prolixius, nisi tua et virtus et prudentia mihi nota esset et probata. Deum oro, ut servet et te et tuas et Ecclesiam suam. Bene vale. Die 12. Iulii.

---

No. 4560. 13. Iul.

## *H. ab Einsiedel.*

Epist. ex autographo edita in *Kappii* Nachlese etc. I. p. 364. (Poposcerat *Henricus ab Einsiedel*, dominus arcis Gnanndstein in Misnia, iudicium Melanthonis, an liceat nobili subditos suos ad angariam adigere, et an recte puniatur rusticus quidam, *Gangolf Teurmeister*, qui viduam sub spe matrimonii ad concubitum allexerat, gravidamque fecerat.)

Dem Ehrenvesten und Gestrengen Herrn, Heinrich von Einsiedel, meinem günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Ehrenvester Gestrenger Herr. Ew. Ehrenvest sende ich mein Bedenken, und habe nicht Zweifel, es sey die Wahrheit gegründet in Gottes Wort von Bestätigung der weltlichen Regierung. Ich erbiet mich auch zu weiter Declaration, so es Ew. Ehr. begehren wird. Ich hab lang mit der Antwort verzogen, denn des Schreibens ist zumal viel; auch hab ich gemeint, es wären Sachen, die viel länger Antwort bedurfen. Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilands Jesu Christi, wolle Ew. Ehr. gnädiglich regieren und bewahren, auch E. Ehrenveste edle tugendsame Hausfrau und Tochter. Datum Witeberg am 13. Tag Julii [1549] *).

E. Ehrnvest

williger

Philippus Melanthon.

(*Iudicium.*)

Ich hab alle Verzeichniß, die mir Ew. E. zugesandt, mit Fleis durchlesen, belangend die Frohndienste, item der Ehrwürdigen Herren Doct. Martini Luthers und Herrn Georgii Spalatini Unterricht der Gewissen; item die Strafe des Teurmeisters.

Und erstlich von den Frohndiensten sprech ich auch, das beide Herren, D. Martinus Luther und Georgius Spalatinus recht und christlich geantwortet haben. Ich bitt auch, Ew. Ehr. wolle diesen Grund wohl merken, daß weltlich Regiment, Hoheit, Unterthan und Dienst in leiblichen Sachen Gott gefällig sind, der den Potestaten Macht gegeben hat, solche leibliche Ordnungen zu machen, ob sie schon ungleich sind; wie denn zu allen Zeiten von Anfang der Welt solche äußerliche Regiment ungleich gewesen sind; und jetzund ist große Ungleichheit in Deutschland, Frankreich, Polen, und ist eine Regierung linder denn die andre. Nun mag seyn, daß etliche etwas zu hart sind; etliche sind auch zu gelind: gleichwohl, so fern die Regiment vernünftig sind, und nicht öffentliche Tyrannei wider klare Vernunft, das ist wider klare Gottes Gebot ist, so läßt ihm Gott die Regiment wohl gefallen, denn diese Welt muß im Zaum gehalten werden. Und sind der geringen Leute Dienste und Last viel gelinder in der Wahrheit, denn der regierenden Personen, die treulich in Kriegen, Räthen und Aemtern arbeiten wollen. Das ist gewißlich wahr. Und ist öffentlich, daß die Strafen der Laster viel zu gelind sind. Darum läßt Gott die andern Beschwerungen an Diensten und Schatzungen schärfen, daß dennoch der Pofel [Pöbel] im Zaum gehalten werde, so viel eher wird gehalten, daß die Welt nicht ganz zerstreuet wird. Und ist sehr schön geredet im Spruch Sirach 33., welchen auch Herr Georgius Spalatinus allegiret, wie dem Esel sein Futter, Last und Ruthe gehört, also gehört dem Knecht sein Brod, Arbeit und Strafe. Es müssen solche äußerliche leibliche Dienste seyn; die können auch nicht an allen Orten gleich seyn, und ist dennoch Gott solche Ordnung gewißlich gefällig.

Zum andern, so ist auch Gottes ernster Befehl, daß man gemeine Landordnung in leiblichen Diensten halten soll, und nicht Veränderung darin machen, die bei den Nachbarn Unfrieden erregen mögen.

Zum dritten, aus diesen Gründen ist auch mein Unterricht gleichwie der gedachten Herren, Doctoris Martini und Spalatini, daß Ew. Ehr. keine Veränderung in den alten Frohndiensten machen soll, und soll das Gewissen allezeit fest stehen. Solch Regiment in leiblichen Diensten sind Gott gefällig, ob sie schon ungleich sind, und ob sie schon etwas zu hart sind, und wollen Ew. Ehr. den Spruch Pauli wohl merken, Röm. 13., daß weltliche Regiment Gottes Ordnungen sind.

Auch hab ich die Verzeichniß gelesen, und finde, daß diese Dienste viel leiblicher sind, denn sonst an vielen

*) Annum uncis inclusi, quia additus videtur ex arbitrio Kappii. Nam ex epist. ad Einsiedelium d. 15. Martii 1548. intelligitur, hanc epistolam anno 1548. scriptam esse, si videlicet utraque epistola ad eandem, nec ad aliam rem spectat. Quod quum doceri non possit, nolui tamen epist. ad annum 1548. referre, sed hic eam inserui.

Orten, und ist wohl zu wünschen, daß Gott Gnade gebe, daß es in künftig bei solcher Maaß bleibe.

Zum vierten, daß sich auch Ew. Ehr. betrübet mit diesem Argument: was wider Gewissen ist sey unrecht; nun habe Ew. Ehr. davon Beschwerung im Gewissen. Darauf soll E. E. dieser Anfechtung also antworten: daß man das irrige Gewissen, mit rechten, gegründeten, beständigen Unterricht ändern soll, und soll dem rechten Gewissen folgen. Nun ist dieses Gewissen irrig, daß solche Landordnung unrecht und wider Gott sind, sondern der Spruch Pauli streitet dagegen, daß Regiment Gottes Ordnung sind. Nun können Regiment nicht seyn ohne mancherlei Dienste etc. Diesen Spruch wollen E. E. wider die Anfechtung halten. Josephs Regiment in Aegypto ist viel härter gewesen, wie auch jetzund in Frankreich und Italia viel schwerer und großer Last sind, die dennoch nicht unrecht sind. Es können und sollen solche Ordnungen nicht gleich seyn. Das sey von den Diensten genug, und so E. E. mehr Unterricht davon haben will, will ich weiter davon schreiben, wiewohl ich nicht anders kann schreiben, denn wie jetzund der Grund angezeigt. Bitt auch, E. E. wolle sich zufrieden geben; denn es ist gewißlich Gottes Wort und göttliche Wahrheit, daß ihm Gott will solche Landordnungen gefallen lassen, die vernunftig sind, ob sie schon ungleich sind, und in einem Lande härter denn im andern, als [zum] Exempel: im Regiment Moisi hat man die Diebe nicht getödtet, sondern haben vierfältige Bezahlung gethan; in unsern Landen und Regimenten werden sie getödtet. Dieses Gesetz an ihm selbst läßt ihm Gott gefallen; denn er hat den Potestaten diese Gewalt gegeben, solche Ordnungen zu machen und zu schärfen. Dieweil denn unser Volk freveler ist, und sonst wenig Zucht hat, ist diese harte Ordnung unsern Leuten zum Frieden bequemer.

Vom Teurmeister soll E. E. keinen Zweifel haben, er habe diese Strafe wohl verdienet. Ich weiß wohl, daß die Juristen disputiren von solchem Fall, so ledige Person mit ledigen unzüchtigen Person Unzucht treiben, daß es der Richter nicht strafen soll. Davon wäre mehr zu reden. Aber dieser Bauer hat auch die Sacrament verachtet, und eine jede Obrigkeit thut recht daran, so sie solche Verächter von sich wegweiset. Dieses ist die rechte Executio der wahrhaftigen Excommunication, davon ich E. E. mehr schreiben will, so es in eine Disputation kommen wollte.

Phil. Melanthon.

No. 4561. 13. Iul.

## G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 404 sqq.

*Georgio Fabricio, gubernanti Scholam Misnensem.*

Doctissime et charissime Georgi. Etsi habebam exempla tuae precationis ad Spiritum Sanctum, quam quidem ego et alii his diebus saepe legimus, tamen tibi gratias ago, non solum de pagella missa, sed etiam quod elegantissimam ingenii venam confers ad ornandam Ecclesiam. Et iustissimum est, celebrari autorem venae, Spiritum Sanctum. Vere enim dicta sunt illa, quae tibi notissima sunt:

*Impetus hic sacrae semina mentis habet.*

Donec Deus concedit haec studia, colamus; quibus haec aetas Saturni et Martis veneno mixta admodum dura est.

*Cracoviana* Academia tota dissipata est, quia, cum quidam adolescentes scorto Episcopi convitia dixissent, missi ex cohorte Caiphae milites trucidarunt aliquot scholasticos. Postea horum concursu tumultus atrocior secutus est, in qua et aliqui ex illo Caiphae satellitio interfecti sunt. Sedato tumultu ea nocte utcunque postridie scholastici urbe egredi iussi sunt. Profecto nisi divinitus regantur et custodiantur hominum coetus, Diabolus facit horrendas dissipationes. Itaque Filium Dei, Custodem Ecclesiae suae, oremus, ut umbra suae dextrae nostros coetus protegat. Adolescentes tui auditores *Marcello* commendati sunt. Bene vale. 3. Idus Iul.

---

No. 4562. 13. Iul.

## Georgio Princ. Anhaltino.

Epist. lib. II. p. 218. (ed. Lond. lib. II. ep. 211.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Meam opinionem de negotio matrimoniali mitto, quam non volo ita accipi, tanquam necesse sit eam sequi. Sed si alia opinio videbitur verior et aequitati propior, anteferatur. Nec scio, quid

antea C. V. pronunciarit. Utinam poenae stuprorum et adulteriorum crebriores essent. Sed Deus calamitatibus publicis nostram negligentiam punit. *Sidonius* si venerit, magna erit dissipatio. Si C. V. praecipietur ne concionetur, et ne ritus illorum impediat, credo posse in alio templo retineri pios ritus et conciones. Sed haec Deo commendo, meque ad exilia et supplicia praeparo. Servivimus harum regionum Ecclesiis inter magnas difficultates, donec Deus concessit. Nec moveor *Ambsdorfianis* calumniis, quibus respondebimus graviter. *Cracoviae* Academia dissipata est, quia scholastici iussi sunt egredi urbe. Nam cum convicia dixissent scorto Episcopi, rixa orta est, in qua cum satellites Episcopi aliquot scholasticos interfecissent, mox aliqui ex illa Episcopi cohorte etiam trucidati sunt. Ita Diabolus facit dissipationes. Oremus autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiae suae, ut colligat sibi inter nos, et servet, et regat pios coetus. Bene valeat C. V. 8. Idus Iulii.

---

No. 4563. 13. Iul.

## *Esr. Rudingero.*

Edita in *Strobelii* Neuen Beiträg. P. II. p. 12 sqq. (Dans.)

*Esromo Rudingero*

S. D. *Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ.* Id cum servant insecta illa minuta, quae nec causas, nec Deum consociantem naturas norunt, quanto magis nos, quibus et ratio causas monstrat, et vox divina toties praecipit curam tuendae coniunctionis, praestare oportuit, ne naturae et religionum foedera laceremus. Sed vides, quales sint furores in multis, qui tamen perhiberi volunt *μυσταγωγοί* coelestis doctrinae, nec audiunt vocem illam, *qui in dilectione manet, in Deo manet.* Nos vero amicitiam nostram tueamur et foveamus quibus possumus officiis. Et aliquorum nostri ordinis virorum coniunctio speciem Ecclesiae efficit honestiorem.

Expetit autem amicitiam tuam hic noster amicus D. *Nicolaus*, Cygnei Senatus *σύνδικος*, qui de schola urbis Cygneae cum Domino *Ioachimo* deliberaturus est. Sed cum iter in patriam ingressum esse audivissemus, ac in sermonibus de virtute soceri *) mentio tui facta esset, petivit, ut aditum ei ad te patefacerem meis literis. Quaeso igitur ut eum amanter excipias. Audies recitantem historiam de *Cracoviensi* schola memorabilem. Cum *Laterensi* optarem me colloqui posse, et nisi multa me impedimenta domi detinuissent *λιθίασις* et scriptiones quaedam, multo ante ad vos excurrissem. Nunc expecto aulicas litteras, quas cum accepero, ad vos expatiabar. Bene vale, carissime Esrome, 8. Idus Iulii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4564. 13. Iul.

## *M. Collino.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Matthaeo Collino in Academia Pragensi.*

S. D. Et habeo tibi gratiam quod saepe amanter ad nos scribis, et donec potero tecum colloquar. Nam in his tristissimis dissipationibus species tamen honestior Ecclesiae manet, si multi nostri ordinis homines consensum et amicitiam tueri studebunt, quod certe faciam. Quidam veteres amici nostri nobis in hac nostra servitute duriores sunt quam decet, qui lenire nostras miserias debebant. Sed haec omitto. Arbitror de Academiae studiis scribi a *Martino.* Vox doctrinae eadem est quam audivisti, nec ulla mutatio facta est. Deus gubernet nos et faciat nos *σκεύη ἐλέους.* Pagellas tibi mitto, et ut rescribas amanter peto. Bene vale, 8. Idus Iulii 1549. Collegis tuis amicis nostris salutem opto.

---

No. 4565. 14. Iul.

## *Christiano Regi Dan.*

Schumacher's Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II. p. 23.

(*Christiano III., Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer,

---

*) Camerarii, cuius filiam habebat Esromus Rüdinger in matrimonio. Intelligitur ex h. l. Rudingerum tum adhuc versatum esse in Academia Lipsiensi.

zuvor. Großmächtiger, durchleuchtigster, gnädigster König und Herr. Was wir auf Dato dieser Schrift von fürnehmen Zeitungen gehabt, habe ich auf beigelegtem Zettel verzeichnet, und so Röm. K. M. den Zug auf Noriberg nimmt, ist wohl zu achten, wir werden in diesen Landen viel andere Zeitungen haben. Der Sohn Gottes, Jesus Christus, der ihm eine ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht sammlet, erhält und bewahret, wolle das große Elend in Teutschland gnädiglich lindern und abwenden, wolle auch E. Königl. Majestät und ihr Königreich gnädiglich bewahren, seiner armen Kirchen zu Trost. Die Studia christlicher Lehr und anderer löblichen Künsten stehen in diesen Universitäten durch Gottes Gnad noch wohl und löblich. So aber Zerstreuungen geschehen würden, ist große Blindheit zu besorgen, wie zu Suaben und am Rheinstrom Universitäten und kleine Schulen schier ganz verwüstet. Damit nu christliche Lehr und andere nöthige Künsten zu Gottes Lobe und den Nachkommen zu Gut erhalten werden, bitt ich in Unterthänigkeit, E. K. M. wolle ihr die Studia als ein hochlöblicher christlicher König, gnädiglich lassen befohlen seyn; denn dieses Werk, nützliche Lehr zu fürdern, ist allezeit der hohen löblichen König fürnehmsten Werk eines gewesen. Der allmächtige Gott wolle E. K. M. und die junge Herrschaft und E. K. M. Königreich allezeit gnädiglich bewahren. Dat. Witeberg 14. Jul. 1549.

E. K. M.
unterthänigster Diener
Philippus Melanthon.

(Pagella huic epistolae inclusa:)

Wegen des Interims sind zu Suaben und Rheinstrom so viel Priester und christlicher Prediger verjaget, daß nu etlich tausend Kirchen ganz wüst stehen, ohne Prediger, ohne christliche Versammlungen und ohne Sacrament, auch an viel Orten ohne Tauff, und wird eine heidnische Barbarei. Gott wolle solch groß Elend gnädiglich umb seiner Ehr willen wenden.

Aber durch Gottes Gnad ist in Kirchen dieser Land, Meißen, Thüringen, Sachsen, noch keine Veränderung in der Lehr oder Ceremonien geschehen.

Und obwohl von Gleichheit mittler Ceremonien Unterrede gewesen, so ist doch nichts beschlossen und ist nichts christlicher, reiner Lehr entgegen geordnet.

Meideburg hat neulich aus Tangermünd viel Kühe und Schwein weggeführt.

Bucerus ist in Anglia, und arbeitet der Bischoff zu Straßburg heftig, daß die andern Prädicanten aus Straßburg auch sollen verjagt werden. Es ist aber in den Kirchen zu Straßburg noch keine Veränderung bis anher geschehen.

Die Studenten in der Universität zu Cracow sind alle zugleich mit einander aus der Stadt gezogen, und hat sich solches also zugetragen. Man hat dem Bischoff zu Cracow ein unzüchtig Weib zugeführt, die etlich Studenten, die auf der Gassen gestanden sind, angeschryen haben. Da sind hernach des Bischoffs Diener kommen, und haben die Studenten überfallen und etlich erstochen. Der Studenten Hauf ist aber größer worden und hat wiederum etlich Bischoffs-Knecht erstochen, bis hernach der Lärme gestillet worden. Morgens hat man den Studenten allen Weg geboten: da haben [sie] eines Edelmanns todten Leib, der ein Student und ihres Theils gewesen, an das Rathhaus getragen, und dabei Zeter geschryen, sind also weggezogen. Solches Spiel richtet der Teufel durch unzüchtige Bischöffe an.

Es sind Reden, Röm. K. M. ziehe wiederum herauf in Hoch-Teutschland gen Noriberg. Was daraus werden will, ist große Sorgfältigkeit.

Unser Heiland, der Sohn Gottes, Jesus Christus, wolle uns gnädiglich regieren und ihm ein christlich Häuflein erhalten, das ihn recht anruff zu seinem Lobe und vieler Menschen Seligkeit. 14. Jul. Anno 1549.

---

No. 4566. 22. Iul.

## Ioachimo Princ. Anhalt.

*Becmanni* Accession. hist. Anhalt. p. 119.

### An Fürst Joachim zu Anhalt.

Gottes Gnade durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum unsern Heyland und wahrhaftigen Helffer zuvor, Durchleuchter Hochgebohrner Gnädiger Fürst und Herr, E. F. G. bitte ich in Unterthänigkeit, diese meine Schrifft gnädiglich anzunehmen, wie ich hoff; denn E. F. G. solcher Fürstlicher und Christlicher Tugend sind, daß sie mit dem großen Elend der Priester und Kirchen, das jetzund leider vor Augen, ein besonder Mitleiden haben. Nu ist auch wahr, einer kann sich zu das Elend besser schicken, denn der ander; gleichwohl ist mit den Schwachen und Alten sonderlich Mitleiden zu haben. Darum bitt ich in Unterthänigkeit, E. F. G. wollen gnädiglich den würdigen Ern Egidium, der zu Dessa Pastor gewesen, hören. Er bericht mich, daß er derhalben, daß er den Hertzogen zur Lignitz unterthäniglich und Christlich vermahnet, auch zur Predig

und christlichen Versammlungen zu kommen, bestrickt sey worden, und sey ihm hernach geboten, weg zu ziehen, müßt also im Elend umziehen ohne billige Ursach, und weiß nach Gott keine Zuflucht denn zu E. F. G., bitt derhalben untertheniglich, E. F. G. wollen sich gnädiglich gegen ihm erzeigen, und so es möglich ihm wiederum die Kirche zu Dessa befehlen, da er mit Gottes Gnaden treulich und in Christlicher Gedult und Sittigkeit dienen wöllt. E. F. G. als ein löblicher Fürst mit hohen Verstand begabet, wissen, daß zu solchen Zeiten viel Irregularia fürfallen, darinnen man doch so viel möglich, einer dem andern das Elend lindern soll, darum bitt ich, E. F. G. wollen sich gnädiglich erzeigen, mir auch diese meine Schrifft gnädiglich zu gut halten. Der allmächtig Gott wolle E. F. G. auch allezeit gnädiglich trosten, regiren und bewaren. Datum Witteberg uff den Tag Magdalenae, 1549.

E. F. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

---

No. 4567. 22. Iul.

## *A. Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 129.

*Antonio Lauterbach, Pastori Eccles. Pirnensis.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Etsi et morbis et aliis aerumnis multis excruciamur, tamen hac nos consolatione sustentemus, quod et curae Deo esse Ecclesiam suam scimus, et quod membra sumus nos quoque verae Dei Ecclesiae, infirma quidem, sed tamen membra. Itaque gestat nos quoque Deus, ut apud Esaiam scriptum est: *ego gestabo vos, etiam in senecta.* Me quoque atrociter excruciavit calculus hac aestate. Tibi prodesse expationes arbitror. Ideo optarim, te aliquando huc ad Magistrum *Georgium Rorarium*, et ad alios amicos colloquii causa venire. Adolescentes quos mihi commendasti, erunt mihi curae. Mitto tibi pagellas recentes, brevi missurus scripta uberiora. Nostri vicini in urbe Parthenope non faciunt pie, quod Ecclesias nostras deformant. Utinam sua libertate melius uterentur! Sed Deus liberabit nos etiam ab his calumniis. Bene vale. Die Magdalenae.

P. M.

---

No. 4568. 26. Iul.

## *Georgio Princ. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 216. (ed. Lond. lib. II. ep. 209.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Non dubito C. V. habere de Repub. certiores narrationes ac recentiores, quam nos nunc quidem habemus. Aiunt in *Belgico* Imperatorem cum filio civitates ordine adire, ac petere iusiurandum usitatum *). Ac nuper *Lovaniensis* civitas iusiurandum dedit, ac Principem haeredem excepit magnifico apparatu. *Moguntinus* Episcopus iterum mittit edicta in ea loca, quae ad suam Dioecesin pertinere iudicat, et imperat mutationem rituum, et doctrinae. Et offert impias dispensationes, sed aperte distrahit coniugia. Pugnat igitur cum ipso libro *Augustano*. Quid conentur, videt C. V. Me vocant Duces, *Megalburgus* in Academiam *Rostochianam*. Bene et feliciter valeat C. V. Postridie Iacobi.

---

No. 4569. 30. Iul.

## *Cph. Pannonio.*

Epist. lib. V. p. 323 sq.

*Christophoro Pannonio (in Acad. Francf.)*

S. D. Doctissime et charissime Christophore. Post tuum iter quaedam mihi in mentem venerunt ad eam deliberatioem accommodata, quam meministi. *Posnanienses* lectorem, qui iuventutem ad latinam et graecam linguam adfuefaciat, quaerere intellexi. Id negocium, cum non procul absis, explorare poteris. Si Deus volet has vicinas Academias non dissipari, non deerunt tibi *Ioachimi*, et mea et aliorum quorundam officia. Sed vides, quanto nunc in periculo simus, quod quidem totum Deo commendo. Scio, non tantum humanis consiliis hanc vitam regi. Ac saepe illam Platonis sententiam cogito, in qua illum virum beatum esse adfirmat, cui non ex aliis spes pendeat, sed cui εἰς ἑαυτὸν πάντα ἀνήρτηται. Laudo, quod vult non pendere nobis spes ex aliis. Sed illud non

---

*) Vid. Sleid. Comment. p. 664.

satis est, pendere nos ex nobis, sed necesse est, nos vere statuere, curae nos esse Deo. Haec tibi nota sunt. Bene et feliciter vale, et rescribe. Die 30. Iulii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4570. 1. Aug.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 558 sq.

*Mich. Meienburgio, consuli Northusano.*

S. D. Etsi facile potest responderi *Moguntino* *), et sine offensione Imperatoris: tamen bene deliberetur responsio, nec properetur in mittenda responsione. Petit *Moguntinus* tres aut plures Articulos, quorum aliqui expresse contrarii sunt libro Interim. Distrahit coniugia sacerdotum, quae vult tolerari liber Interim. Petit abiurationem doctrinae purioris, contra mentem libri Interim. Et quis scit, quales Articulos in abiuratione propósituri sint. Propter has absurditates, meo iudicio, facile potest graviter responderi. Composui formam, in qua Narratio vel omitti vel mutari potest, sed fundamentum recusationis, videlicet quod Moguntinus petit contraria libro Interim, existimo, ingenue scribi posse. Nec opinor, offendi Imperatorem, si monstretur haec contradictio.

Scitis, iam reversum esse Magistrum *Erasmum Benedictum*, qui de filio expectat vestra mandata, vel adventum vestrum.

Quid Conventus Regis *Ferdinandi*, Ducis Saxoniae, *Marchionis* Electoris, et Marchionis *Alberti* pariturus sit, tempus ostendet. Ego me hac una consolatione sustento, quod scio, Deum verae Ecclesiae reliquias etiam inter tumultus imperiorum servaturum esse. Et iudico, verae Ecclesiae membra esse, multas pias familias in multis locis, et pias scholas recte docentes: Nec curo clamores furiosorum hominum, qui de doctrina parum dicunt, et contendunt de libertate. Si me perpulerint ad respondendum, dicam, qualis fuerit et sit negligentia in doctrina illorum clamatorum. Sed de his coram. Bene valete. Die prima Augusti.

Filii studia et mores adhuc quidem probo: Deus servet et regat vos et vestros.

Philippus.

*) Michael Sidonius, Moguntini vicarius episcopus, qui ob navatam operam in probando libro Interim consecutus est a Caesare episcopatum Merseburgensem. Vid. Sleidani Comment. p. 638 sq.

---

No. 4571. 4. Aug.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 144 sq. Repetita in Mel. Cons. lat. P. II. p. 94.

*Georgio Buchholzero.*

S. D. Venerande vir, et amice charissime. Saepe cogitavi hoc aliquando futurum esse, quod nunc accidit, ut principes politica sapientia hoc modo tollerent controversias, ut parva quaedam condonarent vel temporibus, vel populi adfectibus: maiora vero involverent ambiguis involucris, et retinerent praecipuos errorum nervos. Et similia saepe in Ecclesia acciderunt. Etsi autem et ipse moderationem amo, et propter moderatiores sententias ab illo ipso vestro reformatore saepe colaphos accepi: tamen manifestas corruptelas et saevitiam, quae in homines pios exercetur, non adprobabo. *Brentius* exulat: et si non fugisset in tempore, captus esset: vir etiam de pace publica bene meritus. Exulant *Nopus*, *Musculus*, et alii, qui non fuerunt infecti malis opinionibus. Tam multi sunt pii et docti viri passim in Germania, qui *Lutheri* sententiam studiose didicerunt de iusticia fidei. Hi audiantur, an idem senserit *Lutherus*, quod Liber inquit: Etiam veram fidem esse sine dilectione, etc. Scio quibus cavillationibus haec excusentur: sed mihi nec nunc placet, nec antea placuit, ulla ambigua et sophistica populo proponi.

In nostra Ecclesia et schola, Dei beneficio adhuc sonat eadem vox Evangelii, quam saepe audivisti. Si discedendum erit, dabit nobis Deus alicubi hospitia. Nihil seditiose, nihil immoderate faciam: magna cura, et non sine periculo quaesivi veram explicationem, et propriam, ut scit ipse illustrissimus princeps *Marchio:* et multas horrendas opiniones lenii, et saepe cum multis doctis amanter disputavi: optavi et cum pluribus amanter disputare. Et iam ea aetas mea est, ut statuere debeam quid sentiendum sit. Nec dubitarem ipsi principi reddere omnium mearum

sententiarum rationem: ac Deo iuvante, hanc veram et propriam doctrinae formam, quam in Ecclesiis nostris docti omnes iudicant esse Prophetarum et Apostolorum sententiam, semper sonabo, et mecum ubicunque ero circumferam, et ad aeternam Christi et Prophetarum et Apostolorum consuetudinem afferam. Bene vale.

Pagellas mitto, missurus plures per proximum tabellarium. Officia amicitiae et aliis fideliter praestiti, et tibi praestabo, donec potero. Bene vale, die 4. Augusti.

---

No. 4572. 12. Aug.

### Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 620 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 762.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Etsi coram nos colloqui necesse est, tamen huic Argentoratensi, ingenioso adolescenti, et cuius naturae inest philosophia, ut utar illis veteribus verbis, quae tibi notissima sunt, dedi hanc brevem epistolam. Scripsi quaedam *περὶ τῆς ἀρχιερατικῆς συνόδου*, quae Principi *Georgio* exhibui, postea huc reversus accepi litteras a *Staphylo*, qui scribit se et *Osiandrum* coram principe familiariter disputasse *περὶ δικαιοσύνης*, et de Pauli sententia. Tollit omnino imputationem ille novus hospes gentis Hyperboreae, protulit *Staphylus* pagellam *Lutheri*, in qua respondet quaestionibus a me diserte ipsi propositis ante annos quindecim, lecta ea Princeps acquievit et valde laetatus est. Alter confugit ad hoc cresphygeton: Non esse autographon *Lutheri*. Nunc ille a me petit autographon. Sed haec et alia coram.

Adolescenti Argentoratensi dabis litteras ad Doctorem *Sebaldum*, Ego *Gerbelio* et *Hedioni* et aliis quibusdam, etiam adolescentum caussa scripsi. Bene et feliciter vale. Deus tuam Ecclesiam domesticam et publicam servet et regat. Pridie Idus Augusti. Phil. Melanth.

---

No. 4573. 13. Aug.

### P. Lotichio.

Edita in Pet. Lotichii Abbat. Solitar. opusculis (Marb. 1640. 8.) p. 107 sq. (Danz.).

*Ad Petrum Lotichium, Abbatem Ecclesiae Solitariensis* (Schlüchtern).

S. D. Reverende Domine! Nomen Ecclesiae tuae nunc universae Ecclesiae congruit. Nunc enim videmus coetum amantem veritatis, quam alias *), solitarium esse, hoc est, sine humanis praesidiis. Sed teneamus eas consolationes, quas Deus toties Ecclesiae tradidit: *Ego gestabo*, inquit, *ego feram vos in senecta;* qua descriptione significat, maiorem fore imbecillitatem senio confectae Ecclesiae, et tamen se nobis adfuturum esse, ut non dubito. *Petrus* tuus magno ornamento est Academiae nostrae, ut edita ab ipso Carmina ostendunt. Ac libenter nos ipsum ornabimus. Adolescentem *Gelnhusensem* praedicat mihi *Petrus*, et ego studia eius inspiciam. Mitto tibi libellum historicum, cuius lectionem spero tibi non ingratam fore. Bene et feliciter vale. Die XIII. Aug.

---

No. 4574. (h. fere t.)

### (Theologis in Acad.)

Scripta publ. T. I. p. 273.

*Philippus Melanthon.*

In Ecclesia Brandeburgensi **) desiderantur Sacerdotes, qui publice doceant et administrent sacramenta. Etsi autem propter luem ibi grassantem consentaneum est, periculo deterreri etiam bonos viros, ne ibi servire velint: tamen publice significandum duximus, nos rogatos esse, ut si qui invenirentur tali robore animi, ut non recusarent eo proficisci, literas ei ad Senatum daremus. Et speramus, tales aliquos esse, qui necessitatem Ecclesiae anteferent suo periculo.

Si quis igitur proficisci volet, petat a Rev. D. Pastore Ecclesiae nostrae et a me literas, ut Senatui nostrum testimonium adferat. (1549.)

---

No. 4575. 17. Aug.

### Christiano Regi Dan.

Schumacher's Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II. p. 26. ep. 8.

---

*) Videtur hic aliquid excidisse, vel aliter ut editum est, scritum fuisse.

**) i. e. in oppido Brandenburg.

(*Christiano III.*, *Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor. Großmächtiger, Durchleuchtister, gnädigster König und Herr. Ewr. Königlich Majestet wird ohne Zweifel gewissen Bericht vernehmen von des durchleuchtigen, hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn *Augusti* Herzogen zu Sachsen etc. m. g. H. Secretario, der E. K. M. mit Wahrheit anzeigen kann, daß durch Gottes Gnad rechte Lehr und christliche Ceremonien in Kirchen dieser Land noch unverändert sind, und wäre etlichen unseren Nachbarn nicht vonnöthen, Lästerschriften auszustreuen zu unser Beschwerung [1]), die wir nicht kleine [2]) Arbeit tragen zu Pflanzung rechter Lehr und löblicher Künsten.

In Ostreich zu Wien ist neulich einer gefangen, der im Umtragen am Fest corporis Christi, wie mans nennt, kein Reverenz erzeiget; zu Paris einer aufgehengt und verbrennt unten auf, darum daß er einen hölzernen Götzen in der Kirchen vom Altar geworfen, dazu die Leut zugeloffen und bei denselbigen Götzen Hülf gesucht. Auch hat der Bischoff zu Mentz an etliche Städt geschrieben, daß sie die Priester zwingen sollen ihre eheliche Hausfrauen von sich zu thun; darnach wolle er mit den Priestern und Bürgern also procediren, sie annehmen nach Verschwörung dieser Lehr, die in unsern Kirchen geprediget wird. Also bleiben die Bischoff selb mehr [3]) bei dem Interim.

E. K. M. bitt ich in Unterthänigkeit, sie wolle ihr D. Georgen Maiors Sohn gnädigst lassen befohlen seyn. Der Kerl hat ein gut ingenium und ein guten Verstand, wie E. K. M. selb merken werden. So ist der Vater ein gottforchtiger, christlicher, wohlgelahrter Mann, der nützlich dienet. Der allmächtig, gnädig Gott wolle E. K. M. und die junge Herrschaft gnädiglich bewahren. Dat. Witeberg 17. Augusti 1549.

E. K. M.

unterthänigster Diener

Philippus Melanthon.

---

**No. 4576.** **18. Aug.**

## *A. Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 133.

*Antonio Lauterbach*, *Pastori Ecclesiae in opp. Pirna.*

S. D. Reverende vir et carissime frater. In historia Iacob vides imaginem Ecclesiae. Non solum externos hostes habet, sed etiam domesticis aerumnis excruciatur. Frater est inimicus; filii insidiantur vitae Ioseph; coniux polluitur incesta consuetudine; bellum oritur propter raptam filiam. Cum igitur Ecclesiam semper et externi hostes oppugnent, et impii cives dilacerare studeant, pii sint coniunctiores et praeparent animos ad ferendas aerumnas et lenire studeant communes miserias. Audio mutari istic res, quae scholae profuerunt, et causas graves esse intelligo, quae tibi dolorem haud dubie magnum adferunt. Sed nunc optarim praefici scholae virum modestum, qui et Senatui probaretur, et te diligeret, ut tranquillior esset Ecclesia. Talis est Magister *Christophorus Finck* *). Ideo ad Senatum scripsi, teque oro, ut tua auctoritate meum consilium adiuves. Proderit *Christophorus* studiis adolescentiae, et Ecclesiae ac civitatis tranquillitatem tueri studebit. Bene vale, die 18. Augusti.

P. M.

---

**No. 4577.** **19. Aug.**

## *H. Schuollio.*

Manl. farrag. p. 115 sq. Repetita in Mel. Cons. lat. P. II. p. 95.

*Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Hieronymo Schellio* [*sive Schuuollio*], *docenti Evangelium fideliter* [*in urbe Berolinensi*], *amico suo charissimo.*

Venerande vir, et amice charissime: Video viros sapientes statum, ut vocant, Ecclesiae constituere velle, quem iudicant esse imperiis suis accomodatum: et aliquorum voluntatem existimo non malam esse: et multi clamitant pacem anteferendam esse nostris disputationibus. Sed cum manifestum sit, quasdam doctrinae partes corrumpi, quasdam obscurari: ego meam conscientiam comprobatione libri onerare nolo. Constituant alii imperia et Ecclesiam, ut volunt, et ut poterunt: Regnum

---

1) Loquitur de Magdeburgensibus, Amsdorfio, Flacio etc.

2) Schumach. edidit mit theine, mendose; est: nit kleine.

3) Sine dubio excidit nicht ante mehr. Cf. ep. ad Meienburgium d. 1. Aug.

*) Vid. de eo ep. ad Mauritium Elect. d. 25. Mart. 1549.

meum, sit Christus, non est de hoc mundo. Sed si vivo, dicam moderate quod sentio, ubicunque ero: si vobis conceditur sine approbatione expressa libri, docere Evangelium, sicut hactenus: et non postulatur, ut ritum Coenae domini mutetis, non onerantur vestrae conscientiae, etiamsi alii librum approbant. Nec opinor illustrissimum principem conscientiis vestris hoc onus imponere, ut etiam libri defensores sitis, quem quidam dicunt etiam non intelligi a vobis. Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut vos regat, et servet Ecclesiae reliquias. Bene valete. Die 19. Augusti.

---

No. 4578. 25. Aug.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 538 sq.

*Mich. Meienburgio.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Etsi tempora saeva sunt, ut Paulus nominat, et impediunt educationem et studia multorum pauperum: tamen Deus dat aliquos, qui opem ferunt aliquibus discentibus, et non prorsus negligunt studiosos. Horum pietas Deo grata est et utilis posteritati. Erit igitur et vestra liberalitas in hoc genere Deo grata, et conducet ad conservationem literarum.

*Cinglarius* dulce et eruditum carmen edidit de Iubilaeo, quod vobis inscripsit. Oro propter communem literarum dignitatem, ut eum amanter complectamini. Principes talia ingenia eligere et fovere debebant. Sed haec turbulenta et delira senectus mundi, nec doctrinae nec virtutis studia curat. Sed Deus ea non prorsus extingui sinet. Bene et feliciter valete. Die Augusti 25.

Philippus.

---

No. 4579. 30. Aug.

## B. Zieglero.

† Ex apogr. in cod. Goth. 28. p. 148

*D. Bernardo Ziglero, doctori theologiae in Academia Lipsiensi, amico suo.*

O ferream aetatem et piis praecipue duram! Multi enim Deum vere colentes vagantur extorres, quibus, ut inquit epistola ad Hebraeos, mundus non est dignus. Talis est et hic bonus senex, qui cum sit natus in familia nobili, et coniugem habeat honestissimam et parvos liberos, tamen propter Evangelii studium deiectus est quadam sua functione, ex qua victum habuit. Nunc igitur extrema inopia conflictatur. Cum autem doctrinam Evangelii recte teneat et docere possit, optarim ei aliquam Ecclesiam commendari. Ego, si mediocrem locum resciero, rationem eius habere decrevi. Tu et D. *Pfeffingerus*, ut idem faciatis, propter Deum vos oro, et obtestor. Adficiamur miseriis piorum, ut toties concionatur nobis vox divina, ut Deus etiam nostras miserias leniat. Bene et feliciter vale. Pridie Cal. Septembris.

Philippus Melanthon.

---

No. 4580. (fere m. Aug.)

## Er. Sarcerio.

† E cod. Goth. 401. p. 231.

*Erasmo Sarcerio*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Inspexi conciones tuas plenas eruditionis et pietatis, earumque lectionem iudico bonis mentibus utilem esse, et ero hortator typographis, ut edant*). Si bonis scriptis confirmabimus Ecclesiarum voluntates, plus proficeremus, quam si inter nos ipsi tanquam caducei fratres dimicabimus. Simus in omnibus necessariis firmi, nec deseramus Ecclesias propter servitutem, quae tamen sit sine impietate. Aliquando post sol verus, filius Dei, depellet tempestatem, quae iam turbat Ecclesias, quem oremus, ut nos regat et servet Ecclesiae suae reliquias. Mitto tibi pagellas, quarum lectionem tibi non insuavem fore arbitror. Bene Vale.

---

*) Nescio, an ea, quae Melanthon d. 1. Septb. de „praefatione Sarceria" scripsit ad Sarcerii conciones referenda sint, nec ne. Quod si sunt, haec ep. fere mense Aug. scripta est.

No. 4581. (m. Aug.)

## G. Fabricio.

† Ex apogr. in codice Zittaviensi ep. 14.

*Georgio Fabricio* (*gubern. schol. Misnens.*)

S. D. Fero equidem mediocri aequabilitate animi colaphos, quos a vicinis accipimus; *οὐ γάρ τι πληγέων ἀδαήμων οὐδὲ βολάων*[1]), ut Ulysses inquit: sed tamen Ecclesiarum causa doleo. Nostrae falsa criminatione deformantur et fiunt dilacerationes maiores, et semina novorum dissidiorum spargunt isti sycophantae. Itaque delibero de apologia. Saepe tamen mihi in mentem veniunt multorum gubernatorum consilia, qui magnas iniurias diu dissimularunt, ne maiora incendia excitarent. Pericles tantus orator, et quidem natura *φιλόνεικος*, non solum conviciatoribus nihil respondit, sed etiam ad populi maledicta et comoedias surdus fuit. Verum haec coram brevi. Tuo autem iudicio pleno candoris me consolabor, et anteferam meo dolori publicam utilitatem, tam tristi praesertim tempore. Non mihi defutura esset oratio, quanquam non sum pugnax in dicendo, si absurdas opiniones vicinorum recitare vellem, quarum aliquas ante haec tempora correxi. Nec nullo in periculo tum quoque fui propter veritatis et moderationis studium.

Multus beneficiis affectus est *Slavus δραπέτης*[2]) ab Academia nostra et a me. Verum aluimus in sinu serpentem. Dignus esset cuius fronti stigmata inscriberentur, qualia rex Macedo inscripsit militi: *ξένος ἀχάριστος*. Nec fontem odii alium esse existimo, nisi quod *Crucigeri* locum ei non tribuimus. Sed omitto has insuaves narrationes. Auditores tuos, quos nobis commendas, non solum decet nos eo maiore benivolentia complecti, quia a te commendantur, sed etiam maiore iure erudire necesse erit, ut semina artium, a te ipsis feliciter tradita, foveantur et provehantur. Bene vale.

Philippus Melanthon.

---

No. 4582. (m. Aug.)

## Io. Matthesio.

† Ex apogr. in cod. Paris D. L. 54 [a].

*Ioanni Matthesio*

S. Reverende vir et amice carissime. Dei beneficio et Ecclesia hic adhuc tranquilla est, et studia doctrinarum omnium mediocriter florent. Ego ab *Illyrico* magnis contumeliis afficior, quem vides narrare familiares sermones, quos efferre alienum est ab amicitiae et familiaritatis iure. Sed respondebo Deo iuvante. Te oro, cum me scias et in doctrinae explicatione fideliter serviisse, et semper nostri ordinis coniunctionem fovisse, non sinas voluntatem tuam a nobis alienari. Tueamur gregem nostrum et iuvemus, donec Deus Ecclesiae in his regionibus largitur tranquillitatem aliquam ad colenda literarum studia. Nec vero dubito, quin ad posteritatem servaturus sit agmina discentium, si nunc et invocatione nostra et studio iuvandi discentes ostendemus, nobis quoque posteritatem curae esse. B. V.

---

No. 4583. 8. Sept.

## B. Clammero.

Epist. lib. II. p. 483. (ed. lond. lib. II. ep. 518.).

*Magnifico viro, sapientia et doctrina praestanti D. Baldasaro Clammero Doctori Iuris, Cancellario Luneburgensi, Domino et patrono suo colendo,*

S. D. Clarissime vir et patrone colende. Scio te virum sapientem, considerantem hominum vitam, multa cogitare de mutationibus regnorum et earum causis, et quaerere consolationem in his communibus miseriis, tanquam portum, in quo sollicita mens acquiescat. Cum autem coelestem doctrinam et optime intelligas et ames, scis non aliunde, nisi ex promissionibus divinis firmam consolationem peti posse, quae adfirmant Deo curae esse has nostras quanquam aerumnosas Ecclesias. Has servaturum esse, non dubitemus, quanquam magnae imperiorum ruinae impendent, ut scriptum est: *Ego vos senescentes gestabo*. Ut autem erga Ecclesias eximia est tua pietas, ita singulari favore viros doctos de studiis et iuventute bene merentes complecteris. Ideo causam ad te defero amici nostri *Viti Winshemii* viri docti, collegae nostri, qui utiliter erudiit iuventutem longo tempore. Fuit hic *Vitus* hospes, praeceptor,

---

1) Est locus Odyss. XVII, 283. In codice mendose legitur: *οὐ γὰρ δὴ πληγῶν ἀδαήμων οὔτε βαλάων.*

2) Flacius Illyricus. Cod. habet *Sclavus*, quod mendum habeo.

**No. 4586.** 9. Sept.

## *H. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 158 sqq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 138. cui in tergo adscripta leguntur haec: „1549 d. 23. Septb. per Andream".

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Dom. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae, amico suo carissimo*

S. D. In Tyrigetis non procul a *Gotha* Senex est in rure, mihi ante multos annos notus, cuius est *μαντικὴ φύσις*, modestus homo et alienus a malis artibus, ut non dubito. Is aliquanto antepraedixit, hunc annum tranquillum fore, et de vindemia vinum austerum et non multum proventurum esse. Sed sequentem annum post Solstitium terribiles motus habiturum esse in Saxonia. *Καὶ σύλλογος* in vicina urbe *Iutreboco* deliberationes de bello distulit in venturum annum. Commendemus autem Deo aeterni Patri Domini nostri Iesu Christi, conditori generis humani et Ecclesiae suae, nos et Ecclesiam et Politias, sicut Moises stans in undis sese et Ecclesiam et illud magnum agmen virorum, mulierum, senum, puerorum et infantum Deo commendabat. Discamus non servari Ecclesiam humanis consiliis, et servari tamen ope Filii Dei, qui initio genus humanum ingenti amore complecti se ostendit, cum pro nobis deprecator factus est, et postea dicit, *Nemo rapiet oves meas ex manu mea*, quae vox me saepe in magnis doloribus erexit. Nec tam bella Saxonica metuo, quam nova dogmatum certamina. Novus hospes Baltici litoris iam aperte *περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ λειτουργίας διασείειν καὶ ταράττειν τὰς κυρίας δόξας ἐκκλησιῶν ἡμετερῶν λέγεται.* Qua de re coram plura dicere possem. Et scripsi ad Ducem *Borussiae*, ut consensum in rebus tantis retineri studeat.

Hic Dei beneficio studia doctrinae mediocriter florent. Vicinis in urbe *Parthenope* eo nondum respondi, quia res ipsa eos refutat, et si responderemus, quantum incendium futurum esset? Retexendae enim essent multae absurdae opiniones olim motae. Et tu illud nosti *περὶ ἔριδος*,

Parva metu primo, mox sese attollit in auras.

Itaque etiam siquid scribendum esse iudicabimus, nihil sine tuo consilio edam.

Mitto pagellas de *Crucigero*, in quibus legendis quaeso, ut veniam nobis des. Locupletiore laudatione et splendidiore virtus eius digna erat. Sed quid scribam in hac ingenii infirmitate, doloribus, metu iniquorum iudiciorum, ut iam de occupationibus non dicam? Audio conventum Imperii Germanici futurum esse, de quo si quid habes, significato. Bene et feliciter vale, Vir integerrime et mihi carissime. Die 9. Septembris [1]).

Phil. Melanthon.

Nuncius [2]) eo tardius redit quia meum reditum ex aula expectavit, quo cum *Ioachimo* accersitus eram, ad quasdam de Scholis deliberationes. Nec alia de re nobiscum ulli in aula sermones fuerunt, quod nobis gratum fuit.

---

**No. 4587.** (h. t.)

## *Ioach. Mollero.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 64.³.

---

dem des Herzogs Tabulas prutenicas nennen. Staphylus überläßt es der Munificenz des Herzogs, was dem Autor darauf zu antworten sey — und überschickt dessen eigenhändiges Schreiben.

Der Herzog antwortete dem Staphylus darauf: des Reinholds Forderung sey alzu hoch gestellet und er habe schon nicht wenig erhalten. Damit aber gleichwohl seine Liebe zu den Künsten gesehen und Reinholds Vorhaben nicht gehindert würde, wolle er ihn noch mit 500 Gulden unterstützen und diese terminweise an ihn zahlen lassen; denn habe er mit dem vorigen wohl auf tausend Gulden erhalten.

Das berühmte Werk des Reinhold, Prutenicae tabulae coelestium motuum benannt, woran er fast sieben Jahre gearbeitet hatte, erschien endlich im Jahr 1551 zu Tübingen gedruckt, und in der Zueignungsschrift hat der Verfasser seine Dankbarkeit gegen den Herzog, als Beförderer des Werks, ausgedrückt.

Staphylus lehnte während seines Aufenthalts in Wittenberg die Anträge des Herzogs, der ihn durch große Freigebigkeit in seine Dienste fesseln wollte, durch folgende, in dem angeführten Briefe vorkommende, Antwort ab:

„Accepi etiam exemplum vestrae Celsitudinis donationis a Doctore Andrea, ipsam cautionem non vidi. Sed Illustriss. Princeps ac Clementiss. Domine, oro vestram Cels. per libertatem Christi, ne me velit vestra Cels. omnino servum facere. Non bene libertas toto divenditur auro et Apostolus ait: Si potes esse liber, magis enitere. Ah non, servus esse non possum, naturalem libertatem nunquam vendam. Amo et colo vestram Cels. non solum ut clementissimum Principem, sed etiam, si tamen mihi ita licet dicere, ut parentem et patrem Patriae. Sed in me essem imo in preceptum divi Pauli crudelis, si hoc facerem. Sed abrumpam hanc disputationem, properat enim hic literarum lator."

Nach seiner Zurückkunft war er zwar mit andern Königsbergschen Theologen in dem Streite wider Osiander thätig, bei der Universität aber nicht angestellt. Im August des Jahres 1551 ging er wider nach Breslau, wo er im Jahre 1553 zur römischkatholischen Confession übertrat.

1) Alia manus adscripsit ann. 1549.

2) *Nuncius eo tardius* etc.] non leguntur nunc in autographo. Fortasse fuerunt inscripta pagellae, epistolae inclusae, quae postea periit.

*Ex epistola Philippi ad Ioachimum Mollerum, Ao.* 1549.[1])

Pagella, quam misisti, propria est Marchionis, qui, etsi de articulis quibusdam collocuti sunt Electores, tamen postea convocatis pastoribus in sua ditione proposuit hac formam, quam mihi misisti, in qua multo plus est ineptarum ceremoniarum, quam in Mysorum Ecclesiis usitatum aut receptum sit, etsi nondum apud nos ulla mutatio facta est. Quod vero pastor Ecclesiae nostrae scripsit ad tuum patrem de libro, quem vocant *Agendam*, verum est, ab *Anhaltino* et aliis, quibusdam pastoribus adhibitis, collectas esse ordine cantiones, sed liber neque editus est neque edetur. Nihil tamen continet nisi ritus nunc usitatos Lipsiae, ubi aliquanto plus est ceremoniarum quam in nostro oppido. Pagella est edita in nostra aula quam mitto[2]), quae minus ceremoniarum continet quam Marchica, ut videbis. Ego quidem saepe suasi, ut nunc nulla novitatis species ostenderetur, quia populus mox clamat, deleri Evangelium, vel quaeri initia opprimendi Evangelii. Sed aulae clamant, aliqua in re oportere morem geri Imperatori, ne mittat exercitus in has regiones, et eodem modo Ecclesias opprimat, sicut oppressit in Suevia. Etsi autem nescio, an satisfacturi sint Imperatori restitutione quarundam ceremoniarum mediarum: tamen ipsi hanc causam ostendunt, et hortantur, ne in rebus non necessariis patriae et Ecclesiae vastitatem accersamus. Pugnamus itaque de rebus necessariis, de puritate doctrinae, de forma coenae dominicae, ne missa papistica restituatur, quae in Suevia gementibus omnibus piis restituta est. Nec autem unquam de feriis, cantionum ordine aut talibus rebus rixatus sum, nec convenire modestiae ac luctui Ecclesiae iudico, de talibus rebus rixari. Et quod aliqui prorsus nullum ordinem, nullas leges pati volunt, mihi etiam videtur agrestius. Optavi ante multos annos, ut nostrae Ecclesiae similes ceremonias, ταχυμερέστερον saltem, instituerent. Aliquid ad consociationem talis similitudo conducit. Sit autem et eius rei modus quidam. De doctrina et rebus necessariis nihil prorsus mutamus. Sed fons est omnium miseriarum, in quibus nunc sumus, et deinceps erit Ecclesia, περὶ μεταβολῆς ἄρτου. Id stabiliit nervum pontificiae missae, de qua rursus in futuro conventu audiemus severissima edicta Imperatoris. Scis caeteras controversias a me omnes ita recitatas esse, ut nulla relicta sit dubitatio piis et candide iudicantibus. In illa vero quaestione περὶ μεταβολῆς ἄρτου fui brevior propter calumniosa iudicia nostrorum. Vulnus tamen hoc utcunque texi hac propositione: nihil habere sacramenti rationem extra institutam actionem: quo fulmine *Eccium* in conventu Ratisponensi meministi valde consternatum fuisse. Cum igitur restent certamina de rebus maximis, optarim, doctores Ecclesiarum nostrarum concordes esse, et nos, qui saepius congredi cum adversariis doctis et ingeniosis cogimur, iuvari a caeteris. Vobis autem hoc consilii do: sive conventus Imperii futurus est, sive bellum Saxonicum a *Brunswicense* movebitur, differendas esse has deliberationes de Ecclesiis. Et puto, differri[3]) posse, cum brevi audituri simus initia conventus. Coram tecum de his rebus omnibus loqui malim. Scis enim, nec posse scribi, nec literis committenda esse omnia arcana. Et non dubium est, in futuro conventu nova certamina fore de libro Augustano.

Heri literas accepimus, Imperatorem proficisci Spiram, et ibi conventum indicturum esse, ut *Argentorati* conveniant principes et status Germanici. Etsi magnae sunt occultationes, tamen non est levis autor huius narrationis. Idem scribit, omnes deliberationes ac responsiones in aula Imperatoria ad eum conventum differri, in quo diserte et expresse volet Imperator dicere quemque, an amplecti totius libri Augustani sententiam velit.

Haec cum scripsisset mittit mihi doctor *Ionas* pagellam de Erfordia. Etsi autem scis occultari consilia a Caesare, tamen non opinor tanti fieri negotia Saxonica; sed anteferet, si vivet, Imperator Rhenanos Episcopos. Et Italia et Gallia propter Helvetica scripta[4]) minus quietae sunt. Sed fatorum arcana vis est, quae tamen regit Deus.

Φίλιππος.

1) Inscriptio in cod. Paris.
2) Vide supra d. 4. Iul. 1549.

3) Apogr. *deferri*, ex mendo.
4) Estne libellus qui titulo Bernardi Ochini scriptus est a. 1549. in contumeliam Pauli Pontificis? an mendosus hic est locus?

**No. 4588.** (eod. t.)

## *Ge. Buchholzero.*

Manlii farrag. p. 381 sq. (cf. ep. d. d. 29. Oct. 1549.).

*Reverendo viro, D. Georgio Buchholzero, amico suo colendo,*

S. D. Reverende vir. Filii et sunt et erunt mihi curae. Scripsit mediocre carmen *Noha* de Angelis, ad clarissimum virum dominum Cancellarium. Nunc dedi splendidum argumentum de Samaritano. Ero hortator et alteri ad philosophica studia. Utinam Deus servet his iuvenibus Ecclesiam, et mediocres politias. Profecto ingentes motus impendent, qui erumpent in proximum annum. Deus gubernet suam cymbam. Imperator *Spiram* proficiscitur*), et opinio est conventum in urbe *Argentina* fore. De pyris ago gratias. Bene vale.

---

**No. 4589.** (h. fere t.)

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad. Stigel. ep. 37. Cod. Goth. 188. ep. 106.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, Θεῷ καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ, amico suo*, S. D.

Cum amicitia virtus sit, ut semper honesti et docti viri senserunt, decet in ea colenda, ut in ceteris virtutibus, constantiam praestare, quam, cum tu praestes in nostra amicitia summa fide, integritas tua laude dignissima. Erit et mea erga te benevolentia perpetua, atque utinam declarare eam beneficiis illustribus possem. Nunc in his ruinis, et publicis et nostris, quid possum? Sed tamen, ut signa grati animi extent, curabo. Mitto tibi plura exempla *Panegyrici de Ioanne Baptista.* Mitto et *oratiunculam de Crucigero.* Tuus[1]) Hieronymus suae aetatis nonagesimo primo mortuus est, anno postquam ex virgine natus est filius Dei 420., anno post captam a Gothico Rege Alarico Romam sexto. Fugit ille ex Europa in solitudinem Palaestinae, et Sycophantas et bella Gothica. Ego in illum ipsum angulum terrae saepe migrare decrevi. Donec Deus me in hac statione retinuit, ipso gubernante meam mentem et voluntatem studui, non Paradoxa sed utilia iuventuti tradere. Et spero, me totum introspectum esse tibi, et multis bonis viris. Nec profecto frangor animo, conscientia rectae voluntatis et multorum prudentum et piorum iudiciis fretus. Et saepe cogito versum veterem,

ἄγει καὶ ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Bene et feliciter vale cariss. frater. 1549.

Philippus Melanthon.

*) Anno 1549. mense Oct. (vid. ep. sq.) Caesar ex Belgio Spiram venturus putabatur, agebaturque tum de componendis litibus Argentoratensium cum Episcopo suo.

1) *Tuus*? Fortasse *Stus*, i. e. Sanctus.

---

**No. 4590.** 10. Sept.

## *Senatui Torgaviensi.*

Edita a *Koelero* epist. 8. p. 44.

Dem Ehrbaren, weisen und vornehmen Herrn Burgermeistern und Rath zu Torga, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Ehrbare, weise, vornehme und günstige Herrn. Es ist allhie ein armer Waise, Lucas Geierberg, der dem Ehrbaren Erasmus Köppen, Burgermeistern zu Torga verwandt ist, der berichtet mich, daß er vertröstet sey, aus gedachten Herrn Bürgermeisters Erasmus Köppen Stipendien eines zu erlangen, so er Zeugniß seines Studii und seiner Sitten an einen Ehrbaren Rath bringen würde, darauf er mich gebethen hat, an Ew. Ehrbark. zu schreiben. Nun habe ich den Knaben selbst examinirt, habe mich auch bei dem wohlgelahrten Magistro *Alexio Naboth*, seinem Präceptor, von des Jungen Sitten erkundet, und vernommen, daß der Knabe züchtig und sittig sey; so hat er in Grammatica wohl studirt, und schreibet lateinisch nach guter Grammatica. Dieses mein Zeugniß wolle Ew. Ehrb. günstiglich annehmen, und ihr den armen Waisen um Gottes Willen lassen befohlen seyn. Derselbige allmächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, der sich nennet der Waisen Vater, wolle E. Ehrb. gnädiglich bewahren und regieren. Dat. Witeberg X. Septbris. 1549.

E. Ehrbarkeit

williger

Philippus Melanthon.

No. 4591. 11. Sept.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 621 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 763.).

*Clarissimo viro Ioachimo Camerario Pab. eruditione et virtute praestanti fratri suo carissimo,*

S. D. Epistolam ad Senatum *Cygneum* mitto, quam eo non obsignavi, ut eam legas, statuetis autem vestro arbitrio de tota re. Ego et tua caussa et propter bonitatem naturae *Esromi*, et eruditionem, ipsi optime volo, et ei fausta et felicia omnia precor, et Deum oro, ut propter suam gloriam posteris Ecclesiam et mediocres politias constituat.

Cum domum reversus essem, multa audivi, quae meos dolores augent. Novus hospes *) gentis Hyperboreae iam aperte *διασείει τὰς κυρίας γνώμας περί δικαιοσύνης*, et admonitus ut reprehensiones metuat, respondit, *θανόντος λέοντος, καταχέζειν αὐτὸν τῶν ἀλωπέκων.* Cohorrui hac voce audita. Narrant et *Christophorum Ionam* mortuum esse. Omitto alia multa. Haec narratio, si vera est, admirationem magnam res pariet. *Budei* coniugem anum cum filiabus aiunt migrasse Genevam ad *Calvini* Ecclesiam, in qua et alii multi nobiles homines in Gallia exulare dicuntur.

Tibi et viro clarissimo *Stramburgio* mitto genesin *Erici*, in qua multae sunt dissimiles significationes, de quib. vestra iudicia libenter audiam, etsi iam vicia, ut in magnis aliis, eruperunt, virtutum impetus praedicari nondum audivi, sed interpellant me alii flagitantes litteras. Bene et feliciter vale. Custos Ecclesiae suae filius Dei regat nos et servet te et Ecclesiam tuam domesticam. III. Idus Septemb.

Philip. Melanth.

---

No. 4592. 18. Sept.

## *Th. a Malzan.*

Edita primum in Philophilipporum defensione Philippi Melanthonis p. 95. Iterum in den Unschuldigen Nachrichten, Jahrg. 1707. p. 85., et quidem sine dubio ex apographo in cod. Goth. 188. ep. 21. quod ad verbum cum textu ibi edito convenit. — Caeterum etiam apogr. in cod. Goth. 28. p. 126.

*Theodorico a Malzan, Hereditario Mareschallo in Wenden* 1).

S. D. Clarissime vir, generis nobilitate et virtute praestans. Non excusabo me apud virum sapientem et candidum prolixe; tantum hoc oro, ut unico verbo illius epistolae *) opponantur alii multi mei de *Luthero* honorifici sermones, scripti in multis locis post ipsius mortem 2), in funebri laudatione, in praefatione in Tomum proxime editum **). Deinde cur excerpitur illa una vox ex ea epistola 3), cum alia multa contra adversarios graviter ibi dicta sint 4), et quidem in epistola ad eum virum scripta 5), cuius iudicium et voluntatem non ignoras? Et in fine affirmo, me veritatem antelaturum esse vitae meae. Quid requirunt amplius a me illi Aristarchi nostri, qui tam acerbe de illa epistola iudicant? Et fortasse quid significet *φιλόνεικος* non considerant. Non est crimen sed *πάθος*, usitatum heroicis naturis, quod nominatum Pericli, Lysandro, Agesilao 6) tribuunt scriptores. Et omnino erant in *Luthero* heroici impetus. Nec mirum est, nos, quorum naturae sunt segniores, interdum mirari illam vehementiam, praesertim cum tam multis controversiis motis quaedam haereant, de quibus malim tecum coram loqui 7), quam in epistola instituere vel querelam vel disputationem. Mitto tibi orationem de *Crucigero*, ac tibi pro munere gratias ago, teque oro, virum gravissimum, ne voluntatem tuam a me alienari sinas, dum quidem, et mediocriter, et studiis literarum servio, et in explicatione rerum difficillimarum constantiam praesto, et quia tam multas controversias, satis involutas,

---

*) Osiander. C. K.

1) Cod. Goth. 28.: „Ad Dieterichum a Molzan, Meckelnburgensem".

*) Loquitur Melanthon de epistola, quam scripsit ad Carlowitzium anno 1548. d. 28. April.

2) *sermones — mortem*] Philoph. *sermones in multis post ipsius obitum scriptis.*

**) Praefatio in Tom. III. operum latinor. Lutheri.

3) Phil. *ex epist. ad Carlewitium.*

4) *cum alia — sint*] non leguntur in Phil. et in cod. Goth. 28.

5) *et quidem — scripta*] non habentur in Phil.

6) *Agesilao*] cod. Goth. 28. *Menelao.*

7) Phil. *colloqui*

non sine periculo evolvi[8]). Bene vale. d. XIII. Septembr.[9]).

Philippus Melanthon.

---

No. 4593. 14. Sept.

## *Senatui Torgaviensi.*

Edita a Lunzio in dem Intelligenzblatt der neuen Leipz. Litteraturzeit. an. 1808. Col. 690 sq., descripta a Lunzio ex autographo, quod fuit in Bibliotheca b. Burscheri, Theologi Lips., nunc vero est in bibliotheca Nobilis *a Meusebach* Berolini, ex quo eam descripsit *Olshausenius*.

Den ehrbarn, weisen und fürnehmen Herrn Burgermeistern und Rath zu Torga, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helffer zuvor, Erbare weise fürneme günstige Herrn, wiewol ich nit weiß, wie die Gelegenheit der Stipendien ist, so ein Erbar Rath verleihet, und ich neuelich ein armen Jungen an Ewer Erbarkeit an des Herrn Burgermeister Koppen Stipendium verschrieben habe*), so habe ich doch dem Abraham Meysner Eins Bürgers Sohn zu Torge diese Schrifft geben, von wegen seiner besondern Geschicklichkeit, und großer Armut, und bericht Ewer Erbarkeit mit Wahrheit, daß gedachter Abraham also wol studirt hat, daß er nu in Ewr Jugend-Schul oder dergleichen Schul räthlich**) in grammatica und dialectica und andern löblichen Künsten das junge Volk unterweisen könnt. So schreibt er ein rein Latin, und so bald ich mit Gottes Hülff Bequemlichkeit habe, will ich ihn gern zu Dienst fürdern; aber mittler Zeit bitt ich ganz fleißig, so ein Stipendium ledig ist, oder in Kurz ledig wird, Ewr Erbarkeit wolle diesem Abraham vor andern damit Hülff seyn. Das wird Gott ohne Zweifel gnädiglich belohnen, der wolle auch Euch und die Ewren allezeit bewahren und regiren, Datum Witeberg 14. Septēbris Anno 1549.

Ewr Erbarkeit
williger
Philippus Melanthon.

---

8) *evolvi*] cod. Goth. 28. *solvo*; Phil. *evolvo*.

9) Cod. Goth. 28. et Phil. addunt: 1549.

*) Vid. epist. d. 10. Septb.

**) Olshausen: nützlich.

No. 4594. 16. Sept.

## *N. N.*

Manlii farrag. p. 515 sq. Est epistola a Melanthone discipulo praescripta et quidem hoc anno, ut intelligitur ex ep. ad Camerar. d. d. 11. Sept. 1549.

*Chariss. Patri* S. D.

Charissime pater: Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago, quod te reduxit domum: ac toto pectore eum oro, ut nos omnes immensa misericordia sua servet et regat. Nisi enim auxilio Dei iuvemur, neque coetus hominum servari, neque vitam tueri singuli possunt. Adfirmat autem filius Dei, se custodem et Ecclesiae et omnium invocantium esse. Et sicuti in hesterna concione de Samaritano audivimus, imponit nos filius Dei suis humeris gestandos, sicut ille Samaritanus saucium viatorem iumento imposuit: et sua manu vulneribus nostris medetur. De studiis meis voluntatem tuam sequar. Ego quidem decrevi Iuris doctrinam discere, et in ea vocatione Reipublicae aliquando servire: si tamen et sententia et authoritate tua hanc meam voluntatem probabis, et tua beneficentia me adiuvabis. Ac oro filium Dei, ut totum vitae meae cursum regat. De negociis publicis, etsi multa hic feruntur: tamen hanc unam historiam literis dignam esse iudicavi, cuius lectionem tibi etiam non iniucundam fore speravi. Venit huc quispiam ex Gallia nobilis vir ac doctus, qui narrat honestissimam matronam viduam *Budaei*, una cum filiabus Lutetia migrasse ad *Calvini* Ecclesiam, ut ibi et vocem Evangelii audiat: et longius absit a saevitia, quae in regno Gallico adversus Evangelii studiosos exercetur. Hoc exemplo matronae valde moveri multos homines in Gallia, idem affirmat: propterea quod mortui mariti sui, doctissimi et gravissimi viri, iudicio existimatur hanc doctrinam amplecti, de qua ipsum multa pie disseruisse ante mortem constat. Nos quoque talibus exemplis confirmemur: neque fracti animis, confessionem veritatis abiiciamus. Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, servet te, et carrissimam matrem nostram, et fratres et sororem. Bene vale: Die 16. Septembris.

No. 4595. 17. Sept.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 650 sq.

*Michaëli Meienburgio, consuli Northusano.*

S. D. Etsi vestro iudicio et arbitrio studia filii institui et regi volo, et nihil constituam ante nundinas Lipsicas, in quibus Deo iuvante colloquemur: tamen D. *Schneidewein* allocutus sum, qui offert nobis suam diligentiam et fidem in docendo et regendo filio, simul etiam hoc vobis cogitandum significo. Mihi videtur utilius, ut in uno loco et habitet et studiorum ac vitae moderatorem habeat, quia cum sunt plures gubernatores, occasio fallendi facilior est. Et tamen posset ad me certis temporibus accedere *Christophorus* et exhibere scripta, quod nunc facit quoque, etiamsi alibi habitaret, et mensam et cubiculum eodem in loco haberet. Nec tamen recuso facere, quicquid statuetis. In nostra peregrinatione *Dresdensi* *) tantum deliberationes de scholis habitae sunt. Sed de aliis magnis rebus audivi quaedam, de quibus coram loquemur. Conventus Imperii satis periculosus impendet, sed Deum oremus, qui Ecclesias et earum hospitia servabit. *Casparum Marcello* commendari, iudico, utile esse. Si domi Praeceptorem *Michaëli*, filio, quaerendum esse significabitis, mittam, DEO iuvante, eruditum et modestum iuvenem. De vino gratias vobis ago, etsi profecto nollem, vos mea causa tantos sumtus facere. Bene et feliciter valete. Die 17. Septembris.

Philippus.

---

No. 4596. (h. t.)

## Concionatoribus Berolinensibus.

Manlii farrag. p. 76 sqq. Repetita in Mel. Consil. lat. II. p. 127. In utroque libro inscriptione caret, sed ex epistola ad Georg. Anhaltinum d. d. 19. Septb. intelligitur, scriptam esse Berolinensibus.

*(Concionatoribus Berolinensibus.)*

Dei beneficio in his regionibus mediocris concordia de toto corpore doctrinae Evangelicae longo tempore fuit: imo et Ecclesiarum et docentium amicitia fuit grata omnibus piis. Ac nos quidem consensum retinere de doctrina fideliter studemus: nec mutaturi sumus unquam doctrinae vocem, quam adhuc sonant hae Ecclesiae, quia scimus eam vere esse decretum aeternum et immotum Dei. Deinde scimus invocationem maxime turbari et impediri omnibus dissidiis, magnis et parvis: et turbata invocatione aliquos dolere, et desperatione opprimi, alios prophanos fieri, ac prorsus ἀθέους. Itaque propter multas gravissimas causas optamus summo studio concordiam et tranquillitatem Ecclesiarum retineri: quam si qui petulanter turbant motis non necessariis certaminibus, graviter Deum offendunt, contristant spiritum sanctum in piis, et poenas accersunt. Quare ne laedatur gloria Dei, neve turbetur invocatio in piis, et ut scandala et poenae vitentur, oramus et vos isthic, ut consensum de doctrina tueamini.

Nos semper ita sensimus, et non dubitamus hanc omnium veterum eruditorum scriptorum sententiam esse, omnes homines natos esse ex virili semine, in utero reos et inquinatos peccato originis fuisse et esse, sicut Paulus expresse inquit: Et sic mors pervasit in omnes, eo quod omnes rei sunt. Item: Unius delicto in omnes condemnatio venit. Cum autem dicimus de conceptis ex virili semine, manifeste dicitur, filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui missus est ut fieret victima, et sit salvator generis humani, nequaquam esse reum. Hic enim non est conceptus ut caeteri homines: sed ut in verbis Iacob, patriarchae, Genesis 49. significatum est in vocabulo Siloh, id est foetus virginis, in virgine conceptus est, mirabiliter divinitate uniente naturam humanam filio imagini aeterni Patris. Sic filius Dei fuit sine omni peccato originali et actuali: quia cum ordine divino in recipiendo genere humano satisfieri oporteret, oportuit hunc redemptorem, ut aequivalens precium esset pro aliis, et λύτρον, ut ipse Dominus nominat, sine peccato esse.

Haec arcana consilia, quo modo simul iusticiae ordinem in misericordia servare oportuerit, in vita aeterna discemus. Nunc tamen initia huius doctrinae discenda sunt: quod Deus vere et horribiliter irascatur peccatis: et quo iusticiae eius satisfieret, oportuit victimam sine peccato esse. Nulla enim alia creatura neque in coelo neque in terra, nisi solus filius Dei, est sine peccato, per quem omnes electi sunt redempti. Ideo et An-

---

*) Ubi fuerat cum Camerario.

dirigi) et literarum et doctrinae coelestis semina spargere, ac Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi oro, ut tuos labores adiuvet et provehat. Quod ad me scripsisti, gratum mihi fecisti, teque valde oro, ut et amicitiam nostram tuearis, et ut saepe ad me scribas. Pro tuo carmine mitto iocum *Stigelii* et orationem de *Crucigero*, cuius virtus et iuventuti propter exemplum praedicanda est, et a senibus propter honorem virtuti debitam celebranda, ut sapienter a Pindaro dictum est: *αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις ὡς δένδρον**); crescit virtus celebrata ut arbor rore. Atque utinam illam pulchritudinem virtutis magis ornare possem. Bene vale, et rescribe quam primum. Die 27. Septemb., quo ante annos 3856 arca Nohae consistere coepit. Utinam nunc quoque Deus inter tantos fluctus Ecclesiae concedat quietem. *Posnania* petit, ad se mitti virum graece et latine doctum et eloquentem, qui ibi studia gubernet. Nihil imponit onerum templi. Si malles in eo loco esse, stipendium amplum habiturus esses. Hac de re respondeas, aut, si ita videtur, ad nos venias.

Philippus Melanthon.

---

No. 4602. 27. Sept.

## C. Libio.

† Ex autogr. in cod. Dresd. collect. Seidel. n. 48. descripta a Cl. *Gersdorfio*. Contuli apographon in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Venerando viro eruditione et virtute praestanti domino Christophoro [Libyo]*[1]) *Pastori ecclesiae Dei in oppido Tangermunda, amico suo carissimo.*

S. D. Venerande vir et amice carissime. Scio te de ingeniis iudicare posse, et honestos homines ac literis excultos libenter ornare et provehere. Cum igitur in hoc *Iohanne* bonum ingenium sit, et spes sit eius industriam et diligentiam ecclesiae profuturam esse, quaeso ut eum complectaris et regas. Scripsi de eo ad senatum oppidi vestri. Reverendus vir D. *Pastor* nostrae ecclesiae petit, ut huc quam primum venias, quia exponet tibi petitionem ecclesiae. *Lubecensis*, quae quaerit *Bonno*[2]) successorem eamque rem tecum agendam esse coram censet. Longa deliberatio est, quam non vult literis committi. Sed propter nostram amicitiam petit, ut ipse huc advenias. Postquam autem audieris, re cogitata, statuere poteris. Et quamquam arbitror te gravatim iter susceptorum esse, tamen ego quoque oro, ut venias, ut reverendo seni morem geramus, eaque in re tuam humanitatem et benevolentiam erga nos ostendas. Mitto tibi et scribae senatus pagellas. Bene vale. die 27. Septembris, quo ante annos 3856 arca Nohae consistere coepit, quo exemplo ostendit deus se non deesse ecclesiae.

Philippus Melanthon.

Responde per hunc aurigam, aut ipse venias, quia vellet D. *Pastor* te adesse ante Lipsicum mercatum.

---

No. 4603. 29. Sept.

## M. Meienburgio.

Epistola nuncupatoria praemissa libro: Initia doctrinae physicae, dictata in academia Vitebergensi. Philip. Melanth. Excusa Vitebergae per Io. Lufft, anno 1549. — (Iterum Witteb. 1575, 8.)

*Clarissimo viro, prudentia et virtute praestanti, Domino Michaëli Meienburg, Consuli Northusano, Philippus Melanth.* S. D.

Totum hoc pulcherrimum theatrum, coelum, lumina, stellae, aër, aqua, terra, plantae, animantia et caetera mundi corpora, ideo tanta arte conditum est, ornatum specie, figura, harmonia motuum, efficacia virium, *συμπαθείᾳ*, et ordine distributum, ut illustre testimonium sit de deo opifice. Et collocatus est in hoc splendidum domicilium homo, et insita ei de deo et de*) virtute notitia, ut et sese aspiciens et oculos circumferens ad contuendum rerum ordinem et considerandum totius aedificationis consilium, agnoscat et esse deum, mentem aeternam, architectatricem totius huius operis, sapientem, bonam, veracem, iustam, beneficam, castam, liberrimam, et adesse huic suo operi et conservare res conditas et insti-

---

*) Non integra sunt graeca. Verba Pindari (Nem. VIII. 69.) sunt: *αὔξεται δ' ἀρετά, χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ᾄσσει.*

1) *Libio* addit apogr. Paris.

2) Mortuus est Bonnus anno 1548.

*) *de* abest ab edit. sec.

tum ordinem, et sine ulla dubitatione vindicem esse, et atrocia scelera atrocibus poenis in hac vita punire, non solum ut generis humani societatem tueatur, sed etiam ut commonefaciat nos de se ipso, et cum agnoscimus esse iustum, veracem, beneficum, castum, discernamus eum a naturis iniustis, mendacibus, obscenis, et oportere congruere nostros mores cum ipsius voluntate sciamus.

Etsi autem natura rerum non potest penitus perspici, nec caussae tam mirabilium operum prius intelligi poterunt, quam ipsius architecti aeterni patris, filii et spiritus sancti deliberationem coram audiemus, tamen nunc quoque in hac caligine nostra qualiscunque aspectio et consideratio ordinis pulcherrimorum in mundo corporum aditus est et ad agnitionem [1]) dei, et ad virtutem, hoc est, ad amandum et conservandum ordinem et modum in omnibus actionibus. Deinde magnum vitae praesidium est illa tota doctrina, quam ars medica complectitur.

Cum igitur manifestum sit, a deo ita conditos esse homines, ut naturam aspiciant, doctrina de elementis et corporum ordine, motibus et qualitatibus seu viribus amanda et colenda est. Nec profecto quidquam homini non monstroso hac ipsa consideratione dulcius est.

Haec ita esse cum sit notissimum, tamen multi hoc studium considerandae naturae vituperant, alii aliter. Aliqui aspernantur universam physicen, ut incertam, aut non satis firmas caussas monstrantem, ut non ostendi possunt illustres caussae, cur non certis intervallis inflammentur cometae. Sed de certitudine infra respondebimus. Non enim propterea abiicienda est doctrina certa et utilis vitae de multis rebus, etiamsi multa ignoramus; ac [2]) sciamus vere dei voluntatem esse, ut in mundi opificio vestigia ipsius aspiciamus et res nobis utiles ad vitam tuendam eligamus, praeparemus etiam nos ad illam aeternam academiam, in qua integram physicen discemus, cum ideam mundi nobis architectus ipse monstrabit.

Illis vero iam respondebo, qui haec aristotelica initia derident tanquam tenuia et ieiuna. Fateor esse maximi operis et amplissimae doctrinae, ut ita dicam, exiguum vestibulum. Nam integra physica, quantam in hac vita possident homines, est ille totus artium orbis, qui continet artem medicam et mathemata, unde multas demonstrationes de figuris et motibus corporum sumi necesse est.

Sed ut caeterae artes a parvis initiis extruuntur, ita haec aristotelica sunt alterius magni operis, scilicet integrae physicae semina. Nam etiamsi maior lux in mentibus nostris fulgeret et altius introspici natura posset, tamen doctrina a parvis initiis inchoanda esset. Arbitror et primum parentem generis humani sedentem in cespite inter fragrantes frutices, in umbra patulae arboris, Habelo suo hanc exiguam doctrinam initio tradidisse et monstrasse ordinem et positum coeli, stellarum, aëris, aquae et terrae, et discrimina naturae aetherae seu coelestis, et corporum mutabilium non mixtorum, quae nos elementa vocamus; docuisse etiam, quae sint anni et mensium spacia et metae, et monuisse, haec corpora non casu ita confluxisse, sed a deo condita et ordine collocata esse, et quidem velle eum agnosci suam in huius machinae et nostri generis conservatione praesentiam.

Deinde ostendisse discrimina elementorum et qualitatum, et sapientiam dei laudasse, qui ut varietatem pene infinitam effectionum in elementis et mixtis includeret certis metis, sparsit in materiam inferiorem quatuor qualitates primas, quae propemodum omnes in hac materia effectiones gubernant. Deinde iussisse observari, quae in quibus corporibus excellant, quomodo harum harmonia et consensus in nostris corporibus tuendus sit. Postea iussisse, ut hominis naturam consideraret, cuius miranda est varietas. In eodem corpore dissimilia membra et materia et usu fabricata sunt: organa praecipua nutritionis, sensus, cor sedes affectuum, cerebrum, et tota pars ratiocinatrix, et regina voluntas, quae sua quadam libertate eligit aut reiicit ea, quae sensus ostendunt, et frenare aliquo modo externorum membrorum motus potest.

De harum partium viribus et officiis et de disciplina cum disputaret, doctrinam non angustam, nec dissimilem his nostris pagellis tradidisse eum etiam prophetica monumenta ostendunt.

Etsi igitur multi haec initia tanquam tenuia aspernantur, tamen cum semina sint amplissimae doctrinae, necessaria esse bonae mentes intelligunt. Nec in re manifesta longiorem refutationem addam, sed iuniores potius hortabor, ut univer-

1) Ed. poster. *cognitionem.*
2) Ed. altera pro *ac* habet *imo.*

sam hanc philosophiam ament, et partes ordine discant, et in discendo iudicium adhibeant, qui scriptores legendi sint. Non enim a Democrito aut Epicuro, aut aliis, qui usitatam doctrinam corrumpunt, ars petenda est. Eligatur et rerum doctrina, omissis inanibus cavillationibus, quales etiam haec recentior aetas miscuit communi doctrinae non paucas. Studeamus et genere sermonis proprio uti, et non alieno a linguae latinae consuetudine. Nam qui recte loqui student, res intuentur, quibus nomina attributa sunt; e contra, cum sermo novus fingitur, plerunque et res mutantur, ut in Scoti et similium scriptis non sermo tantum corruptus est, sed umbrae rerum seu somnia excogitata sunt, quibus novae appellationes attributae sunt.

Et quanquam forma communis artium sequenda est, tamen haec initia exemplis illustrari prodest, ut conspiciatur utilitas. Saepe igitur optavi, ut eruditus medicus et amans harum scholasticarum operarum, intuens universam naturam, sumat hunc laborem haec initia aristotelica et recitandi et illustrandi.

Ego meam infirmitatem agnosco, ac si quis stulticiam esse iudicabit, quod impar tanto oneri ausus sum haec scribere, ab hoc veniam potius erroris peto, quam me excuso. Sed cum necessarium esse statueremus ego et collegae nostri, iuventuti proponere et hanc philosophiae partem, collegimus ego et *Paulus Eberus* hanc sylvulam, in qua mediocri perspicuitate recitare aristotelica conamur, quae quidem prodesse ad naturae cognitionem existimavimus.

Ut autem Aristophanes, deridens Socratem, fingit, eum metiri passus pulicis, cera velut persicos cothurnos pulici induentem, ita scio multos in hoc ipso vestibulo physices deridere λεπτολογήματα de materia prima, omnibus orbata formis, et de privatione. Sunt etiam, qui nec elementa recte numerari contendunt et velut ex Theogonia Hesiodi aliam physicen extrui volunt. Nec vero aut defendo, aut nimium amari volo omnes Aristotelis argutias. Quanquam autem miscet aliquando exiles et ieiunas disputationes, tamen operis series ad docendum accomodata est. Necesse est enim in vestibulo doctrinae physicae numerari prima corpora, et postea corporibus attribui proprietates, loca, qualitates, motus; deinde in mixtione ostendi effectiones et gradus. Hinc ad mixta proceditur, ad descriptionem hominis et considerationem singulorum membrorum, ad naturas animantium, plantarum, et aliarum rerum in terra nascentium, proferendas.

Hanc doctrinam cum ordine et proprio genere sermonis sine involucris, qualia sunt in Timaeo Platonis, Aristoteles et Theophrastus tradiderint, aut certe inchoarint, iudicium eorum, qui haec aristotelica in scholis proponi voluerunt, non vitupero. Si quando alii rectiora et uberiora edent, non solum acumen et industriam eorum laudabimus, sed etiam voluntatem, quod hoc mirandum opificium dei, videlicet omnia mundi corpora, velut in luce clariore caeteris ostendere student. Est omnino sapientia dei, qua hanc mundi machinam construxit, impervestigabilis, et tamen, cum velit eam aspici, consideratio non est inutilis, et aliqua vestigia architecti depreheudi possunt. Et gratia debetur omnibus, qui partem aliquam recte et simpliciter monstrant, ac praesertim iis, qui, cum multi audacissime corruperint simplicem doctrinam, ut Democritus, Epicurei, Stoici, Pyrrhonii, et horum similes, monitores sunt iunioribus, ut vitent monstrosas opiniones et recta artium via quaerant veras sententias, nec putent ingenii decus esse ludere praestigiis opinionum, sed acquiescant in veritate, ac deo gratias agant, quod in hac caligine humanae mentis aliquas tamen scintillas suae sapientiae vult lucere, et inventam doctrinam ad usum in vita transferant ad tuendam valetudinem et regendos mores, imo ad celebrandum deum opificem. Pravae opiniones per sese nocent moribus et vitae, et contumeliosae sunt adversus deum; sed multo plus mali est in ipsa consuetudine petulanter contradicendi veris sententiis. Hic vere[8]) est, ut inquit Euripides, ἀκόλαστος γλῶσσα αἰσχίστη νόσος.

Quare plurimum refert, ingenia recentia praemonere et, quantum fieri potest, adsuefacere, ut ament moderatas sententias, gravi auctoritate traditas, nec artium metas evertant, imo ut ardentibus votis etiam deum, fontem sapientiae, orent, ut mentes docentium et discentium gubernet.

Inseruimus igitur et quaestiones aliquas physicis vicinas, quarum haec simplex et perspicua explicatio vera est et utilis moribus. Nec nihil ad ecclesiam pertinent studia doctrinae physicae. Saepissime enim in enarratione doctrinae coelestis de

8) *Hic vere*] Ed. alt. *In eo genere verissime.*

ordine corporum mundi dicendum est, saepe de ordinis conturbatione et de malis, quae aversionem a deo in genere humano secuta sunt. Multae partes doctrinae coelestis collatione physices illustrandae sunt. Saepissime de natura hominis dicendum est, discernendae potentiae, et monstranda quasi diversa domicilia cognitionis et appetitionum, ostendendum, quae vires languefactae sint, quae regi disciplina possint. Denique multis gravissimis materiis aliquid lucis addit haec qualiscunque naturae aspectio. Haec igitur studia et amari, et recte coli opto, quibus certissimum est, naturas non distortas invitari et flecti ad virtutem.

Edidimus autem hanc sylvulam, addita tui nominis mentione, quia scimus, te sapienter et graviter de studiis doctrinae iudicare eaque libenter tueri et ornare, ac consilia in gubernatione ad conservationem honestae disciplinae, literarum et doctrinae, quae humano generi necessaria est, referre, quo in cursu ut te deus aeternus, pater domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum et ecclesiae suae, una cum filio suo, domino nostro, Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et spiritu suo sancto gubernet, optamus. Bene vale. Die angelorum castorum et deo obedientium. Anno 1549.

---

No. 4604. 1. Oct.

## *Lectori.*

Epistola primum separatim edita: „Epistola Phil. Melanthonis, in qua respondetur Flacio Illyrico." Vitebergae apud Ioseph. Klug. anno 1549. 8. — Etiam praemissa libro Melanthonis: Doctrina de poenitentia. Witteb. 1549. 8. Iterum edita in Actis synodicis lat. p. 17., in Melanthonis Select. epist. p. 452. et in epist. lib. I. p. 323. (ed. Lond. lib. I. ep. 107.). Recusa in Mel. Consil. lat. P. II. p. 104. et in eiusd. Declamatt. Vol. VIII. p. 727. Denique in Mel. operibus Witeb. T. II. p. 152. Textus in editionibus convenit cum archetypo, quod contuli.

*Philippus Melanthon candido Lectori* S. D.

Ut praecipua cura omnium hominum esse debet, ut recte agnoscere et invocare Deum discant: ita cum in Ecclesia se Deus patefecerit, et velit ibi suam vocem audiri, ac velit singulos fieri cives eius coetus, et ad vexillum Domini nostri Iesu Christi concurrere, ut apud *Esaiam* dicitur: *Erit signum populis*: omnino necessaria est et haec cura, circumspicere mente, et in tanta confusione generis humani sapienter quaerere, quae et ubi sit vera Ecclesia, ut in eam nos fidei societate, invocatione et confessione includamus, ubicunque sumus. Sparsa est enim in diversa imperia. Sed a profana et impia parte generis humani distincta est signis non fallentibus, ut sciamus vere Dei Ecclesiam esse coetum, ubicunque est, qui vocem Evangelii sonat incorruptam, et legitimum Sacramentorum usum retinet, nec Idola pertinaciter defendit. Haec cum ab iis, qui doctrinam Propheticam et Apostolicam didicerunt, et non fabulosam esse sentiunt, mente, oculis atque auribus iudicari possint, agnosci certe Ecclesia potest.

Et in tantis Imperiorum ruinis, ac hominum dissipationibus, hanc consolationem bonae mentes teneant, ubi vocem verae doctrinae incorruptam audiunt; et legitimum Sacramentorum usum cernunt, et vident non defendi pertinaciter Idola, et errores pugnantes cum voce Filii Dei, ibi se in societate Ecclesiae esse certissime sciant, nec dubitent, tales coetus Dei domicilia esse, ibi ministerio Evangelii adesse Deum, ibi exaudiri invocantes, ibi recte coli Deum, ex eo coetu colligi aeternam haereditatem Filio Dei, iuxta illud: *Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Hac consolatione saepe in dissensionibus publicis opus est, quam quidem eo recito, quia nunc quoque clamoribus quorundam non leviter perturbantur nostrae Ecclesiae, quae hanc veram et firmam consolationem teneant, de qua suos oculos et suas aures singuli testes faciant. Sonat eadem vox doctrinae universae, quam in libris nostris, qui extant, sonamus. Usus Sacramentorum manet idem, qui fuit ante proximum bellum. Taxantur errores, et Idola, ut libri a nobis scripti ostendunt.

Quod vero clamitat *Flacius Illyricus*, *et doctrinam mutari*, *et restitui ceremonias quasdam antea abolitas;* primum de doctrina respondebo. Palam refutat hanc calumniam vox omnium docentium in Ecclesiis nostris et in Scholis. Ac, ne longa aut obscura sit responsio: de universa doctrina sentio quod scripsi in eo libro, qui in multorum manibus est, titulo *Locorum Theologicorum*, in quo non volui novum doctrinae genus constituere, sed fideliter collegi doctrinam communem harum Ecclesiarum, quae amplexae sunt confessionem exhibitam Imperatori Anno M. D. XXX. quam sententiam iudico esse perpetuam Ecclesiae Catholicae doctrinam, ac volo dextre et

sine Sophistica et sine calumniis intelligi id scriptum.

Et quantum mihi conscius sum, non studio dissentiendi ab aliis, non amore novitatis, non φιλονεικίᾳ, aut alia ulla prava cupiditate impulsus sum, ut illam Epitomen colligerem. Sed tempora occasionem praebuerunt. Cum in prima inspectione Ecclesiarum comperissemus admodum dissonos clamores esse ineruditorum de multis rebus, Summam doctrinae, quam *Lutherus* in diversis et interpretationum et concionum voluminibus tradiderat, tanquam in unum corpus redactam edidi, et quaesivi genus verborum, quo ad proprietatem, quae ad perspicuitatem et concordiam utilis est, discentes assuefierent, ac semper omnia scripta iudicio Ecclesiae nostrae et ipsius *Lutheri* permisi: de multis quaestionibus etiam diserte sciscitatus sum *Lutherum*, quid sentiret, ac multi pagellarum illarum exempla adhuc habent. In eius doctrinae professione, quam, ut dixi, scio perpetuum esse consensum Ecclesiae Catholicae Domini nostri Iesu Christi, et nunc Deum invoco, et iuvante ipso hanc confessionem ad aeternae Ecclesiae consuetudinem adferam. Haec recito, ne quis criminetur, me aliorum fidem dubitatione aliqua mea languefacere.

Iam *de rituum mutatione*, quae alicubi facta est, pauca respondebo. Optarim certe in hac praesertim tanta moestitia nulla prorsus mutatione has Ecclesias turbari, ac si quae factae sunt, non sunt a me ortae. Sed fateor me suasisse et *Francis* et aliis, ne desererent Ecclesias propter servitutem, quae sine impietate sustineri posset. Nam quod *Illyricus* vociferatur, potius vastitatem fuisse faciendam in templis, et metu seditionum terrendos Principes, ego ne nunc quidem tam tristis sententiae autor esse velim. Alia onera multo duriora quam linea vestis est, sustinere nos studiorum et Ecclesiae causa, manifestum est, odia potentum, contumaciam populi, malevolentiam in fucatis amicis, discordias docentium, inopiam, iniurias, et alia multa mala, quae etiam tranquillam gubernationem comitantur. Nunc vero turbulentis temporibus multa accedunt atrociora.

Cum autem propter tales miserias non discedendum sit a statione, toleretur etiam servitus in re leviore, quae tamen sine impietate est. Mihi quidem ingens moestitia huius temporis, in tanta distractione voluntatum et opinionum poscere videtur ut adflictas Ecclesias consolemur et foveamus, quantum pie fieri potest, et caveamus, ut rerum necessariarum omnium doctrina fideliter explicata, ad posteritatem propagetur, et Scholae conserventur, quae custodes sint omnium honestarum artium.

Quod autem narrat *Flacius*, alium nescio quem, dixisse, me dixisse, *Non discedendum esse ab Ecclesiis, etiamsi omnes veteres abusus restituerentur*, manifestum medacium est.

Ac videte artificem, ut odia accendat, et suspiciones cumulet, multa profert ex familiaribus colloquiis, quae etiam calumniose interpretatur, alicubi personis aliis sermones falsos attribuit, ut habere non solum testes, sed etiam adstipulatores videatur. Neque sensi, neque dixi unquam, quod ille in me falso confert, manendum esse in iis Ecclesiis, in quibus restituuntur errores, et oblatio Missarum, et invocatio sanctorum, et similes impii cultus, qui nostris scriptis taxati sunt. Imo palam profiteor, nec recipiendos esse illos Idolorum cultus, nec tolerandos. Et ut discentes in singulis materiis essent instructiores, magna cura et magno labore fontes controversiarum exposui.

Hic si dolori meo indulgere vellem, possem et de *Flacio* iuste queri, qui adversus me talia mendacia spargit, et commemorare ex alto repetitas causas harum aerumnarum, quibus nunc Ecclesia totius orbis terrarum oppressa est, et exponere, quae res armaverit audaciam adversariorum contra veritatem, et confirmaverit potentiam. Sed haec vulnera nunc attingere nolo, et istos libertatis vindices oro, ut sinant me et alios multos tacitos circumferre nostros dolores, nec accendant atrociora dissidia.

Gloriatur se defensorem fore pristini status. Si statum imperia certa et politias intelligit, et Ecclesiam suis tantum moenibus includit, non recte sentit. Sparsa est etiam in alias politias Ecclesia sonans vocem Evangelii incorruptam, et vera invocatione, veris gemitibus et lacrymis Deum invocans. Cumque tanta fuerit familiaritas ei mecum, quantum significat, testis esse potest ipse meorum dolorum, gemituum, et assiduitatis. Nos imperiorum et status publici concussionem deploramus, nec quaerimus arces aut praesidia; sed in his ipsis Ecclesiis, in quibus sumus, eandem vocem Evangelii sonamus invocantes Deum in vera agnitione et fide Filii Dei, et mediocri labore studia literarum, institutionem iuventutis et disciplinae con-

servationem adiuvamus. Si potest Ecclesiis ille defensor status aureum seculum restituere, triumphet ut volet.

Cur me delegerit, cum nulla in re unquam a me laesus sit, quem in ista defensione status, ut vocat, primum oprimat, ut *Marius Antonium*, nescio, cum sciat mihi semper displicuisse corruptelas doctrinae, et a me errores praecipuos taxatos esse. Nunc scribit me promovere, hoc enim utitur vocabulo, quia suasi, ne in templis fieret solitudo, propter lineam vestem, aut res similes.

Etiamsi qua esset dissensio de re tali, non obliviscenda erant in Ecclesia praecepta de dilectione, praesertim cum sciat nos in magno luctu esse, et nec regna, nec opes quaerere: non erant imitanda exempla civilium dissensionum, in quibus, qui sint animorum impetus, proverbio significatum est: ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μήποτε γενήσεται δράκων. Ille vero mihi non tantum stylum, sed alia minatur atrociora. Optarim nos conferre operas potius ad illustrandas res necessarias, satis enim certaminum restat, propter quae inter nos pacisci inducias et velut syncretismum non modo nobis, sed toti Ecclesiae utilius esset, ne accideret illud, quod *Paulus* inquit, βλέπετε μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε. Ego responsiones moderabor ex utilitate, ac spero me et scriptis, et multorum honestorum iudiciis adversus calumnias satis defendi. Nam et alii pii et docti viri in multis regionibus non leviter dolent, has Ecclesias condemnari.

Sed et *Flacium* et alios adhortor, ut cogitent, quid futurum sit, si utrinque accensi, historiam annorum triginta repetemus. Qualis haec erit tela?

Quod toties profert obiter dicta in familiaribus colloquiis, imo et somnia recitat, ostendit, qua fide amicitiae et familiaritatis iura colat. Saepe in dolore familiares querelae liberiores sunt, saepe disputandi causa ego ipse vehementius sententiam, quam amplector, oppugno, non ludens, sed discendi causa, ut aliorum cogitationibus erudiar.

Postremo, natura mea multis nota est, non adpeto laudem torvitatis; sed mediocris est comitas, qua iocor interdum etiam in doloribus. Talia dicta postea calumniose spargere, ut iste facit, βλακικὸν est, non officiosum, ut nihil dicam asperius. Sin autem, ut in quadam parte suae Epistolae significat, ubi mihi gladios etiam minatur, casus aliquis me oppresserit, quorumcunque gladiis praebenda erit haec misera cervix, commendabo me Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, qui inspector est cordium, et scit me simplici studio quaesivisse veritatem, non factiones aut regna constituere, non laxare frenos curiositati voluisse, nec sine magna difficultate diligenter considerata universa antiquitate, multas intricatas quaestiones evolvisse, meque iuventuti ad disciplinam et ad colenda rectissima studia hortatorem fuisse.

Sed de me iam nihil dicam. Scio in dissensionibus civilibus, omnes casus omnibus expectandos esse, scio rabiem animorum variis modis accendi. Et habere *Flacium* suas quasdam faces animadverto, sed et vitam meam Deo commendo, et Ecclesiam Dei veram in his regionibus et alibi, de qua multo magis quam de mea vita sollicitus sum. Sed hac me consolatione sustento, quod promisit *Deus*, se etiam senescenti Ecclesiae adfuturum esse. Et Filius Dei inquit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, *usque ad consummationem seculi.* Servabit Deus aliquos coetus custodes doctrinae Evangelii, et recte ipsum invocantes, et ut in his regionibus etiam servet, toto eum pectore, et veris gemitibus oro.

Hanc brevem responsionem opposui clamoribus *Flacii*, non tam mea causa, quam earum Ecclesiarum causa, ubicunque sunt, in quibus multorum piorum animi scriptis *Flacii* vulnerantur: Hi teneant hanc consolationem, quod certum est, fundamentum in his Ecclesiis fideliter retineri, videlicet incorruptam vocem Evangelii, omnes articulos fidei, et usum Sacramentorum sine corruptelis. Tali ministerio adesse Filium Dei, et in tali coetu exaudire invocantes certissimum est, supra quoque dixi. Bene vale, candide Lector. Calend. Octobris. 1549.

---

No. 4605. 5. Oct.

## *Io. Matthesio.*

Edita in Wilischii Arcanis biblioth. Annaeberg. p. 167 sq.

*Reverendo viro eruditione et virtute praestanti, D. Iohanni Matthesio, Pastori ecclesiae Dei in Valle Ioachimica, fratri suo cariss.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Dei beneficio et Ecclesia hic adhuc tranquilla est, et

studia doctrinarum omnium mediocriter florent. Ego a vicino *Illyrico* magnis contumeliis adficior, quem vides narrare familiares sermones, quos efferri alienum est ab amicitiae et familiaritatis iure: sed respondebo *) Deo iuvante. Te oro, ut, cum scias me et doctrinae explicationi fideliter serviisse, et semper nostri ordinis coniunctionem fovisse, non sinas voluntatem tuam a nobis alienari. Deus nobis aderit. Hunc adolescentem *Wolffgangum Brellium* tibi commendo. Ingenium eius audio probari doctis et bonis viris, et in elementis doctrinae philosophicae et in doctrina coelesti egregie profecit. Tueamur gregem nostrum et iuvemus, donec Deus Ecclesiae suae in his regionibus largitur tranquillitatem aliquam ad colenda literarum studia. Nec vero dubito, quin ad posteritatem servaturus sit agmina discentium, si nunc et invocatione nostra et studio iuvandi discentes ostendimus, nobis quoque posteritatem curae esse. Quare te valde oro, ut huius adolescentis studia commendes honesto viro Iudici vestrae civitatis, *Iohanni Molitori*, cuius praedicat adolescens beneficia magna cum gratitudine, ac te quoque orat, ut suis verbis gratias ipsi agas. Mitto tibi et orationem de *Crucigero* et *libellum Physices* nimis tenuem: nam haec ab ignaris Metallicarum rerum scribi non possunt. Bene vale. 5. die Octobris 1549.

Philippus Melanthon.

---

No. 4606. 16. Oct.

## *M. Collino.*

† Ex autographo Mel., quod est in bibl. Cl. R. *Baehrii*, qui mihi eam descripsit.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Matthaeo Collino, in Academia Pragensi, amico suo carissimo*

S. D. Carissime *Colline*. Etsi nihil perinde levat moestitiam in his communibus miseriis, ut amicorum prudentium colloquia, et ego inprimis acquiesco in tuis[1]) literis, tamen ita flagito officium scribendi, cum commode et scribere et mittere poteris. Benevolentiam mutuam et animorum, imo et iudiciorum consensionem spero aeternam fore, et fruemur nostra amicitia multo dulcius in illa aeterna consuetudine apud filium Dei, et nostros collegas, id est doctores Ecclesiae, Prophetas et Apostolos. In Germania Saxonica bella metuo. Nunc *Carolus* ex *Belgico* redibit *Spiram*. Mitto tibi pagellas ut soleo. Bene vale. Die 16. Octobris, quo ante annos 1872 interfectus est Demosthenes[2]).

Philippus Melanthon.

---

No. 4607. 17. Oct.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 622 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 764.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. amico et fratri suo carissimo,*

S. D. Ita accidit, ut istic fore praedicebam. Mediocriter iam me calculus excruciat, motus illa vectatione vehementiore, cum ad *Ascanium* proficisceremur. Sed inedia lenio cruciatus, ut narrabit *Laterensis*: utar ergo valetudinis excusatione in litteris ad *Cumerstadium*, quas tibi mittam, et quibus intexam illas nostras conciones de laude coniugii et castitatis veras, et nimis neglectas in Ecclesia. Ex colloquio τῆς καρόλου μήτιος*), ratiocinari te multa potuisse existimo, et de me nonnihil. Mansi hactenus in his locis seu fato, seu mea quadam timiditate, seu huius sodalitii amore. Sed ad ipsum multo ante scripsi, me si malint alibi esse, non futurum ipsis oneri. Scribes igitur mihi quid tibi videatur.

Ad iter Cygneum me ut spero accerses, ubi de me quoque deliberabimus. Litteras *Adami Fuldensis*, quib. inclusi sunt aurei, bona fide mihi exhibuit *Laterensis*.

Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus crucifixus pro nobis, et resuscitatus ac sedens ad

---

*) Quum Melanthon d. 5. Oct. scribat, se respons*urum* esse, facile intelligitur, epistolam ad Flacium d. 1. Oct. data nondum d. 5. Oct. ex prelo prodiisse.

1) Apogr. *his*; sed puto scriptum esse in autographo *tuis*.

2) Secundum Eberi calendar. Demosthenes ann. 322. ante Christum natum periit, ergo ep. scripta esset a. 1550. Argumentum epistolae, de reditu Caesaris ex Belgico, docet, epistolam esse scriptam a. 1549. Praeterea haec computandi ratio congruit cum alia quam habemus d. 16. Oct. 1558.

*) Carolovitz, C. W. Ludit hominis versutiam, dum nomen vertit: *καρόλου μῆτις*, Caroli versutia.

dextram Dei, ut det dona hominibus, qui vere est custos Ecclesiae suae, servet te et Ecclesiam tuam domesticam et publicam. Bene vale, XVI. Cal. Novemb. Heri advenit Tubingensis Lector, cuius Epistolam misisti, quem ad te post biduum venturum esse arbitror.

Phil. Melanth.

---

No. 4608. 22. Oct.

## *Eidem.*

Epist. ad Camerar. p. 628 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 764.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Sua cuique virtus praecipue benevolentiam et autoritatem parit, et Deus addit ἀξίωμα bonis mentib. Quare scio non defutura esse genero tuo *), viro integerrimo studia honestorum virorum *Cygneae*, ac Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi custodem Ecclesiae suae oro, ut et ipsum gubernet et faciat σκεῦος ἐλέους. volebam autem et adesse initiis, et adducere amicos, ut istic eum audiremus, et aliquid alacritatis adderet comitatus. Sed me iudicium tutelae retinuit, in quo de *Stacmanni* haereditate rationes retulimus. Nec abesse ab ea cognitione potui, cum ipse fuerim tutor, cruciatus a calculo orti et obstructiones, etsi adhuc haerent, tamen me non retinuissent. Nondum etiam γαμικὰς ἐπιστολὰς scribere potui, Impediit me hodie iudicium tutelae, ut nec *Erasmo Sarcerio* litteras dare potuerim. Postea igitur vesperi hunc nuncium ad vos ire iussi. Deus te et Ecclesiam tuam domesticam servet. Bene vale, XI. Cal. Nov.

Philippus Melanth.

---

No. 4609. 22. Oct.

## *A. Moibano.*

Epist. lib. III. p. 229. (edit. Lond. lib. III. ep. 139.).

*) Erasmo.

*D. Ambrosio Moibano*

S. D. Reverende vir, et amice charissime, Quod faustum et foelix sit, proficiscitur ad te Filius *Zacharias*, me etiam probante consilium de profectione. Nam et ipse pio desiderio parentum afficitur, et vobis spero eius conspectum voluptati fore, et ut laetus complectare tuos, toto pectore opto. Recte didicit *Zacharias* philosophiae initia, et spero eum Ecclesiae Dei usui fore. Nam et mores sunt honesti. Filius *Iohannes* nunc *Augustae* est, quo et ipsius discipuli profecti sunt, et mihi in aliorum Epistolis salutem adscribi iussit. Decrevit etiam suae valetudinis causa dedere se artis Medicae studio: qua de re spero firmiorem fore, cum erit aetatis ἀκμή. Nam saepe animadverti corpora adolescentum ante ἀκμὴν, cum crescerent, multis morbis conflictari, quae postea confirmata sunt, consumptis illis humoribus redundantibus. Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, te et tuos clementer servet. Bene vale. 22. Octob. *Osiander* movebit non parva certamina. Deus adsit nobis.

---

No. 4610. 22. Oct.

## *H. Baumgartnero.*

† Ex autographo Melanth. in cod. Monac. I. p. 265.

*Clariss. viro — — D. Hieronymo Bomgartnero, senatori inclytae urbis Noribergae, amico suo cariss.*

S. D. Et de bello Saxonico, quantum nunc sciebamus, et de Hyperboreis disputationibus scripsi in pagellis, quae nuncio *Andreae* dedi *). Hanc epistolam scripsi rogatus ab adolescente Noribergense, *Andrea Trecelio*, qui narrat tibi notum esse suum patrem, *Hieronymum Trecelium*, civem vestrum. Natura adolescentis modesta est et doctrinae capax, et iam mediocriter didicit linguam latinam et initia philosophiae. Quare si parentes sunt inopes, te oro, ut eius rationem habeatis inter eos, quorum studia liberalitate publica iuvantur. Bene et foeliciter vale. die 22. Octobris.

Philippus Melanthon.

*) Est epist. ad Baumgartn. d. 9. Septb. 1549. data.

No. 4611. 23. Oct.

## Io. Matthesio.

† Ex collect. Ballenstadt. Vol. I. p. 64.

*D. Ioanni Matthesio, Pastori Ecclesiae in Vallibus.*

Venerande vir et amice carissime. *Paulus Eberus* dictavit enarrationem prioris epistolae ad Corinthios. In hac de quaestionibus coniugiorum quaedam scripsit, quae dextre intelligentibus prodesse possunt ad multas controversias diiudicandas. Eas pagellas nescio an videris, non enim editae sunt, sed tantum ab *Ebero* dictatae. Si volumus conscientiis et moribus piorum consulere, profecto non possumus ubique sequi canonistas, quorum quaedam opiniones palam absurdae sunt. Scripsi in pagella, quam inclusi huic epistolae, quid mihi videatur de iis quaestionibus, de quibus iam ad me scripsisti. Si integras narrationes miseris, poterit fortassis explicatius responderi, etsi de altera quaestione, de parricida, plane respondi. Bene vale. 23. Octob. 1549.

Melanthon.

---

No. 4612. 23. Oct.

## Eidem.

† Ex collect. Ballenst. Vol. I. p. 62.

*Iohanni Matthesio.*

(inclusa epistolae antecedenti.)

Canonistae in quaestionibus de divortio ideo sunt duriores, quia non intelligunt discrimen legis et Evangelii, et confundunt politica et vocem Evangelii de iustitia spiritus. Etsi autem nec ego laxationes temerarias probo, tamen, cum politica discernenda sint a iustitia Evangelii, et sint in hac confusione politiarum multi, qui non sunt membra Ecclesiae et qui perinde habent dura corda, ut illi, de quibus dicitur Matth. XIX., saepe possumus pie uti lege *Theodosii* pii de divortiis, quae extat in codice libro quinto in titulo de repudiis, et initium est: *consensu licita matrimonia.* Itaque mihi videtur parricidae uxor non cogenda esse, ut sequatur cum parricida. Non naturale est, diligi virum a muliere, cui filii interfecti sunt, quia maternus dolor, ordinatus a Deo, eiicit omnem amorem talis mariti. Ego etiam pronuntiarem de divortio aperte et concederem huic miserae petenti aliud pium coniugium.

Sed de priore tua quaestione sentio, primam debere sequi maritum, si tamen intervenit cum aliis consuetudo carnalis, etsi prima sponsalia fuerunt publica. Nam si prima non fuerunt publica, et alia sequentia publica fuerunt, etiam non est cogenda ut eum sequatur, et iure liberari potest. Potes de utroque casu narrationes mittere copiosiores.

P. Melanth.

---

No. 4613. 24. Oct.

## Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 b.

*Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Tangermunda.*

S. D. Carissime frater. In tantis publicis miseriis summa cura omnes sapientes gubernatores debebant perficere, ut in Ecclesiis tranquillitas esset, ne invocatio impediretur, quae est portus gratissimus in tanta moestitia. Nunc multi ad caetera publica mala hoc quoque addunt, ut invocationem piorum in Ecclesiis turbent, eiiciant pastores idoneos, aut incendant odia populi adversus eos. Haec mala deploremus et sapienter quaeramus mitigationem. Si caeteri communi consensu receperint illam vestram formulam, populus minime repraehendet vos, si et ipsi receperitis. Sed si alii non receperint, nec vobis velim suadere, ut odia populi contra vos accendatis. Existimo autem, posse flecti Illustrissimi Principis animum, ne urgeat haec mandata. Sed si omnino discedendum erit, mea officia vobis non defutura sunt. Et spero, Deum nobis nidulos monstraturum esse. Etsi autem de meis consiliis et actionibus aliorum sunt alia iudicia, tamen Deus testis est, me semper voluisse, ut extet doctrina recte explicata, et ut harum regionum Ecclesiae maxime tranquillae et concordes essent. Ac Deum quotidie oro, ut me faciat σκεῦος ἐλέους. Bene et feliciter vale carissime frater. *Petro* et *Cononi* salutem opto. Die 24. Octob. anno 49.

Philippus Melanthon.

Illi postulationi omnino adversandum est, sicubi proponitur, quae iubet, ut se subiiciant pastores declarationi Caesarianae et generali synodo. Haec postulatio prorsus impia est.

No. 4614. 28. Oct.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 626. (ed. Lond. lib. IV. ep. 767.).

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo cariss.*

S. D. In epistola tua quanquam brevi, tamen hae mihi narrationes iucundae fuerunt, in quibus significas te profectum esse ad filiam, et tuos Dei beneficio incolumes esse. Oro autem tecum filium dei, ut Ecclesiam tuam domesticam clementer protegat et servet. Delectatus sum etiam Viri Clariss. D. *Badhorni* benevolentia et studio, et ei gratias ago, teque oro ut meis verbis ei gratias agas. Sed hac conditione pecuniam mutuo sumendam non censui, quia sciebam ad id tempus non posse tantundem reddi. Plane enim illa*) negligit Hesiodi praeceptum, φράζεσθαι χρείωντε λύσιν. Nisi fundus pensione oneretur, non video quid agamus.

Inveni hic Iustini Martyros libros, in quibus tres pagellae sunt, hoc titulo, ἔκθεσις πίστεως περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας, ἤτοι περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος. diserte loquitur περὶ οὐσίας καὶ ὑποστάσεων et de duab. naturis in Christo nato ex Virgine. Si est vetus scriptum, profecto illustre testimonium est doctrinae Ecclesiasticae. Valde cuperem eas pagellas edi, et familiares fieri piis. Etsi autem in tua catechesi satis perspicua est explicatio, tamen haec quoque legi a te velim. Et istuc tibi codicem afferam.

*Bembi* historiam misi *Sabino*. Forma orationis antiquior pene videtur Caesaris oratione. Exemplum unum retinui. Si *Carolovicius* non habet, opinor gratum ei munus fore. In vestibuli libri est pictura Mercurii amplectentis Palladem. Bene et feliciter vale. Totam Ecclesiam tuam domesticam et publicam servet filius Dei dominus noster Iesus Christus. Quinto Cal. Novemb.

Philippus.

---

No. 4615. 28. Oct.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 611 sq.

*) Lutheri vidua. C. W.

*Mich. Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Clarissime vir, et amice charissime. Dei beneficio *Casparus*, filius, advenit huc salvus et incolumis, ac Deum oro, ut vos omnes regat. Cum autem non sit frater una missus, et libenter sit *Caspar* apud Magistrum *Erasmum*, nondum eum a Magistro *Erasmo* abducam, praesertim cum Magister *Paulus* alios adolescentes domi nunc non doceat. Nec dubitato, mihi omnia fideliter curae fore. Mensa nostra fortassis initio etiam commodior erit *Casparo*, L. *Sneidewein* nondum rediit. Ideo *Christophorus* adhuc nobiscum est.

De aulica reformatione nihil scribo, quia etsi editam esse nollem, tamen nihil mutat. Imperatorem valetudine retineri in Belgico dicunt.

Heri huc advenit Legatus Ducum *Megalburgensium**), ut ad Academiam *Rostochianam* lectores vocet. Nec metuit bella in iis locis. Bene et feliciter valete. Deus aeternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, servet et gubernet vos et vestram Ecclesiam domesticam. Die 28. Octobris.

Philippus.

---

No. 4616. 29. Oct.

## Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

*Christophoro Lybio, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Tangermunda.*

Venerande vir et amice carissime. Etsi veras et iustas causas habui, cur suasi[1]), non deserendas esse Ecclesias, meque adversus crudeles sycophantas earum causarum veritate consolor, tamen aequiore sum animo, cum audio, te et aliquos similes pios, eruditos, graves, non factiosos mecum sentire. Nec profecto in hoc tanto luctu Ecclesiae decere existimo, ut rixemur de linea veste. Et ipse legi et dedi legendam tuam παραίνεσιν, scriptam πρὸς τὸν βλάκιον reverendo D. *Pastori*, cui ea lectio pergrata fuit. Suadeo autem, ne πρὸς τὸν βλάκιον mittas. Nam si mitteres, excuderet cum calumniosa responsione. Nolo autem te implicari

*) Arnoldus Burenius.

1) Videl. in ep. ad Lybium d. 24. Oct. 1549. scripta.

huic certamini odioso. Paulatim minus avide legentur tales sycophantiae. Cumulat enim manifesta mendacia, et multa calumniose depravat. In proxima responsione ad meam epistolam scripsit, alicubi literas meas reperiri, in quibus ego petiverim Interim, ut ipse loquitur. Quam sit absurdum commentum vides. Sed omitto haec.

Ad Senatum Lubecensem nondum scripsimus. Pastor enim non flagitavit, fortassis mole occupationum nostrarum impeditur, ut ea de re non cogitet. Imperator fuit in itinere venturus Spiram, sed valetudine retinetur. Sapientes viri valde metuunt futurum conventum Imperialem si vivet Imperator. Nos scimus Deo Ecclesiam curae esse, et nostram salutem ei commendemus. Bene vale. Die 29. Octobr. [1550.] [2])

Philippus Melanthon.

---

No. 4617. 29. Oct.

## *E. Schnepfio.*

Epist. lib. II. p. 119. (ed. Lond. lib. II. ep. 106.).

*Doctori Erhardo Schnepfio*

S. D. Reverende vir, et amice charissime, Etiam *Pindarus* hoc *Homericum* dictum laudat:

'Εσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῃ·

Ac plurimum refert qualis sit in nunciis virtus et autoritas. Ideo etsi hunc Legatum Illustrissimorum Ducum *Megalburgensium*, virum eruditione et virtute praestantem *Arnoldum Burenium* propter ipsos Principes non gravatim audies: tamen ut libentius excipias et audias, significandum tibi duxi, quis sit hic Legatus. Vetus mihi cum eo amicitia est, et comperi fidem et gravitatem eius eximiam esse, propter quam et Ducibus *Megalburgensibus*, et universae Academiae *Rostochianae*, et optimo cuique in omnibus Civitatibus illorum locorum, et in Equestribus familiis notus et charus est. De eruditione coniecturam ipse facies in colloquio. Sed paucissimi sunt in *Germania*, si qui sunt, quorum anteferenda sit oratio. Sed multo maius ornamentum est in eo, vera Dei invocatio, et in omni officio constantia. Quare excipias eum amanter, ac talis viri notitiam et amicitiam tibi gratissimam fore spero. Mandata Principum ex ipso audies: vocant te in Academiam *Rostochianam*, et stipendium honestum offerunt. Etsi scio te, ut *Paulus* laudat hospitium et officia *Onesiphori*, ita Principum et aulae vestrae benevolentiam erga te magnifacere, nec facile a *Salae* ripa discessurum esse: tamen quantum referat in illa magna ora littoris *Baltici* scholam esse florentem, quae sit ad posteritatem doctrinae coelestis custos, consideres. Praeclare ibi de tota Ecclesia mereri poteris. Sed haec tu ipse pro tua excellenti prudentia considerabis. Bene vale. Die 29. Octobris.

---

No. 4618. 29. Oct.

## *Ioachimo Pr. Electori.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ᵇ.

*Ad Marchionem Electorem Ioachimum etc.*

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtigster, hochgeborner Churfürst, gnädiger Herr. Von E. C. F. G. hab ich neulich ein Schreiben empfangen, darin Ewr C. F. G. mir des würdigen Herrn Georgii Buchholzers Söhne gnädiglich befohlen. Darauf erbiet ich mich in Unterthänigkeit, auf sie auch ein besonderes Aufsehen zu haben. Ich habe auch dem ältern neulich noch Arbeit fürgeben. Den nun wollt ich gern zur Philosophia treiben, denn welche ordentlich in philosophia studiren, werden auch sonst ordentlicher und sittiger, und nicht ungehaltene Schreier. Und so viel belanget E. C. F. G. jetzige Schrift vom jungen Tempelhofe, will ich auch treulich helfen, daß er wohl bestellet werde, und nämlich bei dem Magistro von Eisfeld, bei welchem des Ehrenvesten und gestrengen Herrn Eustachii Sohn ist, und [der] die Jugend zugleich in lingua latina und in principiis iuris unterweiset, oder wie ich seine Gelegenheit sehen werd. In meinem Häuslein ist nicht so viel Raums, daß jemand sonst denn mein Gesindt darin Wohnung haben möge. Ich will aber gerne ein besonder Aufsehen haben auf ihn, ob er gleich einem andern befohlen wird, wie ich ihm viel nützlicher achte, denn daß er bei mir wohne. E. C. F. G. thun löblich, daß sie der armen Jugend Studia

---

2) Annum uncis inclusi, quippe ex arbitrio additum. Scripta est autem ep. anno 1549., ubi Caesar ex Belgico Spiram profecturus erat. Nam mense Oct. 1550. fuit in comitiis Augustanis. Vid. etiam ep. ad Meienburgum d. 28. Oct. 1549.

gnädiglich helfen fördern. Ich besorg, es werde nicht lang nach diesen Zeiten große Blindheit und Barbarei folgen. E. Chf. G. haben noch durch Gottes Gnade viel wohlgelahrter gottfürchtiger Pastores. So aber die Studia fallen würden, so würden sehr ungleiche Leute hernach an ihre Statt kommen. Der allmächtige Gott Vater unsers Herrn Jesu Christi wolle E. Chf. G. und diese Land gnädiglich bewahren und regirn. Datum 29. Octobris 1549.

E. Chf. G.

unterthäniger Diener.

[Ph. Mel.]*)

*) Nomen subscriptum in apogr. praetermissum est.

---

No. 4619. m. Oct.

## *Bechius ad Spangenb.*

Manlii farrag. p. 454 sqq.

*Clarissimo viro, pietate, virtute et eruditione eximio, D. Ioanni Spangenbergio, summo Ecclesiae Islebianae pastori et superintendenti, domino et amico suo in Christo plurimum observando et amando, Philippus Bechius* S. D.

Decet nos, qui Christiani dici aut haberi volumus, pios et adflictos exules nido et tecto suo propter Evangelii confessionem pulsos, omni ope et auxilio adiuvare: eosque viris pietate, doctrina, et omni virtutum genere praeclarissimis, studiose commendare. Quare non succensere nobis debes, vir clarissime atque optime, quod literas ad te meas, nullo verborum lenocinio comptas, dare non erubuerim. Mé namque pietas atque officium boni viri, et Evangelii amantis, sponte quasi impulit, ut Ioanni *Valentino Deygero*, amico meo summo, qui variis atque infinitis propemodum aerumnarum atque miseriarum procellis expositus est, hac mea commendatione gratificarer: quam eo quidem animo te, quo scripsi, suscepturum esse, non diffido. Commovebunt igitur te, mi doctissime D. Spangenbergi, non mea solum, sed aliorum gravissimorum virorum commendationes, quibus illi adesse quam promptissime voluerunt. Puto autem illum non mea vel aliorum commendatione solum esse dignum, sed etiam tua et aliorum pietate, doctrina ac virtute clarissimorum virorum: cum summam animi constantiam inter suas calamitates atque miserias, quibus ille discruciatur, perpetuo retineat, nec quicquam contra Deum illorum causa facere statuat. Nam Evangelii confessionem atque vocationem ad docendum omnibus rebus humanis, vitae et fortunae anteferre debemus, si modo regni Christi salvatoris nostri cohaeredes esse voluerimus. Quare cum illius desertionem ex mandato factam esse videamus, merito illum tibi quam commendatissimum habere debes. Habebis autem illum tibi summopere commendatum, si vel tua vel alterius viri ope et auxilio pro virili quisque sua liberaliter fuerit adiutus. Cogitabis illius praecepti quod apud Phocylidem [in *Brunckii* poet. gnom. p. 154.] extat, cuius verba sunt haec:

*πτωχῷ δ' εὐθὺς δίδου, μηδ' αὔριον ἐλθέμεν εἴπῃς.*
*πληρώσας σέο χεῖρ' ἔλεον χρήζοντι παράσχου.*
*ἄστεγον εἰς οἶκον δέξαι, καὶ τυφλὸν ὁδήγει.*

Sed non puto longiori sermone ad commendandum illum, vel te potius hortandum, atque tibi persuadendum, opus mihi esse: cum sciam ex aliis, te erga peregrinos, praesertim tuae farinae homines, et exules etiam pios, semper esse quam optime affectum. Quare ut tandem concludam, te mi humanissime atque doctissime D. Spangenbergi, vehementer oro atque obsecro iterum atque iterum, ut late et benigne exulem iam praenominatum hospitii tui iure suscipere, atque illi ad viaticum parumper praebere digneris, quo commodius ad suos liberos longe dulcissimos, Argentorati vitam agentes, redire queat. Sed non dubito, quin illi pro veteri tuo more, sis omnem benevolentiam Christi nomine, quem dies noctesque confiteris, exhibiturus, cum sis verae pietatis quam amantissimus. Haec sunt, quae breviter ad te scribere amici causa volui; tu modo fac, ut quicquid a me profectum est, optime consulas, meque et *Valentinum* tibi semper habeas commendatum. Vale, atque in annos usque Pythios cum omnibus tuis quam felicissime vivas. Datae Lipsiae, subito, Mense Octobri. 1549.

---

No. 4620. 1. Nov.

## *Lectori.*

Praefatio in librum: Von dem Bilde Gottes in den ersten Menschen. Von der Verstörung und Vernewerung des Bildes — — mit einer Klagrede Deudschland, Thilomannt

Kragen, Lucheviani. Mit einer Vorrede Philippi Melanthons. 1550. Wittemberg. 4. — Latine illam habes in Mel. Declamatt. Tom. III. p. 695. ubi etiam oratio addita est: „quo modo intelligendum sit, quod homo ad imaginem Dei conditus sit." Eam dabimus in orationibus. Textus germanicus autem, Kragenii libro praemissus ubique prodit naturam versionis, ab homine non satis docto factae. Est igitur haec praefatio proprie epistola Melanthonis ad Kragenium de suo libro, quam hic in vernaculam linguam vertit, et libro suo praeposuit. Dedi igitur textum latinum ex Declamatt.

Perlegi hoc scriptum viri honesti et eruditi, D. *Tilomanni*, et iudico [1]), congruere cum communi sententia harum Ecclesiarum. Et quia [2]) praecipua membra doctrinae de poenitentia recitat, illustrat magnitudinem [3]) peccati, cum deplorat corruptionem imaginis Dei, in genere humano; et e contra monstrat filium Dei, qui est integra aeterni patris imago, et in credentibus restituit imaginem Dei [4]), haec lectio erit commonefactio [5]) non ingrata piae menti. Necesse est enim saepe in invocatione harum maximarum rerum doctrinam cogitari, quam tetrum malum sit in homine, destructio operis, et ordinis divini in nobis; et e contra unde vera et firma consolatio petenda sit. Prodest certe antithesin considerari operis divini [6]) et ruinae, quae postea secuta est.

Sic condiderat Deus hominem, ut bonitatis suae, et amoris erga nos illustria testimonia nobis impresserit [7]). Quia enim ea, quae sunt in ipso optima, in nos transfudit, scilicet radios [8]) suae sapientiae, rectitudinem et libertatem voluntatis [9]), ut ipsius domicilium et templum essemus, et ipse in nobis efficax esset, sua bona nobis assidue communicaret, et vicissim agnosceretur, et celebraretur ipse, necesse est magnam vim amoris erga nos fuisse.

Etsi autem nullius creaturae eloquentia magnitudinem horum bonorum exponere potest, sed in vita aeterna, in ipso conspectu [10]) magnitudo cerni poterit; tamen nunc inchoanda est consideratio, ut pueri primas literas discunt, nec sine hac inchoatione pervenitur ad illam aeternam lucem.

Ita e contra vide, postquam haec misera natura peccatis oppressa est, quam multiplex confusio secuta est. Mentes plenae sunt dubitationum [11]) de Deo, an sit, an puniat delicta, an velit opem ferre invocantibus: imo horribili furore multi Epicureas opiniones amplectuntur, alii, quia voce naturae convicti [12]), agnoscunt aliquid esse Deum, tamen sua quadam audacia fingunt numina, nec quaerunt verum Deum, sed comminiscuntur Deos suo arbitrio, ut omnibus seculis multi fecerunt: Ethnici Iovem, Iunonem, Palladem, Martem, Venerem, Bacchum; et in eo coetu, qui nomen habet Ecclesiae Dei, tamen multi furores similes Ethnicorum exstiterunt [13]), ut Iudaei coluerunt Moloch, et reginam coeli, quae fortassis erat Luna; et adhuc usitata est invocatio hominum mortuorum, ut Ethnici Lucinam, Herculem, ita multi nunc Annam, Georgium et similes invocant.

Non solum fingit humana audacia Deos, sed varios etiam cultus excogitat, contra mandatum Dei. Alii vitulos, alii porcos, alii equos, alii canes, saepe etiam homines mactarunt. Ita in Ecclesia multis iam seculis haeret [14]) profanatio coenae Domini horrenda, et, proh dolor! magno errore stabilitur.

Haec mala caecitatem mentis in genere humano sequuntur. Deinde accedit in voluntate et corde contumacia, vagantur cupiditates, excusso Deo, iniusti amores, et iniusta odia, ambitiones, irae, libidines, et alia multa incendia pravorum affectuum [15]). Nec Paulus de parvis malis loquitur, cum inquit: sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Quid tristius dici potest, quam in hac miserrima natura tantum pravitatis esse, ut etiam hostiles fremitus, et indignationem habeat adversus Deum? ut apparet in Saulo, sentiente iudicium et iram Dei, ac similibus. Haec nostra mala saepe cogitanda et deploranda sunt, et quaerenda vera remedia, ab ipso Deo immensa bonitate et misericordia proposita. Vide enim rursus

1) Text. germ. erkenne.

2) Text. germ. dieweil es scil. hoc scriptum; quanquam verterat diese Schrift, tamen hic sequitur genus verbi latini: *scriptum.*

3) Text. germ. Grosheit.

4) Text. germ. das Bilde Gottes wieder zurichtet, der Welt fürhält und anzeiget.

5) Text. germ. Erinnerung und Vermahnung.

6) Text. germ. ansehe Gottes Werk, wie er den Menschen im Anfang geschaffen hat.

7) Text. germ. eingegeben hat.

8) Text. germ. den Glanz.

9) Text. germ. den rechten freien Willen.

10) Text. germ. für dem Angesicht Gottes; putavit praetermissum esse *Dei*, quum tamen fuisset vertendum: beim Anblick u. Genusse der Güter selbst.

11) Text. germ. Zweifelung und Unglauben gegen Gott.

12) Text. germ. mit dem Gesetz der Natur überzeugt.

13) Text. germ. ist fürwahr auch viel wütens Dinge und Unsinnigkeit, den Heiden gar gleich.

14) Text. germ. hängt noch von lange her.

15) Text. germ. feurige Begierd und Zuneigung.

nova testimonia amoris divini erga genus humanum. Initio in condendo transfuderat Deus in nos ea, quae sunt in ipso optima. Haec dona, abiecta a primis parentibus, posteritas amisit. Rursus igitur prodit ex arcana sua sede Deus[16]) et ostendit in arcano illo suo consilio, placatorem constitutum esse filium, et affirmat, se recipere omnes ad filium confugientes[17]); dat certam de se vocem doctrinae, ut, quomodo invocari et coli velit, sciamus. Hac voce condit sibi Ecclesiam, in qua una collocat haeredes coelestium bonorum, et non alibi. Regi[18]) vult mentes sua voce; docet, hunc esse verum Deum, qui se in ea Ecclesia illustribus testimoniis patefecit, edita promissione de filio, revocatis ex morte primis parentibus, servatis reliquiis generis humani in arca Nohae, eductis Israelitis ex Aegypto, misso filio Domino nostro Iesu Christo: et vult se verum Deum compellari in invocatione, non vult vagari mentes, non cogitantes quid aut quem invocent, ut apud Euripidem inquit Hecuba: O gubernator mundi, quisquis es, sive hoc coelum, sive mens quaedam. Non sic erret invocatio nostra, sed hunc Deum verum alloquatur, qui se patefecit misso filio, et editis testimoniis illustribus. Hunc sciamus esse conditorem rerum, hunc sciamus velle opem ferre invocantibus propter filium; hunc sciamus velle, ut regamur sua voce, et non fingamus alia numina, non alios cultus, quam quales ipse sanxit, sicut docet filius Dei, inquiens: Haec est vita aeterna, ut agnoscant, te solum esse verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum. Haec tota doctrina, cum alias in vita saepe cogitanda est, tum vero in invocatione inprimis sit in conspectu, ut mentes ad deploranda nostra mala, et ad agnoscendam iustissimam[19]) iram Dei, et rursus ad consideranda beneficia filii Dei accendat. Primum in creatione illustre specimen amoris erga nos fuit, quod in nos transfudit Deus similitudinem eorum bonorum[20]), quae in ipso sunt optima. Postea, ut amissa bona restituerentur, filius pro nobis deprecator fuit, et quidem iram aeterni patris in sese derivavit, et custos fit Ecclesiae. In his summis beneficiis lucet immensus amor filii erga nos. Denique effunditur etiam in pectora nostra Spiritus sanctus, qui est lux a patre aeterno et Filio procedens. Nec vera maiora bona dare potuit Deus, quam haec ipsa, radios suae sapientiae et iustitiae, deinde filium et Spiritum sanctum, qui est flamma divinae essentiae. Haec tanta bona agnoscamus, et ardenter petamus, et grati celebremus, quod ut fiat, assidue voce Evangelii mentes exuscitandae sunt, et doctrina saepe repetenda est. Quare Paulus inquit: verbum Christi habitet inter vos abunde in omni sapientia, ut vos doceatis et commonefaciatis. Verbo habitandi usus est, ut assiduam familiaritatem significet[21]). Vult nos familiarissime colloqui cum voce prophetica et apostolica, vult eam crebro repeti, vult sententias conferri, vult et assiduam et copiosam fieri explicationem. Sed addit: in omni sapientia. Reverenter sequamur nativam et incorruptam sententiam vocis divinae, non adfingamus ei peregrinas interpretationes, ut omnibus temporibus haeretici fecerunt, summa cura frenentur curiositas, cupiditas contentionis, admiratio proprii ingenii, amor ineptus argutiarum et cavillationum. Nam hae pestes omnibus seculis miscent venena limpidis et saluberrimis lymphis doctrinae coelestis. Ideo monet, ut hanc familiaritatem[22]) prophetarum et apostolorum regat sapientia, quae magna vigilantia caveat, ne tales contubernales iniuria a nobis afficiantur.

Nec vero dubitemus, ubi horum sermo[23]) nobiscum habitat, vere tegi haec ipsa domicilia nostra et hos parietes[24]) a filio Dei, et in pectoribus nostris habitare una spiritum sanctum, ut scriptum est: si quis diligit me, sermones meos servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.

Haec cum ita sint, laudanda sunt studia piorum, qui doctrinam, quanquam multis libris traditam, subinde repetunt: modo id faciant (ut Paulus inquit) sapienter, id est, conservata puritate.

---

16) Text. germ. kommt Gott abermals aus seinem verborgenen Stuhle.

17) Tert. germ. die zu dem Sohn laufen.

18) In Declam. *alibi regi*; sed puto, cum versione germanica post alibi plene interpungendum esse.

19) Text. germ. allerbilligsten.

20) Text. germ. in uns gegossen hat die Gleichniß der Güter.

21) Text. germ. damit er anzeige, daß das Wort Christi unser Mitwohner seyn soll; damit wir täglich umgehen und Gemeinschaft und Freundschaft halten.

22) Text. germ. die freundliche Gesellschaft.

23) Text. germ. dieser Hausgenosse.

24) Text. germ. unsre Häuser und unsre Wände.

Suntque vituperanda fastidia multorum, qui, ut in deserto Israelitae, tandem aversabantur Manna velut nauseantes, ita et ipsi fastidiunt repetitionem verae doctrinae. Adparet autem, et olim in Ecclesia paulatim ob eandem causam extinctam esse lucem verae doctrinae, quia et doctores et auditores taedebat, usitata repetere; ut naturae humanae levitas et instabilitas efficit animum ἀψίκορον et φιλόκαινον. Reiecta igitur usitata forma, coeperunt alii philosophiam inepte miscere, alii demulcebant curiosa ingenia [25]) allegoriis, alii orationes Epidictico more recitabant, multa ex historiis et tragoediis Graecis, de Hercule, de Achille, de Ulysse et aliis infarcientes. Haec ciebant plausus stultorum. Ac postea Monachi partim ex diluta [26]) philosophia, partim sui temporis superstitionibus, Theologiam exstruxerunt, quae et errores continet plurimos, et quaedam tetra et exsecranda idola confirmat.

Postquam igitur Deus immensa bonitate nos ad suam vocem [27]) revocavit, hac ingens beneficium agnoscamus, et grati tueamur, atque utinam eandem verae doctrinae vocem semper et sonemus, et repetamus, et quidem, si fieri posset, iisdem etiam syllabis repeti optarim, sicut sapiens antiquitas in synodis [28]) de multis magnis controversiis certas formulas posteritati praescripsit. Ita saepe fui hortator gubernatoribus nostris, ut curarent, de quibusdam controversiis horum temporum, re deliberata, edi certas formulas, ne ambigue aut indistincte dicta essent ad posteritatem, tanquam pomum ἐρίδος novarum dissensionum semina. Sed cum pauci hac cura adficiantur, multi etiam nulla vincula pati velint, ut liceat Pyrrhonio more turbare dogmata, quandocunque libet, oro bona ingenia, ut hanc quasi λογικὴν λατρείαν Deo praestent, ut in explicanda doctrina vitent λογομαχίας, et cavillationes, et e contra proprietatem ament. Bene vale, pie lector. Vitebergae Calend. Novembris [29]) Anno 1549.

25) Text. germ. sorgfältige Köpfe.
26) Text. germ. aus lauter natürlichen.
27) Text. germ. zu seiner Stimme.
28) Text. germ. die alten Weisen in den Reichstagen.
29) Text. germ. Kalend. Novemb.

No. 4621. 4. Nov.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 624. (ed. Lond. lib. IV. ep. 766.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

S. D. Adiungo et ego ad vota Ecclesiae tuae domesticae, meam invocationem, ac Deum precor, ut tuam familiam et te servet, et gubernet totum generi curriculum. Iudico eum bene de Ecclesia mereri posse in eo munere, ad quod accersitus est. Et tales scholae tranquilliores sunt nostris: libenter affuissem initiis, sed scripsi caussam non falsam, quae me retinuit, excruciavit etiam me calculus, quem heri primum eieci, nec ullum adhuc grandiorem scopulum edidi. Ad *Cumerstadium* etiam scripsi, et misi γαμήλιον exiguum, sed propter Tursonis memoriam fortassis non ingratum. De Sycophantis in vicinia [1]) scito, me magis Ecclesiae caussa, quam propter me dolere, nec metuo epistolarum editiones, de quib. scribis. Vidi editam praefationem, quam praefixi libro Ratisponensi ante annos aliquot [2]), in qua moneo doctrinae corruptelas cavendas esse, graviter scripta est, nec nunc me laedit, sed illi declamationes addiderunt ut solent, quibus credo vulgus delectari. Quid enim plausibilius est ad populum, laxatione disciplinae, et vituperatione gubernatorum? Denique nobis nota est vox Thucydidis, ἐν στάσει πᾶσα ἰδέα κακοῦ ἐστι. Si fatalis mihi haec calamitas est, ut talibus calumniis opprimar, libenter profecto non modo ex Germania, sed etiam ex hac vita discedam. Quae fuerit mea diligentia in multis labyrinthis evolvendis longo tempore, ne illi quidem ignorant, qui nunc nos oppugnant, sed omitto haec. *Arnoldum Burenium* heri tecum fuisse arbitror, qui *Sneppium* in Academiam Rostochianam adducere conatur, et fortassis *Sarcerio* erit hortator, ut in eam Academiam migret, quem nuper nos intelleximus *Lubecam* appetere. Studia Mathematum et excitari et florere ubique optarim: gaudeo igitur *Humelium* istuc venisse.

Mitto tibi et caeteris amicis capita disputationis, quae continent quandam περὶ υἱοῦ θεοῦ sen-

1) Flacius Magdeburg.
2) Edidit hoc tempore Antonius Otto, Past. Northus., Melanthonis praefationem in acta colloquii Ratisbon. germanica cum scholiis in contemptum Mel. scriptis.

tentiam, de qua Thomae et similium hallucinationes non sine gemitu legere posses. Nunc talium maximarum rerum explicationem isti nugatores impediunt, *διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες.* Bene et feliciter vale, IIII. Novem. *Menium* *) scito iam sponsum esse.

Philippus.

---

No. 4622. 4. Nov.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 160. Contuli autographon in cod. Monac. I. pag. 40., cui Baumgartnerus adscripsit: „1549, d. 20. Nov. per Andreolum."

*Hieronymo Bomgartnero, senatori Norib.*

S. D. De Republica nunc quidem nihil audiebamus, nisi tumultus *Lycaonios* [1]), quos multi ratiocinantur initium [2]) fore belli Saxonici, quod et diri congressus in Aegocerote et prodigia et ipsi hominum furores diu iam minitantur. Anni superioris prodigia multa audivisti. Nuper etiam in hac vicinia a multis fide dignis in aëre flammei exercitus conspecti sunt. Est autem custos Ecclesiae suae Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus. Ad hunc confugiamus et ut Ecclesiae suae reliquias servet, oremus.

Nec vero dubitemus sua agmina protecturum esse, vel si fractus illabatur orbis, ut dixit: *οὐχ ἁρπάζει τις τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ ἐκ τῆς χειρός μου,* qua me voce saepe sustento. Calumniis *τοῦ βλακός* et similium, quae *ἐκ διηνεκίας* [3]) sparguntur, non ita moveor, ut vel dolore, vel spe novarum rerum ad ullam me partem inflectam. Servio Ecclesiae modeste docendo res necessarias, donec Deus concedet. Certamina Imperiorum et factionum ad me et mei ordinis homines non pertinent. Mitto pagellas, quae ostendunt Academiae studia. Bene vale vir optime et mihi charissime. 4. Novemb. [4]).

Philippus Melanthon.

*) Filium Menii.

1) Spanh. mendose: *Lycaonis.*

2) Spanh. mendose: *initia.*

3) *ἐκ διηνεκίας*, perpetuo, una serio. Spanh. mendose: *δημοκίας.*

4) Alia manus adscripsit *ann.* 1549.

No. 4623. 6. Nov.

## *Io. Luthero.*

Edita in *Dav. Richteri* Genealogia Lutherorum p. 328.

*Iohanni Luthero.*

S. D. Charissime Iohannes. Dei beneficio recte valent *) et honestissima mater tua, et soror et fratres. Tuas literas de omnibus rebus tuis avidissime exspectant. Tibi gratias habeo, quod iter vestrum mihi descripsisti. Nunc exspecto reliquam historiam itineris tui, ac Deum oro, ut et vitam tuam custodiat et te regat. Non deerunt nuntii tempore Lipsicarum nundinarum. Quare scribes et tu, et a viro clarissimo Doct. *Christophoro Iona* literas flagitabis, cui salutem amanter meis verbis optabis. Bene vale. 6. Novembris.

*Iohanni Camerario*, Ioachimi Camerarii filio, dicito, recte valere parentes, et maritum sororis *Esromum* Cygneae praeesse scholae, a Senatu eius urbis honorifice accersitum.

Philippus Melanthon.

---

No. 4624. 6. Nov.

## *P. Vincentio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Clarissimo viro, eruditione, virtute et eloquentia praestanti, D. Vincentio, Vratislaviensi, amico s. carissimo*

S. D. Carissime *Vincenti*, gratiam tibi habeo pro tua erga me benevolentia, ac vicissim tibi perpetuam benevolentiam polliceor. Ac profecto nos omnes, qui in tantis Ecclesiae periculis et aerumnis concurrimus ad veritatis explicationem, oportebat tueri consensum et concordiam etiam quadam animorum moderatione, digna sapientibus, quod utcunque feci, cum quidem saepe colaphos acceperim non leves a Sycophantis. Iam vero quid docet, quid explicat iste noster hospes? a me mediocribus officiis ornatus. *Ἔχει ὕλην δημοτικὴν περὶ ἐλευθερίας ἢ ἐπικρότησιν καὶ κραυγὰς παρὰ δήμῳ κινεῖ.* Nunc quidem alia responsione nondum opus esse iudico. Sed cogita, quale futurum esset in-

*) *valent*] rescripsi pro mendoso *valeas*, ut edidit Richter.

cendium, si historiam viginti annorum repeterem? Et quanta dogmatum confusio fuerit, tu et multi sapientes et docti norunt; qua in re mediocris fuit mea diligentia, ut extaret explicatio ambigue dictorum. Sed Deo Ecclesiam et me commendo. De *Posnania* res est integra, et arbitror, posse Arcturi ortum ἀκροχρονιλον [?] *) expectari. Mitto tibi pagellas meo more, et Genesin *Crucigeri*. Bene vale, die 6. Novemb., quo ante annum χάσμα conspectum est, cuius in *Crucigeri* oratione mentio fit.

Philippus Melanthon.

---

No. 4625. 11. Nov.

## *Ad. Wassero.*

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54*.

*Eruditione et virtute praestanti Magistro Adamo Wassero in Academia Pragensi, amico suo.*

S. D. Cariss. Adame. Semper iudicavi, ut multi norunt, in gente Bohemica eximiam et nativam esse gravitatem et constantiam, quam in defensione suarum Ecclesiarum olim quoque illustribus exemplis declararunt. Quod igitur nostrae amicitiae non oblivisceris, laudo constantiam et naturae tuae bonitatem et patria dignam. Gratum mihi fecisti, quod significasti quae in loca vir integerrimus Doctor *Wenceslaus* migrarit. Saepe enim de eo vestros homines interrogavi. Opto autem, ut et Ecclesiae servetur et locum, ubi docere possit, habeat. Pro muneribus vestris gratias vobis ago ac vicissim pagellas mitto. Bene vale. Die Brumae 1549.

Philippus Melanthon.

---

No. 4626. 13. Nov.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 627 (ed. Lond. lib. IV. ep. 768.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camer. fratri suo carissimo.*

S. D. In hoc *Eisfeldensi*, cui hanc epistolam tradidi, multae sunt egregiae virtutes et ὀρθότης, ut mihi quidem videtur, conveniens homini Franco: petit autem ut scribas ad fratrem illius, qui ei, ut syngrapha testatur, aliquantulum adhuc debet, quaeso ne ei desis. Cras iter ingrediar istuc *) ad te venturus, existimo enim te quoque in aulam vocari, aliquanto minus mali esset, vel in exilio, vel in latomiis, quam video et esse et fore in his deliberationibus, in quibus plane Sisyphi saxum volvimus. Sed oremus filium Dei ut nos regat. *Stathmionis* pagellas ipse afferam. Bene vale. Idibus Novemb.

Phil. Melan.

---

No. 4627. 14. Nov.

## *A. Hardenbergio.*

Epp. ad Hardenberg. ep. 28.

*D. Alberto Hardebergio.*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Semper ita iudicavi secuturum esse ingens bellum post illam victoriam *Caroli*, quae movit [1]) Remp., non constituit. Et fax belli futuri est illa sophistica religionis depravatio, edita in conventu Augustano. Urget igitur ira Dei multas gentes, quam ut filius deprecator leniat, toto eum pectore oro. Quicunque me casus oppresserit, aliquam mihi levationem adfert conscientia rectae voluntatis, quod et veram et explicatam doctrinam iuventuti tradere conatus sum, cum quidem magna esset opinionum variarum confusio. Si vivam, tecum loquar coram de pluribus controversiis. Nam et *Osiander* nova deliramenta gignit. Te oro, et ut nostrae amicitiae sis memor, et ut scribas ad me, donec colloqui possumus. Etsi enim non possumus complecti literis ea, quae maxime vellemus, tamen consuetudo scribendi benevolentiae significatio est. Bene et feliciter vale. Die 14. Novemb. 1548. [2])

Philippus Melanthon.

---

*) Sic utique scriptum est, sed mendose.

*) Dresdam vocatus per Lipsiam iter fecit.

1) *movit* scripsi pro *monuit*, quod mendum est.

2) Annus ex arbitrio editoris adscriptus esse videtur. Scripta enim est ep. anno 1549., ut intelligitur ex commemoratione controversiae Osiandriacae.

No. 4628. 16. Nov. (Lipsiae.)

## *Georgio Pr. Anhaltino.*

Epist. lib. II. p. 225. (edit. Lond. lib. II. ep. 219.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Heri *Lipsiam* veni vocatus *Dresdam*, quo existimabam et C. V. et Doctorem *Pfeffingerum*, et D. *Ioachimum* accersitos esse. Sed hi nulla mandata acceperunt de itinere. Miror quid negotii sit, ad quod me unum domo extrahant. Et hi flatus ventorum mihi solicitudinem augent. Sed oro Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem Ecclesiae suae, ut nos regat. In Academia utraque Dei beneficio, et florent literarum studia, et eduntur libri pleni eruditione, et utiles moribus, non sycophantici, similes editionum *Meideburgensium*. Mitto C. V. exemplum disputationis proximae. In *Rhenanis* urbibus opinio multorum est, Imp. *Argentinam* venturum esse. Rex *Ferdinandus* duos Italicos Episcopos misit in oppida *Metallica Pannoniae* ad turbandas Ecclesias, in quibus sonat vox Evangelii. Sed consensu communi confessio eis exhibita est, et denunciatum, ne hunc consensum Ecclesiae turbarent; ita illi rursus discesserunt. Bene et feliciter valeat C. V. Die 16. Novemb. quo ante annum *Caspar Cruciger* ex hac misera vita ad coelestem Ecclesiam decessit.

---

No. 4629. 16. Nov. (Lipsiae.)

## *P. Ebero.*

† Ex autogr. Melanth. in bibl. Reg. Hannover.

*M. Paulo Ebero.*

S. D. Carissime Paule. Nemo ex Academia Lipsica accersitus est *Troetzulam* *), ac sperant, Ecclesias adhuc quidem tranquillas mansuras esse. Sed rediit *Brunswicensis Ericus*, qui incepit pellere pios doctores, et libros coniugis concerpsit suis manibus, et paginas multas etiam dentibus laceravit **). Mitto unum exemplum editionis Euclideae, plura singulis allaturus. Nam de fide nuncii dubitandum. Bene vale. Lipsiae. Litteras reddi cures iis, quibus inscriptae sunt.

Philippus.

*) i. e. *Dresdam*. Alias legitur *Troizene*.

**) Vid. quae Melanthon in ep. d. 19. Nov. et in ep. d. 5. Dec. scripta de Erico dixit, ex qua intelligitur, hanc epistolam a. 1549. mense Nov. scriptam esse. Vid. etiam ep. antecedens ad Georgium Anhaltinum.

---

No. 4630. 19. Nov. (Dresdae.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 627 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 769.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo carissimo,*

S. D. Etsi nondum habebam narrationem de nostris praesertim deliberationib. ἀξιήγητον, tamen huic nuncio dedi hanc epistolam. *Stramburgus* et *Carolovicius* sunt in aula regia, loquar tamen de Mathematico utroque cum *Achate* [1]), quem cras affuturum esse audio, utinam artes et floreant et conserventur ad posteritatem, etiamsi imperiorum tranquillitas videtur non diuturna fore.

Hodie mihi narravit *Ioachimus ab Heida* [2]), scis enim aliud esse Myricam, Apianum etiam scripsisse recens, se Principi nescio quae opera adornare, et venturum esse, ut ea exhibeat, sed illius inventa quid ad hanc scholasticam doctrinam? nescio quid addam. Ecclesiarum tranquillitatem a Deo petamus, qui sua bonitate immensa servavit semper coetus doctrinam fideliter custodientes. Et scit ipse nos quaesivisse veritatem bono studio, τοῦ δὲ ὄχλου ὁποῖαί εἰσιν ὁρμαὶ, vides, et tamen aliquibus venia danda est, et optarim sapientes politicos συγχωρεῖν τι τῇ ἀσθενείᾳ τῶν εὐσεβῶν [3]), etiamsi furores aliorum compesci severius iustum esset. ἐστὶ δὲ ἡ ἐκκλησία εὐσεβῶν ὥσπερ οἶσθα, τάγμα ἀσθενὲς, quod mollissime fovendum est. Bene vale, die tuae civis Elisabetae, de cuius miseriis et tragoediis multa gemens hoc biduo cogitavi.

Philippus Melanth.

1) Cammerstadio aut Mordisio. C. W.

2) „Hic Dresdae habitavit; ex Frisia a Georgio Duce Saxon. ut consiliorum sibi minister esset, translatus est. Nominabatur Ioachimus Myricianus." C. K.

3) „supplicia sumta Torgae de aliquibus grassatoribus." C. W.

**No. 4631.** 19. Nov. (Dresdae.)

## N. N.

† Ex mst. Gotting. fol. 132. [Olsb.]

*N. N.*

*Reverende vir et amice carissime.*

Heri cum filium tuum in curru alloquerer, multa et de paterna *στοργῇ* et de posteritate cogitabam, saepe ingemiscens ac vota faciens, ut filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, ac sedens ad dextram aeterni patris servet filius nostris et omnium piorum invocantium ipsum, Ecclesiam et Ecclesiae domicilia. Ac quotidie in invocatione, cogitans qualis sit nostra *στοργὴ* erga natos, simul de aeterni patris *στοργῇ* erga filium aeternum cogito. O! vim admirandam et imperscrutabilem, sed tamen revocatis in vitam mortuis confirmatam. Credamus igitur vere diligi nos ab aeterno patre, ut nostra *στοργὴ* ardet amore nostrae sobolis, et speremus nos Deo curae esse et ab ipso servari genus humanum ac praecipue Ecclesiam suam, cuius membra nos esse, nihil dubium est. Servabit igitur Ecclesiam et tuo filio et dulcissimis filiabus. Quanquam horrendi furores turbant Germaniam in multis locis. Rediit *Ericus Brunsvicensis* in patriam, ubi saevitiam adversus pios doctores nondum usitatam in hac ora Germaniae unquam exercet, libros continentes puram doctrinam concerpit, et pastores partim in carceres rapit, partim ex ditione eiicit; sed Deus servabit Ecclesiae suae reliquias. Nec ille Siloh, filius Dei, cuius tu laudes erudite in tua disputatione recitasti, sinit illas membranas *καὶ τὸ χόριον*, in quo in alvo matris, id est Ecclesiae, sedet, prorsus dilacerari. Cur huc accersitus sim nondum scio, sed cum rediero in oppidum *ἐπώνυμον τῷ ἔθνει Μυσῶν* *), *ὅπερ μείζονι σπουδῇ τηρεῖ καλῆς* **) *διδασκαλίας, ἢ τὰ λοιπὰ ἔθνη τῆς εὐρώπης*, scribam ad te. Non possum verbis eloqui, quantum optem, ut vox doctrinae et invocationis Dei in his Ecclesiis maneat eadem, et ne illud *χόριον* Siloh ex virgine nati, turbetur. Bene et foeliciter vale. Die Elisabethae conterraneae tuae, Landgraviae Thuringiae, matronae honestissimae et magnis aerumnis exercitatae.

Iterum vale.

Tuo filio mitto aves et pisces.

Philippus Melanthon.

*) i. e. Misniam ad Albim. Epistola Dresdae scripta est.

**) Sic scripsi pro *ὅπει μεῖζον σπουδῇ χηρεῖ καλῶς*, ut habet apographon.

---

**No. 4632.** (fere 5. Dec.)

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 218. (edit. Lond. lib. II. ep. 206.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Cum *Lipsiam* reversus essem, exposuit mihi D. *Ioachimus* mandata C. V. fuitque hortator, ut istuc proficiscerer. Et ipse cupiebam historiam itineris nostri coram narrare, et hoc tristi tempore utrique arbitror levationem adferre moestitiae, non colloquia tantum, sed conspectum etiam mutuum. Sed nec solus eram, et causae properandi novae inciderant. In aula fuit deliberatio de scripto, in quo refutatio calumniarum, quas vicini nostri spargunt, verecunde instituta fuerat. Dissuasi tamen editionem. Nam his responsionibus videmus irritari, non sanari aut placari homines maledicos. Et in illo *Pythagorico* praeceptum est, *ignem gladio non fodiendum esse.* Scriptum *Meideburgense* recens, nondum fuerat perlatum in aulam, in quo satis ostendunt, quantum sitiant meum sanguinem *). Et saepe iam de exilio delibero, quod Deus gubernet. Eventus ostendet, quo spiritu illi agantur, qui nunc Ecclesiis nostris, alioqui moestis, augent dolorem. Si motae fuerint seditiones, erit *πανωλεθρία* doctrinae coelestis, literarum, disciplinae, et multorum ornamentorum civilis vitae. Mea voluntas, et omnia mea consilia eo spectarunt, ne desererentur Ecclesiae, etiamsi qua servitus sine impietate toleranda esset. Sed Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi me et Ecclesiam commendo. De Duce *Erico* adeundo, scio non deesse C. V. consilium. Sed magnopere C. V. oro et obtestor, ne ad iuvenem illum, ardentem ira, et stipatum cohorte

*) Scripta a Flacio anno 1549. adversus Interim edita, commemorat Saligius in hist. Aug. Conf. P. I. p. 632.

*Ibera*, accedat. Pontificis *Pauli* interitus *) novas deliberationes fortassis et Imper. adferet. Volet indici Synodum. Sed de his paulo post certiora audiemus. Bene et feliciter valeat C. V. 1549.

---

**No. 4633.** 6 Dec.

## *L. Mollero.*

Epp. lib. V. p. 470.

*Laurentio Mollero, gubernanti Ecclesiam Dei in urbe Hildesheim.*

absolvetur. Itaque recta iter faciam Mersburgum, quo veniam Deo iuvante XI. Calend. Februarii. Et accerset te *Ascanius*. Opera erit bidui. Nam ego abrumpam hoc insuave negocium, a quo mirabiliter abhorreo. Et tamen, ne voluntates illorum prorsus alienentur, haec et moderanda et ferenda hactenus esse cogitavi, te quoque ita consentiente. Caussam viduae D. *Lutheri* commendavi viro optimo, D. *Stramburgio*, quem tu quoque orabis, ne ei desit [2]). Caetera coram. Bene et feliciter vale. Deus servet totam Ecclesiam tuam domesticam et publicam. XIII. Cal. Febr. Litteras tuas et poëmata misi in Brussiam. [An. M. D. XLIX.] [3]).

---

**No. 4661.** 25. Ian.

## *Ioach. Camerario, filio.*

Epist. ad Camer. p. 654 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 775.).

*Honestissimo adolescenti Ioachimo Camerario filio clariss. Viri Ioachimi Cam.* *).

S. D. Cariss. fili. Meministi versum in quo numeri sunt graeci poëtae, sed sententia divina est.

*εὐσεβέων παιδέσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὔ.*

Parentes autem tui vera invocatione colunt Deum et Ecclesiam adiuvant, et pater ornat eam multis egregiis monumentis. Ideo et familia eius Deo curae erit, teque volo intueri parentum exempla. Cum autem necesse sit te hac aetate discere philosophica elementa, mitto tibi pagellas libri de Anima, qui quo consilio tradatur adolescentibus, saepe in ipso libro exponitur. Hos autem versus inscribere pagellis volebam, sed spacii tantum non erat.

*σώματα μὲν δύο ἐσμὲν, ὁμοφρονέουσα δὲ ψυχὴ*
*ἐν θεῷ, αὐτὸς ἐγὼ σός τε πατὴρ ἀγαθός.*
*τὴν δ' ἐμοῦ οὖν ψυχὴν οὐκ ἀλλοτρίαν σοι ἔχουσαν*
*δεξάμενος δώρου τοῦδε ὄναιο μικροῦ.*

---

huius libri ad Ferdinandum Regem, voluerat autem ut a Mel. et Camerario relegeretur. Vid. ep. ad Georg. Anhalt. d. 10. Dec. 1549. — Nunc aula iusserat, ut Melanthon quam primum posset, conferret cum Ascanio.

2) Cf. ep. ad Camer. infra d. 30. Apr.

3) Annum uncis inclusi, quippe additum ex arbitrio editoris, qui ep. ad ann. 1549. retulit, sed male; quum ex epistolis satis perspiciatur, Melanthonem 1549. mense Ian. non fecisse iter Merseburgum.

*) Is versabatur Regiomonti apud Sabinum; vid. ep. ad Camerar. d. d. 15. April. h. a.

Bene et feliciter vale et rescribe. die conversionis Pauli.

Philippus.

---

**No. 4662.** 25. Ian.

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stigel. ep. 42. Cod. Goth. 188. ep. 111.

*Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, amico suo carissimo,* S. D.

Clariss. *Stigeli.* Gaudeo, tibi non displicuisse oratiunculam de optimo Principe, Duce Saxoniae Electore *Ioanne*, scriptam simplici et candido animo, quam quidem doleo tam brevem, ac adeo squalidam esse. Si quid possem in hoc tanto luctu scribere, etiamsi natura uberior esset. Nunc vero sum σκιᾶς ὄναρ, ut Pindarus inquit. Exemplum tibi mitto. Adiunxi et *Osiandri* scriptum, quod exhibebis D. *Sneppio.* Decrevi vobiscum colloqui de his tantis rebus. Propositionum exempla mittere non potui, quia tantum unicum habebam. Quaeso, ut huic meo nuntio des epistolam, ut sciam an has literas acceperis. Bene et feliciter vale. Die conversionis Pauli.

Philippus Melanthon.

---

**No. 4663.** 4. Febr.

## *G. Buchholzero.*

Manlii farrag. p. 381 sq.

*Georgio Buchholzero, (praeposito Berolin.)*

S. D. Spero illustrissimi Principis Marchionis *Friderici* gubernationem his regionibus salutarem fore: et ut Deus eum regat, toto pectore eum oro. Quia profecto in hac ultima et delira mundi senecta, quae tam varias habet confusiones imperiorum, opus est aliquibus principibus bonis, quorum moderatione et sapientia aliquo modo mitigentur mala publica. De carne ferina agite reverenter gratias meo nomine. Vobis quoque pro vase ago gratias: et precium mitterem, si quantum esset scirem. Vicissim autem pagellas et Prin-

cipi et vobis mitto. Laudatio coniugis ducis Prussiae ita scripta est, ut velut imago Principis matronae sit, a qua virtutum exempla petantur. Et laudes eius aliquo ad familiam Marchionum pertinent. D. N. et N. barba, et circuitu, voluntati pii Principis in his rebus et similibus ego obtemperarem. Sed saepe derisus sum, propter moderatiores opiniones. Bene valete. Die 4. Februarii.

No. 4664. 13. Febr.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 646 sqq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 787.). Anno 1551., quanquam editor hunc annum epistolae adscripsit, haec ep. non est scripta, sed anno 1550. Hoc enim anno mense Ianuario fuit apud Anhaltinum, non a. 1551.

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Cum ad *Ascanium Ionas* venisset, fuit oratio non tantum oeconomica, sed etiam senatoria ac censoria. Initium erat longa querela, de dissidiis, reprehensio etiam nostrae timiditatis. Postea narrabat quosdam praecipuae autoritatis viros suadere, ut nos peteremus a duobus vicinis Electoribus, ut Synodum indicerent, quo et Saxonicarum gentium ac urbium Doctores accerserent. Ita posse et praesentes discordias tolli, et constitui perpetuam concordiam. Scio tibi iam in mentem venire multas gravissimas caussas repudiandi huius consilii, quarum aliquas tunc a nobis commemoratas esse existimo. Etsi autem malui initio nulla in re seu magna, seu parva, tranquillitatem in Ecclesiis harum regionum labefactari, tamen postquam vicerunt aulica consilia, et adhuc quidem alibi de rebus magnis et necessariis non sunt studia meliora, has contumelias, quibus afficior, perferre malo, quam me adiungere ad συμμαχίαν eorum, qui tribuniciis clamoribus augent vulgi licentiam, et venenatis calumniis dolorem afferunt in bonis Spiritui Sancto. Et sanabit aliquando haec vulnera civis ille Samaritanus, qui viatorem saucium reficit, et in vicinam casam vehit. videmus Ecclesiam solis hominum consiliis non servari posse. Et errant aulae, errat et ille ipse*), quamvis est sapiens, qui novam νομοθεσίαν proposuit, cum quidem videat se fatalibus caussis impediri. Petamus igitur et expectemus a Deo consilia, et mitigationem publicarum et privatarum miseriarum, ut in tuis versibus dicitur: *In tenebris nostrae et densa caligine mentis* etc.

Mitto tibi duas epistolas, etiam pastoris vestri caussa, quae ostendunt etiam alibi bonis viris displicere virulentiam maledicorum hominum, qui Ecclesiis nostris alioqui moestis, augent dolorem.

Expecto quotidie a Baltico littore classicum novorum certaminum, de quibus magis angor, quam de linea veste. Et si capita doctrinae necessaria corrumpet, respondebo, nec illius fulmina metuam. Nos, quantum possumus, consensum in his Academiis tueamur. Bene et feliciter vale. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus servet Ecclesiam tuam domesticam. Nonis Feb. Anno M.D.LI.

Philippus.

*) Carolus C. W.

No. 4665. 5. Febr.

## *P. Vincentio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Clarissimo viro, ingenii felicitate, eruditione et virtute praestanti, D. Petro Vincentio, in urbe inclyta Lubeca doctrinae studia gubernanti, amico suo cariss.*

Carissime Petre. Non solum benevolentia tua erga me, quam facio plurimi, sed etiam literarum tuarum elegantia delector, tibique gratiam habeo non solum propter privatam suavitatem tuenti nostram coniunctionem, sed etiam propter publicam utilitatem. Quid pulchrius est et Ecclesiae honestius quam nostri ordinis consensus et amicitia? Hoc tantum decus utinam tueri omnes studerent, dissimulatis etiam quibusdam vel nevis vel incommodis. Ac saepe doleo, cum in illis minutis bestiolis natura valeat, de quibus inquit versus: τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, καὶ μύρμακι μύρμαξ, in doctis non tantundem valere rationem et eruditionem. Sed non delector huius vulneris contrectatione, ac me conscientia piae voluntatis consolor. Et spero nostros labores Ecclesiae profuisse.

De *negotio Posnaniensi* *) significabo quam primum tuam voluntatem et tui ingenii praestantiam

*) Vid. de eo ep. ad Vincentium d. d. 27. Sept. 1549.

iis, qui mecum egerunt, et eorum literas tibi mittam. Credo libenter daturos ducentos aureos Hungaricos, praesertim cognita facultate ingenii tui. Malim quidem te nobiscum esse, sed vides, quibus fluctibus iactetur haec cymba nostra; et tamen spero, Deum daturum esse εὐημερίαν his Ecclesiis. Nam illi adparatus, de quibus scribis, impedientur fatalibus causis. Sed haec omitto. Bene et feliciter vale. Nonis Febr.

Philippus Mel.

---

**No. 4666.** 6. Febr.

## *A. Hardenbergio.*

Epp. ad Hardenberg. ep. 39.

*D. Alberto Hardebergio*

S. D. Si tantum possem fundere lachrymarum, quantum et Albis noster, et Visurgis vester undarum vehunt: tamen exhauriri meus dolor non posset, quem multos iam annos circumfero in animo propter dissidium περὶ δείπνου, de quo manifesta est antiquitatis sententia. Utinam in rei tantae explicatione dexteritas in iudicandis veterum sententiis potius adhibita esset, quam contentionis asperitas. Si pax fuisset, potuissent plures colloqui, et communicato consilio huic malo mederi. Sed arma impedient salutares deliberationes. Tibi consilium do, ut potius isthinc discedas, quam ut hoc tempore turbulento cum collegis rixeris. Ego saepe cum doctis et piis de hoc negotio collocutus sum, et spero, Deum aliquando daturum esse occasionem, ut inter pios concordia de ea re constitui possit. Nunc vero belli tempore quid fieri potest? Hoc dissidio repressus est Evangelii cursus, et confirmata potentia adversariorum ac audacia. Utinam cum *Iacobo* *) istic coram loqui possem. Bene et feliciter vale. Die 6. Feb.

Philippus.

---

**No. 4667.** 9. Febr.

## *S. Schoerckelio.*

* Ex apogr. cod. Goth. 188. epist. 27.

*) Iacobo Probsto.

*Magnifico Viro, Rectori Academiae inclytae Gryphesvaldensis, Virtute et eruditione praestanti Sigismundo Schoerkelio, Numburgensi, amico suo veteri et charissimo*

S. D. Multis ubique difficultatibus exercemur omnes. Sed tamen de vestris periculis saepe cogitavimus, ac optavimus, te et alios collegas tuos nobiscum esse, Deum etiam oravimus, ut nos et alios Ecclesiae milites servaret. Nunc quoque gratias Deo agimus, quod nos servarit. Spero, nos annum venientem habituros esse placidum et tranquillum. Nostro oppido locus *Saturni* pestilentiam minitatur. Solet enim grassari lues, cum *Saturnus* vehitur in Leone aut Aquario [1]), aut locis exquadrante haec signa aspicientibus. Sed Deo et hoc periculum et alias nostras aerumnas commendamus. Vicini in urbe *Parthenope* non faciunt pie, qui huic Ecclesiae, alioqui moestissimae augent dolores falsis calumniis. Duos indico idoneos ad docendum, ut petivisti, *Eusebium Menium*, filium *Iusti Menii*, bene meriti de Ecclesia, et *Ioannem Cingularium* [2]), qui felicissime scribit carmen, vel *Roslerum Lucanum.* Quaeso *Menii* [3]) causam diligenter agas, cuius pater multis in aula notus est. Mitto tibi poemata dulcissima. Talium scholarum, ubi haec scribuntur dissipationem fieri volunt nostri vicini. Sed Deo curae nos esse non dubito. Bene vale et da veniam brevitati literarum. Die 9. Februarii A. 1550. M. Ioanni *Reinhold* et ceteris collegis salutem opto.

Philippus.

---

**No. 4668.** 13. Febr.

## *H. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 168 sq. — Hic ex autographo Mel. in cod. Monac. I. p. 143., cui adscriptum est, epistolam d. 25. Febr. 1550. Norinbergam perlatam esse per Adamum Pirkheimer.

---

1) Mense Febr. 1550. coniunctio Saturni et Martis in Aquario fuit.

2) Vid. ep. ad Meienb. d. 25. Aug. 1549.

3) Cf. epist. ad Menium d. 27. Febr. h. a.

*Clarissimo viro — — D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae, suo amico carissimo*

S. D. Audio *Bartum* quem nuper commendavi, publica liberalitate iam ali: pro quo beneficio et Reip. et tibi gratias ago, ac Deum oro, ut vicissim vobis benefaciat, ut Filius Dei inquit, *ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων, ποτήριον ψυχροῦ μόνον εἰς ὄνομα μαθητοῦ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.*

Nunc redit istuc *Adamus Pircamerus* natus in *Thonawerd*, qui istic notus est viro Clarissimo *Leonardo Tuchero*, qui ut gratitudinem suam ostendat, suam etiam operam vobis offeret. Bonum ingenium esse iudico. Quare de eo et cum D. *Tuchero* loqueris, ad quem scripsi. Bene et feliciter vale. Die 13. Febr. quo ante annos 1720 Nicanor trucidatus est et Ecclesia liberata. Oremus ut nunc quoque ferat opem Deus miserrimae Ecclesiae, quae multis modis et laceratur et excruciatur. De Imperatore silentium est, sed video deliberationes haberi de bellicis apparatibus. Deus nobis adsit, et te et tuam Ecclesiam domesticam servet *).

Philippus.

---

**No. 4669.** 13. Febr.

## I. Cratoni.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Cratoni, Vratisl. Doctori artis medicae, veteri amico καὶ συμφιλοσόφῳ,*

S. D. Doctissime vir et amice carissime. Quod et veteris amicitiae nostrae memoriam retines, et benevolentiam officio literarum saepe declarasti, gratiam tibi habeo. Est autem virtus, ut scis, amicitia, quare et constanter et virtutis causa colenda et tuenda est. Quare inter nos perpetuam benevolentiam esse volo. Quod autem non respondi tuis literis, ne quidem occupationum excusatione utar, sed cui traderem literas ad mittendas, nesciebam. Dabis igitur veniam silentio. Nunc Deo gratias ago, quod te et servavit incolumem, et in Germaniam reduxit. Etsi enim tristissima confusio est gubernationum in Ecclesiis et imperiis Germanicis, tamen patriae nomen dulcius est, et opinor te multorum familiaritate uti, qui et de Deo et de optimis rebus recte sentiunt. Quod autem de *Moibano* in Italiam mittendo scripsisti, scito a me Noribergam anno superiore missum esse, ubi in familia honestissima docet adolescentes aliquot, et propter fidem ac optimos mores et eruditionem diligitur, nec officiose facere videretur, si illam inchoatam institutionem subito desereret. Ibi et doctissimis hominibus familiaris est. Sed *Iohannes Aurifaber* et ego duximus tibi commendandum esse virum eruditissimum, et gravitate eximia praeditum, qui et aetate antecedit *Moibanum* et tuus auditor fuit, Magistrum *Balthasarem Sartorium* Vratislaviensem. Huius aetas magis idonea est Italiae, et in universa philosophia, in mathematis, in arte medica ac in utraque lingua praeclare eruditus est. Itaque si et amicum et virum doctum, gravem, usu etiam factum circumspectiorem in Italiam missurus es, hunc ut mittas te hortamur, deque eo quam primum tuam sententiam significes. Nec *Moibanum* libenter dimisi, et hunc in Academia, ubi magna cum laude docet, retinere cuperem. Sed scis ex Academiis tanquam colonos mittendos esse. *Casparo Peucero*, quod faustum et felix sit, despondi meam filiam. Et Dei beneficio mediocriter hic omnium doctrinarum studia florent. Vicina Parthenope praeliatur et armis et scriptis, in quibus sua libertate etiam contra nostras Ecclesias abutitur. Sed in hac delira senecta mundi plus fore confusionum quam ante fuit, praedictum est; inter has tamen servabit Deus suam cymbam. Bene vale. Die 13. Febr., qua ante annos 1720 Nicanor trucidatus est et Ecclesia liberata, quo exemplo, ut aliis multis testimoniis, Deus ostendit, sibi curae esse Ecclesiam suam. Speremus igitur et petamus auxilium. Nec dubito, nostros gemitus exaudiri. Iterum vale et rescribe. Salutem opto tuo patrono et aliis amicis. 1550.

Philippus.

---

**No. 4670.** 15. Febr.

## I. Voigt.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 51ᵃ.

*) Alia manus adscripsit: 20. Febr. ann. 1550., quae, ut semper, Spanhemius edidit, quasi a Melanthone adscripta.

*Venerando viro, eximia pietate et gravitate praedito, Domino Ioanni Voit, Pastori Ecclesiae in Burgel, amico suo colendo.*

S. D. Venerande vir. Testis est filius tuus, nec doctrinae vocem, nec ritus in Ecclesia nostra mutatos esse: et calumnias iterum refutabo, edito iam violentiore scripto in vicina Parthenope. Cum autem nobis ita conscii simus, retinere nos eandem vobiscum doctrinam, cum quidem in maioribus periculis et miseriis simus quam isti, qui se abdiderunt in arces munitissimas, te oro, ut benevolentiam erga nos tuam non deponas. Filio libenter doctrinae testimonium tribuimus, et scholastici agminis coniunctionem et consensum maxime tueri cupimus. Oro autem filium Dei toto pectore, ut nos omnes regat. Bene et feliciter vale. Die 15. Febr.

Philippus Melanthon.

---

No. 4671. 15. Febr.

## H. Besoldo.

Epist. lib. VI. p. 502. — Apographon in cod. Monac. II. p. 110. e quo edita videtur.

*Reverendo Viro, eruditione et virtute praestanti, D. Hieronymo Besoldo, Evangelium pure et fideliter docenti in Ecclesia Dei in inclyta urbe Norimberga, fratri S. carissimo.*

S. D. Carissime Hieronyme. Etsi his diebus cum adfuit nuncius occupatus fui examinibus et adornanda renunciatione gradus, tamen si essem admonitus, postea praefationem in editionem tuam scripsissem. Nunc in articulo suscipiendi itineris nuncius eius rei mentionem facit. Proximos igitur dies ei tribuam, quanquam propero respondere atrocissimo scripto vicinorum nostrorum. Vociferantur illi quidem terribiliter de libertatis propugnatione. Nec ego invideo eis suam libertatem, sed vicinis Ecclesiis alioquin afflictis parcere debebant. Nunc non solum servitutem exprobrant, sed etiam alia crimina confingunt, quae refutabo. Qui mei labores fuerint annis viginti, tu optime nosti. Nunc in ipsam flammam horribilium certaminum rapior. Spero autem me et tuo et multorum bonorum suffragio liberari hac calumnia, quam maiorem iudico prioribus convicii. Nunc vociferantur a nobis invehi corruptelas doctrinae. Magna rabies est ingeniorum, ut fuit olim post Apostolorum praedicationem. Oremus igitur assiduis votis Deum, ut Ecclesiae reliquias servet, et nos regat. Bene vale. 15. Februar. Anno 1550.

---

No. 4672. 15. Febr.

## Eidem.

Epist. lib. V. p. 241. — Est scheda, cuidam epistolae ad Besoldum inclusa, verosimiliter ep. antecedenti; cf. ep. ad Baumgartn. d. d. 15. Febr.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Dn. Hieronymo Besoldo, docenti Evangelium in inclyta Noriberga, fratri suo charissimo.*

Valde te oro, ut *Bartum* et tu amanter adiuves, et Clarissimo viro, D. *Hieronymo Bomgartnero* commendes, spero, eum Ecclesiis usui futurum esse, cum et mores sint honesti, pii et sancti, et ingenium praeclare excultum sit eruditione. Tales, ut scis, et complectendi sunt, et Ecclesiae commendandi. (*Haec scripta fuerunt in scheda, cuidam epistolae inserta.*)

---

No. 4673. 16. Febr. (h. a.?)

## I. Stigelio.

Danz. epist. ad Stigel. ep. 81. Cod. Goth. 188. ep. 97.

*Clarissimo viro, ingenii elegantia, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio,* S. D.

Clarissime *Stigeli.* Et labores mei, quod [1]) sustinui non mediocres, tibi noti sunt, et introspecta voluntas, quae non est mutata, nec mutabitur. Ideo spero te benevolentiam erga me tuam non depositurum esse, etsi in tantis tumultibus magnae fiunt et imperiorum et privatorum hominum distractiones. Iterum me respondere cogit atrocitas scripti in vicinia editi. Habent iam alium *σαλπιγκτὴν* [2]). Sed Deo nos et Ecclesiam com-

1) *quos* videtur legendum esse.

2) Quemnam intelligat vix definiri potest; fortasse est Nicolaus Gallus. Vid. ep. ad Menium d. 27. Febr. h. a.

mendo. Hunc *Paulum Amandum Cygneum* quaeso ut amanter complectaris et D. *Victorino* commendes. Psalmum tuum suavissimum mittam per proximos nuntios. Bene vale, die 15. Februarii *).

Philippus Melanthon.

No. 4674. 17. Febr.

## F. Staphylo.

† Ex collectan. Balleust. Vol. I. p. 185., cui hanc epist. ex autographo Mel. descripsit *Schelhornius*.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Dom. Friderico Staphylo, fratri suo carissimo Vratislaviae.*

S. D. Valde te oro de negotio *Posnaniensi*, ut, si adhuc deliberant de gubernatore scholae, commendes eis et tuo et meo nomine *Petrum Vincentium* Vratislaviensem, qui diu docuit in Academia Gryphswaldiensi. Facundia in dicendo et scribendo scio in hac Academia neminem ei conferri posse; genus est splendidum, numerosum, et referens Ciceronis formam. In versu paene similis *Sabino*. Poterit tueri et ornare eum locum. Hinc te valde oro, ut de eo ad Posnanienses scribas et nobis eorum voluntatem significes.

De republica scito, in Belgico non esse exercitus, ac ne apparatus quidem. In his regionibus vero deliberationes sunt de collocandis copiolis in vicinia *Parthenopes*, ut commeatus impediantur. *Parthenopei* vero conducunt equites, et vexilla faciunt insignita cruce. Ego modeste dicam necessaria donec vivam, Deo iuvante. Sed seditiosos etiam Salomon vitari iubet, tametsi Solon suos cives volebat alteri parti addictos esse. Sed eius rei modus quidam est. Verum haec alias. Mitto tibi pagellas. Bene vale. Die 17. Febr.

Philippus Melanthon.

*) Danz. retulit ep. ad ann. 1548. In cod. Goth. adscriptus est ann. 1549. Puto autem eam non nisi a. 1550. scriptam esse.

No. 4675. 17. Febr.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 162 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 142., cui adscripta leguntur: „d. 11. Martii 1550." (videl. accepi).

*D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae etc.*

S. D. Pindarus narrat Bellerophontem a Pegaso excussum esse, cum intra coelum penetrare conaretur ad Iovis colloquium. Nec unquam immoderati conatus foelices sunt, ut horum temporum exempla multa et ostenderunt et ostendent. Nunc et vicini *Parthenopei* vexilla fecisse dicuntur insignita σταυρῷ. Et habent σάλπιγγας στάσεων, scriptores satis rabiosos. Ego nunc novis calumniis respondere cogor. Scripsit etiam huc novus hospes Baltici littoris, se scriptum instituisse quod mihi missurus sit. Dicam, Deo iuvante, donec vivam, necessaria et eadem [1]), quae fideliter antea et colligere studui et instillare discentibus. Existimo autem bonos, et prudentes non improbare meam vel timiditatem vel moderationem, quod non abdidi me in vicinas arces, ut inde velut classicum canerem multitudini quae ubique seditionum avida est. Certe Deum oro, ut me regat. Bene et foeliciter vale, et quod facis Ecclesiam universam Deo piis votis commendes. Die 17. Febr. [2]).

Philippus Melanthon.

No. 4676. 20. Febr.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 604 sqq.

*Michaëli Meienburgio.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime, † Dei beneficio filii recte valent et discunt" *). *Christophorum* proficere in doctrina animadverto, et diligenter eum regit Licenciatus. In *Casparo* est indoles ad virtutem egregia, rectus, integer et verax est, ac gubernare se sinit. Discit iam Ele-

1) Spanh. perperam edidit: eodem modo.
2) Alia manus adscripsit: ann. 1550.
*) Addit A. D.

menta doctrinae Christianae, et Dialecticae, quae cum firmius didicerit, transferri ad negotiationem honestam, vel in decuriam scribarum alicubi poterit. Si aut *Erasmus* discedet, aut studia hic propter bellum et contagia aëris impedientur, domi apud vos diutius doceri apud fratrem poterit. Quanquam, si erit bellum, Noribergae vestros filios esse, commodius esset, quam, spero, tranquilliorem fore, quam erunt harum Regionum urbes, etiamsi ubique multum erit seditionum. In urbe *Argentina* die 2. Feb. Missa Papistica in summo templo rursus celebrata est *). Si uno in loco moveri populum aliae civitates audient, exemplum multos incitabit ad tumultuandum. Ego nec tuba talium seditionum, nec adiutor esse volo, etiamsi interficiar. Et talia pericula nostri bellatores ante belli initium prospicere debuerunt. Sed Filius Dei, Custos Ecclesiae suae, nos servet, nec sinat fieri maiores dissipationes. Bene et feliciter valete. Die 20. Feb.

Philippus.

*) Videatur uberior narratio Sleidani in comment. ad ann. 1550. p. 673 sq.

---

**No. 4677.** 25. Febr.

## *Alberto Duci Pruss.*

**Ex autographo edita a Fabro in epist. p. 176. ep. 52.**

*Alberto Duci Borussiae*

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps. Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et Ecclesiae suae oro, ut Cels. vestram servet incolumem et faciat, ut coniugium Cels. vestrae sit foelix et foecundum, et protegat ubique hospitia Ecclesiae et studiorum ne noticia et invocatio Christi in genere humano extinguatur.

Marchio *Albertus* colligit equitum copias hoc praetextu, ut ducantur ad Regni Anglici defensionem contra Gallos. Sed adparatus non significant longum iter. Multi etiam nolunt conduci, quanquam magnis pactionibus invitantur.

Dei beneficio nulla mutatio in Ecclesia nostra facta est. Et vicini ingrati in urbe Meideburg Ecclesiam nostram alioqui moestam iniuste traducant, cum nos mediocria certamina et magnos labores in propagatione doctrinae et diu sustinuerimus et adhuc sustineamus.

In Suevia et ad Rhenum dissipatio et vastatio Ecclesiarum horrenda est. Argentinae etiam restituta est Missa Papistica. Sed dolore obruor, ne haec scribere possim.

Oro Celsitudinem vestram ut clementer mihi veniam det commendanti auditores nostros. Deo grata est haec liberalitas quae doctrinae studiis servit. Et nimis pauci sunt principes qui studia fovere curant. Oravit me hic subditus Celsitudinis vestrae *Jagentufel*, ut se commendem Celsitudini vestrae. doctus et modestus est, et patrem Celsitudini vestrae notum esse audio. In nostra Ecclesia et Academia pie et fideliter docet *Christophorus Langnerus*, de quo antea ad Celsitudinem v. scripsi. Poterit usus esse in Ecclesiis Cels. v. Ideo eum rursus Cels. v. commendo. Deus servet Cels. v. incolumem semper et ut sit Ecclesiae salutaris gubernatio faciat. Amen. Datae Witebergae die 25. Februarii 1550.

Celsitudini vestrae
addictus
Philippus Melanthon.

---

**No. 4678.** 27. Febr.

## *G. Fabricio.*

† **Ex apogr. in cod. Zittav. ep. 7.**

*Georgio Fabricio, gubern. Schol. Misn.,*

S. D. Etsi optarim pastoribus Ecclesiarum alioqui aerumnosis non cumulari miserias, tamen nondum deseri Ecclesias vellem propter haec πάρεργα, quanquam insuavia sunt. Scripsi igitur ad pastorem Ecclesiae istic, ut hunc dolorem vincat, teque rogo ut eum confirmes. Tulimus antea monachorum rabiem. Nunc similes errores seruntur; Scelus esse forma vestis ducitur *). Et fit hoc κακοήθως, quia hi clamores cient plausus in populo. Sed abrumpo hanc quaerelam. Commendo autem tibi hunc *Alexium* praeclare instru-

*) „Die Superintendenten von Freyberg, Pirna, Meissen und Oschatz gaben bei dem Churfürsten eine Supplique ein, sie mit dem Chorrock, Elevation und Feyertagen zu verschonen." Salig in der Historie der Augsb. Conf. 1. Thl. S. 629. Non vero id factum est, ut ex hac epistola intelligitur, anno 1549, ut Saligio visum est, sed a. 1550.

etum eruditione, et in graeca lingua et in philosophia. Et hic Ecclesiam pie et sincere docuit. Bene et feliciter vale. Die 27. Febr.

Philippus Melanthon.

---

No. 4679. 27. Febr.

## I. Menio.

Epist. lib. VI. p. 428 sq. — Apographon in Cod. Monac. I. p. 331.

*Reverendo Viro, D. Iusto Menio, fratri S. charissimo.*

S. D. Reverende vir et charissime frater. Scripsit ad me Rector Academiae *Griphiswaldensis*, ut indicentur duo, qui linguas et Philosophica docere possint, quos velint hoc vere accersere. Hactenus enim haec consilia lues impedivit. Indicavi *Eusebium* *), facta et mentione tui nominis. Et ut spero rem perficiemus. Quod autem benevolentiam erga me tuam non abiicis, gratiam tibi habeo. Etsi autem melius mecum ageretur, si procul abessem, tamen et hoc verissimum est, nullam nos doctrinae syllabam mutare aut mutasse, quam quidem in eo scripto extare omnes vident, cui locorum Theologicorum titulus est. Et scio hanc esse communem sententiam harum Ecclesiarum, imo et *Lutheri* sententiam fuisse scio. Vicini nostri ordiuntur telam, quam si pertexent, magna certamina dogmatum etiam movebunt. *Hamburgae* quaestio de descensu ad inferos etiam non leve dissidium excitat, de qua conferre nos sententias oportebit, et tecum praecipue deliberabo, mittamque proxime ea de re meas pagellas. *Nicolai Galli* hyperbolas et mendacia refutabo. Bene vale. 27. Febr.

Philippus Melanthon.

---

No. 4680. 2. Mart.

## Scholasticis.

Scripta publ. Witt. I. p. 297.

*Philippus Melanthon (Scholasticis).*

Deo iuvante cras hora septima inchoabo interpretationem carminis Argonautici, quod ab *Apollonio* magna cum laude scriptum est. Oro autem filium Dei, ut, sicut in arca Nohae rexit suas Argonautas, ita nunc quoque suam navem regat, in qua et nos, ut remiges seu ὑπηρέται vehimur inter magna pericula, in quibus nos sua clementia servet. Die 2. Martii, anno 1550.

*) Vid. epist. ad Schoerckel. d. 9. Febr.

---

No. 4681. 6. Mart.

## Senatui Coburg.

Edita in *Ioh. Conr. Schwartz.* monumentis ingeniorum huius et superioris Saeculi. (Coburg 1725.) 8. Tom. I. p. 39.

(An den Stadtrath in Coburg.)

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und warhaftigen Helffer zuvor.

Erbare, Weise, Fürneme, günstige Herrn, Ew. Erbarkeit bitt ich erstlich, meine Schrifft guttwilliglich anzunehmen, in Betrachtung, daß ich der armen Jugend studia so viel mir möglich zu fürdern, schuldig bin, und fuge E. Erbarkeit zu wissen, daß mich einer, genannt Johannes Poppo von Coburg um Zeugnis und Vorschrifft angesuchet, daruff ich Ewr. Erbarkeit mit Wahrheit bericht, daß gedachter Johan Poppo durch Gottes Gnad mit natürlichen Gaben Ingenii und zu reden wohl gezieret ist, ist auch züchtig, gottfurchtig und hat in göttlicher Lahr und andern löblichen Künsten wohl studirt, daß er nu in Schulen oder Kirchen andre zu unterweisen tuchtig ist. Wiewohl ich nu stets bedenck, daß leider in dieser unruhigen Zeit alle Städt große Last tragen, so hoff ich doch, daß E. Erbarkeit gleichwohl Gott zu Lob zu Unterhaltung der Jugend, die in göttlicher Lahr studirt, etwas noch anwendet. Nu wollt gedachter Poppo gern länger im Studio bleiben zu mehrer Uebung; bittet derwegen um Gottes willen, E. Erbarkeit wolle ihm ein Jahr oder zwey günstige und väterliche Hülff thun, besonders dweil er ein Waiß ist, und bis anher von seiner armen Mutter Hülff gehabt, die ihm nicht länger Unterhaltung geben kann. Diese seine Bitt wolle E. Erbarkeit beherzigen, denn es wird an ihm mit Gottes Gnaden wohl angewandt und zu hoffen er werde dem Vaterland christlich und löblich dienen. Wo ich auch die Ewrn furdern kann, dazu bin ich willig und bereit. Der Allmächtig Gott, Vater unsers Heilands Jesu Christi wolle gnädigen Frieden und selige Regiment geben, und euch und die Ewrn gnädig-

lich bewahren. Datum Witeberg 6. Martii Anno 1550.

Ewr Erbarkeit
williger
Philippus Melanthon.

No. 4682. 7. Mart.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 686. (ed. Lond. lib. IV. ep. 777.):

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

S. D. Pastori Ecclesiae vestrae mitto capita disputationis, quibus intexui non longam confessionem, quam extare videtur esse utile. Etsi enim maledicorum petulantia non reprimitur, tamen bonis haec quasi *μαλακτικὰ* remedia, non sunt ingrata. Sed inspici a te volo. *Ciglero* etiam mittam *κεφάλαια περὶ ἐκκλησίας,* postea refutationem instituam, in qua utilitatem communem anteferam meo iustissimo dolori. Nec ego tantum harum praesentium miseriarum, quae magnae sunt, consideratione excrucior. Sed praeterita, et ea quae secutura sunt intuenti crescit dolor.

*Torgae* fui, et cum velle filium*) et mulierem intelligerem, ne divellerentur, assensi. Deus assit et Ecclesiae et nobis. In ipsa modestum et bonum ingenium esse videtur, utriusque misericordia afficior. Mitto tibi litteras filii, et epistolam *Matthiae Elbingensis* ad me scriptam. Apologiam retinui, et censeo non esse edendam. Bene et feliciter vale, et rescribe. Filius Dei custos Ecclesiae suae, totam Ecclesiam tuam domesticam servet. V. Nonas Martii.

Phil. Melanth.

No. 4683. 7. Mart.

## Laur. Camillo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*D. Laurentio Camillo, gubernanti studia doctrinae in oppido Marchiae Stendalia,*

S. D. Doctissime et charissime *Camille.* Et benevolentia tua, et literarum assiduitate delector, tibique gratiam habeo. Tueamur nostras amicitias memores non solum dulcissimi dicti: *τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος* etc., sed etiam illius divinae concionis: *ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστί, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ:* nec propter clamores iniustos aliorum internos odia accendi sinamus. Extat mea confessio, et quantos labores sustineam in propagatione literarum et doctrinae Ecclesiasticae iam annos viginti norunt illi ipsi, qui rabiosissime in me debacchantur. Decrevi autem respondere ad recentes calumnias, praesertim cum iam non de linea veste tantum pugnent, sed renovent *εὕδοντα πόλεμον περὶ* (τῆς) *στωικῆς ἀνάγκης.* Errant, si me tantae causae explicationem abiecturum esse putant, de qua necesse fuit, et ante hoc tempus absurdas opiniones lenire. Sed haec disputatio prolixior est, quam ut in epistola recitari possit. De Academia et Ecclesia nostra collegam sanctissimi muneris tui testem *αὐτόπτην* audies. Bene et feliciter vale. Die 7. Martii.

Phil. Mel.

*) Loquitur de filio suo eiusque matrimonio.

No. 4684. 9. Mart.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 687. (ed. Lond. lib. IV. ep. 778.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

S. D. Etsi avide expecto amici nostri *Mythobii* et narrationes et congressum redeuntis iam a littore Baltico, tamen iter *Cygneum* suscipiam, cum voles, significabis igitur tempus, ut ad te accedam. Amo *Mythobium*, et conspectus eius mihi voluptati erit, sed afferet narrationes insuaves non paucas. Ideo tibi prorsus permitto, ut de itineris tempore tuo arbitrio constituas. Ut antecedunt fremitus in littoribus tempestates, ita nunc de Saxonico bello plurimum est sermonum. Oro autem Deum ut poenas leniat. Bene vale, die IX. Martii.

Philippus.

No. 4685. d. aequin.

## Garcenio.

Edita in *Wegscheideri* Progr. I. p. 22. — *Gersdorfius* contulit autographon in cod. Dresd. — Apogr. in cod. Mehn. IV. p. 58.

*Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Iohanni Garcen, Pastori Ecclesiae dei in inclyta Hamburga ad S. Iacobum.*

**S. D.** Reverende vir et amice carissime. Sunt interdum aliquot arcanae materiae, de quibus † docti inter sese pie et amanter conferre possunt, de quibus "[1]) tamen non necesse est statim movere certamina apud populum, qui fontes nec intelligit nec curat. Video in illa vestra quaestione etiam dissentire multos. Lutherus in Psalmo 16. *Conserva* —, patrocinatur d. *Aepino* [2]). Audivi Pastorem nostrum magis in contrariam sententiam inclinare. Decrevi autem conferre cum amicis, *Menio*, *Osiandro*, *Brentio*, et horum sententias istuc mittam, non editas in publicum. Sed ut utrique aliorum iudicia et iam consideretis, teque oro, ne mentionem huius controversiae apud populum facias, praesertim cum hoc tristi tempore videas et armis et opinionum dissidiis turbari hanc Germaniae oram, quae haud dubie verae Ecclesiae dei hospitium diu praebuit. Bene et foeliciter vale. die Aequinoctii.

Philippus Melanthon.

*Seidelius* sua manu adscripsit:

De hac epistola ita scribit ipse *Garcaeus* ad *Amsdorfium* de sua controversia circa locum de descensu Christi ad inferos: „Sed cum *Philippus* et alii cessent ibi in rescribendis ad me talibus, quibus res diserte et sufficienter explicaretur, vellem utique me tempestivius ad Vestram Authoritatem confugisse, cum sciam, quam sanctum et pium Collegium solide eruditorum Theologorum Magdeburgi nunc versetur, ubi nihil maiori vobis est curae, quam *liberrima conscientia* profiteri, quae sunt rectissima" Ex ipso *αὐτογράφῳ* Garcaei sub dato Hamburgi altera die post Laetare 1550. Unde colligitur, hanc *Philippi* Epistolam eodem anno circa medium Martium conscriptam fuisse, die aequinoctii Vernalis. *Seidel.*

1) Verba: *docti — quibus*, casu praetermissa sunt in textu Wegsch.

2) *Io. Aepinus*, Brandenburgicus, a. 1529. Hamburgam vocatus ad munus Eccles. ibi suscipiendum, Commentario in Psalm. 16. a. 1544. edito, p. 110 sqq., descensum Christi ad inferos ad *statum* eius *exinanitionis* referendum et *animam* Christi descendisse ad luendas poenas infernales, demonstrare conatus est. Vid. *Arnold. Graevii* Memoria Aepini. Hamb. 1736. p. 91 sqq. Walch Einleit. in die Religionsstreitigk. d. luth. Kirche. T. IV. p. 565 sqq. Planck Geschichte des protest. Lehrbegr. B. V. Th. I. p. 251 sqq. Schröckh Kirchengeschichte seit der Reformation. T. IV. p. 541 sqq. [Wegsch.]

---

**No. 4686.** **14 Mart.**

## *Christiano Regi Dan.*

Schumacher's Briefe an die Könige von Dänem. Vol. II. p. 27. ep. 9.

### *Christiano III., Regi Daniae.*

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor. Allerdurchleuchtister, großmächtiger, gnädigster König und Herr. Durch Gottes Gnad ist unsern Kirchen und Universität keine Veränderung der christlichen Lehr und Ceremonien geschehen, wie E. K. M. guten Bericht von dem wohlgelahrten Magistro Johann, gnädigst anhören mögen, und werden für und für die Bücher des Herrn Doctoris Martini treulich gedruckt und andere, welche vor dieser Zeit denen Kirchen nützlich gewesen.

Von den Rüstungen zu Krieg ist wahr, daß Marggrave Albert Reuter und Fußvolk annimmet, und ist die Rede, er werde in wenig Tagen mit demselbigen Volk in Hall einkommen. Ob man nu solch Volk dazu gebrauchen will, den Meideburgischen die Straßen zu wehren, habe ich noch nit vernommen, auch ist solch Volk zu wenig dazu.

Die Stadt Brunswig hat nu endlich beschlossen, sich mit Gottes Hülf wider Herzog Henrichen zu schützen. Und wiewohl noch keine Angriffe geschehen, so acht ich doch, es werde ein großer Krieg aus diesem Anfang folgen, und, so Herzog Henrich verjagt wird, ist wohl zu achten, daß größere Unruh und Veränderungen der Regiment folgen wird, welche auch durch viel Zeichen bedeutet ist. E. K. M. wolle ihr gnädiglich die Studia christlicher Lehr und anderer löblichen Künsten lassen befohlen seyn, Gott zu Ehren, daß etwa auf Erden noch ein Hafen bleibe, wo die Studia erhalten werden, wie sie zu den Zeiten der Gothen und Wenden Züge in Britannien erhalten sind, da zu Gallia und Italia große Zerstörungen geschehen sind. Der almächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, wolle E. K. M. und E. K. M. Königin und junge Herrschaft

gnädiglich bewahren. Dat. Witeberg 14. Martii 1550.

E. K. M.

unterthänigster Diener
Philippus Melanthon.

---

No. 4687. 15. Mart.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 265 sq.

*Georgio Buchholzero.*

S. D. Reverende vir, et amice charissime: Etsi gratulari debemus iis qui in invocatione filii Dei ex his miseriis ad coelestis Ecclesiae consuetudinem evocantur: tamen Reipublicae causa dolendum est, bonos et utiles viros a gubernatione abduci. *Gregorium* dilexi propter multas eius virtutes, et doleo Rempublicam eius ingenio orbatam esse. De vestris decretis quid scribam? Opto Ecclesiae piam tranquillitatem, et spero illustrissimum Principem quaedam mitigaturum esse. Nondum scripsi de Canone, impeditus aliis negociis.

Adolescentem filium consulis commendavi viro docto *Franco*. *Illyrici* libellum mitto *). Mitto et filio vestro orationes, quarum ei lectio non inutilis est. Bene valete, idibus Martiis, quibus ante annos 1592 Iulius interfectus est: quo exemplo Deus nos monuit, ut in secundis rebus moderati simus, et petamus nos divinitus regi. Serva o Deus miseras Ecclesiae tuae reliquias, invocantes te, et gementes propter superbiam pontificum, qui veritatem delere conantur. Opitulare o Deus, veritati tuae.

---

No. 4688. 17. Mart.

## F. Staphylo.

† E collectione Ballenst. Vol. I. p. 19b., cui hanc epistolam descripsit *Schelhornius* ex autogr. Melanth.

*) Libellum „de voce et re fidei." Vid. supra d. 1. Mart.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Domino Friderico Staphylo, consiliario inclyti Principis ducis Prussiae etc., fratri suo cariss.*

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Audio imperatorem *Carolum* hac hyeme studiose legisse Thucydiden, cuius habet luculentam interpretationem gallicam factam ab *Episcopo Massyliensi*, qui censorem adhibuit *Ianum Lascarem*. Hic ipse scriptor me ante viginti annos monuit, medios in dissensionibus civilibus utrinque interfici. Quare non nunc primum a *Cochleo* me moneri opus est, etsi ego quidem nolui medius esse. Nec volo, in Ecclesia quenquam esse medium, sed volui esse civis harum nostrarum Ecclesiarum, ubi studium est veritatis. Sed non omnes clamores omnium probabam. Stoica *) reieci, et alia quaedam παράδοξα, dolui, relinqui quaedam inexplicata, de quibus dimicabant . . . . . . γονοι. Et multa de his rebus coram dicere possem, quae non sunt ἐπιστολικά, ut solebat Aristoteles dicere. Ante triduum accepi a Duce *Megalopolitano* epistolam, quam tibi mitto. Respondi, ut ad te literas *Vratislaviam* mittat. Et tota res adhuc integra est. Quaeso, ut saepe ad nos scribas. *Posnaniense* negotium tibi commendo. Haec cum scriberem nondum redierant ex *Prussia* comites sponsae **). Bene et feliciter vale. Die XVII. Martii, quo ante annos DXVII Lazarus ex morte in vitam a filio Dei revocatus est, qui, cum sit custos Ecclesiae, nobis quoque adsit.

Philippus.

Haec scripsi lucubrando ad tuos cereos, de quibus gratias tibi ago, ac vicissim mitto pagellas. Salutem opto reverendo D. *Moibano* et D. *Winclero*.

De conventu *Posoniensi* scripsit ad me *Rubigallus*. Scimus, non pelli pastores et senatus *Schemnicensis* gratias nobis egit admodum amanter de pastore misso et eius doctrinam et mores laudat.

*) i. e. doctrinam de servo arbitrio et imbecillitate voluntatis humanae in conversione.

**) Qui Sponsam Ducis Alberti deduxerant Regiomontum, ineunte anno 1550. Vid. ep. Mel. ad Albertum ducem d. 1. Ian. et d. 25. Febr. 1550.

No. 4689. (18. Mart.)

## Cph. Zieglero.

Edita in fronte libri: Fabellae Aesopicae quaedam notiores, et in scholis usitatae — a *Iooch. Camerario*. Lips. 1550. 8.

*Philippus Melanchthon Christophoro Czieglero, Viri Clarissimi D. Bernhardi Czigleri, Doctoris Theologiae, filio* S. D.

Sicut agros varie exerceri, subigi, molliri, et ad accipienda fovendaque semina praeparari oportet, ita rudes et teneras mentes necesse est doctrina multiplici et magna arte excitari et excoli, ut virtutem intelligere incipiant et eius amore accendantur et inflammentur. Quare in literis res eaedem varie proponuntur. Primum traduntur nuda praecepta, ut in decalogo aut aliis legum monumentis, deinde historiae adduntur, in quibus monstrantur praeceptorum exempla, placidi exitus honestorum consiliorum, contra vero poenae scelerum tristes et horrendae. Sumunt et poëtae heroici et tragici ex historiis argumenta eaque omnibus eloquentiae luminibus ornant, ut magna vi in pectora et animos lectorum et spectatorum, imagines omnium vitae officiorum penetrent. Eandem doctrinam comoediae tradunt, quae fictis personis res veras imitantur, et pingendis hominum consiliis et moribus, quid deceat et quid fugiendum sit, ostendunt. Accedit et philosophia, quae, ut leges muniat, caussas necessarias in natura ostendit. Praeter has formas doctrinae virtutis reliqua est pictura, quae ostenditur in fabulis seu apologis, ubi naturarum collatione repraesentantur mores. Tyranni effigies est lupus, modesti civis ovis, veteratoris vulpecula. Per has formas omnes ducenda sunt ingenia, et res eaedem magna varietate inculcandae sunt, ut paulatim rudes animi intelligere virtutem et honesta vitae officia, et regere mores consilio et ratione aliqua discant. Nec exiguus hic labor est, nec subito assuefieri animi possunt. Ideo magna varietate exercitiorum opus est. Ac interim semper addenda est doctrina, qua se deus patefecit, et commonefaciendae sunt mentes, hanc postulare diligentiam in regendis moribus, hunc vindicem fore contumaciae et petulantiae. Sed in tam variis doctrinae formis plurimum gratiae habent fabulae seu apologi. Nam collationes, quae similitudinem humanorum morum in animantibus aut aliis naturae partibus ostendunt, lucem rebus adferunt. Et per sese iucunda et suavis est aspectio naturae in tanta rerum varietate.

Ideo semper omnium aetatum, omnium hominum, sapientum et populi iudiciis, magnus honos fuit fabulis, id est, imaginibus illis vitae. Imo et deus multas res maximas talibus picturis significavit. Quid similius est apologo, quam quod scribitur in Genesi, corvum in diluvio ex arca emissum, non reversum esse, columbam reversam esse, rostro gestantem ramum olivae? Quid venustius hac pictura cogitari potest? In gubernatione vitae et doctrinae studiis, salutare est et felix curriculum eorum, qui non deserunt arcam, id est, Ecclesiam. Ita sunt reduces columbae, Esaias, Ioannes, Paulus, Augustinus et principes pii, ut David, Iosias, Constantinus et alii denique omnes, qui consilia sua referunt ad iuvandam et ornandam Ecclesiam. Et contra corvi, id est, qui aspernantur Ecclesiam, perniciosi et infelices sunt, ut Arius, Servetus, Mustela, episcopi epicurei et similes. Erit autem explicatio illustrior, si naturas etiam harum volucrum consideres. Quam tetra ingluvies est corvi, quam dira vox? quae crudelitas? Haec congruunt ad mores eorum, qui ventris causa defendunt doctrinam impiam et exercent saevitiam in homines modestos, recte sentientes. Simile est apologo et Samsonis aenigma, quod in convivio propositum est. Quia physica ratio est, cur apes ex leonum, aut boum cadaveribus nascantur, sicut ex equis crabrones, ex asinis scarabaei, ex hominibus serpentes. Est autem in eo aenigmate, ut in apologo mirifica pictura. Ex leone mortuo nascitur examen apum, id est, ex Christo mortuo nascitur Ecclesia et cibus dulcissimus restituens vitam hominibus. Tales sunt multae imagines apologorum similes in doctrina coelesti. Voluit enim et deus ipse res easdem magna varietate proponere, ut studia accenderet, et commonefactiones haberemus de rebus maximis illustres.

Cum igitur utile sit instillari animis tales narrationes figuratas, ut sunt mythi, aut apologi, valde laudandum est consilium viri clarissimi doctrina et virtute praestantis *Ioachimi Camerarii*, qui et collegit ex optimis autoribus tales narrationes et eas genere sermonis puro, nitido et vere latino exposuit et addidit epimythia seu fabularum interpretationes, quae monent, ad quam vitae partem singulae accommodandae sint. Ita et pectora format et assuefacit linguam ad recte loquendum, quae duo ornamenta sunt hominum praecipua.

Etsi autem scio tibi, *Cziglere*, patrem, qui consilio et eruditione excellit, hortatorem fore, ut hoc volumen fabularum non solum legas, sed prorsus ediscas et, ut veteres de Aesopo dicebant, ut ex Aristophane apparet, conteras, tamen ut meam quoque opinionem cum patris iudicio congruere scias, idem tibi praecipio, ut cum iam latine loqui incipies, nunquam de manu has fabellas deponas. Hinc utiles admonitiones de omnibus vitae officiis et sermonem latinum sumes. Ut autem tibi hoc praecipio, ita sum hortator mei loci hominibus, id est iis, qui passim docent literas in scholis, ut hunc ipsum libellum suis alumnis proponant et ad fabularum cognitionem atque amorem invitent tenera ingenia. Multae enim utilitates concurrunt. Discuntur hic vitae praecepta, genus sermonum hinc purum sumitur, praeparantur ingenia ad intellectum figurarum et allegoriarum, quae multae sunt in doctrina coelesti, et consuetudo apte et in loco miscendi fabulam sermoni inter amicos magnum decus est et non solum comitatis, sed etiam prudentiae laudem adfert. Ut nuper amicus quispiam in gravissimo sermone de republica cum stomacharetur collegia, quae tenent amplissimas opes studiorum tuendorum causa, nihil fere decidere inde ad fovendas scholas, hunc narravit apologum: Rusticus egens ac esuriens in itinere Mercurium orat, ut sibi offerat aliquid mercium, quas iam in via relictas inveniat, ac pollicetur dimidium se illius templo dedicaturum esse. Pergit rusticus dicta prece bona cum spe, cumque iam stadium unum atque alterum emensus esset, invenit plenos calathos amygdalarum et palmularum. Etsi aviditati rustici ac spei non respondebat hoc munus, tamen fecit sapienter, quod dicitur ὅτι δῷ τις, ἐπαίνει, boni consulit mercem nullo quaesitam sumtu aut labore, properat igitur in forum, ut inde aliquid pecuniae lucretur. Sed properanti occurrit Mercurius ac prius partiri praedam iubet. Hic callide rusticus memorem se promissi fore inquit, ac dimidium daturum, videlicet amygdalarum putamina et palmularum nucleos. Tum abrumpens fabulam ille inquit: Hoc modo canonici cum scholis communes facultates partiti sunt. Haec narratio non solum illustri imagine pinxit scholarum et literarum neglectionem perniciosam vitae communi, sed etiam narranti ornamento erat. Multum profutura est consuetudo recitandi tales narrationes ad comparandam boni sermonis copiam. Haec utilitas si sola peteretur, tamen magna esset; sed accedunt aliae, quod et iudicium acuitur et alitur rerum cognitio hac tanta varietate imaginum, quae ex tota natura sumuntur, et lepos adfert comitatem, quae virtus magnum est ornamentum hominis, et saepe incensos odiis, aut ira, subito lenit, saepe moestitiam pellit, et animos traducit ad adfectus utiles iis negotiis, quae gerenda sunt, ut de comitate sapientissimi homines multa praeceperunt. Legant igitur et ament has fabulas studiosi omnes, et ad eas, tanquam ad speculum, vitam conferant; quodsi facient, animadvertent doctrinam de multis rebus, in vita necessariis, in his imaginibus propositam esse. Bene vale, carissime fili, et feliciter discito literas et disciplinas Ecclesiae dei utiles. Mense Martio. (1550.)

---

**No. 4690.** 18. Mart.

## *Bern. Zieglero.*

Edita in libro: Fabellae Aesopicae quaedam notiores et in scholis usitatae — — a *Ioach. Camerario.* Lips. 1550. 8. — Edita etiam in epp. lib. VI. p. 521., sed differunt epistolae ita, ut utramque epistolam hic dare placuerit. Autographon Melanthonis, quod editum est in libro VI. epist. habetur in cod. Monac. I. p. 527., quod contulimus.

*Clariss. viro eruditione et virtute praestanti, D. Bernhardo Ciglero, Doctori Theologiae, amico suo cariss.*

(*Apud Camerar.*) *).

Nemo potest multa simul facere, eademque recte facere omnia, inquit Xenophon. Scis enim, quid ille in ultimo libro institutionis Cyri sui disputet, vir profecto sapiens, cum quidem utitur exemplis

(*In libro VI. epistolar.*)

S. D. Nemo potest multa simul facere, eademque recte omnia facere, inquit Xenophon. Id vero miseriae me docent meae. Dum multa simul scribo, ne fieri quidem potest, ut singula absol-

*) Nescio an a vero erraverim, si statuam, Camerarium ipsum epistolam Melanthonis amplificasse.

variis officinae, de bonitate epularum regiarum, quas suavissimas esse hoc argumento probat, quia singuli singulorum sint ciborum artifices, atque concludit, *ἀδύνατον εἶναι πολλὰ τεχνώμενον ἄνθρωπον πάντα καλῶς ποιεῖν*. Verum me non modo argumentatio elegantiss. Xenophontis sed meae etiam miseriae hoc docent: qui, dum multa scribo, vel incipio potius, nihil vel absolvere vel certe perficere possum. Sed mitto tamen tibi *προοίμιον, προςφωνηθὲν* filiolo tuo, quem ista etiam aetate a te tali parente ad conspectum literarum nostrarum adduci scio. Hoc illi fortasse proderit; tibi quidem gratum esse consilium hoc nostrum necesse est. De toto autem scripto vos statuetis, an addendum hoc sit operi elegantissimo ac nitidissimo *Ioachimi* nostri. Nam meae orationis filum novistis. Officium meum tibi probatum volui. D. *Alexandro Alesio* mitto scriptum levissimum et plane *ληρῶδες Vuintoniensis*, de quo literis ad ipsum meum consilium significavi. Bene vale. XV. Calend. Aprilis.

vam. Mitto praefationem subito scriptam, de qua vestro arbitrio statuetis, num sit addenda elegantissimo operi *Ioachimi* ac nitidissimo. Sed meae orationis filum novistis. Officium tibi meum probatum esse volui. Nuncium quaeso duci cures ad aedes *Wolf Haseloch*, a quo iuxta syngraphas accipiet pecuniam. Quaeso, ut hanc rem diligenter cures. *Alesio* mitto scriptum *Wintoniensis*, de quo in literis ad ipsum meum consilium significavi. Bene vale. XV. Calend. April.

Philippus Melanthon.

---

No. 4691. 18. Mart.

## *Io. Weinlaubio.*

Ex autogr. Mel. in cod. Seidleri Dresd. ep. 15. edita in *Wegscheid.* Progr. II. ep. 15. Autographon denuo contulit Clar. *Gersdorf.*

*Magnifico Domino Cancellario Inclyti Principis Electoris Marchionis, D. Iohanni Weinlaub, sapientia, eruditione et virtute praestanti, Patrono suo colendo.*

S. D. Magnifice Domine Cancellarie et Patrone colende. Scio Vos in hoc Vestro loco pleno dignitatis auctoritatem Vestram semper contulisse ad iuvandam Ecclesiam, et tuendam pacem et honesta studia, et ad ornandos bonos viros. Haec in tali gubernatione praecipue agere, virtus est Deo grata et salutaris reipublicae. Ideo semper Vos et dilexi et veneratus sum, et Deum custodem Ecclesiae et autorem bonae gubernationis oro, ut Vos servet incolumes, et regat ac adiuvet consilia. Cum autem sciam Vos libenter ad rempublicam bonos et fideles homines provehere *), et hic Magister *Ioachimus Reppinensis*, postquam diu in studio Iuris versatus est et exercitia forensia inchoavit, patriae servire mallet quam aliis, oro ut eum complectamini, et Vestra auctoritate Illustrissimo Principi commendetis. Poterit usui esse patriae. Mitto Vobis orationem de duce *Iohanne* Saxonico Electore **), quia scio Vos libenter recordari boni illius principis moderationem. Bene et feliciter valete. Die 18. Martii.

Philippus Melanthon.

*) Wegsch. mendose *protrahere.*

---

No. 4692. 19. Mart.

## *I. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 501. (ed. Lond. lib. II. ep. 528.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui dixit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, servet honestissimum patrem tuum, et te, et fratres, ac familias vestras. Fratris *Henrici* natura est, et

**) Excusa legitur in Melanchthonis declamatt. T. II. p. 589—595. Primum prodiit Vitebergae. 1550. 8.

egregia ad virtutem et ad doctrinae studia, et existimo ei profuisse huius Academiae ἀκροάσεις. De Republ. certum est nullos bellorum adparatus esse in hac nostra vicinia. *Albertus Marchio* collegerat equites trecentos, sed hos rursus dimisit. Nec Imperatorem existimant moturum esse bellum *Saxonicum*, etsi nec *Italicis*, nec *Gallicis* rebus impeditur. Sed fata eum sua regunt. Si quid autem erit in *Saxonia* bellum, initium erit furor *Lycaonis*, qui civitatem optime moratam iniustissime irritat. Moveor cogitatione multarum rerum, ut impendere magnos tumultus existimem. Cumulantur hominum peccata, et furores, καὶ τῶν διδασκάλων διχοστασίαι, et nova prodigia subinde nunciantur. Nuper in urbe *Northusa* infans in utero horrendum vagitum clare edidit. Oremus autem Filium Dei, ut servet reliquias Ecclesiae suae, et studia doctrinae non sinat extingui. Vos quoque qui consiliis publicis interestis, studia doctrinae, ubi potestis iuvate. In Academia nostra Dei beneficio, et vox doctrinae eadem est, quam audivisti, et in Ecclesia ritus iidem. Et servimus vicinis Ecclesiis mediocri assiduitate, ac oramus Deum, ut nos adiuvet. Ita res ipsa refutat calumnias, quas spargit *Flacius*. Et cum absolvero eas operas, quas nunc in manibus habeo, edam et ipse refutationem. Te oro, ut amicitiae nostrae memor sis. Pro muneribus missis filio et filiae, meo et ipsorum nomine tibi gratias ago. Bene et feliciter vale. Die Coenae Filii Dei in *Bethania*, ubi effudit mulier unguentum in pedes Filii Dei πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι αὐτὸν, ut inquit: Utinam pedibus Filii Dei non duri essent nunc gubernatores et alii florentes potentia.

---

**No. 4693.** 21. Mart. Lipsiae.

## Georgio Princ. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 281. (ed. Lond. lib. II. ep. 226.).

### *D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Veni *Lipsiam*, ut cum viro optimo D. *Ioachimo Camerario Cygneam* proficiscar, ad deliberationem de schola eius urbis. Ecclesiam etiam Filius Dei inter ruinas imperiorum servabit. Hanc consolationem nequaquam excuti nobis sinamus, et hac nos voce Filii Dei sustentemus, in qua dicit, *Nemo rapiet oves meas ex manu mea.* Itaque studia literarum quantum Deus concedit, adiuvemus. Mitto C. V. exempla disputationis D. *Pastoris* Ecclesiae *Lipsicae.* Tales editiones et erudiunt lectorem, et apud homines mediocres, refutant sycophantias vicinorum, qui profecto nimium sua libertate abutuntur. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut Ecclesiam sibi in his regionibus semper colligat, et in ea C. V. et nos servet ac regat. *Lipsiae* die 21. Martii.

---

**No. 4694.** 23. Mart. Lipsiae.

## Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 168 sq. Contuli autographon in codice Monac. I. p. 149.

### *Hieronymo Bomgartnero*

S. D. *Lasari* ingenium, modestiam, eruditionem et pietatem valde probo, teque oro, ut propter eas virtutes tu quoque et complectaris ipsum et provehas. Eligamus bona ingenia, quae et docendi labore et precibus Ecclesiae prodesse possint, et petamus ac expectemus auxilium a Filio Dei. Nam quantum undique sit hostium, res ostendit. Patria habet intestinos motus, et aiunt *Carolum* Patrem velle gubernationis suae καταστροφὴν esse et filium πρότασιν novi regni, deletionem nostrarum Ecclesiarum. Undecunque haec consilia oriuntur in hoc fine mundi, ingentes dilacerationes impendere videntur, inter quas Filius Dei servet nos, ut servavit tres viros in fornace Chaldaea. Nam praesidia humana nulla habemus. Nuper captivus quidam ex carcere mihi haec verba scripsit, οἶδα ὅτι ὄντα λέγω, ἀκήκοα φωνῆς ἀγγέλου, ὅτι οὐ μετὰ πολὺ ἡ ἀρχὴ ἀρχιερέως ῥωμαίου καταλυθήσεται. Quicquid est, mutationes magnas rerum significari existimo. Bene et foeliciter vale. Die 23. Martii.

Philippus.

---

**No. 4695.** 4. Apr.

## Io. Gartzenio.

† Ex apogr. in cod. Mehnert. no. 4. p. 69.

*Viro Rever. eruditione et virtute praestanti D. Ioanni Gartzen, Pastori Ecclesiae Dei in inclyta urbe Hamburgo, amico suo carissimo*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Iusseram filium, ut mihi quam primum scriberet, et nunc vestras literas expecto. Dialogo tuo addidit ὑπογραφὴν dominus Pastor; mihi non fuit nisi heri exhibitus, cum hodie abiturus esset auriga. Sed optarim, ut D. Pastor optat, totius huius certaminis *) inter vos esse ἀμνηστίαν. Plura nunc scribere non possum, et tuas literas expecto. Bene et feliciter vale. Die Ambrosii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4696. 4. Apr.

## *P. Vincentio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Petro Vincentio*

S. D. Eruditissime et carissime Petre. *Staphylo* Posnanienses mandata ad me dederunt, et per hunc eis significavi, meum de tua eruditione et virtute iudicium. Expecto igitur quotidie literas. Pagellas carminum *Sigismundi* **) accepimus, quorum exemplum manuscriptum Sigismundus et antea miserat. Amo eius ingenium, et propter studia et candorem animi valde eum diligo. Nulli apparatus bellorum sunt in his regionibus; sed *Lycaon* non desinit irritare vicinam urbem Brunswigam. Quaeso ut rescribas, et si quid habebis ἀξιόλογον περὶ συλλόγου συγκροτηθείσης ἐν ὑμετέρᾳ πόλει, significa. Bene vale. Die 4. Aprilis.

Philippus Melanthon.

---

No. 4697. 6. Apr.

## *Georgio Princ. Anhaltino.*

Epist. lib. II. p. 232. (ed. Lond. lib. II. ep. 228.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Hic adolescens, *Laurentius Zeling*, natus est in ditione C. V. in pago *Hekling*, ubi Monasterium esse narrat. Parentes habet honestos, et multos fratres et sorores. Et ipsius adolescentis modestia laudatur a viro doctissimo D. *Plateano*, qui nunc gubernat Ecclesiam in urbe veteri *Ascania*, quam iudico esse primam nobilissimae familiae vestrae sedem. Petit autem adolescens ex Monasterio Eleemosynam ad studia colenda. Scio quae onera C. V. sustineat. Et quod ad me attinet, studiose parco Principibus, ac dolore afficior propter bonorum Principum difficultates varias, ac Deum oro ut eas mitiget. Sed tamen spero huic pauperi scholastico a C. V. aliquid ex Monasterii reditibus, ad studia suppeditari posse. Et quia natus est in eo loco, qui iam proprie attributus est C. V. quae paterno affectu subditos complectitur: oro reverenter ut C. V. aliquid ei dari curet. Mitto C. V. paginas de Paschate, cuius lectionem spero C. V. gratam fore *). Bene et feliciter valeat C. V. Die Paschatos.

---

No. 4698. 10. Apr.

## *Friderico Duci Liegn.*

† Ex autographo Philippi in cod. Rehd. Vratisl. Vol. V. descripta a S. V. *Schulzio.*

*Illustrissimo Principi et domino, Dom. Friderico, Duci Silesiae in Liegnitz et Brug etc. Domino suo clementissimo,*

S. D. Illustrissime et clementissime princeps. Manifestissima veritas est, salutaria imperia a Deo gubernari et iuvari, sicut scriptum est: *qui das salutem regibus.* Et vult ea Deus hospitia esse Ecclesiae suae; vult genus humanum ideo consociatum esse, ut in hac societate doctrinae vox propagari possit. Et singulare Dei beneficium est conservatio familiarum, ne crebrae mutationes fiant in forma gubernationis. Ideo toto pectore oro Deum conditorem generis humani et ordinis politici ac iustitiae auctorem, ut et Celsitudinem vestram servet incolumem, eumque regat, et servet filium et sit custos familiae et ditionis Celsitudinis vestrae. Ac ut Dei domicilium sitis, accedat et cura invocandi Deum, et celebrandi eum

---

*) Loquitur de disputatione de descensu Christi ad inferos.
**) Sigismundi Schörkelii, ut videtur.

*) i. e. edictum publicum Rectoris Academiae in festo Pasch. quod habes in Scriptis publicis Acad. Viteb. T. I. p. 300.

veris officiis, inter quae sunt et studia doctrinae. Gaudeo igitur Celsitudinis vestrae filium erudiri, eique iam statim in tenera aetate inseri agnitionem Dei et pectus eius inflecti ad timorem, fidem et invocationem Dei. Et ut haec salutaria studia Deus adiuvet, toto eum pectore oro, sicut et adfirmat filius Dei, studiosos suae doctrinae Dei domicilium esse, cum inquit, *si quis diligit me, sermonem meum servabit*, *et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus.* Quod dictum eo recito, quia et a Celsitudine vestra saepissime cogitari opto hanc dulcissimam consolationem in tantis gubernationis periculis. Commendo autem Celsitudini Vestrae hunc *Petrum* *), quem iudico esse virum honestum, eruditum, et spero, fideliter facturum esse officium. Intelligit enim plurimum referre totius reipublicae, Ecclesiae et posteritatis, recte erudiri principem. Deus servet Celsitudinem Vestram et filium incolumes. Datae X. Aprilis.

Celsitudini vestrae
addictus
Philippus Melanthon.

---

**No. 4699.** **11. Apr.**

## *Ad. Cureo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Magistro Adamo Cureo Reichstadiensi in oppido Northusen.*

S. D. Ego vero et candore tuo delector et literarum officio, ac abs te peto, ut saepe ad me scribas, nec alienari voluntatem tuam a nobis sinas calumniis, quae contra nos sparguntur, cum tibi et academia nostra nota sit, et extent mea scripta, quibus aperte refutantur sycophantiae illae. Nec metuo Stoicos, qui nunc renovare deliramenta περὶ τῆς ἀνάγκης conantur. Putabam illam portentosam opinionem sepultam esse. Sed quia quidam eam ἀναῤῥιπτοῦσιν, edam explicationes de ea utiles. Sed haec alias. Testimonium tibi scribam post paucos dies. Deum oro, ut studia tui discipuli gubernet, et ipsum adolescentem optima in-

*) Alia manu adscriptum est: „commendatio Phil. Mel. pro Magistro *Petro Agricola* Ulmensi. 1550."

dole praeditum servet, cuius menti semina optimae doctrinae nunc inserito. Bene vale. die XI. April. Salutem opto D. *Georgio* Pastori Ecclesiae ad S. Petrum.

Philippus.

---

**No. 4700.** **15. Apr.**

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 683 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 780.).

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Ioachimo Camerario, fratri suo cariss.*

S. D. Carmine tuo non solum haec studia communia ornantur, sed multi etiam ad invocationem dei excitantur, qui [1]) haec legentes suos gemitus ad vota summi sacerdotis ardentissima adiungunt. Itaque et meo et Ecclesiae nomine tibi de hoc labore gratias ago. Indigna est collatio de Pasquillo, cuius mentionem facis in tua epistola, quem quidem statim dedimus *Francisco Vinariensi*, qui hac ad conventum Iutrebocensem profectus est. Spero Ecclesiae tuas et nostras lucubrationes utiliores et esse et fore, quam sunt illae antiquae Comoediae vel Satyrae, vel Mimica, ἢ μᾶλλον βωμολοχικὰ scripta. Tibi etiam gratias ago de libro Imaginum et de Brentiana epistola. Praefationes typographo mittendas inchoavi [2]). Et quasdam hic nostris scripsi his diebus [3]). De Rhetici negocio *Achates* [4]) omnino affirmavit se curaturum, ut ad collegium theologicum nominatim scribatur, ac mandata dentur, ut numerent ei illam προσθήκην. Caetera quae habebam annotavi in pagella, quam inserui huic epistolae. *Cratonis* litteras mitto propter extremam particulam περὶ ἰατρῶν. Bene et feliciter vale cum Ecclesia tua domestica. XVII. Cal. Maii.

Philippus.

Medicus *Mythobius* reversus est ex Hyperboreis [5]), narravit incolumes esse tuum filium [6]) et

1) Textus: quae, ex mendo.
2) Quaenam hae fuerint, non perspicio.
3) Vid. d. 25. April. et 1. Maii.
4) Cammerstadius.
5) Comitatus fuerat sponsam Ducis Prussiae Regiomontum.
6) Iohannem Camerarium, qui erat in disciplina Sabini, Regiomonti.

nostras filiolas [7]. A *Sabino* brevissimam attulit epistolam, in qua scribit, cur non mittat filias [8]. Narravit et filiam ducis Prussiaci desponsatam esse Duci Megalopyrgensi [9]. *Καὶ διχοστασιῶν θεολογικῶν πολλά* [10]), quae coram recitabo. Ego accusor, quod libertatem in opinionibus fingendis restrinxerim modis loquendi philosophicis. Ex Brema tantum minae scribuntur, ut anno superiore. Ego rursus in Angliam vocor. Et *Lascius* Bremae expectat ventos navigaturus in Angliam [11]). Historia Argentoratensis [12]) aliquoties pene iisdem verbis ad me perscripta est. Litteras dedi *Francisco Vinariensi*, qui hac fecit iter ad conventum Iutrebocensem. Epistolam *Gelenii* tibi mitto, quam scio tibi voluptati fore. Fasciculum *Illyrico* inscriptum bona fide ei misi.

No. 4701. 17. Apr.

## Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 145. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 145. — In fine autographi additus legitur annus 1548., sed aliena, non Melanthonis manu. Scripta vero est anno 1550. Comitia Augustana, quorum mentionem facit Melanthon, indicta erant ad 25. Iunii diem.

*Clarissimo viro, eruditione, sapientia et virtute praestanti, Dom. Hieronymo Bomgartnero, senatori inclytae urbis Noribergae, amico carissimo,*

S. D. Sit igitur ἱερὰ ἀγκυρὰ vox Filii Dei: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, quoniam videmus Ecclesiae deesse humana praesidia. Et conventus, quem *Augustae* futurum esse aiunt, rursus magnos tumultus excitabit, de quo siquid audisti significa.

Nunc tibi hunc *Iacobeum* doctum hominem commendo, quem quidem tibi notum esse intelligo. Et scio te libenter opem ferre familiis eorum, qui fideliter docuerunt. Addo autem hoc testimonium de isto, praeclare eum profecisse in Philosophia et doctrina Ecclesiae. Et offert suam operam Ecclesiis vestris. In Saxonia nulli sunt adparatus bellorum διὰ τὴν ἀπορίαν νεύρων πολέμου. Bene et feliciter vale. Filius Dei servet te et Ecclesiam tuam domesticam et publicam. Die 17. Aprilis *).

Philippus Melanthon.

No. 4702. 20. Apr.

## Testimonium de Gigante.

† Ex apographo in cod. Monac. II. p. 184.

*S. D. Omnibus lecturis has literas.*

Multae sunt causae, quare deus Ecclesiam in hac vita exiliis exercet. Vult enim nos commonefacere de primo generis humani exilio, quando coelestem patriam amisimus; vult nos etiam exilium filii sui recordari, et meminisse hunc ad nos missum esse, ut nos in veram patriam reducat. Quanquam autem Ecclesiae milites sive certa sede vagantur, ut Paulus inquit, tamen deo curae sunt, qui et regit ac servat eos, et vult eos piorum officiis iuvari, praesertim hos, quorum usus in docendo esse potest.

Ideo hunc scholasticum *Georgium Gigantem*, natum ex honestis parentibus in oppido *Creusen* non procul a *Culmbach*, omnibus lecturis has literas commendo. Nam et ingenium in eo capax est omnium doctrinarum et ad virtutem idoneum, et mores eius sunt honesti et placidi. Et ad latinae et graecae linguae studium addidit initia philosophiae et carmen scribit feliciter. Cumque sciat nos ad agnitionem et invocationem dei conditos et redemptos esse, et deum velle sic agnosci et coli, sicut se patefecit misso filio, domino nostro crucifixo pro nobis ac resuscitato, amplectitur puram Evangelii doctrinam, quam et nostra Ecclesia catholica dei profitetur, et abhorret ab omnibus fanaticis opinionibus, et deum vera invocatione colit, et honesta morum gubernatione pietatem declarat. Poterit igitur utiliter Ecclesiae dei in scholis servire.

Quare cum expediat reipublicae, bona et modesta ingenia et exculta doctrina ad docenti munus

7) Annam et Martham, filias ex Anna Melanthonis.

8) Id rogaverat Melanthon per Mithobium d. 11. Ian. h. a.

9) Sophia, filia Ducis Pruss. desponsata Ioanni Alberto, Duci Megelnburgensi. Nuptiae fuerunt sub exitum Februarii anno 1555., ut refert Sleidanus in Comment. p. 834.

10) Loquitur de lite ab Osiandro mota.

11) Ioannes a Lasco, qui hactenus in Frisia Ecclesiis praefuerat, ineunte anno 1560. se in Angliam contulit.

12) Haud dubie loquitur de tumultu in aede primaria Argentina, quem prolixe narravit Sleidanus in Comment. p. 673.

*) Serior manus adscripsit: ann. 1548.

provehere, hunc *Georgium* omnibus bonis viris commendo, eosque oro, ut iuvenem ingeniosum, modestum et doctrina bene instructum complectantur, et alicubi munus docendi ei tradant, in quo industriam, diligentiam et fidem honestis viris probabit. Datae die vicesimo mensis Aprilis anno 1550. Witebergae.

Philippus Melanthon
manu propria.

---

No. 4703. 25. Apr.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 52. (ed. Lond. lib. II. ep. 35.).

*D. Iohanni Matthesio*

**S. D.** Reverende vir et amice charissime, Saepe interrogati sumus ego et alii in hac urbe, utrum iudicemus satius esse, clam uti Coena Domini, aut prorsus abstinere. Haec ipsa quaestio infirmitatem significat, cui parcendum est. Ideo ne implicentur tales maioribus periculis, diximus eis tutius esse abstinere. Nec tamen clam utitur, qui in Ecclesia domestica utitur, ministro Evangelii exhibente, praesente coniuge, filiis, sicut aegrotis mos est. Sed tamen hunc aegrotantium morem imitari non aegrotantes periculosum est, non solum quod cum fama haec spargitur, accenditur persequentium ira, sed etiam exemplum depravare possent, qui domestica conventicula instituerent propter alias causas et opiniones. Hoc etiam in hac deliberatione considerandum est. Et certe coena Domini instituta est, ut sit nervus publici ministerii, publicae congregationis, et publicae confessionis. Expecto autem responsionem tuam. Bene vale, die Marci 1550.

---

No. 4704. 25. Apr.

## *Pastoribus Saxonicis.*

Epistola praemissa libro: Enarratio symboli Niceni. Witteb. 1550. 8. Etiam in opp. Mel. Witeb. T. I. p. 388.

*Reverendis viris, doctoribus Ecclesiae Dei in Saxonia et in vicinis regionibus Philippus Melanthon* S. D.

Nec casu natum esse genus humanum, nec frustra conditum esse, tantum ad voluptates corporis perfruendas, aut ad has ingentes aerumnas tuendae communis societatis, certissimum est, sed ut esset aliquod quasi theatrum seu templum, in quo Deus innotesceret, et cui Deus suam sapientiam et bonitatem in omni aeternitate communicaret.

Ut autem agnoscatur, patefecit se, non solum impressis in haec mundi corpora vestigiis, sed etiam edita voce doctrinae, cui et illustria testimonia extra hunc naturae ordinem addidit.

Hac voce sibi colligit aeternam Ecclesiam, sicut Filius Dei inquit: Pater sanctifica eos in veritate tua: sermo tuus est veritas. Et hunc sermonem vult ab Ecclesia bona fide custodiri incorruptum et sonare omnibus temporibus in genere humano.

Sed ab hac norma inde usque ab initio, ingens multitudo hominum discessit et discedit, tum impulsa Diabolicis furiis, tum propria mobilitate. Et horribili audacia alii Cyclopum more rident totam mentionem divinitatis ac providentiae, alii nova lumina, cultus et opiniones finxerunt et stabiliunt.

Nec tamen extingui Deus lucem verae notitiae prorsus sinit, sed servat aliquam Ecclesiam custodem verae doctrinae. In hac Ecclesia inde usque a primis parentibus, post editam promissionem, Semen mulieris conculcabit caput Serpentis, est una et perpetua doctrina de essentia et voluntate Dei.

Nec gignit Ecclesia novam doctrinam, sed velut Grammatica est sermonis divini; docet teneram aetatem, quid vocabula significent, et distribuit et numerat utcunque membra doctrinae; et adiungit testimonia perspicua, sumta ex scriptis Propheticis et Apostolicis, aut etiam ex probatis historiis Synodorum aut similibus; et pugnantes opiniones cum hac luce veritatis reiicit.

Servat enim Deus in Ecclesia ministerium Evangelicum, quod et recitat scripta Prophetica et Apostolica, et sermonem, ut dixi, interpretatur.

Nec nos aliud agimus in hac Symboli recitatione, et in ceteris scriptis nostris. Nequaquam gignimus novum doctrinae genus, sed unam illam perpetuam catholicae Ecclesiae Dei vocem, quam sonabant primi Patres, Prophetae et Apostoli, et quae in Symbolis expressa est, propagare ad posteros studemus: qua in re necesse est moneri iuniores de sermone Ecclesiastico, et retineri veras significationes vocum, et taxari corruptelas.

Hanc diligentiam necessariam esse, manifestum est. Quoties enim haec vocabula, verbum, Spiritus, persona, hypostasis, peccatum, lex, iustitia, gratia, fides, confessio, Ecclesia, sacrificium, ad alienas significationes detortae sunt?

Et constat saepe in longis concionibus monstrosas interpretationes fingi ab iis, quibus phrasis ignota est, ut ostendunt Iudaeorum et Monachorum enarrationes, in quibus saepissime, ut veteres de inconcinne saltantibus dicebant, animadvertimus: *ἑτερα τον ποδα, ἑτερα δὲ τον ῥυθμον λεγειν.*

Ideoque et ministerium Evangelicum et studia literarum servat Deus in Ecclesia, ut Prophetarum et Apostolorum scripta et alia monumenta legantur, et sonet vox doctrinae inter homines, qua colligatur Ecclesia, et periti rudiores adiuvent, enarrent sermonem, monstrent discrimina doctrinarum, et taxent errores.

Nec opus est, caussam aliam quaerere, cur necessaria sint haec studia, nisi quia videmus ea divinitus instituta esse, et multis dictis comprobata, ut Paulus inquit: Sis assiduus et intentus in lectione, consolatione et doctrina.

Haec cum sint necessaria, literis et doctrina opus est, utendum est et artium adminiculis, definitionibus, divisionibus, collatione, ratiocinatione, et aliis artium nervis, qui sunt velut metae, quibus inclusa veritas conservanda est.

Etsi autem, ut in universum in docendo, multae virtutes adhibendae sunt, amor veritatis, prudentia in delectu rerum necessariarum, modus disputationum, studium concordiae, candor in iudicandis aliorum dictis, odium sophistices et calumniarum: tamen in enarrando Lector in templis aut scholis non sit Asinus ad Lyram; adhibeat aliquid consilii et artis, ac praecipue recte teneat antea haustam ex illis ipsis fontibus doctrinam Ecclesiae.

Haec eo praefatus sum, ut haec studia ordine docendi et discendi, et curam tuendae proprietatis in loquendo magis ament iuniores, quae ad veritatis agnitionem, et ad concordiam prodest.

Nonnulli enim contra disputant, hunc carcerem, et haec vincula tuendae proprietatis in docendo, indigna esse excellentibus ingeniis, ac libertatem concedendam esse magis acutis interpretationes meliores proferendi. Horum opinionem Ecclesiae ac nominatim vobis, ad quos tanquam ad iudices scribo, iudicandam relinquo.

Manifestae regulae sunt: Fundamentum aliud poni non potest praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus: et saepe repetita est eadem sententia. Ab hac norma certe nequaquam discedendum est.

Ac ut venustissime dicunt Graeci, Bellerophontem, elatum iam prioribus successibus et parta gloria, cum videret, se a Pegaso per totum aërem vehi super terras et maria, conatum esse etiam intra coelum ad Iovem penetrare, sed ibi excussum Pegaso, delapsum in terram extinctum esse: Ita audacia extra metas divinitus constitutas evagandi exitiosa est.

Nec illud vere dicitur, sermonem divinum similem esse foliis Sibyllae, ambiguum et incertum. Pleraque sunt manifestissima omnibus sanis ac mediocriter institutis in Ecclesia. Et tamen ut ministerium Evangelicum Deus in Ecclesia esse voluit, ita vult et de doctrina iudicia esse, in quibus confessio piorum et doctorum refutat errores et ambigua explicat.

Sint igitur et dogmata Ecclesiae nota, et extent proprietate verborum quasi septa et munita. Eamque ob caussam initio Symbola condita sunt, ut summa doctrinae in conspectu esset recitata propriis verbis, ut iisdem syllabis hae res praecipuae ubique in Ecclesiis proponerentur.

Ac nunc quoque in diiudicatione controversiarum quarundam simili diligentia opus esset. Cum autem hae tantae res non sint curae summis gubernatoribus, nos in scholis decet curare, ut extet doctrinae summa, quantum fieri potest, sine ambiguitate recitata; quia nos in scholis subinde praecipua doctrinae capita repetere, ut fit in puerili *κατηχησει*, necesse est.

Haec igitur enarratio Symboli Niceni a *Casparo Crucigero* instituta est pio consilio, ut quasi evoluta Symboli doctrina proponeretur, et ordo magis conspici posset, distributis partibus Symboli in membra: voluit etiam testari, nos reverenter amplecti et tueri haec Symbola, gravissima auctoritate tradita, et quidem retinere nativam eorum sententiam.

Id consilium cum alii probarent, et quidem docti, pii et graves viri eam partem, quae edita est *), prodesse piorum studiis iudicassent, rursus

*) Pars iam prodiit anno 1548. Vid. epist. ad Baumgartn. d. d. 8. Maii 1548.

eam edidimus, additis aliquot capitibus, additurl etiam cetera, si hic labor vobis probabitur.

Ego quidem fideliter recitare studeo communem doctrinam sonantem in Ecclesiis harum regionum, quam iudico, diligenter considerata universa antiquitate, vere esse consensum Catholicae Ecclesiae Dei, congruentem cum Confessione Augustae exhibita, Anno M.D.XXX.

Nec aliud genus doctrinae, nec alias opiniones invehere in Ecclesias velim. Et opto, aeternam esse harum Ecclesiarum concordiam, ac opinor multis annis mediocrem sedulitatem me praestitisse, et in illustranda veritate, et in fovenda inter nos concordia.

Sed tamen, ut magis perspicuum sit, me magnopere velle, ut consensus in his Ecclesiis perpetuus sit, et hanc editionem et cetera mea scripta eruditorum et bonorum virorum iudiciis inter vos offero, quales scio multos in vestris Ecclesiis esse, quos veneror, ut vera Ecclesiae membra.

Nec deterrent me vel odia quorundam, vel calumniae, quo minus ad vestrum iudicium provocem. Extant enim mea scripta, quae, quid sentiam ostendunt, et refutant reprehensiones, de quibus etiam alio tempore respondebo. Et multis bonis et doctis viris scio notos esse dolores meos ingentes, et eorum caussas non leves.

Postremo autem, ut Filius Dei in agone suo precatur aeternum Patrem, ut servet Ecclesiam, ac faciat, ut omnes unum simus in ipso, ita meos gemitus ac vota ad ardentissimam precationem huius Summi Sacerdotis, Filii Dei, adiungo, eumque toto pectore oro, ut in his regionibus semper Ecclesiam aeternam colligat et gubernet, et mentes docentium Spiritu sancto suo copulet. Bene valete. 1550. die S. Marci Evangelistae.

---

**No. 4705.** 30. Apr.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 640. (ed. Lond. lib. IV. ep. 781.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

**S. D.** Honestissimam Matronam coniugem tuam non volui hoc tempore molestia itineris onerare, praesertim cum post mensem sperem filiae meae affuturam esse. Ideo nunc et *Paulum* oratorem esse volo apud coniugem tuam, et ego scripsi, cur ei parcendum esse duxerim. Nec a te nec a caeteris amicis hoc officium flagito, ut nunc veniatis, etsi tibi quidem legem non fero, cum nusquam magis quam in tuo colloquio acquiescam. Commendo autem et Ecclesiam et me ac meos precibus vestris. Veniam istuc cum coniuge et filia, postquam liberatus fuero huius ritus nuptialis molestia, ut pannos emamus.

De dono quod *Stramburgo* *) commendatum est, coram tecum loquar. Non est iam tantum ὄψον χαχηγορία, ut Pindarus inquit, sed rabies qualis nulla aetate fuit, cuius praecipua caussa est, quod homines barbari et iam assuefacti ad legum et disciplinae contemtum et odium, metuunt frenari licentiam: sed haec sunt fatalia mala postremae aetatis, quae ut filius Dei mitiget, precemur, ut ipse quoque in tuo carmine precatur. Bene vale. Pridie Calend. Maii.

Phil. Melanth.

---

**No. 4706.** 30. Apr.

## *H. Baumgartnero.*

† Ex autographo Melanth. in cod. Monac. I. p. 264.

*Clariss. viro, sapientia et virtute praestanti, Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae, patrono suo carissimo.*

**S. D.** Etsi nuncius *Andreas* literas a me et paginas adferet, tamen cum hic *Melchior*, alumnus et urbis et scholae vestrae, flagitaret epistolam, libenter ei dedi, quia scio, te bona et modesta ingenia singulari studio complecti. Est autem huius *Melchioris* natura et doctrinae capax, et in primis placida et moderata. Docet hic fideliter, et non solum doctrinam tradit, sed regit etiam exemplis mores adolescentum. Nunc istuc proficiscitur, ut patronum suum, virum gravissimum *Leonartum Tucherum* alloquatur. Aditum vero ad te literas sibi meas facturas esse sperabat. Foveamus reipublicae causa, donec possumus, tales qui modestiam et tolerantiam in hac docendi militia prae-

---

*) Vid. supra ep. ad Camerar. d. 19. Ian. 1550.

stant. *αἱ γὰρ ὑπερήφανοι καὶ ἐριστικαὶ φύσεις σφαλερωτέραι εἰσίν.* Exhibebit tibi hic Melchior partem *enarrationis* inchoatae *in symbolum Nicenum* *). Nam capita quaedam adiecimus priori editioni. Bene et foeliciter vale. Pridie Calendas Maii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4707. 1. Maii.

## *Lectori.*

Praefatio in librum: De novissimis verbis Davidi. Commentatio pia et sancta Martini Lutheri, Theol. Doct., germanice explicata, et in latinum sermonem conversa studio et dilig. Caspari Crucigeri, D. Theol. Nunc primum seorsim edita. Lips. in officina Val. Papae anno 1550. Cal. Maii. 8. (Extat in bibliotheca Gymnas. Goth.)

### *Pio Lectori Philippus Melanchthon.*

Ut Davidis haec postrema confessio et quasi Cygnea cantio fuit, quae recitatur in ultimis verbis, ut nominant: ita fuit haec enarratio inter postrema *Lutheri* scripta. Deinde et interpretationem eius in Latinum sermonem *Caspar Cruciger*, iam morbo ingravescente, cum quotidie cum morte luctaretur, instituit, et paucis diebus antequam mortuus est, absolvit. Fuit igitur et horum optimorum Doctorum haec postrema confessio, in qua, cum fide acquiescerent, in illo ipso agone, quia in eorum pectoribus initia aeternae iustitiae et vitae accensa fuerant, laeti et avidi dulcissimae consuetudinis cum Ecclesia coelesti ex hoc carcere discesserunt. Continet enim haec enarratio perpetuam et praecipuam in Ecclesia doctrinam, de vera agnitione atque invocatione Dei, de Patre, Filio et Spiritu Sancto, de beneficiis Mediatoris, de vera invocatione; de qua sapientia universa dictum est: „Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Iesum esse Christum." Quo dicto filius Dei discernit et Ecclesiam suam ab aliis hominum coetibus, et propriam Ecclesiae sapientiam attribuit, distinctam non solum a furoribus Cyclopicis et idolorum veneratione, sed etiam ab erudita Philosophia et a legis doctrina. Id discrimen etsi omnibus in Ecclesia viris, mulieribus, senibus, iunioribus, pueris familiarissime notum esse debet, et a Prophetis ac ab Apostolis erudite illustratum est: tamen omnibus aetatibus hanc lucem, statim postquam accensa fuit, nova caligo obruit. Quare omnes prudentes in Ecclesia, suo quisque loco curare debent, ut doctrina de his tantis rebus exstet incorrupta, et libri utiles sint in manibus hominum. Non sunt novae hae praestigiae, miscere opiniones Philosophicas et fanaticas doctrinae divinae: sed exempla huius furoris etiam vetusta leguntur; quorum recordatione cum cohorrescam, recitare ea nolo: tantum adhortor omnes iuniores, ut magna vigilantia discant et tueantur discrimina doctrinarum. Nihil ad filium Dei pertinent vel *Platonicae*, vel *Iudaicae ideae*, quas qui fingunt, longe aliud sentiunt, quam quod sentit Ecclesia Dei. Hic filius aeterni patris, quem nos invocamus, non est imaginatio, velut Idea Platonica; sed est vivus, sapiens, iustus, beneficus custos Ecclesiae suae, cui semper adfuit, etiam antequam humanam naturam induit; ut vere inquit *Ireneus*: „Semper adfuit generi humano filius Dei, λόγος." Alienissima sunt ab Ecclesia Dei *Stoica* deliramenta de Necessitate et Fato, etiamsi videntur ista belle dici: Deum celebrandum esse admiratione sapientiae, et beneficentiae, et ordinis agnitione et gratitudine, quia fons sit vitae et auctor ordinis in positu corporum mundi, et in motibus coelestibus, optimo consilio distinctis; et ad utilitatem animantium et terrae, vim infuderit gignendi victum hominibus et caeteris animantibus, et in humanas mentes radios suae lucis et sapientiae sparserit. Sed tamen palam fatentur *Stoici*, et frustra peti bona, et non opus esse quidquam petere, cum fatali necessitate caussarum series sua lege adferat, si qua contingunt; et impetrari non possint, quae non illa ipsa caussarum series secum trahit. Indignum etiam Deo esse clamitant, nostrae utilitatis caussa, ac non potius propter suam sapientiam et bonitatem eum venerari. Hae praestigiae ab acutis hominibus ornabantur: sed si conferantur ad Ecclesiae doctrinam, contumeliae sunt adversus Deum, et funditus delent invocationem. Ut autem et de Deo recte sentiamus, et vera invocatio fieri possit, sit in conspectu vera Ecclesiae sententia, et noti

*) „Enarratio symboli Niceni" secundum *Mylii* Chronolog. libr. Mel. et *Strobelii* bibl. Melanth. no. 850. prodiit primum anno 1550. Neuter vero commemoravit priorem editionem. Nam ex epistolarum serie d. 7. 8. Maii 1548. scriptarum intelligitur primum hanc enarrationem anno 1548. prodiisse, quare editio anni vel 1550. est altera, vel editio anno 1548. ad finem non est perducta, quam posteriorem opinionem ipse Mel. in praefatione (d. 25. Apr. 1550.) confirmat.

sint fontes, ex quibus sumenda est perspicua et firma refutatio. Haec eo recitavi, ut iuniores commonefacti diligentiores sint in considerando discrimine doctrinarum, et puritatem coelestis doctrinae non sinant corrumpi, admixtis peregrinis opinionibus. Maxime vero in invocatione haec sapientia luceat. Filius Dei cum, obiurgans Samaritanam, inquit: „Vos adoratis, quod nescitis": vult nos ex tenebris illis, quae sunt in mentibus nostris in hac infirma natura, velut educi, et vult aliquo modo adspici Deum in illis dictis, quae vox divina proposuit, quae metas nobis circumdat; docet, ubi et quomodo sese patefecerit Deus, et quae sit eius voluntas; quomodo et cur recipiat, exaudiat et servet homines. Sed quid, inquies, plus cernit mea mens, cogitans, quid sit Deus, quam mens Platonis, qui, adspiciens hoc pulcherrimum mundi opificium, lucem et figuram coeli, siderum motus, et hanc sedem animantium, terram magna varietate ornatam, et homines, et in hominibus partem intelligentem, et caeteras huic miro ordine adtributas, agnoscit certe, numen quoddam esse sapiens, bonum, iustum, quod et fons est ordinis et bonitatis, et haec pulcherrima opera miranda arte condidit: Quid plus, inquies, aut quid aliud cernimus, etiam cum deducti sumus ad illas patefactiones, quas recitat Ecclesia? An non fieri potest, ut firmior et stabilior sit adsensio in Platone et Xenophonte, quam in auditoribus Ecclesiae? Haec non est levis quaestio, de qua bonis mentibus saepe cogitandum est, et quaerendum discrimen, quod, etsi magna est in omnium pectoribus caligo, tamen intelligi utcunque potest. Sed sciamus, hoc praecipere Deum, ut adsentiamur suae voci, ac tumultuantes dubitationes, reprimamus, sicut *Paulus* inquit (2 Cor. X. 5.): *αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ*, deinde hanc ipsam agnitionem, in qua fulgere incipiunt scintillulae adsensionis, esse hanc sapientiam Ecclesiae, placentem Deo, quamquam adhuc magna caligo reliqua est. Ac docendi caussa saepe ita discerno invocationem Ethnicam et Christianam. Idque discrimen saepe multumque inculcari et cogitari prodest. Cogitatione enim lux in mentibus et accenditur et crescit. Sunt autem praecipua discrimina duo: alterum est de essentia; alterum de voluntate Dei. Errant Ethnici, Mohametistae, et similes de Dei essentia, quia, etsi illa naturali consideratione agnoscunt aliquid esse Deum, tamen illam doctrinam de aeterno Patre, Filio et Spiritu Sancto ignorant, Mahometistae etiam impie et furenter execrantur. Sed verba, inquis, recitare possumus, naturam filii et Spiritus Sancti quomodo intelligam? Etsi obscura est etiam in Ecclesia haec agnitio, tamen huic infirmitati Deus medetur: Filio induit humanam naturam, ut adspiciens hunc Christum, stantem in conspectu, cum revocat Lazarum in vitam, discernas eum ab aeterno Patre; et nominatur Filius, Imago aeterni Patris: unde pia mens etiam, non rudis ac prorsus ignara doctrinae et exercitiorum invocationis sumere discrimen potest. Et sciamus in hac mortali vita haec obscura initia Deo placere. Alterum discrimen de voluntate Dei illustrius est. Norunt utcunque Plato, Xenophon, Mahomet, voluntatem, quam lex, cuius notitia nobiscum nascitur, ostendit. Sciunt esse numen sapiens, verax, beneficum, iustum, castum, puniens scelera: vident huius voluntatis testimonia in quotidianis exemplis. Etsi enim differuntur poenae, et pauca quaedam exempla nunc discrepant: tamen regula nequaquam dubia est: atrocia delicta comitari atroces poenas in hac vita. Hinc sunt illae toties repetitae commonefactiones:

*Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.*

Et illud *Homericum:* (*Odyss.* ξ. 83.)

*οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.*

Et illud *Pindaricum:* (*Py.* IV. 248.)

*ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι*
*κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον,*
*τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν δ' ὅμως.*

Denique omnium sanorum confessione hanc de Deo notitiam in omnium mentibus lucere constat. Sed nequaquam norunt Plato, Xenophon, Mahomet promissionem gratuitam reconciliationis et Mediatorem filium; sed perpetua est in mentibus dubitatio, an exaudiatur a Deo. Hic Ecclesia Dei scit, patefactam esse hanc voluntatem in promissione, quae ideo nominatur Evangelium, quia grata et dulcis consolatio est, qua cum mentes sustentantur, non opprimuntur mole dubitationum, non merguntur in contemtum, aut odia Dei; sed reverenter accedunt ad Deum, fiducia Mediatoris. Haec invocatio, fide intuens Mediatorem, propria est Ecclesiae Dei, et quidem accendit in mentibus lucem de Deo, ignotam Ethnicis et omnibus hominibus, qui haec verae invocationis exercitia ignorant. Plato, Xenophon, quaerunt, qualis sit Deus, intuentes hunc mundi ordinem, et pror-

sus ignorant Mediatorem. Tu non tantum intuearis hunc mundi ordinem, sed patefactiones divinas, in quibus alloquere aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, filium Iesum Christum, crucifixum et resuscitatum, et Spiritum Sanctum: scias etiam, fiducia filii, et quasi ducente filio ad hunc verum Deum patefactum accedendum esse. Copiose autem in hac enarratione exposita est haec doctrina de personarum divinarum discrimine, et de vera invocatione. Ideo, etsi antea hic liber inter caetera *Lutheri* scripta editus est, tamen nunc, ut a pluribus legeretur, voluit eum Illustris Princeps *Georgius*, non solum vetustissima gentis Ascaniae ac Anhaltinae nobilitate, sed etiam eruditione, et vera pietate, ac caeteris virtutibus, bono Principe dignis, excellens, hac forma rursus edi. Tales thesauros in Ecclesia custodiri valde prodest, ut exstent testimonia, quid probati Doctores de praecipuis membris doctrinae in Ecclesia senserint, quae et nunc, et ad posteritatem, multos erudiant et confirment, et ut Deus recte invocetur, et ut Ecclesiae consensus et concordia minus distrahatur. Ac omnium lacrimis deploranda et detestanda est Episcoporum in hac re negligentia, qui non solum veteres libros puriores non custodierunt, sed etiam multa supposititia et notha scripta in Ecclesiam sparserunt. Sed tamen bonae mentes Deo gratias agant, qui aliqua testimonia incorrupta conservavit, et subinde doctrinae suae lucem restituit: quam ne sinat exstingui, assiduis votis et gemitibus eum oremus, ut plures homines ipsum in omni aeternitate vera gratitudine celebrent. Illi etiam, qui studium habent recte docendi, sint in tuenda concordia verae Ecclesiae diligentiores, ne dissidia, orta ab affectibus, postea dogmatum dilacerationem pariant, ut saepe accidit. Magnae sunt omnino, in hac delirante senecta Mundi, et multiplices Ecclesiae calamitates, magna vulnera, quae multi ferrei ne sentiunt quidem, multi laceratione cruciatum augent. Has tantas miserias agnoscamus, et primum veris gemitibus Samaritanum illum veterem, veri Dei Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, qui adfirmavit, se semper nobiscum mansurum esse, precemur, ut ipse sua balsama nostris vulneribus infundat; deinde nos quoque, quibus possumus officiis, aegrotas Ecclesias foveamus, sicut illi fideli et officioso hospiti Samaritanus saucium viatorem commendat. Bene vale! Calend. Maii. Anno M. D. L.

**No. 4708.** **1. Maii.**

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 165 sq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 145., cui adscripta leguntur: „1550. 12. Maii per Andream."

*Hieronymo Bomgartnero*

S. D. Etsi humana omnia instabilia sunt, et turbulentis temporibus, qualia haec sunt, praecipue solent accidere multi *πανικοὶ θόρυβοι*, tamen nunc quidem nulli sunt bellici apparatus in his regionibus. *Bremae* etiam silentium esse scribitur in literis recens missis. *ἀεὶ δὲ τὸ μέλλον τυφλὸν ἕρπει*, ut in Sophocleo dicto legitur. Sed teneamus consolationem divina voce traditam Ecclesiae; *Ego vos gestabo etiam in senecta*, ac Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi conditorem coeli et terrae et Ecclesiae suae oremus, ut nos regat et servet aliquos coetus ipsum vere invocantes, et leniat iustissimas poenas.

Mitto tibi pagellas Versuum. *Eberus* mittit Fastos, quos utcunque collegit. Sed sequetur alia editio melior. Nunc Attica lege hanc primam accipito. Nam Athenis fabulam, cum recens nata primum exhiberetur, non licuit explodere adhuc ignotam. De conventu scio communem esse sollicitudinem bene volentium Ecclesiae. Sed gubernabit Deus hoc periculum. Bene et foeliciter vale et rescribe. Cal. Maii *).

Philippus Melanthon.

---

**No. 4709.** **1. Maii.**

## *Io. Stigelio.*

Danz. epist. ad Stigel. ep. 45. Cod. Goth. 188. ep. 118.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, felicitate ingenii summa praedito, amico suo carissimo*, S. D.

Cariss. *Stigeli.* Et Reipub. nomine, et meo et amicorum, tibi viro et poëtae optimo gratias ago pro luculento carmine, in quo, ut alia multa nunc non recitem, mirifice me consolatus est vel hic unus versus,

Praesentemque refert una vel *herba* Deum.

---

*) Alia manus adscripsit 1550.

Erimus igitur curae Deo, illi ipsi conditori rerum, qui se patefecit misso filio, nos quoque, qui et tuae venae fons et auctor est. Mutavi vocabulum, *Magno*, ac malui me *tuum* dici, quam Magnum. Et certe sum tuus et ero semper, et serviam Ecclesiae Dei in explicatione doctrinae fideliter ubicunque ero. Ad nuptias filiae meae[1]) decrevi te vocare. Nunc tuae filiolae mitto xenium. Bene vale et rescribe. Calend. Maii[2]).

Philippus.

---

No. 4710. 1. Maii.

## *Sigismundo Archiep.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1].

*Illustrissimo et Reverendiss. Principi Sigmundo, Archiepiscopo Meideburgensi.*

Illustrissime et Reverendissime Princeps. Cum C. V. et Ecclesias velit ornatas esse idoneis doctoribus, et clementer faveat bonis ingeniis, praesertim subditorum: non dubitavi hunc Mag. *Valentinum Helhim* *) Lucawaldensem C. V. commendare, quem spero usui et ornamento Ecclesiae Dei fore. Nam et latine, graece et hebraice praeclare doctus est, et in Academia Lipsica recte didicit fontes [doctrinae] Ecclesiae Dei, cumque mores sint honesti et pii, natura etiam moderationis et tranquillitatis amans est. Scit autem C. V. quantum referat in Ecclesiis esse tales gubernatores, qui et recte doceant et ament pacem, nec inutilibus rixis publicam concordiam et pacem in piis turbant. Utiliter igitur consulent principes Ecclesiae, si bona et modesta ingenia eligent ac provehent. Orat autem hic *Valentinus Helhis* reverenter studia sua aliquot annos in Academia iuvari reditu sacerdotii alicuius. Postea defert operam suam Ecclesiis. C. V. oro igitur reverenter, ut C. V. huic Valentino clementer opem ferat. Comperiet enim C. V., hoc beneficium in virum doctum, modestum et concordiae publicae amantem collocari. Scit C. V. curam conservandi doctrinae studia praecipue pertinere ad Ecclesiae gubernatores, quo in fastigio etiam C. V. collocata est. Bene et feliciter valeat C. V. Cal. Maii 1550.

1) Nuptias Margarethae cum Peucero, habitas d. 2. Iun. 1550.

2) Cod. Goth. 188. addit: 1550.

*) Sic nomen scriptum est, sed puto mendose.

No. 4711. 1. Maii.

## *Io. Montano.*

Epist. lib. V. p. 244 sq.

*Honesto viro, Iohanni Montano, civi Noribergensi, Typographo.*

S. D. Et meo et Ecclesiae nostrae nomine tibi et caeteris, qui editionem enarrationum Lutheri[1]) edunt, gratias ago. Iudico enim, hos labores et Deo placere, et Ecclesiae prodesse. Tibi etiam gratias ago, quod volumen nunc recens editum mihi misisti. Praefationem inchoaveram[2]), sed aliis quibusdam insulsis et ingratis occupationibus impeditus, tunc, cum adesset nuncius, non absolvi inchoatam. Mittam autem, Deo iuvante, aliam locupletiorem ad reliquum opus[3]), de qua tamen vestro arbitrio statuetis. Utinam possem etiam maioribus officiis meam vobis benevolentiam declarare. Debetur enim gratitudo honestis viris, quorum labores et officinae serviunt utilitati Ecclesiae, non eorum cupiditatibus, qui deleri et literas et veram invocationem Dei, literarum armis, et igni et ferro, conantur. Sed Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, oro, ut nobis adsit, et sibi inter nos semper colligat Ecclesiam, et hospitia honestae disciplinae et studiorum protegat. Bene vale. Cal. Maii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4712. 1. Maii.

## *C. Aquilae.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1].

*Casparo Aquilae (exuli in oppido Schmalkalden)*

S. D. Reverende vir, et amice carissime. Etsi ipse in exilio multo duriore sum, quam tu, tamen et de tuo exilio saepe cogitavi, sed gratulor tibi mediocre hospitium *) ac Deum oro, ut te et Ec-

1) Librum Geneseos.

2) Voluit typographus, ut Mel. Tomo II. enarrationum Lutheri in Genesin praefationem praefigeret, quod vero factum non est. Prodiit Tom. II. anno 1550.

3) Tomum III. enarrationum Lutheri in Genesin. Vid. 25. Ian. 1552.

*) Caesar, iratus quod Aquila librum Augustanum impugnaverat, iussit Aquilam aut mortuum aut vivum sibi afferri. Recepit igitur se primum in arcem Rudolstadianam, mox

clesias harum regionum omnes servet. In nostra Ecclesia et Academia Dei beneficio nec doctrinae nec rituum mutatio facta est. Vox Evangelii sonat incorrupta et eadem, quam audivisti, quoties hic nobis fuisti. Studia literarum etiam mediocria sunt, ut ostendent carmina de nuptiis Magistri *Erasmi Reinhold* scripta, quae tibi mitto. Oro autem, ut aliquando ad nos scribas. Bene et feliciter vale. Calendis Maii. Salutem opto meo *) hospiti. 1550.

Philippus Melanthon.

---

No. 4713. 3. Maii.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 266. (ed. Lond. lib. II. ep. 266.).

### *D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Mitto Cels. V. Calendarium, collectum a Magistro *Paulo*[1]), in quo multae sunt historiae, quarum memoriam illustrari utile est, etiamsi aliae leviores additae sunt. Mitto et Symboli[2]) enarrationis partem, quam oro Cels. V. ut legat tanquam iudex. Erunt fortassis aliqui calumniatores, sed certe fuit meum studium initio, et adhuc est, et erit Deo iuvante, ut rerum necessariarum veram et perspicuam doctrinam complectar. Optarim autem me adiutores et iudices eius laboris habere, et minus impediri aliis occupationibus. Certe collatione plurimum in tanta diiudicatione opus esset. Sed hoc tristissimum tempus plenum est virulentiae, suspicionum, calumniarum, arrogantiae. Haec mala Deus tollat ex Ecclesiis. Obsecro, ut lecta hac parte Celsitudo Vestra aliquid de suo iudicio significet. Celsitudini Vestrae gratias ago pro benevolentia erga me et meum Filium[3]), et Deum oro, ut Cels. V. gubernet et servet, et me et meos Cels. V. reverenter commendo. Bene et feliciter valeat Cels. V. Die 3. Maii.

---

autem Schmalcaldiam. Rediit ex exilio Salveldiam postquam Ioannes Fridericus Elector, liberatus ex captivitate, venerat Wimariam anno 1552.

*) tuo?

1) Pauli Eberi Calendarium.

2) Symboli Niceni, vid. ep. d. d. 25. Apr.

3) Filius Melanthonis uxorem duxit d. 5. Maii h. a.

No. 4714. 3. Maii.

## *Ioachimo Pr. Anhalt.*

Becmanni Access. historiae Anhalt. p. 126.

### *Ioachimo, Principi Anhaltino.*

Illustrissime Princeps. Celsitudini Vestrae gratias ago pro munere ad mei filii nuptias misso, et Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut in his regionibus et Ecclesiam sibi semper colligat et servet, et has politias et C. V. protegat. De conventu futuro *) certiora fortassis habebit C. V. quam ego, sed heri accepi literas, in quibus scribitur, aliquorum opinionem esse, tarda fore initia huius conventus, et Imperatorem valde petere, ut Pontifex quam primum indicat concilium. Arbitror omnino Imperatorem ante omnia de concilio indicendo et inchoando acturum esse. Oremus autem, ut ipse filius Dei nobis adsit, et servet Ecclesiam suam sicut dixit: Ego vobiscum sum, usque ad consummationem seculi. Bene et feliciter valeat C. V. d. 3. Maii.

---

No. 4715. 7. Maii.

## *Alberto Duci Pruss.*

Edita a Fabro in epist. p. 178. ep. 53.

### *Alberto Duci Borussiae*

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps. Scio Celsitudini vestrae universam rempublicam notiorem esse, quam mihi est. Sed tamen in pagella, quam addidi in his literis scripsi quaedam digna consideratione. Et Celsitudinem vestram oro, ut clementer haec accipiat. Mitto et libellos qui ostendunt non solum studia harum Academiarum, sed etiam Ecclesiae vocem. Et in Calendario[1]) fit mentio familiae inclitae Marchionum in initio.

Et quia res ostendit doctrinam harum Ecclesiarum incorruptam esse, et nos mediocri labore servire studiis, commendamus et nos et Ecclesias harum regionum Celsitudini vestrae et oramus, ut foveri curet docentium concordiam in Ecclesiis vestris et harum regionum, ne calumniis moveatur contra manifesta testimonia nostrorum librorum et bonorum ac prudentum qui nos audiunt.

---

*) Augustae Vindelicorum habendo d. 25. Iun. 1550.

1) Eberi.

Ago gratias Celsitudini vestrae reverenter quod *Christophoro Langio* stipendium auxit. Solet hic in templo Arcis concionari, ac docet cum magna adprobatione piorum qui eum audiunt.

De conventu futuro Augustae et de Concilio indicendo a Romano Pontifice sermones sunt atroces. Sed Deus servabit Ecclesiae suae reliquias, et ut servet eas, toto ipsum pectore oro. Adolescentum nobilium studia quos Celsitudo vestra mihi commendat, erunt mihi curae, et quia ipsi iuventuti haec officia debemus, et quia magnopere cupio meam observantiam erga Cels. v. declarare. Et deo gratum officium est, et virtus excellens in tanto principe, respicere ad haec studia iuventutis et posteritati doctrinam Religionis et aliarum artium conservare.

Filius dei dominus noster Iesus Christus custos Ecclesiae suae servet Cels. v. incolumem et eum gubernet. Datae Witebergae die septimo Maii 1550.[2])

Celsitudini vestrae
addictus
Philippus Melanthon.

## Beilage.

Keiserlich Majestät läßt wiederum Reuter bestellen und stärket sich, aber sonst ist keine Rüstung in Hochteutschland oder Sachsen bey den Fürsten zu merken.

Man schreibt neulich, Frankreich habe ein Kriegsvolk in Saphoy (Savoyen) gesandt, das Pedemont (Piemont) wiederum einzunehmen.

Meideburg hat im vergangnen Winter etlich Edelleut, nit fern gesessen, in die Stadt gefänglich geführet, ist auch in Tangermund gefallen und die Vorstadt geplündert, und wiewol etliche Tag zu Jutrebog[3]) gehalten und Lasarus Swendi Kaiserl. Mai. Gesandter angehalten, daß die Fürsten umher etwas wider Meideburg vornehmen sollten, so ist doch noch nichts geschehen, zum Theil mangelt Geld, zum Theil wird bedacht, daß das Werk groß und sorglich sey, die Sächsischen Städt zusammen treiben und unruhig machen.

Hertzog Heinrich von Brunswig und Stadt Brunswig haben viel Zank untereinander, wird entlich ein Krieg daraus werden, und siehet mich die Sach also an, als werde dieselbige Uneinigkeit den Sächsischen Krieg erregen.

Vom Reichstag der zu Augsburg werden soll, besorget man, er werde größer Unrug anrichten, so nit Verhinderung vorfällt. So aber der Angriff in Sophoy geschehen wär, so würde K. M. an andern Orten zu thun haben, außer Teutschland.

Doch dieses sey oder nit, so acht ich nit, daß K. M. seine Macht wider Sachsen oder Preussen senden werde, sondern die Unrug wird mit Straßburg angefangen werden, denn dieselbigen Pfaffen klagen jämmerlich, haben am Fest purificationis ihr Meß im Thum wiederum angefangen, sind hernach in zweien Tagen wiederum heraus geflohen.

Hernach sind viel Handlungen zwischen dem Bischoff von Straßburg und Stadt Straßburg gewesen, begehrt die Stadt, daß man ihnen drey Kirchen lasse, Item wie die Schul geordnet ist rc.

Der Churfürst zu Sachsen wird hart ersucht von den Hessischen sich einzustellen und ist diese heimliche Sach hoch beschwerlich, davon nit zu schreiben und wird Zeiger dieser Schrifften Doctor Pontanus weiter berichten.

Hertzog Heinrich von Brunswig hat alle Fürsten und Städt vor das Cammergericht citirt, von wegen des Kriegs darin er verjagt rc., Darauf sich Ulm, Augsburg und etlich mehr Städt in Swaben mit ihm vertragen.

Hertzog Augusto ist ein Sohn geboren die secunda Maii, welchs Nativitaet ich E. f. g. hiemit sende.

In Hungarn sind durch Gottes Gnaden die Kirchen, da reine Lahr ist, in gutem Stand und Frieden und haben die Bergstädt und Herrn dem König auf dem Tag zu Presburg diese Antwort die Religion belangend geben, daß sie in christlicher Lahr gleichlautend mit der Sächsischen Confession kein Aenderung zu machen gedenken.

---

**No. 4716.** 9. Maii.

## *Georgio Princ. Anhalt.*

† Ex apographo in cod. Servest. p. 275. descripta a Cl. *Sintenisio.*

*Georgio Principi Anhaltino.*

S. D. Illustriss. et Reverendiss. Preps. Cum heri frater Cels. V. Illustriss. Princeps *Iohannes*, vir optimus narraret, se et expetivisse et exspectasse adventum tuum, addidit gravissimam com-

---

2) Der Herzog antwortete auf diesen Brief, daß er die gutgemeinte Warnung Melanthons mit Dank annehme, aber keine Calumniatores bei sich wisse. (Faber.)

3) Vid. ep. d. 4. Maii.

memorationem, se scire unicam hanc firmam consolationem esse, quam vox Divina proposuit, quae inquit, *Iacta curam tuam in Deum et ipse te sustentabit*, seque hac Ancora niti, sed postea in rebus humanis nulla suavitate ita sibi lenire dolores, ut optimorum fratrum amore et fide ac tuis praesertim sapientissimis colloquiis et plenis verae pietatis. Hanc eius orationem nec audire potui nec recitare possum sine lacrymis, etsi ipsi quidem utrumque gratulabar, et quod in invocatione dei acquiescit et quia fratres habet tales quorum ipsi virtus sapientia et pietas solatio est *). Sed ingenti dolore adficiebar, cogitans et de publicis miseriis et de harum regionum confusionibus et de vestrae familiae difficultatibus et harum calamitatum omnium praecipua causa. Scio autem et Cels. V. iisdem cogitationibus excruciari. Sed repugnemus dolori, nec abiiciamus invocationem et spem auxilii divini. Multa semper acciderunt et accident Ecclesiae quae humanis consiliis extricari non possunt. Non poterant primi parentes suis consiliis lenire mala quae attraxerant. Non potuit David sua sapientia seditionem sedare ut alia multa omittam. Sed sciebat, recipi et exaudiri invocantes propter filium, etiam cum destituunt nos humana consilia; sicut et alius rex inquit: *Cum nescimus quid agendum sit, ecce oculi mei ad te Deus tolluntur.* Hac nos consolatione etiam sustentemus et speremus, Deum servaturum esse aliquos pios coetus recte invocantes ipsum et hospicia Ecclesiae et studiorum doctrinae. Illam etiam consolationem familiae piorum principum praecipue audiant: *Generationi Rectorum benedicetur.* Erit igitur curae Deo et vestra familia, quod hospicium Ecclesiis mediocre praebuit. Haec scripsi non solum ut vestro dolori, sed ut meo quoque mederer. Cetera de quibus colloqui cum Cels. Vestra cupiebam, literis complecti non possunt. Sed si ita videbitur Cels. Vestrae istuc exspaciabor post mensem. Interea et de futuro conventu Augustano plura audiemus. Oro autem filium Dei toto pectore, ut et familiae vestrae et universae Ecclesiae erumnas leniat et servet Cels. V. incolumem. Datum in Werlicz d. 9. Maii 1550.

P. M.

*) Ex epistola ad Camerar. ad d. 11. Maii h. a. intelligitur, Ioannem principem Ascan. illo tempore aegrotasse.



No. 4717. 10. Maii.

## Io. Stigelio.

Danz. epp. ad. Stigel. ep. 85. Cod. Goth. 188. ep. 153.

*Clarissimo viro, felicitate ingenii, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ, fratri suo carissimo*, S. D.

Ὦ φιλτάτε Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, καὶ πᾶσιν ἡμῖν ἀσπαζομένοις τὴν καλὴν διδασκαλίαν.

Paulo *Amando* nuper dedi literas, quas, te accepisse, spero. Postea *Stephani* lucubrationem et tuam epistolam accepi. Semper favi ingenio *Stephani*, nec deerunt ei deinceps mea officia, donec possum ei benevolentiam meam declarare. Aderat in sacro nuptiali filii *) mei *Camerarius*, qui, cum non solum de tuo carmine recenti, sed etiam de ceteris tuis virtutibus, quae viri boni propriae sunt, loqueremur, et carmen illud prolixe laudabat, et ceteras tuas virtutes veris laudibus ornabat. De foedere Saxonico existimo vos cognovisse iam decreta gentis gravissimae. Non igitur erunt inania illa μαντεύματα nostra περὶ αἰγοκέρωτος, etsi ego quidem alia vaticinia certiora sequor. Scio, filio Dei curae esse Ecclesiam suam, quae eum recte invocat, et sonat doctrinam incorruptam. Nunc interpellant ita multi, ut scribere plura non potuerim. Bene et feliciter vale, et rescribe. die 10. Maii.

Philippus Melanthon.

No. 4718. 14. Maii.

## P. Medmanno.

Edita a S. A. Gabbema in Epist. Claror. viror. ep. 84.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Petro Medmanno, amico suo καὶ ἀδελφῷ γνησίῳ*, S. D.

Etsi nostrae epistolae non possunt opitulari Reip., tamen haec colloquia privatos dolores leniunt. Ideo tibi gratiam habeo, quod saepe scribis. Vicissim a me litteras haberes crebriores, si certos tabellarios haberem. Etsi autem atrocissimo *Ca-*

*) d. 5. Maii 1550.

rolf Imp. edicto *) moveor, tamen spero Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi servaturum esse Ecclesiae suae reliquias in his ipsis locis ac regionibus, quibus tam atrociter minitantur edicta. Turci nunc populati sunt Stiriam, et dicuntur abduxisse circiter sex millia hominum.

Hunc adolescentem Geldrum *Mathiam* Erdensem tibi commendo. Tantum quaerit Scholasticam functionem: qua in re posse ei in vestris oppidis consuli arbitror. Quaeso ut bonum iuvenem exulantem propter verae doctrinae amorem complectare et iuves. Bene vale. Die XIV. Maii. Mitto tibi versiculos.

Philippus Melanthon.

No. 4719. (his dieb.)

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 687 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 779.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,*

S. D. Expatiati sumus ad aegrotantem principem *Ascanium*, quo et frater venturus fuerat, sed subito eum vocaverat Dux *Augustus* ad filii Baptismum. Itaque sermones nulli fuerunt, nisi historici, ut tantisper a dolore *Ascanii* animum abduceremus, cui ad caeteras curas etiam nunc accessit, ὅτι ὁ ἐκ γειτόνων χρεωφειλέτης non solvit, et usurae sine modo crescunt. Inter signa mutationis Imperiis scis hoc quoque recitari: *Hinc usura vorax etc.* In hac tanta confusione generis humani quid possunt hominum bene cupientium Reip. consilia? Tantum hoc nobis restat, ut assiduis gemitibus petamus a Deo, ut servet Ecclesiae suae reliquias, ut filius Dei inquit in tuo carmine, ὦ φίλε τηρήσας τούσδε φύλασσε πάτερ, quod ut faciat, toto eum pectore tecum et cum tua domestica Ecclesia, oro. De Saxonicae gentis conventu scribam alias, etiamsi placent haec consilia multis, tamen me facile patiar ab his deliberationibus procul abesse. Tibi gratias ago, quod ad filii nuptias venisti. Minus deformis est Ecclesia, cum multorum nostri ordinis coniunctio et familiaritas conspicitur. Bene et feliciter vale. Deus servet Ecclesiam tuam domesticam. *Nicolai* et fratris conspectus mihi iucundus fuit. Deus eos servet.

Philippus Melanth.

*) Edictum Caroli severum d. d. 29. April. 1550., datum in Belgio, quo doctrinam repurgatam iterum in iis regionibus prorsus tolleret. Vid. Sleidan. comment. lib. 21. p. 678. Usus librorum et conventus in aedibus interdicebantur neque docere doctrinam Evang. permittebatur, neque de scriptura sacra et dogmatibus disputare: „qui secus fecerint (habet edictum) punientur ut seditiosi, — ac viri quidem *gladio ferientur*, foeminae autem *in terram defodientur*, si quidem ab errore desistent; si vero pertinaces erunt, *exurentur*, publicatis ipsorum bonis etc."

No. 4720. 17. Maii.

## P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 b.

*D. Petro Vincentio, gubernanti studia literarum in inclyta urbe Lubeca.*

S. D. Orpheus in Argonautico principes suos mota rixa tumultuantes compescit suo carmine, in quo recitat effusam ex chao hanc mundi machinam et varia Gigantum bella. At nulla vox in coelo et in terra unquam ardentior audita est, quam haec filii Dei precatio, in qua petit, ut aeternus pater faciat, ut in ipso unum simus[1]. Etsi autem multi duriores illis Argonautis Thessalis Equitibus contemnunt hanc filii Dei vocem, tamen certissimum est efficacem esse et fore. Servabit Deus coetum recte sentientium, et in eo coetu mutuam benevolentiam, in quo et nos sumus et erimus. *Staphylo* negotium Posnaniense commendavi, qui si non respondebit brevi, (profectus est enim in Borussiam) scribam ipse ad amicos Posnanienses. Mitto tibi precationem filii Dei optimis versibus redditam, ac magnopere te oro, ut saepius mihi scribas. Diu iam nihil literarum a te accepi. Et petivi historica περὶ συλλόγου. *Iohannes Aurifaber*, Vratislaviensis erit interpres doctrinae coelestis in Academia Rostochiana *).

1) *unum simus* rescripsi pro *uni sumus*, quod est in apogr.

*) Pagella Decani Collegii Theologorum in Acad. Witeberg., Ioannis Bugenhagii publice affixa d. 24. Iunii 1550. haec habet: „Speramus igitur divinitus factum esse, ut Magister Iohannes Aurifaber Vratislaviensis, vir integerrimus praeclare instructus doctrina Ecclesiae, ac iudicio valens, et vera pietate Deum colens, in inclytam Academiam Rostochiae vocatus sit." etc.

Bene vale et rescribe. Die 17. Maii[2]), quo ante annos 3856 Noë arcam ingressus est.

Philippus Melanthon.

---

No. 4721. 17. Maii.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 692 sq.

*Mich. Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime; Vestras proximas literas accepi, in quibus quaedam de Conventu futuro Augustae significatis, postea fuit hic *Lazarus Suendi*, qui plura etiam dixit. Existimat, postulaturum Imperatorem, ut Decretis Concilii omnes adsentiantur, quod celebrari mox curabit, et vult ipse Imperator praesens interesse Concilio. Commendemus autem Deo nos et Rempublicam, qui servat Ecclesiam, sicut servabit in diluvio arcam Nohae, de quo exemplo iam cogito, quia dies 17. Maii, quo hanc epistolam scribebam, me de eo admonebat. Nam 17. Maii*) ante annos 3856 Nohe arcam ingressus est. Voluit autem Deus ostendere exemplum, quo testaretur, ab ipso servari Ecclesiam.

*Christophorus*, Dei beneficio, recte valet. Hodie cum suo Praeceptore profectus est Berlinum ad forensem cognitionem audiendam. Hic senex scriniarius fuit olim in monasterio Augustini in Northusen, et aliquid pecuniae dedit monasterio. Nunc orat, se recipi in hospitale, et aliquantulum pecuniae habet. Oro, si fieri potest, ut eum recipi curetis. Scitis, Deo gratum officium esse, senem, qui honeste vixit, et iam propter ultimam senectam labores artis exercere non potest, iuvare. Ante bellum aliquoties impetravit eleemosynas ex Aula. Nunc domunculam vendidit, et ex ea pecunia victitat. Quaeso, ut eum civibus vestris commendetis. Deus pro hac eleemosyna vicissim civitati benefaciet. Ac oro Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut vos et vestram coniugem honestissimam, et liberos dulcissimos servet incolumes. Bene et feliciter valete. Die 17. Maii.

Philippus.

2) In apogr. VI. Maii, quod mendum est. 17 pro VI. lectum ab eo, qui epist. descripsit.

*) In aliis epp. dicitur d. 17. Apr. arcam ingressus esse.

No. 4722. 19. Maii.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 641 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 782.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Quod faustum et felix sit, diem sacro nuptiali filiae meae et generi*) constituit uxor mea, diem secundum Iunii suo quodam consilio. Ego et Ecclesiam et nos et nostras familias, quas vel oculis vel mente intuens, mirifico dolore excrucior, Deo commendo. Te oro etiam adolescentis *Peuceri* caussa, qui te tanquam patrem veneratur, ut ad ritum publicum et communem precationem usitatam in nuptiis venias: scriberem et ad honestissimam coniugem tuam, si domi esset. *Rhetico* scriberemus et ego et gener, teque oro, ut de *Stramburgi* coniuge consilium mihi tuum significes. nam si ipsa libenter expatiabitur, orabo et maritum et ipsam ut veniant. Caeteros amicos hoc officio onerare nolo.

Fuit hic *Lazarus Suendius*, qui nihil narravit ἀξιόλογον, nisi Carolum prorsus hoc actorum esse, ut Pontifex indicat Synodum, et ipsum Carolum interfuturum esse Constantini exemplo. Bellorum apparatus nullos esse nunc quidem affirmabat. fortassis Lipsiae te allocutus est.

Hodie a *Staphylo* litteras accepi ex Regiomonte, quas mitterem nisi *Aurifabro* Vratislaviensi tradidissem, sed nihil, continent nisi discordias Theologicas et narrationem de recenti incendio. Conflagrarunt in Regiomonte simul domus circiter centum, et magni mercium acervi, Deus assit nobis, et nos regat. Bene et feliciter vale et rescribe. XIIII. Cal. Iunii. Mea uxor emtionis caussa profecta est istuc cum filiabus, quas tibi commendo.

Philippus.

---

No. 4723. 21. Maii.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 47. (ed. Lond. lib. II. ep. 28.).

*) Peuceri.

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Fuit omnino flagitiosa negligentia eorum qui Episcopi nominari volunt, quod nec doctrinae examina, nec institutionem rudium addiderunt ceremoniis ordinationis. Postea Tyrannica quaedam vincula excogitarunt. Sed optarim, nunc potestates in iis locis, ubi sonat vox Evangelii, diligentiores esse in eligendis ministris Evangelii, et curare, ut rudiores institui possent. Valde te oro, ut hunc tuum vicinum regas, et horteris ut discat. Nos eum diutius hic retinuimus, ut ad examen praeparetur. Valde optarim, te interdum ad te vicinarum Ecclesiarum pastores vocare. Meministi enim dictum: *Et tu conversus confirma fratres tuos.* Te nunc Deus in illis iugis montium, inter homines feroces in speculam tanquam χωρεπίσκοπον, ut olim vocabant, collocavit. Quare hunc laborem inspiciendi Ecclesias non defugito. Bene vale et rescribe, die Maii 21. Quicquid de *Augustano* conventu habebis significa.

Quod filiae meae coniugio bene precaris, et ei γαμήλιον munus misisti, agnosco et pietatem tuam, et erga meos benevolentiam, ac tibi gratiam habeo. Deus det familiis nostris Ecclesiam et politias mediocres, quae certe Dei beneficia sunt.

---

No. 4724. 22. Maii.

## A. Lauterbachio.

† Ex apogr. cod. Goth. 190. p. 131.

*Antonio Lauterbach, Pastori Eccles. Dei in oppido Pirna.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Honestissimam matronam, tuam coniugem, convalescere audio, et filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiae suae, oro, ut et te et coniugem tuam et tuos servet incolumes, ut plures, qui sunt vasa misericordiae, invocatione vera eum celebrent.

Carmen de filiae nuptiis aliquanto ante te accepisse existimo, Sed tamen exempla mitto, ac Deum aeternum patrem domini nostri I. C. oro, ut faciat, ut nuptiae filiae et generi tui sint faustae et felices, et ut videas pacem Israel, in qua et tua posteritas educari et recte institui possit.

*Conventus Augustanus*, qui indictus est, erit classicum novorum tumultuum; sed non dormit neque dormitabit filius Dei, qui custodit Israel. Scimus Ecclesiam non humanis consiliis servari, sed a filio Dei inter hostes saevissimos custodiri. Hac nos spe sustentemus. Studia literarum Dei beneficio sunt hic mediocria, et passim Ecclesiis ministros hinc mittimus. Res igitur refutabit calumnias vicinorum, qui nunc odiis suis morem gerunt. Bene et feliciter vale, et rescribito saepius. Die 22. Maii 1550.

P. M.

---

No. 4725. 24. Maii.

## G. Fabricio.

† Ex apogr. in codice Zittaviensi ep. 22.

*Georgio Fabricio, (gubern. Schol. Misnens.)*

S. D. Meministi versum Homericum, qui saepe citatur: ἄλλος γὰρ ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτρέπεται ἔργοις*). Nec id vituperandum est, si referantur diversae artes ad iustum finem et suus cuique locus tribuatur. Sed multi suas artes ita amant, ut despiciant caeteras. Nos vero scimus vitae communi multis artibus opus esse, ut verissime dixit Aristoteles: ex agricola et medico constitui civitatem, non ex solo agricola aut solo medico. Etsi autem nostrae operae non magnae fiunt, tamen nos scimus, Ecclesiae Dei necessarios esse. Cumque *Bernhardus Ciglerus* optime meritus sit de Ecclesia propagatione linguae ebraeae et doctrinae coelestis, et diutius in hac statione prodesse potuisset, magno in dolore sum propter ipsius morbum, ac ad eum proficiscerer, si me non retinerent filiae nuptiae. Scripsi tamen, teque oro, ut literas, si iudicabis, non fore intempestivum officium, ei legas. Cum autem sacrum nuptiale filiae meae et generi *Peuceri* futurum sit die secundo Iunii, quaeso, ut huc venias ita, ut adsis primo die Iunii. Esset omnino hic congressus nobis iucundior, si *Ciglerus* recte valeret. Sed talis est rerum humanarum inconstantia, quam sapienter ferre debemus.

De Demosthenis interpretatione coram loquemur. Interpres *Ioachimo* et mihi notus est.

*) i. e. alius aliis rebus delectatur; Hom. Odyss. ξ. 52.

Egregia est eius eruditio et diligentia. Sed opinor, Demosthenem non minus abhorrere ab his migrationibus, quam ego abhorreo a migratione ad oram baltici littoris. Exemplum tibi dono, quod cum leges, haud dubie diligentiam interpretis laudabis. Editio operis gratior fuisset, si non essent additae ineptiae *Ulpiani*. Sed haec coram. Valde te oro, ut nobis respondeas, et de *Ciglero*, et ut sciam, an Demosthenis exemplum acceperis. Bene vale. Octavo Calend. Iunii.

Phil. Melanthon.

---

No. 4726. 25. Maii.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 642 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 783.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

S. D. *Fabricio* misi epistolam scriptam ad *Ciglerum* παρηγορικήν. vero enim dolore afficior, et propter ipsius morbum, et quia mihi renovatur acerba recordatio mortis *Crucigeri*, qui in eodem oppido morbo oppressus est. Multa enim de orbitate Ecclesiae, et de rabie indoctorum in utraque parte cogito, ac nisi me retineret haec παρασκευὴ nuptiarum, tecum a *Ciglerum* proficiscerer: decrevi autem mox ad eum excurrere, cum his occupationibus liberatus fuero. Te quoque iam ad eum profectum esse, cum haec scriberem, cogitabam, sed si alia itinera te non impediunt, oro et generi et meo nomine, ut calendis Iunii huc venias. Scripsi ad *Stramburgum* et eius coniugem, item ad *Meurerum* et ad *Rheticum*. praeter hos neminem volui sumtu et labore itineris onerare, fortassis autem familiarior est *Stramburgae*, coniunx Pastoris vestri: considerabis igitur, quid ipsi matronae gratissimum sit et adiunges ei quam voles. Consuetudo talium congressuum, ut scis, habet caussas et exempla honestae antiquitatis, sed tamen aliorum magnas et panegyricas pompas imitari nec possum, nec velim, si possem. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam et Politiam servet nostris familiis, et nos et nostros gubernet. Bene et feliciter vale. Octavo Cal. Iunii.

Pastor vestrae Ecclesiae tunc in Synodo erit, cum nos sacrum nuptiale faciemus, nec volo eum a Synodo abducere. *Alesii* litteras scriptas ad Regem Anglicum et ad Cantuariensem, hodie *) trado nuncio una cum meis perferendas Bremam, unde mittentur in Angliam.

Phil. Melan.

---

No. 4727. 25. Maii.

## *Wolfg. Ampher.*

† E codice Lipsiensi (non dixit quo?) descripta a Lunzio.

*Venerabili viro, eruditione et virtute praestanti, Wolfgango Ampher, pastori ecclesiae Dei in Schemnitz*

S. D. Venerande vir et amice charissime. Antequam *Iacobus Argentoratensis* tuam epistolam adtulit, dedi nostris auditoribus istuc proficiscentibus literas, in quibus ostendi, me valde desiderare tuas literas. Certe enim et de Ecclesia vestra, et de te post illud tuum iter cogitavi. Fuit autem mihi pergratum, quod Senatus oppidi vestri de te amanter et honorifice ad me scripsit. Tuum consilium valde probo, quod in ritibus, quos pastor ante te proximus observavit, nihil mutas. Nam et crebrae mutationes turbant populi invocationem, et recentem hospitem alios ritus instituere in Ecclesia, quae iam pie constituta est, odiosum. Ac multo minus velim restitui abolitos ritus. Praesertim autem displicet mihi illa consuetudo levandi symbola, quam non fuisse talem in veteri Ecclesia certum est. Pendet autem haec quaestio ex aliis duabus, de oblatione et de mutatione panis: de quibus, si voles, scribam ad te copiosius, cum habuero certum tabellarium. Heu! quanto dolore excrucior, cum cogito horrendos abusus, qui in Ecclesiam pervaserunt et stabiliuntur. Sed oremus filium Dei, ut sanet vulnera Ecclesiae. Bene vale, et scribite ad me saepissime. Die Pentecoste an. 1550.

Philippus Melanchthon.

---

*) Vid. d. 28. Maii h. a.

No. 4728. 26. Maii

## Georgio Pr. Anhaltino.

Epist. lib. II. p. 233. (ed. Lond. lib. II. ep. 229.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Hac nocte inter gemitus et vota scripsi orationem de dicto, *Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.* Saepe enim multumque cogito illam ardentissimam precationem Filii Dei, in qua et pro nobis ipse precatur, et nos invitat ad precandum. Mitto autem pagellas eius orationis, et rogo ut C. V. boni consulat, et mihi paucissimis verbis rescribi curet, ut sciam an C. V. has pagellas acceperit. De conventu *Augustano*, aiunt moram incidere, quia Imperator valetudine retinetur in *Belgico.* Nondum etiam arbitror venturum esse *Sidonium* ad vestrum ovile; vinum quod misit, bibent fortassis alii hospites. Heri ex *Brema* literas accepi, ubi tranquillitas et silentium est. Et recens, pars *Frisiae* domui *Burgundiae* adiuncta, dedit usitatum Iusiurandum filio Imperatoris. *Ciglerum* periculose aegrotare audio. Et accederem mox ad eum, nisi filiae nuptiae retinerent. Bene valeat C. V. Die 26. Maii.

---

No. 4729. 27. Maii.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 94. (ed. Lond. lib. II. ep. 79.). — Apographon satis mendosum in cod. Monac. 89. no. IV. p. 61 b.

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Nihil difficilius est in munere publico, quam habere collegam ζυγομαχοῦντα[1]). Quare Deum precor, ut mentes vestras gubernet, teque quantum possum hortor et obtestor, ut omni ratione benevolentiam eius[2]) alere studeas, non tua sed Reipublicae causa. Quod confertis sententias vestras ante concionem utile est. Ita igitur[3]) te praeparabis, ut studiose vites ea quae videntur quodammodo eum[4]) offensura esse. Poteris interim tamen utilia, salutaria, ἐπάγωγα τοῦ λαοῦ dicere. Id ego feci, cum scirem quae materiae, quibus temporibus non essent aptae, sumpsi interim ut scis alias non inutiles. Et profuit haec mea ratio. Bene agi tecum iudico, si sibi sumpsit partes dicendi περὶ μυστηρίων. Nam etsi causa apud pios et candidos non difficilis est explicatu: tamen ne quid vel certaminis vel suspicionis oriatur, facile patior illum solum de eo argumento dicere. Tu de aliis materiis utiliter concionari poteris. Hortemur populum ad poenitentiam, ad timorem, fidem, invocationem, exercitia pietatis, proponamus publicas et alias poenas. Nam *Turcos* arma *Germaniae* illaturos esse affirmatur. Hinc sumes gravissimas adhortationes. Pro corona ago gratias nomine meae filiae. Cum huc veneris colloquemur de multis rebus. Bene vale. Die 27. Maii.

1) ζυγομαχοῦντα] recte; cod. Monac. ex emendatione: λογομαχοῦντα.
2) *eius* deest cod. Mon.
3) *igitur* deest cod. Mon.
4) Cod. Mon. 89. *illum.*

---

No. 4730. 28. Maii.

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 234. (ed. Lond. lib. II. ep. 230).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Etsi spero C. V. accepisse pagellas quas mihi, dedi tamen et huic nuncio exemplum, et C. V. oro, ut boni consulat brevitatem scripti, qua sum usus, non solum propter imbecillitatem mei ingenii, sed etiam quia recitatio longa C. V. difficilis est. Sed materia profecto splendidissima est, et angelorum eloquentiam superans. Spero etiam consolationem quam continet, C. V. gratam fore. Utinam tales materiae saepe repetantur ubique. De *Sidonii* et aliorum vicinorum Episcoporum consiliis nunc nihil scribam. Spero Filium Dei, qui nos docet et gubernat, etiam deinceps nobis adfuturum esse, et ut nos Spiritu suo sancto regat, et foveat Ecclesias harum regionum, nec sinat extingui pia studia toto pectore oro. Virum doctum et honestum *Iohannem Aurifabrum* mittimus in Academiam *Rostochianam*, ut ibi fiat lector Theologicus. Bene valeat C. V. Die 28. Maii.

No. 4731. 28. Maii.

## Th. Cranmero.

Edita a Peucero in tract. histor. p. 51. Repetita a Pezelio epist. lib. III. p. 91. (ed. Lond. lib. III. ep. 41.).

*Reverendiss. Domino Thomae Achiepiscopo Cantuariensi*

S. D. Reverendissime Domine, Et Epistolam et libros quod misisti reddidit mihi *Germanicus* adolescens ex *Anglia* in patriam rediens, Mense Maio. Legi certamen, et doleo eos, qui quaerunt vetera testimonia, non velle perspicuitatem eorum agnoscere. Nec vere dubium est, quid saniores in veteri Ecclesia senserint. Sed imposturas audi. Multis libris novae et nothae sententiae assutae sunt. Id in *Theophylacto* accidisse certum est. Nam quod *Oecolampadius* in suo Codice vertit (cum quidem rem non probaret) sed invenit*) tamen: id in nostro Codice prorsus deerat. Idem accidit in *Bedae* libris, quos tamen arbitror apud vos inveniri incorruptiores. Mitto vobis partem Enarrationis *Symboli Niceni*, et mitto tanquam censoribus, tibi, *Lascio*, *Bucero*, *Petro Martyri*, et aliis doctis et candidis. Bene valete. Die 28. Maii, Anno 1550.

---

No. 4732. 28. Maii.

## A. Hardenbergio.

Epist. ad Hardenberg. ep. 51.

*Reverendo Viro eruditione et virtute praestanti D. Alberto Hardebergio, Doctori Theologiae, fideliter docenti Evangelium in Ecclesia Bremensi, fratri suo carissimo.*

S. D. Carissime frater: Cum esset initio magna opinionum confusio et Augustae Anno 1530. Confessio exhibenda esset, nemo complecti integrum doctrinae corpus voluit. Ego magno cum periculo complexus sum, ac tot iam annos laboro, ut extet summa doctrinae proprie explicata. Idem ago in hac symboli Niceni enarratione, ut posteritas habeat integram Ecclesiae doctrinam. Mitto autem tibi, ut sapienti censori, libere, vere, dextre indicanti. Nec curo vel odia Tyrannorum vel Sycophantarum rabiem. Quaeso ut legas, et iudicium mihi tuum significes. Mittas quaeso in Britanniam literas et pagellas Cantuariensi inscriptas. Bene vale 28. Maii 1550.

Philippus Melanthon.

Inclyto Comiti et tuis collegis salutem opto. Item seni optimo *Nicolao Buscod.* et *Petro Medmanno.*

*) Peuc. *invenit*, Pez. *vertit*. De ea re vid. ep. ad Hardenb. d. 21. Iul. 1550.

---

No. 4733. 1. Iun.

## Ioachimo Pr. Anhalt.

Ex autographo in Tabular. Anhalt. edita a Cl. *Lindnero* in den theologischen Studien und Kritiken (herausg. von Ullmann und Umbreit) Jahrg. 1835. p. 361.

Dem Durchleuchten und hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Joachim, Fürsten zu Anhalt und Ascanien, Grafen zu Bernburg, meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helffer zuvor. Durchleuchter hochgeborner, gnädiger Fürst und Herr. E. F. G. habe ich nit wollen mit diesen Kosten beladen, mir etwas zu senden, denn ich weiß, daß E. F. G. große Last tragen, und hab mit E. F. G. ein unterthänig Mitleiden, bitt auch Gott, er wolle gnädiglich seine Kirch erhalten, und E. F. G., die auch das Kreuz tragen, trösten, und die Fährlikeit und Beschwerungen lindern, gleichwohl dank ich E. F. G. in Unterthänikeit für die gesandten Lachs und Keulen. Der allmächtig Gott wolle E. F. G. gnädiglich bewahren.

Datum Witeberg prima Iunii 1550.

E. F. G.

unterthäniger Diener

Philippus Melanthon.

---

No. 4734. 5. Iun.

## P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ³.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Petro Vincentio etc.*

S. D. Carissime Petre. Iubet reddi Hesiodus, ut meministi, sumpta mutuo *αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λωΐον αἴκε δύνηαι**). Hoc in genere multo es liberalior quam ego. Pro meis ieiunis et brevibus epistolis mittis et eloquenter scriptas et copiosas. Itaque tibi gratiam habeo, et pro hoc ipso officio, et pro perpetuo tuo amore erga me. Aliquanto minus deformis est Ecclesiae species, quam vides esse moestissimam, donec multi nostri ordinis coniunctionem suam tuentur. Nos qui et haec dulciora studia amamus, et ornari doctrinam Ecclesiae cupimus, et vere invocamus Deum, non sinamus distrahi voluntates nostras propter morositatem aut *φιλονεικείας* quorundam, qui plausus vulgi captant. Dei beneficio studia in Academia mediocria esse et ex his pagellis, quas mitto, iudicabis. Interpellabant me ita multi nunc, ut pertexere hanc epistolam non potuerim. De conventu Augustano, cuius exordia dicebant hoc mense Iunio futura esse, nunc quidem silentium est. Vicinus Episcopus, qui tenebat Salinas, mortuus est. Marchio filium in eadem ditionem collocaturum se sperat. Sed has imperiorum partitiones et insulsas hominum cupiditates ne recitare quidem libet. Scribam alias plura. Bene vale et rescribe. 5. Iunii, die Leuctricae pugnae, a qua anni sunt ad hunc 1927, in quo praelio scis tyrannidis et libidinum poenas dedisse Lacedaemonios. Itaque non existiment *οἱ ἀρχιερεῖς* fore impunitas suas tyrannides et libidines. Oremus autem filium Dei, ut nos regat et nobis adsit, et protegat coetus studia colentes. Ex *Posnania* nondum accepi literas, quia *Staphylo* negocium commendavi, qui aliquandiu in Borussia commoratus est. Orationem tuam edi curabo.

Philippus.

---

No. 4735. 5. Iun.

## *B. Mithobio.*

Epist. lib. II. p. 548. (ed. Lond. lib. II. ep. 348.).

*D. Burcardo Mithobio*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Reddita est mihi recentiss. epistola tua initio mensis Iunii, cum mecum essent *Camerarius* et alii docti viri multi in ritu nuptiali filiae meae. Itaque cum ad mensam legeretur a *Camerario* tua Epistola gravissime scripta, et consolationem accommodatam his temporibus continens, non solum mihi, sed illis quoque gratissima fuit illa tua *Nestorea* oratio. Et de tua virtute, et eruditione honorifici sermones secuti sunt. Mitto tibi Calendarium, etsi a Filio quoque mitti arbitror. Hic Adolescens *Paulus Smalcaldensis*, seu si mavis *Chalcidicus*, (Nam *Lutherus* et *Eobanus* *Smalcaldiam Chalcidem* vocabant,) scribit carmen feliciter, et ingenii venam iudicare ex ipsius versibus poteris. Mores etiam boni sunt. Sed ei opus est auxilio propter parentum inopiam. Quaeso igitur, ut eum Principi optime volenti Ecclesiis et rectis studiis *Poponi*, quia in eius ditione natus est, commendes. De consolatione tua gratias tibi ago, et gaudeo tuam sententiam cum aliorum prudentum amicorum iudiciis congruere. Deo iuvante vocem doctrinae, quam hactenus mediocri studio recitare conatus sum, et iuventuti fideliter tradidi, sonabo semper eandem. Et voluntas erga Ecclesiam erit eadem. Facile est aliis, qui se in arces munitissimas abdiderunt, vociferari de linea veste, et similibus parergis. Utinam res necessarias illustrarent. Nos de rebus magnis et necessariis utilia scripsimus et adhuc scribimus, nec usquam plura scripta eduntur. Et quibus in periculis simus non est obscurum. Sed oro Deum ut nos regat et servet Ecclesias suas. Bene vale. Die 5. Iunii.

---

No. 4736. 8. Iun.

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 547 sq.

*Mich. Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. De Imperatoris itinere huc scriptum est ex Colonia Agrippina, a quodam nostro auditore, venisse Imperatorem in locum vicinum Coloniae, et fuisse expectationem adventus eius Coloniae in Festo Pen-

---

*) Est locus Hesiodi, ἔργ. καὶ ἡμ. v. 321 sq. (in ed. Tauchn.) sic se habens:

εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι,
ὡς ἂν χρηΐζων καὶ ἐς ὕστερον ἄρκιον εὕρῃς.

tecostes, sed subito propter valetudinem in Belgicum revectum esse. Etsi Deo commendo haec periculosissima negotia: tamen oro, ut nobis significetis, cum aliquid certi de Augustano Conventu habebitis. In ora Saxonica, Bremae, Lubecae, Hamburgae tranquillitas est. Inde enim recentes literas habuimus. Et ex iis locis multi hic sunt locupletum hominum filii. Sed nobilitas circa Lubecam exercet crebra latrocinia.

Magistro *Erasmo Benedicto* videtur conditio in monasterio non convenire ipsius aetati, non solum, quia tantum pueritiae exercitia sunt instituenda in primis elementis, sed etiam, quia solitudo ibi est, et nulla cum literatis colloquia. Expectat, Deo iuvante, locum in aliqua frequentiore schola. Bene et feliciter valete. Die 8. Iunii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4737. d. solstitii.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 164 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 144., ubi in tergo adscripta sunt: „26. Iun. 1550. per Io. Simlerum."

*D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori Norib.*

S. D. Cum literas vestras adferret *Andreas* nuncius, audieramus iam Imperatorem ingressum iter ad Rheni ripam venisse. Eodem tempore venerunt in Vicinam Parthenopen exules Comites *Albertus Mansfeldensis*, *Ottingiacus*, *Oldenburgius* cum equitibus quinquaginta. Movit homines in his regionibus horum adventus in eam arcem. Nam *Albertus* non obscure praedicat, se illud vetus exemplum Atticum Thrasybuli imitaturum esse. Sed ille Atticus non solum causa, sed etiam animi moderatione antecelluit. In hoc *Harcinio*[1]) quanta sit iracundia, saepe cognovimus. *ἀλλὰ ταῦτα Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται.* *Andreae* Nuncio dabo literas uberiores. Bene et foeliciter vale. Die solstitii aestivi[2]).

Philippus Melanthon.

1) Henrico Bruevic.
2) An. 1550. adscripsit alia manus.

---

No. 4738. 15. Iun.

## Iac. Cameniceno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54⁴.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, domino Iacobo Camenicено, docenti Evangelium Dei in Ecclesia Sacensi, amico suo colendo.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Et antea breviter respondi, articulos illos Pragae praepositos execrandos esse *), quia non dubitavi, te tuo iudicio videre errata, et eo robore fidei praeditum esse, ut tuam sententiam plane expositurus esses, cum opus erit. Et nunc brevius scribo postquam vidi perspicuam refutationem quam misisti. Mihi non prorsus notae sunt historiae pactorum gentis Boiemicae et Moraviae. Sed de doctrina tantum respondeo. Multi articuli manifesta idola stabiliunt, ut invocationem mortuorum, circumgestationem panis, missas pro mortuis, unctiones magnas**). Ideo refragari necesse est. Ac reprehensio plus gravitatis habet, cum talia manifeste absurda recitantur quam cum de ambiguis disputatur. Nam perspicua veritas non potest verbis eludi et populus iudicare manifeste absurda potest. Non est opus longa responsione in rebus manifestis; ideo sum brevior. Mitto tibi recentem disputationem hic editam. Bene et feliciter vale. Die 15. Iunii anno Christi 1550.

P. M.

---

No. 4739. 18. Iun.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 617 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 759.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Cam. Bamberg. fratri suo carissimo*[1]),

S. D. Erit ergo *γιγαντομαχία*, quam et diu formidavimus, et multa prodigia et tetri positus astrorum denunciarunt, postquam venit in vicinam

*) Vid. ep. d. d. 8. Ian. et d. d. 11. Sept. h. a.
**) *magnas?* — Fortasse mendum pro *extremas.*
1) Non anno 1549., ut visum est editori, sed anno 1550. scripta.

Parthenopen Harcynius τυφὼς [2]). Nos quid facere possumus, nisi quod ille regum optimus monuit, in praecepto quod tuis versibus redditum quotidie nobis recitant pueri: Nostra tuamque fides solius orat opem. Etsi multorum periculorum cogitatione excrucior, tamen ille vetus dolor maior est, quem circumfero propter quaedam [3]) ἀνήκεστα vulnera Ecclesiae.

Rediit ex Prussia *Staphylus*, qui scribit pugnas cum novo hospite [4]) factas. O rem miseram, grassantur furores diabolici his extremis temporibus armorum, et opinionum tumultibus. Sed reliquias tamen verae Ecclesiae et aliqua pia agmina et doctrinae domicilia filius Dei servabit.

Mitto tibi Belgicum nomisma sparsum in pompa Antverpiana, cum filius Imperator eam urbem ingressus est [5]). Filio *Rottingi* dedi Epistolam ad patrem, tuo etiam nomine petens, ut medicationem pedis filii, instituat, ac hortatus sum, ut [6]) *Cornelii* consilio utatur. Bene et feliciter vale. Deus servet te et Ecclesiam tuam domesticam. XIIII. Cal. Iulii.

Phil. Melanth.

---

**No. 4740.** 19. Iun.

## (*Narratio.*)

† Ex autographo Melanth. in bibl. Regia Hannov. — Est Scheda, cui Melanthon narrationem de prodigio festinanter et negligenter inscripsit iisdem fere verbis, quibus ille, qui rem narravit, usus fuerat. Melanthon hoc prodigium commemorat in aliquot epistolis, ut ad Stigel. d. 20. Aug. ad Camerar. d. 21. Aug. Camerarius in vita Melanthonis mentionem facit huius prodigii, ubi narrat res anno 1554. gestas.

### (*Narratio.*)

Donnerstag nach Viti anno 1550. haben gesehen am Himmel Otho von Ebleben, samt vier andern, zwischen Trebitz und Smiedberg, vesperi post septimam schier eine ganze Stunde, neben der Sonnen [auf beiden Seiten] [1]) ist erstlich aufgestiegen ein Berg und auf dem [einen] [1]) Berg ist gestanden ein Hirsch. Hernach zwei Heer gegen einander, daß die Sonne dazwischen gewesen, und haben scharmützelt, Erstlich ein klein Häuflein und ein großer Hauf. Das kleine ist gewichen. Darnach sind wiederum zwei großer Heer kommen, die auch troffen [2]), und ist das Gesicht also gewesen gleich als träuffe das Blut herunter, und sind viel als zum Schlachten, umgefallen, wie die Todten [und ist in dem einen Heer ein großer Mann mit gewesen] [1]).

Im Abziehen gewesen [3]) wie der Troß aufbricht. Darnach ist die Sonne von einander getheilet in zwei Theile also zerrissen, [und sind beide Theile auf die Seite gefallen] [1]) und sind die Zuseher voll Schreckens gewesen, haben gedacht, da die Sonne also zerrissen, es werde alles brechen, haben gebethet, und gesagt, es werde ihnen aus ihrem Herzen nicht kommen.

---

**No. 4741.** 19. Iun. (h. a.?)

## *Cph. Pannonio.*

Epist. lib. V. p. 317 sq.

*Christophoro Pannonio* (*Theol. doct. in Academia Francoford.*)

S. D. Non dubium est, στοργὰς in humano pectore similitudinem esse divini amoris erga nos. Eoque nobis insitae sunt, ut nos de vera et non frigida benevolentia Dei erga nos commonefaciant. Id velim te cogitare, cum coniugem aut liberos dulcissimos intueris. Existimo enim, te στοργὰς admodum excitatas et acres habere, cum et natura ad bonitatem factus sis, et doctrina alueris naturae suavitatem. Etsi autem adversa valetudo uxoris animum tuum excruciat, tamen dolorem modereris spe auxilii divini. Meministi enim Psalmum, Beatus vir, qui timet Dominum. Uxor

---

2) Albertus Mansfeldius et Hardesius C. W. Potius Henricus Dux Brunsvic. Vid. Sleidan. p. 685 sq.

3) de coena C. W.

4) Osiandro.

5) Id accidit mense Septb. 1549. Vid. Sleidan. p. 664.

6) Sisardi C. W. Alia manus adscripsit *Sidardi.*

1) Quae uncis inclusa sunt, alia, quam Philippi, manus adscripsit.

2) i. e. die auch auf einander getroffen.

3) Satis intelligitur, hic quaedam praetermissa fuisse. — Idem prodigium Paulus Eberus inscript. publ. (4. Apr. 1552.) Tom. I. p. 401 b. his verbis narrat: „Cum alia multa prodigia *intra biennium* in hac vicinia conspecta sunt, tum hoc non procul ab hoc oppido viri honesti ac nobiles viderunt in itinere: Solis corpus cruentum et tanquam in duas partes dividi, ac in diversa loca partes dilabi. Circa solem vero in aëre dimicantes exercitus; e regione in aëre, velut in arduo monte stantem cervum."

eius sicut vitis foecunda etc. Et hunc ipsum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui mirando consilio ita condidit naturam, ut velit iungi marem et foeminam, oro, ut te et tuos servet incolumes. Mitto tibi pagellam, nihil enim habebam recentius. Bene vale. Die 19. Iunii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4742. 21. Iun.

## *H. Wellero.*

Epist. lib. II. p. 290. (ed. Lond. lib. II. ep. 294.).

*D. Hieronymo Wellero*

S. D. Exhibuit mihi adolescens *Iohannes Stam* Epistolam ad se tuam, in qua nobis fausta precaris. Talia vota piorum cum sciam non esse irrita, tibi gratias ago, ac tecum oro Filium Dei custodem Ecclesiae suae, ut harum regionum Ecclesias, studia et disciplinam clementer tueatur et regat. Scimus enim non humanis praesidiis aut consiliis servari Ecclesiam, sed divinitus eam, ut foetus in alvo matris gestatur, custodiri. Hac nos consolatione sustentemus, et divinum auxilium petamus. Academiae studia Dei beneficio adhuc mediocria sunt, ut ex pagellis, quas mitto, iudicabis. Civitas *Brunsviga* duce *Henrico* paucos equites interfecit in parvo praelio. Nam *Lycaon* ille non desinit lacessere civitatem vicinam. Venerunt in urbem *Parthenopen*, Comites exules *Albertus Mansfeldensis*, *Heideck* et alii quidam. Sed nondum audio eos instructos esse ad tentandam eruptionem. Nos commendemus et nostram et Ecclesiarum salutem Filio Dei. Bene vale. Die 21. Iunii.

---

No. 4743. 24. Iun.

## *Christiano Regi Dan.*

Epistola nuncupatoria, praemissa Tomo III. operum Lutheri germanicorum edit. Witeb. Descripsimus ex edit. ann. [illegible] „gedruckt durch Georgen Rhawen Erben."

Dem durchleuchtigsten großmächtigen Fürsten und Herrn, Herrn Christian zu Dennmark und Norwegen, der Gothen und Wenden König, Herzogen zu Schleswick und Holsten etc., Graven zu Oldenburg, meinem gnädigsten Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jhesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helffer zuvor. Durchleuchtigster, Großmächtiger, gnädigster König und Herr. Wiewohl in dieser menschlichen Natur das Licht, das Gott von seiner Erkenntniß, als seinen Glanz in die ersten Menschen gegossen hat, sehr verdunkelt ist, welches hoch und mit herzlichen Seufzen zu beklagen ist, so hat doch Gott so viel klare gewisse Zeugniß in die Natur gebildet, daß alle vernünftige Menschen in aller Welt, von Anfang bis in Ewigkeit, Heiden und Gottes Volk, bekennen müssen, daß ein Einiger, Ewiger, Allmächtiger Gott sey, der diese schöne ordentliche sichtbare Creaturn erschaffen hat und erhält, daß auch derselbig Ewig Gott weise, gerecht, gütig und wahrhaftig sey, und Reinigkeit und Keuschheit lieb habe, und über alle Unordnung, die solcher seiner Weisheit und Gerechtigkeit zuwider ist, ernstlichen Zorn habe und gewißlich Straff üben wolle.

Diese Erkenntniß leuchtet natürlich in allen Menschen, und hat Zeugniß in uns selb, und vielen schönen ordentlichen Werken am Himmel und in den Gewächsen uff Erden, daß gewißlich solchs von Gott war, und unleugbar sey. Gleichwohl ist ein großer Hauff uff Erden, der ungeachtet dieser unleugbaren Wahrheit, die natürlich in Menschen leuchtet, dennoch Gott und Gottes Zorn, den sie täglich für Augen sehen und fühlen, frevenlich für nichts halten, und folgen eigen Gedanken und Lüsten, welchs sehr schrecklich ist.

Dieselbigen achten viel weniger der besondern Offenbarungen und Lehre, darin Gott sein Wesen und Willen, von Anfang in seiner Kirchen, Adam, Heva, Noah, Abraham, Mose, David, Elia, und in der Sendung seines Sohnes und in den Aposteln erkläret hat, und hat dabei Zeichen gethan, Todten ufferweckt, die Sonne lassen still stehen, Item zurücke lassen gehen, Item das Meer uffgethan, daß das Wasser gestanden ist wie die Berge, damit wir gewiß sind, wer diese Lehre geben hat.

Wiewohl nu solchs alles viel Menschen leider verachten, so sollen doch wir, die wir aus natürlicher Erkenntniß bekennen, daß Gott sey, sind auch ihm hierin gehorsam, daß wir seiner Offenbarung in seiner Kirchen,

seinen Wunderwerken und seiner Lehre glauben wollen, uns nicht lassen in Zweifel führen durch der Gottlosen Exempel und Spotten, sondern sollen erstlich festiglich schließen, daß wahr sey, daß sich Gott aus großer unermeßlicher Gütigkeit und Barmherzigkeit gegen dem menschlichen Geschlecht geoffenbaret hat, und sollen ihm für solche große Gütigkeit danken. Dabei sollen wir auch dieselbige seine Lehre, die er also uns geben hat, und hat dabei zugesaget, durch diese Lehre in uns zu wirken, und ewige Seligkeit zu geben, mit Dankbarkeit annehmen, lesen, hören, lernen, betrachten, und merken was sie doch saget, und was Unterscheid ist zwischen derselbigen göttlichen Lehre und andern Religion und Gedichten. Daß wir diesen Gehorsam Gott schuldig sind, davon hat er so oft ernstliche Gebot geben, als da er von seinem Sohn spricht: dieser ist mein geliebter Sohn, an welchem ich herzlich Freud und Wonn habe, diesen sollt ihr hören. Von diesem spricht er auch im fünften Buch Mose: ich will ihnen ein Propheten, wie du bist, erwecken aus ihren Brüdern, und meine Wort in seinen Mund geben, der soll zu ihnen reden alles, was ich ihm gebiethen werde, und wer meine Wort nicht hören wird, die er in meinem Namen reden wird, den will ich selb strafen.

Und nachdem wir in derselbigen göttlichen Lehre von Gottes Wesen und Willen unterricht werden, finden auch, daß er ihm allezeit im menschlichen Geschlecht eine ewige Kirche bauen will, das ist, er will ihm ein Häufflin für und für versammlen, das ihn recht anruffe und preise, und welches bei ihm ernach in ewiger Weisheit Gerechtigkeit und Freuden leben wird, So sollen wir uns mit Ernst umbsehen, wo diese Kirch ist, darin gewißlich allezeit etlich selig werden, Und soll ein jeder derselbigen einigen wahrhaftigen Kirchen Gliedmaß und Mitbürger seyn, soll sich mit Glauben, Anruffung, Bekenntniß, Lieb und Exempel zu derselbigen Kirchen halten, soll nicht eigene Fantaseien in der Lehre machen, soll nicht zu Verfolgung derselbigen wahrhaftigen Kirchen helfen, sondern mit allem Fleiß und rechter Treu dasselbige Häufflin helfen in gleicher Gottes Anruffung und in Einigkeit erhalten, und zugleich mit demselbigen Häufflin Gott ernstlich anruffen und preisen.

Und sollen alle Menschen diese zwei Ding zum höhesten und vor allen andern Sachen suchen und begehren, nämlich daß sie Gott recht erkennen, und daß sie der wahrhaftigen Kirchen Gliedmaß seyn wollen. Denn man soll und muß nicht also gedenken, die Kirche flieg in Lüften, sey unsichtbar, ein jeder möge sich selb zu einer besondern Kirchen machen, möge ihm Opiniones und Fantaseien dichten, die ihm wohlgefallen. Das taugt nichts, sondern du sollt wissen, daß Gottes Will ist, daß man sich zu seiner Versammlung halten wolle, und daß solche Versammlung sichtbar ist, welche du mit Augen und Ohren erkennen kannst. Und ist dieses die wahrhaftige sichtbare Kirche, in welcher reine christliche Lehre gepredigt wird, und rechter Brauch ist der Sacrament laut der Einsatzung Christi, und da nicht Abgötterei erhalten und vertheidingt wird. In solcher Versammlung sind allezeit etliche Auserwählete, in welchen Gott durch das Evangelium wirket, daß sie bekehret und selig werden. Obgleich neben solchen Heiligen in dieser Versammlung sehr viel Menschen sich nicht bekehren wollen, sondern verharren aus eignem Willen in Sünden wider Gewissen, und fallen in ewige Verdammniß wie andere Gottes Verachter; dennoch soll man gewißlich wissen, daß in dieser sichtbaren Kirchen für und für etliche Auserwählte sind, die selig werden, und soll man nicht dichten, daß Auserwählte sind außer dieser sichtbaren Kirchen, wie etliche dichten von Cato, Trajano und andern löblichen Heiden, sondern wie niemand außer der Arca Noah in der Sündfluth lebendig bliebe, also müssen wir in dieser Arca und Kirchen seyn, so wir selig werden sollen, wie geschrieben ist: quos elegit, hos et vocavit.

Diese Erinnerung ist sehr tröstlich, und rechte Kirche zu erkennen und zu ehren nützlich. Und also spricht der Sohn Gottes Johannis 14.: wer Mich liebet, der wird meine Lehre bewahren, und mein Vater wird ihn lieben, und wir wollen zu ihm kommen, und eine Wohnung bei ihm machen. In diesen Worten ist Lehre und Trost gefaßt. Die Lehre ist, welche Menschen Gliedmaß rechter Kirchen sind, und wo sie zu finden, und wie sie zu erkennen ist, nämlich diese Menschen, die reine Lehre des Evangelii lesen, hören, mit Glauben annehmen, bekennen und helfen pflanzen und uff die Nachkommen zu erben Fleiß thun, und in solchem Glauben den wahrhaftigen Gott anruffen, Diese sind die wahrhaftige Kirche Gottes, die du mit Augen und Ohren suchen, erkennen und richten kannst und sollt. Dieser Kirchen Gliedmaß und Bürger sollt du auch seyn, und täglich solchs betrachten, so du in deinem Gebeth sprichst: ich gläub eine einige heilige christliche Kirchen. Hie bedenk, welche und wo dieselbige sey, nämlich nicht bei den Päpsten, Bischoven, Mönchen, die öffentliche Wahrheit verfolgen, und Abgötterei stärken, sondern in diesen Versammlungen, da reine Lehre des Evangelii gepredigt wird, und rechter Brauch der Sacrament erhalten wird, und Abgötterei gestraft wird. Darnach

sollt du die allerhöhesten Verheißungen betrachten, wie der Text sagt: wir wollen zu ihm kommen, und Wohnung bei ihm machen. Gott will gewißlich in solchen wohnen, die reine Lehre des Evangelii annehmen, lieben und pflanzen helfen. Gott will dich erhören, regiren und dir Hülff thun in diesem schwachen elenden Leben. Denn er weiß unser Schwachheit, und will dir ewige Seligkeit geben, so du ein solcher Diener seyn willt, der seine Lehre treulich bewahren will. Dieser Trost ist über alle Güter, die man in allen Creaturn erdenken oder nennen kann. Und soll sich niemand aus diesem wahrhaftigen Verstand des Spruchs in Johanne lassen abführen durch andre fremde Glossen, die erdicht sind von denen, die Unterscheid zwischen dem Gesetz und Evangelio nicht haben merken wollen.

Nachdem nu gesagt ist, daß alle Menschen schüldig sind erstlich Gottes Wort zu lernen und anzunehmen, darnach in wahrhaftiger Kirchen Gottes Gliedmaß zu seyn, so wollen nu alle die, so zu Erkenntniß rechter Lehre kommen sind, und täglich wachsen, und in solchen Kirchen sind, da sie unverhindert reine Lehre hören, und Gott mit andern Heiligen recht anruffen mögen, diese große Gabe Gottes bedenken, dafür danken, und solche große Gaben zu Gottes Ehre und ihr und andrer Seligkeit gebrauchen. Dieses alles sollen billig christliche Herzen täglich betrachten.

Dieweil denn Gott E. K. M. und E. K. M. Königreichen und Landen diese große Gnad geben hat, daß darin Einigkeit in reiner christlicher Lehre und rechter Brauch der Sacrament ist, und Fleiß geschiehet, Zucht und rechte Lehre zu erhalten, sollen wir alle Gott danken, und bitten, daß er E. K. M. Person und Reich gnädiglich erhalten und bewahren woll, wie auch ich und andere in unser Kirchen solchs mit Herzen von Gott bitten, daß Gott zu Lob auch ein ganz Königreich auf Erden sey, darin reine Lehre des Evangelii in Einigkeit geprebigt wird, da auch E. K. M. selb, und alle christliche Unterthanen diese Freud haben mögen, daß sie wissen, daß sie christlicher Kirchen Gliedmaß sind und in den öffentlichen gottgefälligen Versammlungen sämptlich mit andern Heiligen Gott unverhindert anruffen, und wissen, daß solche Anruffung Gott gefällig ist und erhört wird. E. K. M. wolle auch Gott zu Ehren und zu ihrer K. M. und vieler Menschen, auch der nachkommenden Seligkeit solch angefangen Werk, Kirchen, Lehre und Zucht zu erhalten Fleiß thun, wie alle christliche Herzen bitten: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis propter templum tuum in Ierusalem. Reges adferent tibi munera. In dieser hochlöblichen König Zahl stehet auch E. K. M. bei David, Josaphat, Ezechia, Usia und dergleichen. Diese Ehre ist viel höher denn alle Triumph Alexandri, Julii, Augusti und anderer, die Gottes Ehre und Kirchen verachtet oder verfolgt haben. Und obgleich das Creutz unsern Kirchen jetzund auch mit uffgeleget, und mancherlei Unrug vor Augen ist, so wird Gott dennoch E. K. M. Kirchen und dergleichen mehr gnädiglich schützen und bewahren, und wird E. K. M. und uns diesen Trost anzeigen, wie S. Paulus spricht: euer Arbeit wird nicht vergeblich seyn im Herrn.

Dieses alles ist vielen zu Trost gesagt, und ist E. K. M. dieses Werk des Ehrnwirdigen Herrn Doctoris Martini Luther zugesandt, die Auslegung vieler schönen Psalmen Davids, besonder dieweil es ein königlich Buch ist, das E. K. M. und viele in ihren Landen Trost und Stärkung daraus schöpfen wollen; denn warlich diese Psalmen und Auslegungen sind ein sehr reicher Schatz christlicher Lehre. Und nachdem E. K. M. selb wissen, daß sehr viel hoher Könige allen Menschen zu gut nützlich Bücher zusammengebracht haben und auf die Nachkommen geerbet, so ist doch solcher Fleiß fürnemlich in der christlichen Kirchen nützlich und nöthig, daß man Zeugniß der rechten Lehrer nicht verlöschen lasse. Darumb wolle E. K. M. dieses und andere Bücher des Ehrnwirdigen Herrn Doctoris Martini Lutheri gnädiglich helfen erhalten und uff die Nachkommen bringen, dieweil christliche Lehre in vielen nöthigen Artikeln durch ihn mit sonderlichen Gottes Gnaden erkläret ist, und viel Abgötterei und Irrthum durch ihn gestraft und abgethan sind, und ist nöthig, daß seine Schriften als gewisse Zeugniß in Gedächtniß bleiben.

Es ist auch gewißlich wahr, daß seine Bücher treulich durch den wirdigen Herrn Georgium Rorarium zusammen und an das Licht bracht werden, und ist dieses Manns Tugend, Treu und Glaub gegen Gott und gegen dem Ehrnwirdigen Herrn Doctore Martino Luthero männiglich bekannt, daß ganz nicht zu zweifeln ist, diese Bücher sind rein und ungefälscht an Tag geben, Welches in der Vorrede anzuzeigen auch nöthig ist, damit alle Nachkommen wissen, daß gedachter Magister Georgius Rorarius als ein treuer, wahrhaftiger, gelehrter, gottfürchtiger Mann, der löblichen Fürsten und Herrn und vielen ehrlichen gelehrten Männern in vielen Landen bekannt ist, dieses Druckens halben Befehl gehabt hat. So hat auch der Ehrnwirdig Herr Doctor Martinus Luther selb ein besonder gut Vertrauen zu ihm allezeit gehabt. Der Sohn Gottes Jhesus Christus unser Heiland wolle E. K. M. und ihr K. M. Königin, junge

Herrschaft und Königreich gnädiglich bewahren und regirn, Datum Witeberg, am Tag Johannis Baptistä, Anno M. D. L.

E. K. M.

unterthäniger Diener

Philippus Melanth.

---

No. 4744. 25. Iun.

## Gregorio Praetorio.

Manlii farrag. p. 107.

*Venerando viro, domino* Gregorio *(Praetorio) pastori Ecclesiae Dei in Gebersdorf, amico suo,*

S. D. Venerande Domine Gregori: Tua narratio congruit cum recitatione *Nohae*, quam mitto, sicut scripsit. Et in tergo picturam addidi, unde iudicare potestis, an recte intellexerim narrationem. Iure divino tali gradu non est facta prohibitio coniugii. Et concedere coniugium his hominibus potestis, si expetunt, et sunt honesti homines, praesertim si iam sponsiones factae sunt. Bene et feliciter vale, die 25. Iunii, anno 1550.

---

No. 4745. 28. Iun.

## Georgio Princ. Anhaltino.

Epist. lib. II. p. 216. (ed. Lond. lib. II. ep. 208.). — Non anno 1549., ut in fine epist. legitur, sed a. 1550. scripta est. Vid. ep. ad Meienburg. d. 17. Maii et ad Camerar. d. 19. Maii 1550.

*D.* Georgio *Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Ago gratias Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi Conditori Ecclesiae suae, quod hactenus in his regionibus inter tanta pericula servavit Ecclesias, et mentes docentium ita rexit, ut mediocris consensus manserit. Nunc multa metuo, postquam venit in has regiones *Lasarus a Suende.* Sed commendemus Filio Dei et Ecclesiam, et nos, veris gemitibus et votis. Exhibui narrationem controversiae, quae nunc missa est *Georgio Maiori.* Cum autem Doctor *Benedictus* non sit domi, collegae differunt deliberationem. Sed mittent responsionem, cum primum redierit Doctor *Benedictus.* Utinam utiliter servire possimus Ecclesiae Dei. Certe Deus inspector cordium *καὶ καρδιογνώστης* scit nos non ambitione, aut aliqua cupiditate, aliorum gubernationem unquam impedire voluisse, sed quaesivisse veritatem, et velle, ut recte invocetur Deus. Bene et feliciter valeat Celsitudo Vestra. Die 28. Iunii, Anno 1549.

---

No. 4746. 28. Iun.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 166 sq. Consuli autographon in cod. Mon. I. p. 146., quod perlatum est Norinbergam d. 10. Iul. 1550., ut Baumgartnerus adscripsit.

*Hieronymo* Bomgartnero, *Senatori Norib.*

S. D. Non dubito famam, ut solet, de Saxonicis urbibus sparsuram esse rumores atrociores. Sed vicina *Parthenope* adhuc quidem bellum non videtur parare. Comites exules, qui eo ex urbe Brema venerunt, non habent exercitus. Et prudentes viri, quibus notae sunt res *Bremenses*, affirmant ideo cessisse *Mansfeldensem*, quia multi ex Belgico veniant [1]) Bremam. Ipse valetudinis causa dixit se discedere. Nunc aiunt eum *Brunsvigam* profectum esse, quod nondum tamen certo scio. Sed historiam pugnae *Brunsvicensis* existimo istuc allatam esse, etsi non contemnenda est, multo atrociorem [2]). Civitas monasterium *Rittershusen* populata est, publico consilio. Postridie multitudo ex vulgo sine publico imperio excurrit ad rapienda reliqua. Ibi repulsi sunt ab equitibus, quos eo miserat *Lycaon.* Cum haec multitudo fugeret, ex urbe alii occurrerunt subito impetu et repulerunt Lycaonis exercitum. Dicuntur utrinque interfecti non plures triginta. Haec est narratio recentissima. Sed initium esse magni belli non dubito. Et cum Periodus huius Imperii circumacta sit (sunt enim anni quingenti inde usque ab *Othone* tertio) mutationem insignem impendere consentaneum est. Scis qua nos consolatione in tantis ruinis Imperiorum sustentare

---

1) Spanh. mendose *veniunt.*

2) Sic distincte scriptum est in autographo; puto post *multo* addendum fuisse *tamen.*

debeamus. Scimus, nos, nostras familias, Deo curae esse, scimus Ecclesiam servari inter ruinas Regnorum, et habituram esse hospitia in Imperiis, quanquam ruentibus. Hac nos consolatione sustentemus. Qualis fuit mortuo Alexandro Macedone confusio orbis terrarum? Et tamen tunc mediocria Halcyonia habuit Ecclesia. Eius historiam eo nunc recordor, quia hanc epistolam scripsi die mortis Alexandri, videlicet die 28. mensis *δαισίου*. Nec volo te subtilissime disputare de die. Vagabantur enim tunc menses. Sed haec temporum consideratio non est inutilis bonis ingeniis. De conventu Augustano quaeso ut scribas, siquid habebis. Nunc in vicinia est *Marchio Albertus*, nec curiose inquiro aulica negotia. Et utinam semper ab aulis procul abfuissem. Bene vale. die 28. Iunii *).

Philippus Melanthon.

---

No. 4747. 28. Iun.

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 504 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 580.).

### *D. Ioachimo Mollero*

S. D. Et amore tuo delector, et hac voluntatis significatione, in qua scribis te haec literarum colloquia non omissurum esse. Scribam et ego, quoties erit occasio. In vicina *Parthenope*, comites novos hospites audio quietos esse. Vester vicinus *Lycaon* erit *ἀλάστωρ τῆς πατρίδος, ἀλλὰ τὴν ἀδράστειαν οὐχ ἐκφεύξεται.* Deus erit custos suae Ecclesiae. Mitto tibi pagellas, in quibus est Psalmus de Ecclesia: *Quam dilecta tabernacula!* Ideo et a Principe tuo eum legi volo. Bene et feliciter vale. Die vicesimo octavo Iunii, quo ante annos 1873 *Alexander Macedo* mortuus est, de quo cogitantes, Deo gratias agamus, qui nos fecit Ecclesiae suae cives. Ille hoc tantum beneficium adspernatus est, cum tamen fateretur se vocatum in *Asiam* illa specie summi sacerdotis populi *Israel*, ut eum audiret.

---

*) Ann. 1550. adscripsit alia manu.

No. 4748. 28. Iun.

## *C. Stathmioni.*

Epist. lib. II. p. 414. (ed. Lond. lib. II. ep. 488.).

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Christophoro Stathmioni, artis Medicae Doctori, καὶ γνησίως φιλοσοφοῦντι, fratri suo charissimo,*

S. D. Scis, ut vir Philosophus, *τὴν δικαιοσύνην εἶναι ἰσότητα,* et omnino decebat me reddere aequalia pro tuis officiis. Sed te hominem Philosophum scio etiam et intelligere et approbare summi iuris mitigationem *καὶ ἐπιείκειαν*. Toto anno bis omnino scribo fratri meo, qui mihi charissimus est, cum *Francofordiam* mercatores proficiscuntur, adeo parum est ocii, dum scribo alias epistolas argumentis a natura mea alienis, de multis controversiis. Ideo te oro, ut veniam mihi des, quod tuis literis non respondi. Interea scias me et genere Philosophiae, in qua versaris, delectari, et omnes venerari tuae Philosophiae Medicae et Astrologicae cultores. Tuum librum multo ante misissem: sed belli tempore, et supellectilis meae et librorum magnam partem amisi. Et quanquam aliquoties quaesivi tuas paginas, tamen non inveni. De re ipsa saepe et cogitavi et cum doctis collocutus sum, et rectius est inter eruditos haec disputare, quam vulgo praebere materiam stolide vociferandi, ut nosti clamores indoctorum *βεβήλους*. Coram, ut spero, aliquando colloquemur. Quantum possumus, Deo iuvante, ego et alii in hac Academia sumus hortatores ut iuventus discat doctrinam de Deo, et adiungat veram Philosophiam. Bene vale. Die 28. Iunii. Anno 1550.

---

No. 4749. 1. Iul.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 644. (ed. Lond, lib. IV. ep. 785.).

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,*

S. D. Epistolam tibi mitto hominis ingeniosi, cuius orationem te probare memini, cum forte quandam eius epistolam in mensa mea repositam

legeres. Monstrare eam et *Stramburgero* poteris, praesertim cum in fine mentionem faciat belli Saxonici, cuius qualia fecerit initia *Arcas* *) videmus. Ego una me hac spe sustento, quod scio inter ruinas Imperiorum tamen Deum servaturum esse hos ipsos coetus, qui vocem doctrinae incorruptam fideliter et simplici studio sonant: certe nos nec regnorum, nec potentiae aut pecuniae cupiditatem huic publicae caussae miscuimus. Oro autem filium Dei, ut nos servet et gubernet. Bene et feliciter vale, die, quo Lipsiae ante annos triginta duos Epicuri dogma refutavi **).

Philippus.

---

**No. 4750.** (in. Iul.)

## *Eidem.*

Epist. ad Camerar. p. 685 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 728.). — Retulit quidem editor hanc epistolam ad annum 1548., sed scripta est anno 1550. Eo enim anno Staphylus ex Prussia venerat Wittebergam mense Iunio, eodemque anno Sabinus secundas celebravit nuptias. Scripta autem est ineunte Iulio. Nam d. 18. Iunii (vid. supra ep. ad Camer.) scribit, Staphylum esse Wittebergae. Is aliquamdiu ibi commoratus profectus videtur ineunte Iulio Lipsiam. Interim Melanthon nuncium de nuptiis Sabini acceperat. Nam in epistola d. VII. Iulii huius anni scripta has nuptias commemorat tanquam notas Camerario. Si vero Staphylus iam nuncium de Sabini nuptiis attulisset, profecto rem non silentio praeteriisset in epistola d. 18. Iun. scripta, ubi de Staphyli adventu loquitur. Non igitur per Staphylum, sed post eius adventum per literas certior ea de re factus est.

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti, Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

**S. D.** Affert tibi *Fridericus Livoniensis* [1]), cuius probo candorem literas a filio [2]) et *Sciuro.* Ego

*) Lycaon. C. W.

**) Melanthonem loqui de colloquio Lipsiae d. 27. Iunii — 14. Iul. 1519. habito, dubio caret. Nulla enim alia, praeter illam, habita est disputatio Lipsiae, ad quae haec verba referri possint. Melanthonem vero utique, quanquam non in numero eorum fuit, quibus colloquendi negotium demandatum fuit, tamen interdum interloquutum esse quaedam et Carolostadium adiuvisse, negari non potest, ut alio loco docuimus. In verbis „triginta *duos*" error videtur agnoscendus esse. Vel enim Melanthon ipse in computandis annis non satis sollicitus fuit, vel scripsit „annos 31", et quod editor legit pro 32. Epistola enim anno 1551. non scripta esse potest, quum illo anno mense Iun. et Iul. Arcas, i. e. Henricus Brunsvicensis, bellum non gesserint in Saxonia, sed a. 1550. et postea a. 1554.

1) Fridericus Staphylus, natus in Livonia. Vid. ep. d. d. 4. Nov. 1543.

2) *Iohannes*, filius Camerarii. Is fuit apud Georgium Sabinum et in eius disciplina, ut ex epistolis Poëmatibus Sabini additis cognoscitur, an. 1547 — 1551.

et *Mathiae* [3]) epistolam mitto. Erumpent tandem illa cabalistica ἢ χοβαλικά, quae si proferentur me vivo, ubicunque ero, dicam quae dixi hactenus, quae et recta sunt et utilia Ecclesiae. Satis ostendunt multi, de qua libertate dimicent. Sed filium Dei oro, ut nos regat, qui quidem se inquit pro Petro orasse, ne fides ipsius extinguatur. Idem ut pro nobis petat, precor. *Sabinus* ducit uxorem filiam senatoris Regiomontani, quam et ipse et alii scribunt, referre meae filiae faciem [4]). Fui delectatus hac commemoratione, vestigium benevolentiae significante. *Casparem* tibi et *Rhetico* commendo. Bene vale.

Philippus.

---

**No. 4751.** 2. Iul.

## *Georgio Princ. Anhaltino.*

† Ex apographo in cod. Servest. p. 276., nobis descripta a Clariss. *Sintenisio.*

*Georgio Principi Anhaltino*

**S. D.** Illustriss. et Reverend. Princeps. Fuit omnino laetitia ingens et erga Deum gratiarum actio, cum miracula recitarent in hodierno congressu duae mulieres, Maria et Elizabeth, et coetus, qui aderat, certo iam sciret, Messiam in alvo Mariae gestari. Talem synodum optemus esse iudicem. Sed de his deliberationibus, de quibus C. V. scripsit, mittam ventura septimana aliquid cogitationum mearum *), et coram brevi colloquar.

3) Sine dubio loquitur de Matthia Flacio Illyrico.

4) Ex Epithalamiis in Sabini poëmatibus p. 397 sq. et p. 405. intelligitur Sabinum duxisse *Annam*, filiam *Christophori Cromeri*, Regiomontani. Id factum est mense Iunio. Nam in priori epithalamio, auctore *Felice Fidlero*, leguntur inter alia haec:

„Inque domo vidua te tristia signa gerentem
„*Ter* circunductis sol repetivit equis."
Hoc Deus, ut vidit, similem tibi largiar inquit:
Eventu sequitur res stabilita suo.
Nomen idem rediit, facies cognata priori,
Haec tibi divina contigit uxor ope.

In altero epithalamio, auctore Davide Milesio Nissaeno p. 405. leguntur haec:

*Tertia* lugentem quae te conspexerat *aestas*
Est tibi laeticiae caussa futura novae.

Quum *Anna*, filia Melanthonis, diem obierit d. 26. Februarii anno 1547., sequitur Sabini nuptias fuisse in aestate anni 1550. Filius ipsi natus est ex hoc coniugio, Christophorus, d. 19. Iulii (vid. Sab. poëmata p. 621.), qui vero anno 1555. iterum est mortuus. (Sabini poëm. p. 356.).

*) Fortasse loquitur de sua sententia de continuando concilio Tridentino.

Quid potest deliberari? Nulla etiam aequa et utilis communi consociationi decreta amplectuntur aut Saxones aut Helvetii. Et nuper quidem vetus amicus noster in Thuringia [1]) dixit, librum viri integerrimi, D. *Pfeffingeri* [2]) non ab ipso scriptum esse, sed collusione duarum Academiarum collectum, ut servitus restituatur. Et alia atrociora. Postquam igitur ita distracta est et Ecclesia et Respublica, ut iam frustra quaerantur moderata consilia, quid nos deliberare possumus, nisi ut praeparemus nos ad crucem, utri vincant? Principum alia erit deliberatio. Et mihi nunquam placuit de parvis rebus moveri certamina aut magis accendi. Video magnorum et praestantissimorum Ducum exempla in gubernatione, qui furores vulgi tulerunt, ne maiores dissipationes fierent. Sed haec coram. Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi gracias ago, quod Cels. Vestrae corporis vires restituit, et eum oro, ut Cels. V. et fratres servet et gubernet. Bene et foeliciter valeat Cels. V. Die synodi sanctissimarum matronarum 1550.

C. V. addict.

Ph. Mel.

---

No. 4752. 3. Iul.

## *Senatui Esslingensi.*

† Ex autographo Philippi in tabulario Senatus urbis *Esslingen*, beneficio D. *Pfaffii*, ὑποδιδασκάλου Essling., descripta.

(An den Stadtrath zu Eßlingen.)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Erbare, weise, fürnehme, günstige Herren. Wiewohl von wegen unsrer aller mancherley Sünde eine grosse Zerrüttung in vielen Landen worden, so ist doch Gottes Wille, daß man die Regierung, Lehre und Zucht nicht ganz fallen lassen, und zu hoffen, Gott werde gnädiglich diese Unruh und Spaltungen mit der Zeit stillen, und so junge Leute ordentlich und recht studiren, kann man wiederum zu rechter Unterweisung und zu Frieden Personen haben. Derohalben danke ich Ew. Ehrbarkeit, daß sie dem wohlgelahrten Georgio Roner zum Studio günstige Hülf gethan haben, und sich fürohin gutwillig erboten. Nun sind die Studia löblicher Künsten noch durch Gottes Gnad in diesen Landen ziemlich, und wollt gedachter Georgius gern den Gradum Magisterii annehmen, damit er deß [desto] bequemer etwa zu Dienst kommen möcht. Derwegen bitt ich ganz fleissig, Ew. Ehrbarkeit wollen Ihr der Ihren Noth väterlich befohlen seyn: dieweil er Waise ist, und zu [dazu] so ehrfürchtig *) züchtig und friedliebend, und hat also studiret, daß er durch Gottes Gnade in Schulen oder Kirchen nützlich dienen kann. Wiewohl eine grosse Unordnung und Betrübniß jetzund in vielen Landen ist, so wollten doch Ew. Ehrbarkeit Ihr der Jugend Studia Gott zu Lob lassen befohlen seyn, dadurch Gott wiederum Besserung geben wird. Der allmächtige Gott bewahr Ew. Ehrbarkeit und die Euern gnädiglich. Datum Wittenberg den 3. Julii anno 1550.

Euer Ehrbarkeit

williger

Philippus Melanthon.

(In margine epistolae adscriptum legitur: „präsentirt d. 28. Aug. anno L., und ist ihm 15 So. verordnet.")

1) Schnepfius; vid. ep. ad Camer. d. d. 7. Iul. h. a. Hic illo tempore Ienae haerebat. Vid. ep. ad Stigel. d. d. 28. Aug. h. a.

2) Cum epistola scripta dicatur a. 1550., liber Pfeffingeri non potest esse eius „propositiones de libero arbitrio", qui demum anno 1555. mortuo Georgio Anhaltino prodierunt, et litem synergisticam, ut vocatur, excitarunt. Quem autem librum Melanthon in mente habuerit, definire nolo. Ex Saligii hist. august. conf. I. p. 648 sq. discimus, Pfeffingerum in disputatione, Lipsiae habita, anno 1550. defendisse sententiam libri Interim: hominem in conversione non esse ut truncum, sed posse voluntate sua cooperari; eam autem sententiam Alesio minime placuisse. Ad hanc rem spectare videtur Flacii libellus: „Wider das Ausschreiben zweier Universitäten", et eiusdem liber: „Wider die neue Reformation D. Pfeffingers des Meißnischen Thumherrn." Magdeb. 1550. 4. — De Alesio (Esilao) vid. epist. ad Camerar. d. d. 7. Iul. h. a. Caeterum Melanthonem quaedam huius disputationis capita scripsisse Pfeffingero, intelligitur ex eius ep. d. d. 7. Martii h. a.

*) Fortasse: gottfürchtig?

---

No. 4753. 6. Iul.

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stigel. ep. 55. Cod. Goth. 188. ep. 114.

*Clarissimo viro, ingenii elegantia, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio,* S. D.

In epistola, quam dedi *Amando Cygneo*, tibi gratias egi de carmine, quo amici nostri **) calendarium a te splendidissime ornatum est. Omnino huius aetatis, et universae Germaniae ornamen-

**) *Pauli Eberi.*

tum est tua vena praecipuum. Incluseram Nomisma quoque; sed cum non sciam, an acceperis eam epistolam, rursus nunc tibi gratias ago pub. literarum nomine, et habeo gratiam perpetuo, teque oro, ut nobis interdum scribas, ne haec colloquia inter nos prorsus conticescant. Nec volo scribi ea, quae sine periculo attingi non possunt. Mitto epistolam ad *Iulium* *) subito scriptam, quam non obsignavi, sed si mittendam putabis, addito σφραγῖδα. Nam nec ego certa utor. Scio, potuisse vel mollius vel asperius scribi: et qualis candor sit iudiciorum, non ignoro. Sed placebit, opinor, tibi illa venustissima Stesichori vox, qui ait, cicadas queri de violentis imperiis. Commendo autem Deo nos omnes. Bene vale. 6. die Iulii.

Philippus.

*) Iul. Pflugk; vid. epist. seq.

---

No. 4754. 7. Iul.

## I. Pflugio.

Ex apogr. in cod. Goth. 188. ep. 116., ubi legitur media inter epistolas ad Stigelium scriptas, quasi edita inter eas. Sed Danzius in epp. ad Stigel. eam non dedit.

*Reverendissimo Domino, D. Iulio, [Pflugk] Episcopo Naoburgensi, nobilitate generis, sapientia, eruditione et virtute praestanti, Domino suo reverenter colendo*, S. D.

Reverendiss. Domine. Faciam, ut nunc usitatum est. Causam agam mihi ignotam, sed non ut accusator, aut defensor, verum ut deprecator. Audio captivum teneri in oppido tuo Naoburgo Herrmannum *Ackerman*, hominem pauperem, quaerentem victum labore tabellarii, qua in re mihi fides eius, etiam in pecunia custodienda et perferenda, ante multos annos cognita est. Et mihi significarunt eius amici, non aliud delictum ei obiici, nisi quaedam stulte dicta, quae fortassis non iam sobrius effudit. Miratus sum, hominem alioqui modestum hoc tempore non frenasse linguam, quo non solum sermonum acerbitas, sed silentium quoque pericula adfert, ut de Atticae civitatis discordia scribit Thucydides. Sed in dissensionibus civilibus nulla vigilantia caveri omnes offensiones possunt. Etsi autem scio, non confirmandam esse vulgi maledicentiam, tamen nota sunt tibi, viro docto et sapienti, praecepta et exempla magnorum Principum, qui etiam armati in bellis pepercerunt infimo praesertim generi hominum, si quando verbis laesi erant. Ac sapientiae et lenitatis tuae est tam tristi tempore multis lenire calamitates. Quare te primum propter Deum oro, cui grata est haec misericordia, ut huic misero des, eumque dimittas incolumem. Nosti enim sententiam saepe in divinis oraculis repetitam, quam Nazianzenus his versibus recitat:

*εἰδ' οἶδας ὄφλων, καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον,*
*οἴκτῳ γὰρ οἶκτος καὶ Θεῷ σταθμήσεται.*

Deinde oro, ut mea et aliorum scholasticorum deprecatione placari te sinas. Etsi enim sunt in Repub. dissidia, tamen literarum studia non sunt abiicienda, et agmini scholastico te, hominem eruditissimum, bene velle, non dubito. Scio autem, hoc tuum beneficium multis gratum fore, qui fidem huius tabellarii probant, apud quos haec tua clementia et sapientiae tuae, et virtutis illustre testimonium erit. Nec opinor, te prorsus hos Cicadarum clamores aspernari, de quibus Stesichorus inquit:

*οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ*
*τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν.*

Haec simplicius et subito scripsi, tua sapientia fretus, teque oro, ut hanc epistolam boni consulas. Bene et feliciter vale. Nonis Iulii Anno 1550.

Referendissimae dominationi tuae deditus.
Philippus Melanthon.

---

No. 4755. 7. Iul.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 597 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 738.). Non anno 1548., ut editor putavit, scripta est epistola, sed a. 1550., quum Sabini nuptiae secundae fuerint mense Iunio 1550. „Epithalamion de nuptiis Georgii Sabini et Annae, filii Christophori Cromeri Regiomontani, auctore Felice Fidlero" legitur in Sabini poëmatibus p. 397. Cf. epist. ad Camerar. ineunte Iulio scripta. *Esilaus*, de quo loquitur, est Alesius, et *Sunipes* est Schnepfius.

*Clariss. viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo*,

S. D. Honestissimam coniugem tuam rediisse incolumem gaudeo, et filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit, Nemo rapiet oves meas ex manibus meis, oro, ut totam Ecclesiam tuam domesticam servet et gubernet. Erunt ei curae etiam inter ruinas regnorum, familiae invocantes

ipsum, ut scriptum est, generationi rectorum benedicetur.

Vidi dictata ab *Esilao* *) de libertatis defensione. Meministi historiam Thebanam, in qua narratur decretum factum esse a Thebanis, ut libertatem Graeciae defensuri se cum ipsis coniungerent. Tales sunt et hi clamores, non enim pugnant de doctrinae explicatione. Sed haec coram.

Noster amicus *Sunipes* **) dixit, conflatum esse scriptum vestri pastoris collusione duarum Academiarum, *καὶ ἄλλα πολλὰ οὐ προσήκοντα τῇ πάλαι φιλίᾳ ἡμετέρᾳ*. Sed feramus haec, et Deo nos commendemus. Hanc epistolam tradidi ingenioso viro venienti ex Prussia, qui carmen magna venustate et facilitate scribit, cui nomen est *Felici Fidlero*. Affert et a filio litteras. Epithalamium *Sabino* scripsit, unde de vena eius iudicabis. Bene et feliciter vale. Deus te et Ecclesiam tuam domesticam servet, VII. Iulii.

Phil. Melanth.

*) Alesio.

**) Schnepf.

---

No. 4756. 9 Iul.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 677 sqq.

*Mich. Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Dei beneficio recte valet filius *Christophorus*, etsi vexare eum usitatus ipsius morbus coeperat, ac nondum hic contagia pestilentiae sentio: non etiam huc collocari praesidia audio: Sed si bellum Saxonicum nobis propius erit, filios censeo Noribergam mittendos esse: ac Deum oro, ut vos et vestros servet incolumes, et non sinat fieri dissipationes Ecclesiarum tristiores, et barbaricam vastitatem.

De Conventu Augustano similis est solicitudo in omnibus honestis hominibus, sed Deus exaudiet gemitus multorum piorum, et mitigabit has aerumnas. Aliqui existimant, Imperatorem de Synodo Pontificia acturum esse, idque Regis *Ferdinandi* consilium esse, nec moturum contentiones de Interim, Nam Rex *Ferdinandus* hactenus in Silesia nihil mandavit de religione, et post longas deliberationes dicitur dixisse, se expectaturum esse consilium, nec sibi placere has particulares reformationes. Sed quidquid erit, Deo nos commendemus. Ego nec iussus sum proficisci Augustam, nec opinor, quenquam meam praesentiam expetere, et Deo gratias ago, quod a Conventibus abesse mihi concedit. Meministis meas querelas et veros gemitus, quibus ostendi dolorem meum, propter ea, quae in Conventibus † Principum" [1]) agi videbamus. Memini et vestros dolores. Nec sum profecturus ad Conventum, etiamsi quis iubebit, nec metuo corporis pericula, sed nolo implicari illis actionibus, quae nec piae sunt, nec processurae. Non iam quaeritur ibi veritas, sed utri regnent; et me taedet multarum futilium contentionum: an ego de linea veste contendam? Meus census fuit, explicare doctrinam, et in summam mediocri perspicuitate colligere, et studia discentium iuvare. Id feci fideliter et faciam, donec Deus concedet. Conventuum deliberationes libenter aliis relinquo: vos quoque optarim, non proficisci ad Conventum: Et potestis uti excusatione valetudinis, item belli vobis propinqui, ubi urbs vestra indigebit vestro consilio domi. Item si civitas decrevit, non recipere Articulos in Interim, quos falsos esse constat, recusatio minore offensione fit per hominem iuvenem, qui dicet, se habere mandata, quae non liceat mutare. Item, vos scitis, quam sint molesti vobis et aliis quibusdam, et mihi fuerunt aliqui, qui multum volunt nos suis persuasionibus inflectere, tanquam pueros: sicut *Marchio* [2]) longa concione mihi commendabat extremam unctionem. Et Doctor *Iohannes Metensis* et, nescio, qui alii Ratisbonae mihi quotidie novas persuasiones adferebant. Has ineptias pueriles audire, quam sit molestum, scitis, praertim cum non possit obtineri, etiamsi multa promitteremus. Suadeo igitur, mitti Marchiam [3]) cum perspicuis mandatis, vel alium, praesertim cum nondum sciatis initia negotiorum. Dux Saxoniae, Elector, misit N. N. et *Abrahamum vom Einsidel*, modestissimos viros: est et *Carolovicius* profectus ad Imperatorem. Audio, nunc quoque Imperatorem non leviter aegrotare.

De vino vobis ago gratias, sed mallem, vos nova musta expectasse. Nam transvectio in aestu,

1) Addit A. D.

2) A. D., sed Saub. edidit: *N.*

3) *Marchiam?* — Fuitne fortasse scriptum *Matthiam?*

ut scitis, periculosa est. Decem Ioachimicos, quos misistis, dedi *Cingulario:* sicut in literis Magistri *Adami* mandatum fuit. Deus aeternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, servet vos et vestros omnes incolumes, et protegat vos sua dextra inter has ruinas Imperiorum. 9. Iulii.

Philippus.

---

No. 4757. 9. Iul.

## *A. Cureo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Magistro Adamo Cureo, Reichstadiensi in oppido Northusen.*

S. D. Est omnino virtus et multarum virtutum nutrix verecundia, etsi paulo aliter Aristoteles loquitur; et pudorem tuum laudo. Sed non impediat officium. Est autem officii tui ad amicos petentes interdum aliquid de tua voluntate et de iis negotiis scribere, quae nos scire prodest. Scribes igitur non tam timide. Nam mihi non magis curae est mea domus quam vestra. Et scire nos vicinarum Ecclesiarum statum plurimum refert. Mitto exempla disputationis proximae [1]) Domino *Michaeli*, *Georgio* et *Iacobo;* plura enim non habebant typographi. Magister *Erasmus* febri laborat. *Cingulario* dedi decem Ioachimicos [2]), teque volo domino *Michaeli* reverenter gratias agere. Profecto vina digna essent [3]) publica liberalitate, sed pauci gubernatores de nostris studiis cogitant dictum vetus: τίμα δὲ τὰ πράγματα κρείσσονα ποιεῖ. Tibi mitto Eclogam *Stoii*, tuo auditori Psalmum *Stigelii: et dilecta tabernacula* etc. [4]), quem ab eo saepe legi volo. Bene vale carissime Adame. Die 9. Iulii, quo ante annos 2162 Hierosolyma a rege Chaldaeo capta est, et tamen deleta politia mirabiliter servatae sunt reliquiae [5]), servatus Ieremias et alii multi. Petamus igitur et speremus nunc quoque coeleste auxilium. Salutem opto *Iacobo* et *Georgio.*

Philippus.

1) Aurifabri habita d. 26. Iun. 1550.
2) Vid. ep. ad Meienb. d. d. 9. Iul.
3) Sic scriptum est; sed mendose. Fortasse in autographo fuit *vena eius digna esset*, videlicet Cingularii.
4) Vid. supra ep. d. 28. Iun.
5) Excidisse videtur: *Ecclesiae.*

No. 4758. 14. Iul.

## *G. Fabricio.*

† Ex apogr. in codice Zittaviensi ep. 21.

*Georgio Fabricio*

S. D. Hodie in publica enarratione *Apollonii* *) versus legi: τοὺς μὲν εὐξείνως μυσοὶ φιλότητι κιόντας δειδέχατο. Etsi autem multis non persuadeo, nostros Mysos ab illis ortos esse, ego tamen, etiamsi erro, libenter vos illi stirpi laudatae insero. Et tamen moveor coniecturis non levibus, ut errare me non existimem. Sed ut illa vetus Mysia cultrix fuit iustitiae, et amanter excepit hospites Argonautas, ita te oro, ut hospitem ignarum adhuc oppidi vestri, consiliis tuis regas. Meus nuntius, quem in Bauracos misi, nondum rediit. Significabo, si quid adferet ἀξιόλογον. Res Pannonicae nobis recens significatae sunt. Urbs eleganter aedificata *Lutschonia* fere tota incendio periit, et alio loco, non procul a *Buda*, praesidium hispanicum a Turcis trucidatum est. Et novae copiae Turcicae in Pannoniam missae sunt, propter quas et Viennam in metu esse audimus. Salutem opto viris doctissimis et candidissimis D. *Ciglero*, *Alesio*, et collegis tuis. Brevi ad *Ciglerum* expatiabimur *Paulus*, *Peucerus*, et ego. Bene et feliciter vale. Pridie Idus Iulii.

Phil. Melanthon.

*) Publice enarrabat Apollonium, vid. 2. Mart. h. a. Caeterum est locus in Argonauticis lib. 1. v. 1179.

---

No. 4759. 18. Iul.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 169 sq. Contuli autographon in cod. Monac. I. p. 150., cui adscripsit Baumgartnerus diem, qua literas has accepit, videl. d. 28. Iulii 1550.

*Hieronymo Bomgartnero, senatori Norib.*

S. D. Hodie accepi tuas literas, quas *Lelio Soccini* filio dedisti. Exceptus est a nobis comiter et deductus ad *Forsterum*, ubi habebit habitationem, mensam et Ebraeae linguae doctorem. Id enim studium praecipue nunc appetit. Nec deerunt ei hospitalia officia, quae nos quidem in hac Ascra, quae ut Hesiodus de sua dicit, et aestate et hyeme parum commoda est, praestare poterimus.

*Lycaonis* furores aliquantulum repressi sunt. Ideo nunc quidem induciae sunt. Et haec ora, Dei beneficio, tranquilla est. Noster est belli dissuasor vicinis stulte incitantibus eum. Mitto tibi versiculos, nihil enim habebam recentius. Bene et foeliciter vale cum tuis. Die natali filiae meae Magdalenae *).

Philippus Melanthon.

---

No. 4760. (h. t.)

## *Cph. Stathmioni.*

Epist. lib. II. p. 416. (ed. Lond. lib. II. ep. 435.).

*D. Christophoro Stathmioni*

S. D. Scis, olim ante sacrificia voce praeconis exclusos esse profanos, ἕκας, ἕκας ἔστε βέβηλοι: Ita profecto indocti, feri et legum ac disciplinae contemptores arcendi sunt, ne omnes eruditorum disputationes audiant. Scripsi antea ad te doctos et graves viros posse de quibusdam materiis colloqui, quas si audirent feri homines, tantum inde sumerent occasionem laxandi frenos disciplinae. Sed hospitem habeo *Lelium* filium *Sozinii* Iureconsulti *Bononiensis* **), gravem et doctum virum, et amantem doctrinae verae de Deo, is legere tuum scriptum cupit. Et spero hac eum lectione non abusurum esse. Ideo te oro, ut nobis per nuncium *Andream* mittas tuum librum. Ego bona fide remittam, et cavebo ne veniat in populi manus. Filium *Appiani* optima natura praeditum diligo, et cum patris, tum ipsius causa optarim me ei gratificari posse. Bene vale et rescribe.

---

No. 4761. 22. Iul.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 56. (edit. Lond. lib. II. ep. 88.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Scis apud *Esaiam* ita pingi Ecclesiam, ut si in vindemia non uberrima, passim tamen aliquot grandes uvae reperiantur, et dicat colonus esse benedictionem divinam. Ita nunc Dei beneficio, etsi magnae sunt Ecclesiae calamitates, et in nostris Ecclesiis etiam multi sunt ignavi et mali: tamen passim aliquot sunt uvae bonae et dulces, videlicet aliqui ministri Evangelii, pii, fideles, eruditi, et qui ornare Evangelium bonis moribus student. Tales iudico et hos duos *Salaterum* et *Donatum*: comperi certe eos recte didicisse summam doctrinae Ecclesiasticae, et gaudeo alicubi tales fungi ministerio, ac Deo gratias ago, quod mittat in messem suam ἐργάτας idoneos, eumque oro ut nos omnes gubernet. Mitto tibi pagellam, quae laborum nostrorum iudicium continet. Hodie audivimus *Vallensem* N. qui eruditissime in doctrina Ecclesiae et omnibus partibus Philosophiae respondit. Deus tueatur hanc doctrinam, studia et disciplinam. In hac vicinia adhuc tranquillitas est, sed *Lycaon* ille vicinos lacessit variis modis. Te rogo ut saepe scribas, praesertim cum ad vos ex *Augusta* multa scribantur. Bene vale, die 22. Iulii.

---

No. 4762. 24. Iul.

## *A. Hardenbergio.*

Epp. ad Hardenberg. ep. 42. Etiam in Peuceri tract. hist. p. 97 sq.

*D. Alberto Hardebergio.*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Non si tantum fundere lachrymarum possem, quantum voluit undarum aut hic noster Albis aut Visurgis vester isthic, exhauriri meus dolor posset, quem circumfero iam multos annos propter dissidium de re maxima, de qua scribis. Nec dubitatione crucior, cum antiquitatis sententia sit manifesta: sed dolore ingenti excrucior, quod multi tantum ex consuetudine iudicant, nec inquirunt, quid vetus Ecclesia senserit, sed notha testimonia, et sparsa mirabilibus imposturis arripiunt. In Theophylacto *Oecolampadius* vertit, quod in suo codice invenit, cum sententiam tamen nequaquam probaret. At*) in nostro codice non erant illa verba de transelementatione. Possem multa recitare de veterum dictis, quia diligenter inquisivi utriusque

---

*) Ann. 1550. alia manu adscriptus est.

**) Vid. epist. ad Baumgartn. d. d. 18. Iul.

*) Peuc. *Ac.*

partis testimonia. Quoties vidi gemitus piorum et doctorum, qui dolebant multa magna mala stabiliri confirmato nervo de illa conversione. Et nunc nostri vicini vociferantur de linea veste. De hac tanta re confirmant errores et armant Papistas. Malim de his rebus coram tecum loqui, quam per literas [1]). Te adhortor, ne animum tuum dubitatione crucies, ac libenter plura tecum disseram. De *descensu ad inferos* oravi utrosque [2]), ne in publicis concionibus certamina moverent. Retineri articulus potest, etiamsi non omnes gradus ingentium dolorum Christi intelligimus, de quibus illi disputant. Certe sic fuit apud inferos, ut victor. Credo repressam esse diabolorum potentiam singulari modo. Et mortui multi exuscitati sunt, et Christus docuit exuscitatos perspicuam doctrinam de Messia. Non est necesse plura quaeri. Scribam alias copiosius, teque oro, ut quam primum mihi significes, an hanc Epistolam acceperis.

*P. S.*

Heri allatae mihi sunt literae a *Francisco Dryandro*, qui nunc Argentorati est cum familia. Conventus Augustanus fortassis edicta parat, quae mandabunt nobis: Veteres migrate Coloni. Deum oro, ut nos regat et servet aliqua doctrinae hospitia. Bene vale et rescribe carissime frater. Prid. Iacobi 1550.

Phil. Melanthon.

---

**No. 4763.** 25. Iul.

## *Alberto Duci Pruss.*

Ex autographo edita a Fabro in epist. p. 182 sq. ep. 54.

*Alberto Duci Borussiae*

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps. De itinere Imperatoris habet haud dubie Cels. v. multorum literas. Sed mitto tamen, et manu fratris mei recens scriptam epistolam, quae continet narrationes quasdam, quas scio Celsitudinem vestram non sine gemitu lecturam esse *). Deus servet Ecclesias suas et reprimat prava consilia. Belli *Brunswicensis* initia significant magnum periculum. Recens die Iulii 19. facta est eruptio ex urbe Brunswiga, et utrinque aliqui interfecti sunt.

Initia conventus Augustani nondum scimus. Sed mihi scribitur hoc agi, ut Regi *Ferdinando* succedat in Imperio filius Imperatoris, qui nunc creatus est Mediolani Dux, et in Consessu Principum sedebit suo loco tanquam Imperii Princeps. Studia literarum apud nos dei beneficio adhuc mediocria sunt. Et proxime editus est Tomus tertius operum D. *Lutheri* continens Psalmorum germanicas enarrationes dulcissimas.

Nec dubitet Celsitudo vestra, iis quos mihi commendat, singulari studio me benevolentiam meam declarare cupere. Nam et Celsitudini vestrae debeo obedientiam et omnia officia, et diligo Prussicam nationem propter multa excellentia ingenia et ornata eruditione insigni, quae ut spero etiam posteris conservabunt honestas artes vitae utiles. *Stoii* excellens natura est et cum summa ingenii celeritate coniuncta est in eo morum integritas summa. Deus aeternus Pater domini nostri Iesu Christi servet Cels. v. incolumem et Illustrissimam Principem, et Ecclesias suas protegat. Die Iacobi 1550.

Celsitudini v.

addictus

Philippus Melanthon.

---

**No. 4764.** 25. Iul.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 619 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 761.).

---

1) *quam per lit.* addidi e Peucero. Quae sequuntur Peucerus, quippe a suo consilio aliena, praetermisit.

2) Vid. ep. d. aequinoct. verni et d. 4. Apr. 1550.

*) (*Addidit Faber*:)
Die interessanteste Stelle aus dem beiliegenden Briefe des Bruders Melanthons, Georg Schwarzerd zu Bretten, ist folgende: „und laß euch für neue Zeittung wissen, daß Röm. Kay. Mai. Freitags nach Joannis den 27. Juny übernachtet alhie in meins Stieffbruders Martin Hechels Haus zur Kronen gelegen und ist Seiner Mai. Sohn, der Prinz, samt sunst vielen Herren, auch Hertzog Hans Friderich von Sachsen, der gefangen ist, in unsers Pfarrers Haus gelegen, aber der Pfarrer vor den Spaniern mit ihme nit reden dürffen. Er ist Vieler Bedunken noch grossers Leibs dann er hievor gewesen; dann ich ihne gantz wohl besehen Er wurde vergleitet mit einem Fähnlein Hispanier, die Nacht hält man gute Wacht vor seiner Kammer, auch liegen sie auf dem Boden ober seiner Kammer, und in Summa wird wohl verwahrt.

*Clariss. viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Etsi quotidie tecum et coram et per litteras colloqui cupio, nec magis acquiesco in re humana ulla, quam in tuis praesertim et paucorum aliorum amicorum colloquiis, tamen in hac mole rerum vides ne posse quidem institui Epistolas. Prorsus enim ut dixit Aristoteles, verum est, haec negocia non esse ἐπιστολικά: scripsit meus frater de itinere Imp. per meam patriam, et de petitionibus Ducis *Wirtenbergensis*, legi et recordor magno cum dolore, epistolam tibi missurus eram, sed hodie subito misi Duci *Brussiae* *). Pastor Ecclesiae vestrae argumentum vobis recitabit.

*Socini* filius saepe nobiscum est, sed convictor est *Forsteri*, et optarim eum in Elvetiis esse, ἄλλος γὰρ πρὸς ἄλλην πόλιν τεταγμένος. Et fortassis aliquanto post, nova exilia et ipsi et nobis suscipienda erunt. Decrevi ad vos expatiari.

Toties iam retexo τὸ σύγγραμμα περὶ συνόδου, et toto corpore cohorresco, cum cogito utriusque partis mala, nec tamen, tertiam constitui velim, sed desino, non sunt enim haec epistolica, decurro ad illud in tuis versibus. Nostra tuamque fides solius orat opem. Filius Dei servet et Ecclesiam, et tuam domesticam Ecclesiam. die Iacobi.

Philip. Melanth.

---

No. 4765. (m. Iul.)

## (*De continuando Concilio.*)

Unde hoc Melanthonis iudicium hauserim, an ex libro vel ex codice quodam, nunc definire non possum, quum ea pars chartae, in qua fons, unde hoc scriptum descripseram, notatus fuerat, casu quodam abscissa perierit, nec quidquam relictum sit praeter verba: ... p. 750. Studiosissime iterum revolventi libros et codices tamen non contigit, fontem iterum invenire. Inscriptum est iudicium:

„Ein Rathschlag Philippi Melanthonis des Tridentinischen Concilii halben. 1541."

sed ex ipso argumento patet, Melanthonem haec non scripsisse anno 1541. sed potius anno 1550. Sermo est enim non de incboando sed de *continuando* concilio Tridentino. Qua de re quum statim d. 26. Iulii 1550. in initiis Conciliorum Augustanorum sermo fuerit, Mauritius autem, Dux Saxoniae Elector, ut narrat Sleidan. in Comment. p. 682 sq., fere iis, quae hic proferuntur, rationibus usus contradixerit, non dubito, hoc consilium scriptum esse a. 1550. fere hoc tempore, et quidem in usum Mauritii Pr. Electoris, et quidem ante eius iter ad comitia, mense Iulio. Cf. Epist. ad Camerar. d. 25. Iul. 1550.

Das Trientische Concilium zu continuiren ist bedenklich und nicht zu willigen aus Ursachen, wie hernach angezeigt, und daß es auch durch den Papst ausgeschrieben, wiewohl das geschehen ist auf der Kaiserlichen Majestät emsiges Anhalten. Dieweil aber schwerlich zu erhalten seyn wird, daß die Kais. Majestät so gar ein neu Concilium ausschreiben werde ohne alles Zuthun des Papsts, und wenig daran gelegen ist, ob es das Trientisch Concilium heißt oder nicht, wenn nur die Tractation und Handlung der Sachen gottseliglich geschiehet und geschlossen wird: so wollte das ein Mittel seyn, daß die Kaiserliche Majestät die Stände der Augsburgischen Confession dem Concilio, es sey dieses das zu Trient gehandelt werden soll, oder ein andres, doch in deutscher Nation zu halten allergnädigst selbst erforderte und beschriebe, und daß der Papst nicht Richter noch Präsident wäre, sondern sich dem Concilio auch unterwürfe; und daß die Artikel, darin sie allbereit de facto diese Stände ungehört und ihnen im Rücken vornehmlich determinirt haben, aufs Neue und wiederum vor die Hand genommen, mit den Unsern nothdürftiglich disputirt und gerathschlagt, und mit derselbigen Rath christlich geschlossen werde; und daß die voces decisivae und Schluß nicht allein stünden bei den Erzbischöffen und Bischöffen und Prälaten, die wider uns sind, sondern daß die Unsern, so diese Stände in das Concilium schicken werden, auch gehöret, die Sachen und Artikel mit berathschlagen, und nach göttlicher Schrift schließen helfen; und daß die Unsern zu ihnen, und nach solchem Concilio bis wieder in ihre Gewahrsam, in Kaiserlicher Maj. Schutz genommen, und mit genugsamen Geleiten versichert werden.

Und würde bedacht, da es aufs äußerste käme, und die Kais. Majestät nicht erstlich vorschlüge, [und] Mittel und Wege eröffnen wollte, wie in der Churfürsten Rath geschlossen, daß Ihre Majestät darum zu bitten sollte seyn: so sollte zum Eingang und Anfang der Handlungen von wegen unsers gnädigsten Herrn, des Churfürsten zu Sachsen etc. auf die nachbeschriebene Meinung zu votiren und zu sinnen seyn:

Der Churfürst zu Sachsen etc., unser gnädigster Herr, achte es auch dafür, daß die Zwiespalt der Religion endlich durch christliche und freundliche Vergleichung eines gemeinen, freien, christlichen Concilii

---

*) Vid. epist. antecedentem, e qua, ut ex commemoratione Laelii Socini, qui mense Iul. 1550. Vitebergam venit, intelligitur, hanc ep. non 1549., ut visum est editori, sed 1550. scriptam esse.

oder Nationalversammlung hingelegt müsse werden, inmaßen sich dann die Stände der Augsburgischen Confession vor der Zeit ihrer Confession, und in der Vorrede derselbigen, auch auf nachfolgenden Reichstagen auf ein solch Concilium berufen haben. Daß aber das Trientisch Concilium continuirt werden sollte, das wollte den Ständen der Augsburgischen Confession bedenklich seyn, aus dem, daß sie dazu nicht erfordert, und etliche fürnehmliche Artikel darin allbereit tractiret, und fürnehmlich determinirt seyn sollen ihnen im Rücken, unerfordert und ungehört; zudem, daß auch der Papst in selbigem Concilio Präsident seyn solle, der doch dießfalls ein Part, und dem Concilio unterworfen seyn müsse. Daher achte seine Churf. Gnaden die höchste Nothdurft zu seyn, daß die Kaij. Majestät durch alle Stände allerunterthänigst angesucht und gebethen werde, daß Ihre Majestät, als der römische Kaiser, und aus Kraft Ihres obliegenden Amts, allergnädigst Verfügung thun wollen, daß ein gemeines, freies, christliches Concilium in deutscher Nation gehalten würde, an einem Orte, da es Ihrer Majestät gefällig, darein alle Stände der Christenheit willigen; oder, da es nicht zu erheben wäre, daß doch aufs wenigste eine Nationalversammlung deutscher Nation nach Ihrer Majestät Willen gehalten würde, und daß Ihre Majestät die Stände der Augsburgischen Confession zu solchem Concilio oder Nationalversammlung allergnädigst auch erfordern, und Vorsehung thun wollten, daß dieselbigen auch gehöret, und mit vorschlagen und schließen helfen, und daß sie mit nothdürftigen Geleite zu und abe, auch allergnädigstem Schutz bedacht werden, und daß Ihre Majestät aus Kaiserlicher Macht ein ernstliches Einsehen thun und verfügen wollen, daß in solchem Concilio oder Nationalversammlung alle Dinge gebührlich ergehen, und die ganze Handlung, Tractation und Beschluß gottseliglich und christlich, allen Affect hintangesetzt, aus göttlicher Schrift mit nützlicher Reformation der Geistlichen und Weltlichen sowohl in Häuptern als in Gliedern, auch mit gebührlicher Abstellung unrechter Lehre und der Mißbräuche vorgenommen werde. Und ist sein Churf. Gnade des unterthänigsten Vertrauens zu Kaiserl. Majestät, die werde dieselbigen Personen und andere Stände der Augsburgischen Confession in ihrem Kaiserlichen Schutz haben, und Vorsehung thun, daß sie genugsam zu und herwieder bis in ihre Gewahrsam gesichert werden. Und nachdem auf etlichen Reichstagen nicht undienstlich geachtet, daß mittler Zeit etliche gottfürchtige, friedliebende, der heiligen Schrift gelehrte und schiedliche Männer von beiden Theilen in gleicher Anzahl zusammengeschickt sollten werden, die sich nochmals freundlich unter einander auf Maß und Form, wie die Kais. Maj. auf etlichen Reichstagen, und alle Stände für gut und rathsam angesehen, darinne gewilligt, lauts derselbigen Reichsabschied: bedenken sein Churf. Gn., nicht unrathsam zu seyn, daß nachmals ein solch Gespräch fürgenommen werde, auf Mittel und Wege, wie im XLten Jahre zu Worms fürgenommen und folgends continuirt hätte werden sollen, wie solchs alles im Reichsabschied zu Regensburg anno XLI. vermeldet wird; des Versehens, solche Unterredung sollte eine große Vorbereitung seyn, dem Zwiespalt auf künftigem Concilio oder Nationalversammlung desto richtiger abzuhelfen.

---

**No. 4766.** **3. Aug.**

## *M. Collino.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*Matthaeo Collino in Academia Pragensi*

S. D. Carissime frater. Existimo te audivisse, ad urbem optime moratam *Brunsvigam* furias Lycaonias accendisse bellum, quod videtur initium fore non brevis tragoediae. Fiunt saepe levia proelia non incruenta, et iam aliquot nobiles capti et in urbem ducti sunt. Deus servet Ecclesiam suam et domicilia piorum studiorum. Adhuc Dei beneficio in his Academiis mediocria sunt doctrinae studia, etsi vicini sycophantae contra nos spargunt assidue virulentos libellos, in quibus fingunt multa acerbitate odii profecto iniusta. Sed vetus illud est: *οὐχ' ὅσια γενεῇ κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν* *). Nos respondere oportet. Scio te ea esse gravitate et fide, praesertim cum nota sint tibi pectora nostra, ut animum tuum a nobis alienari non sinas. Mitto tibi exemplum proximae disputationis. Tuas literas expecto. Bene et feliciter vale. Die quo ad Plateas Mardonius ante annos 2040 victus est et liberata Graecia ingenti bello. 1550.

---

*) Est locus Homeri in Odyss. π'. versu 423. *οὐδ' ὁσίη, κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν.*

No. 4767. 6. Aug.

## *Ad. Cureo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Magistro Adamo Cureo, Reichstadiensi, in oppido Northusen.*

S. D. Carissime Adame. Cum oblatus esset casu tabellarius iturus in vestram urbem, dedi ei hanc epistolam ad te, ut mihi significes, an dominus *Michael* Augustam profectus sit *). Scripsissem ipsi, si certe scivissem, ei domi esse. Nam de conventu quaedam ei significarem, quae scire eum utile esset. Norimbergae opinio est, Caesarem eo accessurum esse propter bellum Saxonicum. Quaeso, si adest Dominus, petas, ut ad me scribat. Bene vale. Die pugnae Marathoniae.

Φίλιππος.

---

No. 4768. 7. Aug.

## *H. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 167 sq. Contuli autographon in cod. Monac. I. p. 148

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori Norib.*

S. D. Fortassis priusquam hic adolescens ad vos perveniet, Lipsicae literae nunciabunt istic, Comitem *Albertum Mansfeldensem* discessisse ex urbe *Parthenope*. Etsi autem nihil fere ad te scribo de vicina obsidione, quia δύσφημα narrare non libet, tamen de hac fama aliquid significandum duxi. Die Iulii 29. dum pugnant milites Parthenopei eruptione facta, cum iis qui sunt in castris, octo equites fossam, qua urbs ea parte cincta est, transsiliunt; quinque cum pergere non possent, regressi sunt. Tres evaserunt incolumes. Nondum certo scitur, qui sint, alii suspicantur Comitem *Albertum* esse, alii *Pflugium* † Boiemicum."

Si *Albertus* ex urbe discessit, omnino quaerit auxilia, et Sertoriana exempla metuenda erunt[1]). Nunquam existimavi placitum exitum fore vicinae obsidionis. Sed Deum oro, ut poenas mitiget. Hunc tibi Scholasticum *Iohannem* † *Cnawer*" filium Pastoris Ecclesiae *Lauffensis* commendo, teque oro ut orphani rationem habeatis in distributione stipendiorum. Natura modesta est, et ad literas idonea. Bene vale. Die 7. Augusti[2]).

Philippus Melanthon.

---

No. 4769. (hoc fere t.)

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Beemanni Access. historiae Anhalt. p. 115.

*Georgio Princ. Anhaltino.*

Illustrissime et Reverendissime Princeps. Quam tristes confusiones post editionem novae illius Nomothesiae sequantur in iis regionibus, ubi restituitur tyrannis impiorum sacrificulorum inde aestimet, quod in Salinis Suevicis vi cogunt aliquos, qui ante annos aliquot rite baptizati sunt, ut rursus baptizentur; Tanti furores sunt hypocritarum, Quare magis commodum est, ne in Ecclesiis nostris rursus suam tyrannidem exerceant. Possem et alia scribere similia quae sunt certa, sed nec Celsit. V. talia legere, nec ego scribere ea sine magno dolore possum. Dux *Henricus* Brunsvicensis graviter irritat civitatem *Brunsvick*. De vestra responsione multa cogitavi, et breviter accipiam nuntium ex quadam civitate *), quae pene simili modo respondit, ut C. V. scribit, unde sciam an Imperatori ea responsio satisfecerit. Fortassis et haec additio non esset absurda. Bene ac feliciter valeat C. V.

---

No. 4770. 9. Aug. (h. a.?)

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 572.

*Michaëli Meienburgio, Consuli North.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Spero, *Matthiae***) hanc ad nos expatiationem hoc

---

*) Initium conventus fuit d. 26. Iulii 1550. Meienburgius eo non profectus est.

1) Spanh. mendose: *sunt*.

2) Alia manus adscripsit: ann. 1550.

*) Verosimiliter Nordhusa.

**) Matthiae Lutheri, Syndici Nordhus.

tempore eo minus insuavem fuisse: quia eodem tempore nobiscum fuit D. *Ioachimus Camerarius*, cuius colloquia spero, Matthiae voluptati fuisse. De publicis negotiis etsi multa audio: tamen non libet scribere, quia vos certiora auditis. Et ego hanc consolationem et vere sacram Ancoram praecipue cogito: Filius Dei custos est Ecclesiae suae, et hactenus nos mirabiliter protexit. Hunc oro, ut deinceps nos gubernet et protegat. Oro etiam eum, ut vos et vestros servet incolumes, gubernet et protegat. Spero, nos Lipsiae collocuturos esse. Bene et feliciter valete. Die 9. Aug.

Philippus.

---

No. 4771. 12. Aug.

## *Hedioni et Marbachio.*

Edita in *Io. Fecht* histor. eccl. sec. XVI. p. 4. (descr. *Lunzius*).

*Reverendis viris, eruditione et virtute praestantibus, D. Doctori Casparo Hedioni et D. Iohanni Marbachio, Ecclesiam Agentoratensem fideliter docentibus, amicis cariss.*

S. D.

Reverendi viri et amici charissimi. Dei beneficio adhuc studia doctrinae mediocriter in his vicinis Academiis florent, et in Ecclesiis vox doctrinae est eadem, quae fuit ante bellum. *Ate Illyrica* nobis molesta est, cui tamen iam respondebo de trunco *), ut ipse nominat. Dux Brunsvicensis *Henricus* etiam nunc castra urbi *Brunsvigae* admovit, et facta sunt aliquot parva praelia, in quibus utrinque aliqui interfecti sunt. *Iacobum Gloccerum*, civem vestrum vobis commendo. Praeclare autem eruditus est et in Philosophia, et in doctrina Ecclesiae, et mores sunt modestissimi. *Sigismundus Kinsingerus* iam in *Salinis* in hac vicinia, in schola habet honestum locum. Bene et feliciter valete. Die 12. Augusti.

*Francisco Dryandro* **) salutem opto, quem propter ipsius integritatem, prudentiam et eruditionem non dubito vos vestro iudicio multo ante complexos esse. Mitto vobis pagellas, quae utcunque studiorum indicia continent. Iterum valete. Salutem opto et D. *Iohanni Sturmio.*

*) Vid. quae diximus ad epistolam ad Georgium Anhalt. datam d. 2. Iul. h. a.

**) Is anno 1550. versabatur Argentorati. Vid. ep. ad Hardenb. d. 24. Iulii.

---

No. 4772. (fere h. t.)

## *Iac. Bordingo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Iacobo Bordingo, doctori artis Medicinae in inclyta Academia Rostochiana.*

S. D. Clariss. et doctissime vir et mihi carissime. Dulcius mihi nihil fuisset hoc conspectu et tuo colloquio, si istuc venire licuisset. Scis enim, me delectari illo veteri versu: εἰς ὄμματ' εὔνου φωτὸς εἰςβλέπειν γλυκύ. Sed in hac publica sollicitudine diu hinc abesse non velim, cum in vicinia sit exercitus ducis *Henrici*, et multi multa moliantur. Vagantur per genus humanum calamitates non tantum propter eas causas, de quibus in philosophia disserimus, sed verius propter multos hominum furores. Oro autem filium Dei, et ut mentes multorum sanet, et leniat Ecclesiae et piis familiis, qualis et tua est, publicas et privatas poenas. Mitto carmina, quae ut boni consulas oro. B. V. D. *Arnoldo* salutem opto.

---

No. 4773. 16. Aug.

## *Cyr. Spangenbergio.*

Manlii farrag. p. 218 sq.

*Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Cyriaco Spangebergio* *), *amico suo,*

S. D. Reverendum virum, eruditione, pietate et omnibus virtutibus praestantem, patrem tuum, dominum *Ioannem Spangebergium*, et propter ipsius multa ornamenta, et quia fidelis et salutaris doctor fuit, dilexi, et veneratus sum: et amicitia nostra spero in aeternae Ecclesiae consuetudine fruemur. Etsi autem extant eius monumenta, et memoriam ipsius posteritas in Ecclesia retinebit:

*) De Spangenbergio vid. *Kindervateri* Nordhusa illustr. p. 289.

tamen gratitudinis est nostrae, talia de ipso scripta iuventuti proponere, qualia et ante de bene meritis edidimus: quorum studia, mores, labores recensuimus ut honesta exempla.

Puto te legisse epicedion et orationem de *Crucigero.* Itaque vellem isthic a D. *Mencelio* conscribi Epicedion, et a vobis narrari ei domesticam consuetudinem in studiis, precatione, et similibus exercitiis: quae si sciremus, curassem multo ante hic aliquid scribi. Publicos labores novimus: sed ego libenter et quaedam domestica exempla adspergo. Bene vale, et salutem dicito meis verbis fratri et *Mencelio.* Die 16. Augusti, Anno 1550.

---

No. 4774. 16. Aug.

## *A. Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 91.

*Reverendo Viro eruditione et virtute praestanti, D. Antonio Lauterbach, Pastori Ecclesiae Dei in Pirna, fratri suo cariss.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Filius Dei, dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, ac sedens ad dextram patris aeterni, dans dona hominibus, servet in his regionibus Ecclesias, et largiatur eis dona sua, vocem incorruptam Evangelii, spiritum sanctum et pios doctores, et hospitia mediocria. Iudico autem, et hunc diaconum tuum *) dono filii Dei tibi adiunctum esse. Nam et eruditus est, et Deum recte invocat et ornat ministerium modestia. Nostri collegii iudicio honorifico gradus ei Magisterii decretus est. Et in examine a me et caeteris eruditio eius diligenter explorata est. Scio in gradu non magnum esse momentum, sed studiis valde utile est, servare consuetudinem explorandae eruditionis. Imo et concordiae prodest, bona ingenia eandem doctrinam discere et audire iudicia docentium Deus servet te et Ecclesiam tuam domesticam et publicam. Bene vale. Die 16. Augusti.

Testimonium de gradu mittemus *Clementi.* Nunc enim subito scribi non potuit.

Phil. Melanth.

*) Clemens, commendatus Lauterbachio ab Ebero in epistola d. d. 12. April. 1549. Magister renunciatus est, d. 14. Aug. 1550., ut intelligitur ex scriptis publ. T. I. p. 518., item ex epistola Georgii Maioris ad Lauterbachium d. d. 17. Augusti anno 1550., et ex epistola Pauli Eberi ad Lauterbachium, eodem die et anno scripta, quae in eodem codice leguntur.

---

No. 4775. 20. Aug.

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stigel. ep. 45. Cod. Goth. 188. ep. 117.

*Clarissimo viro, D. Ioanni Stigelio, amico suo*, S. D.

Carmina, quae misisti ostendunt dolorem animi tui ingentem, quae quidem et ego gemens legi, cum has communes miserias mente intuerer. Nam et meos dolores auxit narratio nuncii Suevici, qui recens advenit. Is narrat, a praesidio Hispanico fieri in iis oppidis, quae tenent, omnia quotidie, quae in expugnatione urbium fiunt. Exaudi Deus gemitus, lacrymas et ploratus piorum, puerorum, virginum, matronarum et senum, qui te invocant. Et non dubito instare conversionem fatalem. Non procul a *Schmidebergk* recens conspectum est prodigium, quod valde mirati sumus. In coelo primum species montis, in quo cervus stetit; deinde sol cruentus, visus dividi in duas partes, et partes *) labi in diversa loca; postea magni exercitus inter se dimicantes. Vidit vir dignus fide, natus in familia Thuringica *Ebleben*, et alii, qui diviso sole, hanc machinam mundi ruere putabant, ac magna consternatione eo vespere ad *Grunam* processerunt. Cerva in monte Ecclesiam significat; Solis divisio Germanici imperii interitum. Sed scribam alias plura. Bene et feliciter vale, Carissime *Stigeli.* die 20. Augusti **).

*) *et partes* Danz. praetermisit.

**) In cod. Goth. 188. adscriptus est annus 1550., Danzius putavit annum 1548., sed argumentum satis docet, epist. scriptam esse 1550. Vid. narrationem de prodigio d. 19. Iun. 1550.

**No. 4776.** **21. Aug.**

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 674 sqq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 814.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Hic civis Vratislaviensis *Daniel Schelling* necessarius *Friderici Guteteri*, cuius nomen tibi non ignotum esse arbitror, voluit sibi litteras ad te dari, ut colloquendi occasio esset. Commendabit tibi adolescentes Vratislavienses *Friderici Guteteri* filios, qui in Academiam vestram hoc anno venerunt. Petet ut eorum studia interdum inspicias. Scio in hoc genere voluntatem tuam esse optimam. Nec meis litteris opus erat, sed tamen petenti morem gessi.

*Brentius* Tubingae fuit, ubi amanter de nostris Ecclesiis et iis actionibus locutus est, quas tam atroci criminatione accusant vicini [1]). *Fuchsius* de eo sermone nihil scribit, sed *Fuchsii* cognatus, quem nosti, vir optimus et valde doctus. Utinam vero non fiant maiores dissipationes. Nam si erit illa *γιγαντομαχία* quam timemus, et quam vicini accendere studio videntur, non erit aetas aurea, quam sibi promittunt. Sed filium Dei custodem sui agminis, quod simplici studio doctrinam sonat, oremus omnes, et orare tuam domesticam Ecclesiam scio, ut non sinat fieri barbaricam vastitatem in his regionibus. Nondum alibi video studia meliora. Prodigium ad *Anspachium* recens conspectum est: Supra Solem vir effundens cruorem in Solem, et in Aquilam conantem altius volare, et in virum astantem equo. Sed non terribilius est prodigio, quod recens prope *Smidbergam* [2]) vidit *Ebleben* et eius comites. In arduo monte cervum. Et e regione Solem cruentum dividi *διχότομον*, et partes labi in diversa loca, et postea exercituum dimicantium species visa est. Qui viderunt Solem dividi, adeo perterrefacti sunt, ut consternatio postea etiam conspecta sit. Putarunt enim hanc mundi machinam ruere. Sed haec ipsa prodigia, etsi sunt terribilia et non sunt *ἄσημα*, tamen minus illustria signa sunt venturarum calamitatum, quam ipsi hominum furores. Sed meminerimus consolationis a filio Dei traditae: *δεόμενοι ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι.* Caetera coram, veniam enim cum *Ebero* post paucos dies. Bene vale cum tota Ecclesia publica et domestica. XII. Cal. Sept. Phil. Melan.

1) Magdeb. Flacius.

2) Camerar. in vita Mel. de hoc prodigio loquitur ad ann. 1524. quare editor epp. ad Camer. hanc ad eundem amicum retulit; sed conspectum est illud prodigium d. 19. Aug. 1550. Vid. autogr. Mel. supra d. 19. Aug.

---

**No. 4777.** **22. Aug.**

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 191 sq. Contuli autographon in cod. Monac. I. p. 180.

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori Noriberg.*

S. D. Fuit olim consuetudo supplices *ἱκετεύοντας* sedere ad aras cum ramis oleae, interdum etiam tenentes filios eorum, a quibus opem petebant. Ita nos, quicunque Imperiorum motus erunt, sedeamus ad aras cum ramis oleae, hoc est, Evangelii voce, et aeternum Patrem per filium oremus, ut mitiget poenas. Nec dubito mitigaturum esse. Nec erunt apud ipsum irrita jura supplicum.

De *Lycaone* audio profectum esse Augustam. Etsi iam pauci utrinque ad Brunsvigam interfecti sunt, tamen diu ibi in castris exercitus esse non poterit, et iam dilabitur [1]). Certum est urbes vicinas decretum fecisse *περὶ τοῦ ἀμύνασθαι ἐχθρούς.*

Hic vester civis Nicolaus *Poltz* [2]) valet ingenio, et in Philosophia et doctrina Ecclesiae praeclare profecit, nec deserere haec studia decrevit. Et audio patrem eius tibi notum esse. Si poteris ei prodesse, quaeso ut eum commendes Senatui vestro. Praedicat Senatus beneficium cum magna gratitudine. Et res ostendit bene collocatum esse. Bene et feliciter vale. Die 22. Augusti [3]).

Philippus Melanthon.

---

**No. 4778.** **24. Aug.**

## *M. Meienburgio.*

Epp. lib. V. p. 717 sq.

1) Vid. Sleidan. p. 67. ad ann. 1550.

2) Abiit ex Academia anno 1552. Vid. testimonium ei datum d. 7. Iul. 1552.

3) Alia et serior manus adscripsit ann. 1558., sed ex errore.

*Michaëli Meienburgio, consuli North.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, oro, ut vos et totam vestram domesticam Ecclesiam et publicam protegat, et filium *Michaëlem* regat. Hortatus sum M. *Adamum*, ut hac hyeme apud vos maneat: Nollem enim cito mutari inchoatam institutionem, quae qualis sit, ex ipso M. *Adamo* audivi. Magnum Dei beneficium esse iudico, quod adolescens iam latine loqui et scribere versus et solutam orationem utcunque potest, et exercetur in Dialectica, Arithmetica et Elementis Sphaericis. Et ad haec adiungit doctrinam Ecclesiae. Meliora et utiliora tradi quae alia possunt? Optarim igitur hanc institutionem non abrumpi.

Scriptores vicini ita cumulant mendacia et calumnias, ut iam me necesse sit respondere. De exitu Conventus Augustani, et de bello Saxonico curas et solicitudines nostras Deo commendemus, sicut scriptum est: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit. Videmus, has tempestates non posse regi nostris cogitationibus, et vult Deus, ut fide ab ipso petamus, et expectemus defensionem et conservationem honestae consociationis Ecclesiae, Politiae et Oeconomiae. Bene valete. Postridie Bartholomaei.

Philippus.

---

No. 4779. 25. Aug.

## *A. Hardenbergio.*

Epp. ad Hardenberg. ep. 5.

*D. Alberto Hardebergio, Bremae.*

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Etsi et astra et prodigia *) denunciant magnos motus Saxoniae, tamen etiam ante haec tempora magnas poenas metui, propter mores. Vidi adfectus docentium et principum, vidi populi licentiam, et disciplinae dissolutionem. Nunc, ut Iohannes inquit, securis arbori impacta est. Oremus autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut pro nobis intercedat apud aeternum patrem, ut poenae leniantur, serventur reliquiae Ecclesiae, nec fiat ethnica barbaries. Expecto avide tuas literas, etsi colloqui malim, et nondum spem colloquii abieci. Nam et decreta conventus Augustani, et vicinorum *) mendacia tandem cogent me hinc discedere. Et migrabo non invitus, etsi hunc coetum doctissimorum hominum, cum quibus iam annos tringinta coniunctissimo vixi, non libenter desero, sed quo fata trahent, retrahentque, sequamur. Colant culicem isti Flaviani **) et devorant Camelum, et tales antea quoque impedierunt inquisitionem veritatis, et duxerunt vulgi licentiam. Deus adsit nobis. Bene vale. Die 25. Augusti.

Philippus Melanthon.

---

No. 4780. 28. Aug.

## *Eidem.*

Epp. ad Hardenberg. ep. 10.

*D. Alberto Hardebergio.*

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Pauca nuper [1]) scripsi non tam de quaestione [2]), in qua consideranti vera et perspicua testimonia vetustatis nulla est ambiguitas, quam de meo dolore ingenti. Vides enim, quantum nocuerit dissidium illud. Confirmatus est error, et aucta insolentia hostium veritatis. De hoc meo dolore tecum loqui mallem coram. Nec despero colloquium. Nam fortassis conventus Augustanus pariet edicta, quae nos cogent vel nova exilia quaerere, vel pati duriora. Sed haec Deo commendo. Nunc respondere nostris vicinis cogor. Nam manifesta calumnia est, quod in scripto Lipsico, ubi fit mentio obedientiae, omittunt vocabulum: Gebürlichen Gehorsam [3]), ut scriptum est in Archetypo, etsi ne tunc quidem subscriptio addita est. Talibus artificiis oppugnamur. Et dicam aliquid de Stoica necessitate et de Trunco. Quaeso ut huic tabellario aliquid des literarum. Bene et feliciter vale. Die 29. Augusti.

Philippus Melanthon.

---

*) De prodigiis vid. supra d. 19. Iun. et d. 21. Aug.

*) Flacii aliorumque Magdeburgae versantium.

**) *Flaviani?* Fuit fortasse scriptum: *Flaciani.*

1) d. 24. Iul. h. a.

2) Videlicet de sacra coena.

3) Vid. scriptum: Interim Lipsiense.

No. 4781. 28. Aug.

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stigel. ep. 57. Cod. Goth. 188. ep. 110.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ, amico carissimo*, S. D.

Cariss. *Stigeli.* Et benevolentia tua et assiduitate literarum mediocriter leniri meos dolores, sentio, tibique gratiam habeo, ac oro, ut memoriam nostrae amicitiae, in qua profecto nihil fuit fuci, nihil ὕπουλον, extingui non sinas. Non venit ad me ille *Pericles*, de quo scribis. Utinam in rebus Ecclesiae necessariis, et diligentia et δεινότης tanta fuisset. Sed saepe ardens dolore cogito veterem illam querelam, quae ait, multa homines sibi ipsis contraria facere. Versus sunt apud Athenaeum p. 24.

*εἶτ᾽ οὐ περιεργόν ἐστιν ἄνθρωπος, φυτὸν*
*ὑπεναντίωτα τοῖς τε πλείστοις χρώμενον.*

Nostrum *Davidem* [1]) tibi commendo. Scripsi nuper ad te, de prodigio in hac vicinia conspecto [2]). Etsi alia sunt signa certiora impendentium mutationum: tamen et his in coelo simulacris moveor. Vellem extare recitatum tuo carmine. Mitto tibi xeniolum, quod pro candore tuae naturae boni consulito: *χαρίτων γὰρ θύμος ἄριστος. Davidi* aliquid literarum ad nos date. Bene vale. D. Augustini [3]).

---

No. 4782. 28. Aug.

## *V. Strigelio.*

Epist. lib. III. p. 248. (ed. Lond. lib. III. ep. 161.).

*D. Victorino Strigelio (Ienae.)*

S. D. Cum *David* noster *) ad vos expatiaretur, ac ipso die quo *Augustini* memoria celebratur, iter ingrederetur, libenter ad te scripsi, et ne *David* utrique nostrum charissimus sine meis literis ad te veniret, et quia de *Augustini* curriculo cogitans, vestra etiam studia intuebar. Bibimus enim rivulos *Augustini*, vel potius ab ipso ad fontes deducimur, qui sunt puriores, quam ulla hominum scripta. Oremus autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui subinde excitat doctores salutares, ut nos quoque regat, et scandala sanet, et nostris vulneribus medeatur. *Davidis* nostri carmen tibi mitto, quia nihil aliud nunc ad manum habebam. Reverendo Viro D. *Erhardo Sneppio* Salutem opto. Bene et feliciter vale. Die Augustini.

1) Dav. Voigt.
2) Vid. ep. ad Stigel. d. 20. Aug. h. a.
3) Non, ut Danzius putavit, scripta est anno 1548. sed a. 1550.
*) Chytreus.

---

No. 4783. (in. Septb.)

## *Io. Placotomo.*

† Ex apographo in cod. Goth. 190. p. 145.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Iohanni Placotomo, Doctori artis medicae* S. D.

Scio, te in consideratione universae naturae saepe etiam de signis futurorum eventuum cogitare deque eorum varietate. Etsi enim prospici omnes casus non possunt, tamen praemoneri Deus homines voluit de multis rebus, et ut haec ipsa praemonitio testimonium sit providentiae, et ostendat, mentem esse gubernatricem, quae poenas minitetur, et ut moniti quaeramus mitigationem calamitatum. Execranda est enim Stoica amentia, quae fingit, omnes omnium furores necessario accidere, nec causas poenarum tolli, nec poenas leniri posse. Hunc perniciosum errorem saepe Deus sua voce et illustribus exemplis taxavit, ut Ionae historia docet; et filius Dei inquit: *orate ut possitis effugere ventura mala.* Utrumque igitur teneant piae mentes: nec irritas esse Dei minas, quia vere irascitur hominum sceleribus; et tamen iis, qui ad ipsum confugiunt, mitigari poenas. Sciunt autem homines docti, dissimilia signa esse: alia certo naturae ordine significat, ut infausti positus siderum; alia sunt spectacula contra naturae ordinem, ut ante biennium erupit scaturigo sanguinis ex terra in agro non procul ab oppido ditionis Hildesiae *Bokelnheim* [1]), quo prodigio quid significatum sit, iam eventus ostendit. Iam enim aliquot mensibus in ea regione vagatur Saxonicus exercitus, et magna pars oppidi Boke-

1) Vid. ep. d. 30. Aug. 1548.

heim [2]) in oppugnatione conflagravit [3]). Nec vero ulli aetati desunt exempla talium prodigiorum. Fuit autem et hoc insigne, quod in illa vicinia quoque conspectum est in coelo, cum noctu iter facerent honesti viri Brunsvicenses. Hi sedentes in curru cum forte lunam intuerentur vident circumdatam esse conspicua specie, quae nominatur Halos, et iuxta eam *παρασελήνα* [4]), ipsam vero lunam quater circumvolvi. Deinde iuxta *παρασελήνα* cernunt leonem igneum, aquilam sibi fodientem pectus. Deinde speciem Ducis Saxoniae *Iohannis Friderici*, figuram, qualis pingitur Hevae creatio ex costa Adae; deinde sedentem Deum, et blande impositos genibus tenere Adam et Hevam, ut parentes interdum infantulos collocant in genua. Postea sequitur horribilis species urbium inflammatarum, et circa has cameli; deinde figura Christi in cruce pendentis et circa eam Apostolorum coetus. Externa species omnium maxime horribilis est. Stetit vir truculentus stricto gladio minitans ictum puellae, quae ante ipsum specie supplicis et lacrymans flexis genibus petere videbatur, ne feriretur.

Talia simulacra quae causae in aëre pingant, saepe quaesitum est. Ego pleraque divinitus ostendi per bonos angelos existimo; interdum et diabolorum praestigias esse consentaneum est. Multa autem significantia ostendunt eventus, ac aliquot locis iam in coelo conspecta imago Cameli haud dubie denuntiat vastationes, quas in Germania Turcos facturos esse metuendum est. Intervallum vero aliquod significatum videtur specie creationis Evae, quae significat, mediocrem Ecclesiae statum. Postea sequentur bella Turcica, et exercebitur magna crudelitas adversus Ecclesiam Dei. Haec ita futura esse et *Hiltenius* [5]) Isenaci praedixit ante annos fere centum. Hic et pericula cogitemus et admonitiones ac consolationes divinitus traditas nobis proponamus. Adfirmat Deus, Ecclesiam non funditus interituram esse, et, quanquam fient magnae vastationes in hac tristi senecta mundi, tamen se mitigaturum esse poenas iis, qui ipsum invocant; sicut Dominus inquit: *orate, ut possitis effugere ventura mala.* Flectamus igitur pectora ad Deum et mores emendemus, ac petamus, gubernari nos et servari Ecclesiae reliquias. Hanc veram habemus arcem, in qua in tantis periculis servabimus, sicut Psal. inquit: *circumvallat angelus Domini*, id est, filius Dei timentes eum. Bene et feliciter vale. [Anno 1553.] [6])

Φ. M.

2) Ita h. l. scriptum est, non Bokelnheim.

3) Obsidebat Henricus Brunsvicensis Brunsvigam, multaque damna dabat Brunsvicensibus etiam incendiis, usque dum mense Septb. Imperator arma deponere iusserit. Vid. Sleid. p. 683.

4) παρασελήνη.

5) In cod. Goth. 190. mendose *Hiltemius*.

6) „Anno 1553." uncis inclusi, quum epistola scripta sit anno 1550. Adscripsit aliquis annum suo arbitrio.

---

No. 4784. 1. Septb.

## S. Schoerkelio.

† Ex apogr. cod. Goth. 188. epist. 28.

*Clarissimo Viro, Eruditione et virtute praestanti, D. Sigismundo Schoerkelio, Naoburgensi, amico suo carissimo,* S. D.

Doctissime Sigismunde, et amice carissime. Scio, te iam tuo iudicio complecti *Eusebium* *) propter ipsius virtutes et eruditionem. Ideo non scribo de eo prolixe. De me potius scribam. Volo inter nos amicitiam perpetuam esse, cariss. Sigismunde. Et in hoc toto cursu multorum annorum mediocrem adhibui diligentiam, ut noster coetus quam coniunctissimus esset. Nec frangar animo propter sycophantias quorundam; sunt haec usitata in vita, ἄγει δὲ ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος, ut in veteri versu dicitur. Bene et feliciter vale, et scribe nobis saepius. Calend. Septembr. A. 1550.

Philippus Melanthon.

*) Eusebium Menium.

---

No. 4785. 2. Septb.

## B. Mithobio.

Epist. lib. II. p. 346. (edit. Lond. lib. II. ep. 361.).

*D. Burcardo Mithobio*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Filius tuus Dei beneficio recte valet, et discit, et in nostris tuguriolis adhuc quidem sunt Halcyonia, quae ut sint diuturna, et prosint doctrinae studiis, faciat Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, Custos Ecclesiae suae. Sed illa belli *Saxonici*

initia ad *Brunsvigam*, et nobis et aliis gentibus formidanda esse existimo. Coniunctio *Saturni* et *Martis* in *Capricorno* ante triennium, significare genti *Saxoniae* non leves motus existimabatur. Et prodigia multa conspecta sunt. In hac vicinia etiam ante mensem, viri digni fide, viderunt in aëre speciem montis, in quo stetit cervus, et e regione sol cruentus dividi visus in duas partes, et labi partes in diversa loca videbantur, prope vero species visa est exercituum dimicantium. Solis divisio ita perterrefecit spectatores ut putarent dissolvi hanc mundi machinam *). Sed teneamus hanc consolationem, certo servaturum esse Filium Dei Ecclesiam suam, sicut inquit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, et ut servet ardentibus votis eum oremus. De Conventu *Augustano* adhuc apud nos silentium est. Bene et feliciter vale. 2. Septemb.

---

No. 4786. 3. Septb.

## Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 503. (ed. Lond. lib. II. ep. 529.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et charissime frater. Et haec mundi senecta imbecillior est, quam fuit illa aurea vel argentea aetas, quae antecessit, et Diabolus magis furit sentiens prope instare diem horrendi iudicii, in quo coram omnibus angelis et hominibus eius tetra illuvies scelerum retegetur, et totum illud agmen impiorum in aeternas poenas abiicietur. Et urgent genus humanum nunc superiorum temporum, et nostri temporis peccata. Ideo crescere calamitates non miremur, sed de causis cogitemus, et sciamus tamen Filium Dei servaturum esse reliquias Ecclesiae suae. Nunc grassatur istic *Lycaon*, aliquanto post metuo *Turcicos* exercitus in his ipsis regionibus vagaturos esse, qui etiamsi maiores vastitates facient, tamen Deus Ecclesiam suam non sinet funditus deleri. Nunc quoque *Budae* in *Pannonia*, Ecclesia puram Evangelii vocem audit magna frequentia, et habet Halcyonia. Idem fit in multis aliis *Pannoniae* urbibus. De *Saxonico* bello, quod multa prodigia, et non obscurae astrorum significationes denunciarunt, eandem retineo opinionem, quam ante annos aliquot habui: *νικήσουσιν αἱ ἀριστοκρατίαι*, etiamsi non fiet res tanta sine sanguine et sine magnis certaminibus. Oro autem Deum toto pectore, ut ipse clementer tantos motus gubernet, et poenas mitiget. Apud nos adhuc sunt Halcyonia. Sed conventus *Augustanus* pariet edicta, quae novas dissipationes efficient. *Mediolani* magni fiunt adparatus ad excipiendum *Carolum* Imperatorem cum filio. Et aiunt hoc iam acturum esse Imperatorem, ut filium creet *Mediolani* Ducem, et *Mediolani* ducatus, et regnum *Neapolitanum* det iusiurandum filio, se praesente *). Nec opinor eum pluris facere bellum *Saxonicum*, quam haec sua negotia. De Republica nihil habebam, praeter hoc *ἀξιόλογον*. Nunc cogor refutare calumnias, quas vicini nostri spargunt, profecto iniuste, mutilatis etiam historiis, quas edunt. Mitto tibi proxime recitatam orationem. Socero tuo et vestris Ecclesiis domesticis et publicis rebus salutem opto. Bene et feliciter vale. Die 3. Septembris.

---

No. 4787. 4. Septb.

## Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*Ioanni Aurifabro, (in Academia Rostochiana.)*

S. D. Etsi literas iam a te expectabam et de tuis rebus et de voluntate erga nos tua, tamen huic auditori nostro hanc dedi epistolam, ut te meo exemplo ad scribendum invitarem. Cum tot annos familiaritas tibi mecum fuerit, et me in deliberationibus publicis et privatis sermonibus toties audiveris de rebus non parvis loquentem, spero, te pectus meum introspexisse, et sensum animi mei erga amicos et erga Rempublicam cognovisse. Te certe et propter tuam virtutem dilexi et propter publicam utilitatem; quare te oro, ne animum tuum a nobis abalienari sinas. Falsissimis calumniis oppugnamur, ut ostendam; sed scio haec mala in vita hominum usitata esse. Oro autem Deum, ut Ecclesiam suam servet, et docentium animos aeterno foedere copulet, ac faciat, ut in ipso unum simus. De republica nihil novi habe-

*) Versabatur Philippus, Caroli filius, cum patre in Comitiis August., ex quibus mense Maio 1551. discedens per Italiam rediit in Hispaniam.

bamus. Nam et conventus Augustani deliberationes tantum inchoatae sunt, estque πρότασις satis minaciter instituta. Deus det καταστροφὴν mitiorem. Heri audivimus, patrem *Granvelum* certo mortuum esse Augustae *), quod narrabis D. *Arnoldo Burenio.* Filii consilia posthac erunt θερμότερα. Bene vale et rescribe. D. *Arnoldo* et *Henrico* et caeteris amicis salutem dicito. D. *Staphylo* literas mitto, cui tuas etiam missurus sum, si nobis epistolas ad eum scriptas miseris. 4. Septembris.

Phil. Mel.

---

No. 4788. (4. Septb.)

## F. Staphylo.

† Ex collect. Ballenst. Vol. I. p. 186., cui hanc epist. ex autographo Melanth. descripsit *Schelhornius.*

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Friderico Staphylo, fratri suo cariss.*

S. D. Tuo adfini, *Iohanni Aurifabro,* misi tuam epistolam, et ab ipso iam expecto vicissim literas [1]). De conventu Augustano nihil adhuc nisi initia habemus. Et heri intelleximus certo *Granvelum* patrem mortuum esse. Sapientes deplorant eius interitum eo, quod metuunt, filii consilia fore θερμότερα [2]).

De *Lycaoniis* castris existimo omnia ad vos scribi, quae ibi fiunt. Capti sunt aliquot nobiles equites, quorum magna fuit auctoritas, Comes *de Ritperg*, *Scholleberg*, et Magister Equitum *Lycaonis*, qui ex vulnere, cum in urbem ductus esset, mortuus est. Postea rursus pugnatum est, et cives circiter triginta interfecti sunt. Haec initia quale bellum paritura sint ratiocinari potes. Oremus filium Dei, ut nobis adsit et servet Ecclesiae reliquias. Bene vale, et da veniam brevitati.

Philippus.

---

*) Obiit diem sub exitum mensis Augusti 1550. Vid. Sleidan. p. 683.

1) Vid. ep. ad Aurifabrum d. 4. Septb. h. a.

2) Sleidanus in Comment. p. 683.: „Sub exitum Augusti mensis, Granvellanus, qui Vesontione, Sequanorum oppido, nuper venerat Augustam (ad comitia), e vita decedit. — In ipsius locum atque functionem successit *Antonius* filius, episcopus Atrebatensis, etc."



No. 4789. 7. Septb.

## Georgio Princ. Anhaltino.

Epist. lib. II. p. 236. (ed. Lond. lib. II. ep. 238.). Repetita in Mel. Consil. lat. II. p. 120., ubi ex errore Pezelii relata est ad ann. 1549.

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Meminit C. V. proximae concionis de saucio, qui ex urbe *Hierosolyma* iter fecit ad *Ierichuntem.* Talis semper est Ecclesia misera et lacerata. Et oremus ut veniat *Samaritanus,* quem ibi vidit stantem in scala *Iacob*, et sanet nos saucios. Refutare me *Flacii* mendacia necesse est. Nunquam dixi, nunquam scripsi, nunquam cogitavi, quod ait me dicere ἀκριβολογίαν καὶ λεπτολογίαν esse, hanc propositionem, *Sola fide iustificamur.* Meis scriptis haec propositio declarata est, et de exclusiva accurate semper locutus sum, et quidem diligentius quam alii. Quod C. V. scribit multos moveri illorum calumniis, usitatum est delectari multos mendaciis, praesertim cum homines profani plurimi sint, qui non veritatem, sed licentiam confirmari volunt. Ego exilia aut mortem facilius feram, quam haec viperarum venena, quae tamen potero, si ero alibi, et si vivam, depellere. Fuit mea voluntas, fovere harum Ecclesiarum statum, et adhuc oro Deum, ut me iuvet. Sed feram quicquid accidet. Bene et feliciter valeat C. V. Die 7. Septemb.

---

No. 4790. (eod. die.)

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 59. (ed. Lond. lib. II. ep. 42.). Repetita in Mel. Consil. lat. P. II. p. 119.

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Scio te virum prudentem medioriter introspicere pectora et sensus eorum, quibus cum diuturna consuetudo est. Itaque spero, te etiam meam voluntatem considerasse, nec moveri Sycophanticis scriptis *Illyrici*, qui manifesta mendacia fingit. Nunquam dixi, nunquam scripsi, nunquam cogitavi, quod ait me dixisse, ἀχυρολογίαν aut λεπτολογίαν esse hanc formam loquendi, *Sola fide iustificamur,* Imo aliquanto plura de *Exclusivae* intel-

lectu dixi et scripsi, quam multi alii. Nec sine labore imaginationem multorum emendavi, qui particulam *Sola* non recte interpretabantur; sed respondebo illis virulentis criminationibus, ac Deum oro, ut foveat Ecclesias in his regionibus et propaget. Certe fideliter laboramus in propagatione doctrinae Evangelii et artium, quae Ecclesiae utiles sunt, ut editiones ostendunt. Hodie Propositiones scribo, de quibus disputabit, vir *Prutenus* nobilis, qui erit Theologiae Doctor *); mittam et alias lucubrationes post paucos dies. Bene vale.

---

No. 4791. 11. Sept.

## *Iacobo Sacensi.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1].

*Reverendo viro, doctrina et pietate praestanti, D. Iacobo, Decano Ecclesiae Sacensis, amico suo colendo.*

S. D. Reverende vir, Spero te tuo iudicio et fidei tuae robore execrari articulos Pragae propositos, cum manifesta idola stabiliri praecipiant. Nam multi articuli nulla prorsus disputatione indigent, ut de invocatione mortuorum, de adoratione panis in circumgestatione, de applicatione missae pro vivis et mortuis. Non obscura est mediocriter institutis, quid rebus tantis sentiendum et faciendum sit. Nolim propter leves causas fieri disputationes et deseri Ecclesias. Sed illi manifesti errores nullo modo recipi possunt. Meminerimus igitur oraculi divini: *fugite idola*, et oremus filium Dei, ut ipse opem ferat Ecclesiae suae cum crescunt pericula. Mitto tibi pagellas in quibus est Psalmus: quam dilecta tabernacula etc., redditus versibus dulcissimis **). Hoc munus pro tuo Xenio missum boni consulito. Atque utinam talibus officiis diu certare possimus. Sed scimus, Ecclesiam non solum humanis praesidiis servari, sed a filio Dei magnis certaminibus defendi, cui nos commendemus. Bene et feliciter vale. Die solstitii aestivi 1550.

P. M.

---

*) Georgius Venetus, Prutenus, renunciatus Doctor Theol. d. 2. Oct. 1550. Vid. scripta publ. I. p. 322.

**) Vid. Melanthonis epigramm. p. 25. Sed secundum ep. ad Cureum d. 9. Iul. Io. Stigelii est poëma.

No. 4792. 15. Sept.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 239. (ed. Lond. lib. II. ep. 236.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Vetus dictum est *Periclis*, qui multas difficultates vicit contando, *Tempus est sapientissimus consiliarius.* Paulo post *Saxonici* motus parva sophismata *Sidonii* duriter refutabunt. Etsi enim semper optavi et adhuc opto pacem, nobis omnibus necessariam: tamen videt C. V. quanta sint animorum incendia. Et semel mota *Saxonia*, non cito sedari poterit. De quaestione C. V. respondi in pagina, quam huic epistolae inclusi. De Saxonicis apparatibus habemus narrationes verisimiles. Maius periculum est, quam aulae aestimant. Sed oro Filium Dei, ut ipse nos gubernet et protegat pro suo immenso amore erga genus humanum, quem declaravit assumpta natura nostra, et facta deprecatione pro nobis, et derivata in se horribili poena. Te Fili Dei Domine Iesu Christe Emmanuel crucifixe pro nobis et resuscitate, toto pectore oro, ne sinas nos perire, sed tua potenti dextra nos sustentes, et Spiritu tuo sancto nos regas. Bene et feliciter valeat C. V. Die 15. Septemb.

---

No. 4793. d. aequin.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 635 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 776.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario amico et fratri suo carissimo,*

S. D. Iustissima est querela tua de cupiditate rixandi, non disputandi, quae hoc tempore νόσος est ἐπιδήμιος. Sed scis suos esse temporum singulorum morbos, ἤ χρὴ τραγῳδεῖν πάντας ἤ μελαγχολᾶν, dicebatur olim. Nunc fit utrumque simul. His dieb. ex Hamburga et Berlino accepi tragica scripta, ut coram narrabo, cum quidem et duo [1]) *Cyclopis* filii Ἰλλυρικὸς καὶ γαλάτης satis nos alioqui exerceant.

---

1) Illyricus et Gallus. C. W.

Me retinuerunt hactenus negocia scholastica, et nunc *Venetus Prutenus* revocatus in patriam testimonium publicum studiorum [2]) eo afferre decrevit. Ad mercatum igitur cum *Paulo* veniam. De congressu Iovis et Martis observationes vestras cognoscere cupimus. Bene et feliciter vale cum Ecclesia tua domestica. die aequinoctii [3]), An. M. D. L.

Philippus Melanth.

---

No. 4794. 21. Sept.

## *Io. Mollero.*

Epist. lib II. p. 505. (edit. Lond. lib. II. ep. 531.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Historiae vicinorum tumultuum tibi non sunt ignotae. Ideo de eis nihil scribo, sed doleo non curare civitates illam *Adrasti* admonitionem, *ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν, πόλις καὶ πρὸς πόλιν.* Sed fatales sunt tales distractiones et desertiones, cum poenae impendent, quas ut Deus mitiget, toto eum pectore oro. Nec vero dubito servaturum esse reliquias Ecclesiae suae etiam in his regionibus. Hac spe magis laeteris tibi filiolum natum esse. Gaudeo et patris tui causa, et soceri, et tua causa, et illos et te videre et amplecti filium ex te natum, et in fronte et genis paterna *στοργῇ* basiola figentes, cogitare de *στοργῇ* in Deo erga nos. Commendo tibi *Ioachimum Nicium*, qui modeste apud nos vixit, et aliquoties mihi sua scripta exhibuit. Editur hic enarratio brevis in Ecclesiasten *), qui omnibus, in gubernatione praesertim, familiarissime notus esse debet, quem decrevi tibi dedicare. Bene vale. Die Matthaei.

---

No. 4795. 21. Sept.

## *Ioanni Georgio C. M.*

Ex autographo Melanth. Halensi, primum a *Niemeyero*, nunc denuo edita.

Dem Wohlgebornen Edlen Graven und Herrn, Herrn Hansgeorgen [*Ioanni Georgio*] Graven zu Mansfeldt und Herrn zu Helderung etc. meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Wohlgeborner, Edler, Gnädiger Graf und Herr. E. Gnaden bitt ich, meine unterthänige Schrift gnädiglich anzunehmen; denn wiewohl ich ungefragt nicht gern jemand zu Diensten anzeige, so kann ich doch von wegen besonderer Geschicklichkeit dieses jungen Mannes von Ascherssleben, *Thomae Bussiani*, bewogen, an Ew. Gnaden unterthäniglich zu schreiben, der um den secundum locum in der Schule zu Eißleben demüthiglich bittet. Derhalben bericht ich E. G. mit Wahrheit, daß gedachter Thomas in beiden Sprachen, Latina und Graeca sehr wohl gelahrt ist, und zu schreiben in beiden Sprachen Prosa und Verse wohl geschickt, und haben seine Schriften eine recht gute Art, darum er der Jugend sehr nützlich dienen kann. Dazu ist er gottfürchtig, züchtig, sittig und friedliebend. Ich wollte ihm auch, besonders ungefragt, an E. G. nicht Schrift geben, so ich ihn nicht für sehr tüchtig achtete. Zu diesem ist er auch ein geübter Musicus. Derhalben bitt ich E. G. in Unterthänigkeit, E. G. wollten ihr diesen *Thomam* gnädiglich lassen befohlen seyn, und ihm denselbigen secundum locum in der Schule gnädiglich befehlen lassen; denn durch Gottes Gnade zu hoffen, daß er werde der Schule eine Zier seyn, und der Jugend nützlich. Der allmächtige Gott wolle E. G. allezeit gnädiglich regieren und bewahren. Datum Witteberg am Tag Matthäi 1550.

E. G.
unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

---

No. 4796. 21. Sept.

## *Senatui Altenburg.*

† Ex autographo in tabulario Senatus Altenburgensis mihi descripta a S. V. *Hesekiel.*

Den Erbarn weisen und fürnehmen Herrn Bürgermeistern und Rath zu Aldenburg, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jhesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zu-

2) Datum hoc est Georgio Veneto d. 2. Octb. 1550. Vid. Mel. Quaestion. academ. edit. ab Ebero p. 100. et scripta publ. T. I. p. 322.
3) Videl. autumnalis.
*) Vid. infra d. 1. Octb. et d. 14. Nov. h. a.

vor. Erbare, weise, fürnehme, günstige Herrn. Ew. Erbarkeit bitt ich diese meine Schrift gutwilliglich anzunehmen, belangend einen armen Waisen von Aldenburg Nicolaum Cratz, der ohne Zweifel etlichen Herrn im Rath bekannt ist. Nu ist gedachter Knab durch Gottes Gnad mit natürlichen Gaben Ingenii und zu reden sehr wohl geziert, und ist in Grammatica, Arithmetica, Musica wohl geübet, und studirt fleißig in löblichen Künste und christlicher Lahr, daß zu hoffen, er werde durch Gottes Gnad in Ewr Schul oder Kirchen, oder wo ihn Gott hin berufen wird, nützlich dienen. Dieweil er denn ein armer Waise ist, hat er seine Zuflucht erstlich zu Gott, der sich nennet der Waisen Vater, darnach zu Ewr Erbarkeit, denn Gott den Regenten die Waisen befohlen. Darumb bitt ich neben ihm, E. Erbarkeit wollen ihm umb Gottes willen, und in Betrachtung seiner Armuth und seiner guten Geschicklichkeit zum Studio Hülf thun mit einem Stipendio, das jetzund ledig wird. Ich will auch selb, so bald ich Gelegenheit sehe, den Knaben etwa zu Diensthülfe fordern. Dweil er noch jung ist und zum Studio wohl geschickt, ist ihm sehr nützlich, daß er noch bei der Universität so lang möglich ist, verharre. Ewr Erbarkeit wolle sich Gott zu Lobe gutwilliglich hierin erzeigen, das wird Gott ohne Zweifel mit Frieden und andern Gaben gnädiglich belohnen. Dat. Witeberg am Tag Matthäi Anno 1550.

Ewr Erbarkeit
williger
Philippus Melanthon.

---

No. 4797. 21. Sept. (h. a.?)

## *Io. Weinlaubio.*

Edita in S. V. Wegscheideri Programm. II. p. 4.

*Clarissimo viro, doctrina, virtute et fide praestanti, Domino Iohanni Weinlaw, Cancellario Illustrissimi Principis Electoris Marchionis etc. optime merenti de republ., patrono suo.*

S. D. Clarissime domine Cancellarie. Semper vos propter ingenii praestantiam et virtutem dilexi, multumque accessit ad meum erga vos amorem in proximo nostro congressu, in quo iudico vos bene meritos esse de amico nostro *Francisco*, et profiteor, me vobis gratiam debere. Nunc vobis commendo hunc Brandenburgensem, Magistrum *Martinum*, generum *Laurentii Gesneri*, qui in nostro oppido habitat*). Petivit a me literas hic Magister *Martinus* tantum, ut aditum ad vos haberet faciliorem, ut causam suam vobis exponere posset. Scio, vos honestis et literatis non deesse. Ideo quaeso, ut hunc, quantum iuste fieri potest, autoritate et consilio vestro iuvetis. Ego eum hortatus sum, ut consilio vestro obtemperet. Bene et feliciter vale. Die 21. Septembris.

Philippus Melanthon.

---

No. 4798. 29. Sept.

## *Ad. Cureo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

*Magistro Adamo Cureo Reichstadiensi, in oppido Northusen.*

S. D. Carissime Adame. Scis omnes naturae partes sua quadam lege coagmentatas et coniunctas esse, ita, ut mutua ope serventur. Quare dixit Aristoteles: τῷ ἀντιποιεῖν ἀνάλογον σώζεται ἡ πόλις. Sint igitur et inter nos mutua officia. Delector tua in scribendo assiduitate, et respondebo quoties erit occasio. Salutem opto amicis vestris, qui Ecclesias docent, quibus dicito etiam in ipsa Buda[1]) Hungariae frequentem Ecclesiam esse, quae recte instituta est. In Gallia, Italia, Anglia, Hungaria, Polonia, Dania tranquillitas est. In Belgico et in hac ora Saxoniae tumultus sunt[2]). Domina *Maria* soror imperatoris ad fratrem profecta est, ut impetret belgici edicti mitigationem[3]). Pagellam tibi mitto, brevi missu-

---

*) Magister Martinus Simon, natus in urbe Brandenburg. Ex Scriptis publicis Acad. Witeb. intelligitur, illum fuisse anno 1552. Decanum Collegii Philosophorum, et ex pagella publica edita d. 8. Maii 1559. (Script. p. IV.) cognoscimus coniugem „Magistri Martini Simonis, honestam matronam Elisabetham, filiam honesti civis Laurentii Gesneri in octavo partu heri (d. 7. Maii 1559.) extinctam esse." Non igitur anno 1559., ut S. V. Wegscheidero visum est, scripta est haec epistola, sed fere anno 1549. vel 1550. Weinlaubius diem obiit anno 1558., Gesnerus d. 16. Apr. 1553.

1) Apogr. *Beda*, mendose.

2) Devastabat anno 1550. Georgius dux Megelburgius Magdeburgicum. Vid. Sleidan. p. 684.

3) Severum edictum Caroli Imperatoris in Belgico anno 1550. promulgatum vid. apud Sleidan. p. 680., et narrationem de intercessione Mariae ibid. p. 686.

rus libellos utiles tuo auditori, quem Deus servet incolumem. Testimonium etiam tibi scribam. Magister *Erasmus* in patriam profectus est. Bene vale. Die S. Angelorum.

Philippus.

---

No. 4799. 29. Sept.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 554 sq.

*Michaëli Meienburgio, consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Filio *Christophoro* ad vos cum Praeceptore proficiscenti dedi epistolam ad vos, in qua nihil de Republica scripsi, quia viciniae historias[1]) vobis notas esse non dubitabam. Nec nunc de eis scribo, quia etsi scimus vagari in vicinia illum iuvenem Alcibiadem[2]): tamen quorum consiliis regantur res, non scio. Poenae sunt multorum peccatorum, quas ut Filius Dei mitiget, oremus: quem etiam mitigaturum esse non dubito. In Gallia, Italia, Anglia, Hungaria, Polonia, Dania, Prussia tranquillitas est. Et quiescunt Turcae, ut rursus colligant vires post cladem in Syria acceptam: Imo vox Evangelii in Hungaria late propagatur: et in ipsa Buda frequens Ecclesia est, quae incorruptam vocem Evangelii audit. Scitis, dominam *Mariam*, sororem Imperatoris ad fratrem profectam esse, ut Belgici edicti[3]) mitigationem impetret. Imperator filio Ducis *Sabaudiensis* petit, uxorem dari sororem Regis Gallici, ut Ducatus pars, quam tenet Rex Gallicus, ita haeredi restituatur. Haec peregrina audio de nobis ipsis, et de Conventu Augustano, nescio, quid scribam. Sed hac me consolatione sustento, quod scio, Deo nos curae esse: qua consolatione et animum vestrum sustentate. Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, servet vos et honestissimam coniugem vestram, et filios vestros et filiam, Amen. Datae in Festo Angelorum 1550.

De *Palatino Wolfgango* mihi scribitur, graviter eum aegrotare: et dominam *Mariam* pro *Duce Othenrico* intercessuram esse.

Philippus.

---

1) Bellum cum Magdeburgensibus.
2) Albertum Marchionem.
3) De eo vid. ep. ad Medmannum d. d. 14. Maii.

No. 4800. m. Sept.

## Senatui Hamburgensi.

Manlii farrag. p. 73 sq. Melanth. select. Epist. p. 491. Iterum Epist. lib. I. p. 373. (ed. Lond. lib. I. ep. 112.). Repetita in Mel. Consil. lat. P. II. p. 129. Apographon in cod. Monac. 90. no. VII. p. 420. — De disputatione ipsa vid. Plancks Geschichte des protest. Lehrbegriffs T. V. P. I. p. 252 sq. Caeterum conf. epistolae d. d. 27. Febr. et die aequinoctii verni, et d. 24. Iul. h. a.

*Ad Senatum inclytae urbis Hamburgi.* S. D.

Honestissimi viri, prudentia et virtute praestantes, Etsi multae aliae aerumnae nos non leviter excruciant, tamen cum Ecclesiam vestram intuemur, quae velut exemplum inter caeteras fulget, et quam valde diligimus, et veneramur, etiam hoc dolore afficimur, quod inter aliquos istic dissensio orta est[1]). Oramus igitur Filium Dei custodem Ecclesiae suae, ut nos omnes regat, et ut *Samaritanus* saucio viatori opem tulit, ita ipse quoque languidum corpus Ecclesiae suae foveat, sanet, et servet.

Intelleximus autem tria membra esse literarum vestrarum: Significari vultis, an probemus inchoatam formam procedendi in proponendis articulis. Deinde, quae sit nostra sententia de ipsa controversia. Tertio, si institutam inquisitionem aliqui defugiunt, quid contra eos statuendum sit, aut quid aliud agendum videatur.

Primum autem verissimum est, pertinere ad curam Senatus, ut Ecclesia recte doceatur, et ne dissidia serantur. Ideo quod instituta est deliberatio de restituenda[2]) concordia, Senatus pie et recte facit. Sed optaremus, non tam multos articulos propositos esse, quorum aliqui magnas et difficiles disputationes parerent, si agitarentur.

Quod deinde flagitatur nostra sententia, etsi saepe hac de re et Reverendum virum D. *Lutherum* loqui audivimus, et legimus ipsius et aliorum scripta, et in qua sententia acquiescendum sit, cogitavimus, tamen nunc mota controversia, scripsimus ad alios quoque, quorum expectamus sententias, ut collatis iudiciis inter plures, unam consentientem sententiam mitteremus, ne postea diversitas haec[3]) dissidium inflammaret, et spar-

---

1) Manl. et cod. Mon. 90. *excruciant*: *tamen auget dolorem et dissensio in vestra Ecclesia, quam valde diligimus et veneramur.*
2) *restituenda*] cod. Mon. 90. *recte tuenda.*
3) Cod. Mon. 90. *hoc.*

geret in alia loca. Et non solum quid sentiamus ostendendum est, sed etiam addenda sunt testimonia et argumenta, quod nunc subito fieri non potuit. Quam contanter autem accedat ad hunc articulum Reverendus D. *Lutherus* in enarratione *Geneseos*, *pagina T.*[4]) et in concione *Torgensi*, considerasse vos existimamus. Tantum ad victoriam Filii Dei eum accommodat, caetera significat[5]) non inquirenda esse. Vicit omnino Filius Dei[6]) dolores inferorum; sed Psalmi ostendunt dolores inferorum non restringendos esse tantum ad tempus post animae separationem. Horrendam illam consternationem, et sensum irae Dei etiam in hac vita aliqui degustant[7]), ut scitis, in qua lucta Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sed dolor ille singularis in Filio Dei, qui integre tulit, et sensit magnitudinem irae Dei adversus nostra peccata, longe maior fuit, quam unquam in ullis Sanctis. Nec magnitudo eius aut comprehendi aut sustineri ab hominibus aut Angelis posset, ut ipse ostendit sudans sanguinem, et clamans in cruce, *Deus*, *Deus meus etc.*[8])

Retineri autem oportet hunc articulum de descensu, iudicat Reverendus D. *Lutherus*, etiamsi ad victoriam tantum referatur, quo[9]) confitemur destructam esse tyrannidem Diaboli, et inferorum, hoc est, liberatos omnes, qui credunt in Christum, a potentia Diaboli et inferis, iuxta hoc dictum, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Et hanc victoriam certo modo Filius Dei diabolis ostendit, et non dubium est, Diabolos[10]) sensisse suam potentiam ab hoc victore fractam esse, et vere caput Serpentis a Semine mulieris contritum esse. Et quidem a Semine mulieris[11]), a Christo Deo et Homine, et inter signa victoriae fuit resuscitatio multorum mortuorum. Hac interpretatione ille contentus fuit, sed alias de ipsa controversia copiosius scribemus.

Nunc de tertio membro. Cum constet tantum esse dissensionem de cruciatibus animae Christi post separationem, oramus deinceps, non urgeri inquisitionem particularem ad articulos illos, nec quaeri inde occasionem alterutros eiiciendi[12]). Sed hoc damus consilium. Cum ipse Reverendus D. *Lutherus* hanc quaestionem de poenis animae Christi post separationem non duxerit movendam esse, mandetur utrique parti, ut expectent aliorum etiam iudicia, ac interea in concionibus, scholis, aut aliis publicis congressibus omittant mentionem huius quaestionis in utraque parte: Nec interea aboletur articulus, *Descendit ad inferos*, Sed retinetur, ut supra dictum est; Tantum inquisitio eius particulae omittitur de cruciatibus separatae animae apud inferos[13]), cuius partis inquisitionem nec D. *Lutherus* necessariam esse iudicavit.

Hanc nostram responsionem simplicem, et optimo studio scriptam, ut boni consulatis, vos etiam atque etiam oramus[14]). Vere autem[15]) affirmare possumus valde[16]) diligi a nobis et Ecclesiam et civitatem vestram, et ipsos doctores[17]) Ecclesiarum vestrarum, quos omnes scimus esse viros honestos, eruditos, et Deum vera pietate colentes. Nulla nobis cum quoquam simultas est, sed sincera est erga omnes benevolentia. Nec in his tantis miseriis nostris indulgere ullis affectibus privatis velimus. Quare nihil odio cuiusquam, nihil in ullius gratiam scriptum est, nec[18]) laedere quenquam nostro praeiudicio[19]), aut damnare voluimus, sed simplicissime et candidissime exposuimus, quid[20]) et vestrae Ecclesiae, et aliis Ecclesiis profuturum esse videatur: Quando etiam in nostris Ecclesiis proponitur enarratio Symboli, ut saepe fieri necesse est, in articulo de descensu ad inferos studio cavemus, ne quis praegravare quenquam apud nos videatur. 1559.[21]) [Mense Septbr. 1550.][22])

Ioh. Bugenhagen, Pastor.
Philippus Melanthon.

---

4) *pagina T.*] deest cod. Mon. 90.
5) *significat*] Manl. *dicit.*
6) Cod. Mon. 90. *omnia filius Dei et.*
7) Manl. *multi experiuntur.*
8) In Manlio et cod. Mon. 90. verba: *Sed doloretc.*, non leguntur.
9) Cod. Mon. 90. *quia.*
10) Cod. Mon. 90. *diabolum.*
11) *a semine mulieris*] deest cod. Mon. 90.
12) Cod. Mon. 90. *reiiciendi.*
13) *de cruc. — inferos*] cod. Mon. 90. *de tempore cruciatum.*
14) Cod. Mon. 90. *rogamus.*
15) Cod. Mon. 90. *enim.*
16) Cod. Mon. 90. *vere.*
17) *doctores*] cod. Mon. 90. *pastores.*
18) *nec*] cod. Mon. 90. *neminem.*
19) *quenquam nostro praeiudicio*] desunt cod. Mon. 90.
20) Cod. Mon. 90. *quod.*
21) *Quando etiam — 1559.*] desunt cod. Mon. 90.
22) Manl. *Mense Septb.* 1550. Sic recte.

No. 4801. 1. Oct.

## *Ioach. Mollero.*

Epist. nuncupatoria, praemissa libro: Enarratio brevis concionum libri Salomonis, cui titulus est Ecclesiastes, auctore Phil. Melanth. Vitebergae. Excudebat Ioseph. Klug. Anno 1550. 8. — Etiam in Opp. Melanth. Witeberg. T. II. p. 935. — Descripsit eam Lunzius ex prima editione anni 1550. Recusus est hic libellus an. 1551., ubi haec epistola non mutata fuit. Vid. Mel. epist. ad Mollerum d. d. 6. Aug. 1551. — Denuo editus est Witeb. 1557., quae editio recusa est in Opp. Melanth. Witeberg.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioachimo Moller Hamburgensi, Doctori Iuris, Philippus Melanthon* S. D.

Multi omnibus temporibus, intuentes tristissimas humani generis confusiones, ruinas regnorum, promiscuos interitus hominum sceleratorum et[1]) aliorum, quorum mores fuerunt modesti et inculpati, dubitarunt, an providentia divina regantur res humanae, an vero sine consilio, vel physicis motibus, vel temere et coeca vertigine et casu omnia volvantur.

Adversus hanc dubitationem etsi Deus multa testimonia in ipsa natura opposuit, ipsam mundi figuram, vices motuum coelestium et temporum, mirandam fabricationem naturae humanae, et in mentibus hominum numeros, cognitionem ordinis, immotum discrimen honestorum et turpium, conscientiae dolores, terrae foecunditatem, conservationem singularum specierum, poenas atrocium scelerum: tamen et prodiens ex arcana sede allocutus est universum genus humanum, ac de salute hominum et de venturo iudicio concionatus est, in quo universale et aeternum discrimen inter bonos et malos efficiet, ac ut scires[2]) has conciones veras esse, resuscitatione mortuorum et aliis mirandis operibus ostendit, eas Dei decretum esse.

Etsi autem in genere humano pauci eis adsentiuntur, tamen semper fuit, est et erit aliqua Dei Ecclesia, alias magis, alias minus frequens, quae firma adsensione divinam vocem amplectitur. Haec celebrat et invocat verum Deum, et causas confusionum praecipuas didicit, nec dissimilitudine fortunae movetur, ut de providentia dubitet. Et quamquam sunt in hac vita dissimilia spectacula, tamen in illud venturum iudicium semper intuens scit, esse unicam vitae normam divinitus traditam, qua regi iudicia in mente, et omnes actiones humanas oporteat. Haec dubitationi opponit et testimonia naturae impressa, et vocem a Deo traditam, et exempla resuscitationis mortuorum et similia.

[De hac tanta quaestione, an sit providentia, cum tanta sit confusio generis humani, et similes aerumnae bonorum et malorum, concionatur in hoc libro Salomon[3]).]

Quamquam autem de argumento[4]) alii aliter locuti sunt, tamen in hac sententia acquiesco et iudico, summam operis hoc modo recte distribui: totam concionem esse doctrinam, videlicet, adseverationem de providentia, et refutationem obiectionum[5]), in qua consolationes sunt et comminationes. Etsi magna est in hac vita confusio, imperia tenent homines iniusti, qui Deum contemnunt, florent opibus impii, Ecclesia recte invocans Deum horribiliter premitur, vox recte docentium et bona suadentium saepe est inutilis magna multitudo est hominum insanabilium: tamen non propterea existimes nullam esse providentiam. Sed venturum est iudicium, in quo fiet aeternum discrimen bonorum et malorum.

Sunt et consolationes intextae, in quibus ducuntur argumenta a necessario, a possibili et ab utili. Cum necesse sit Deo obedire, facias officia vocationis, quicunque erunt eventus: nec erunt prorsus irriti conatus: aderit Deus invocanti, et labores, pericula impedimenta reget, sicut Psalmus inquit: *Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.* Nec semper erit infelix eventus[6]): respondebunt aliquando boni eventus. *Sparge*, inquit, *panem velut in aquam, quia tamen rursus invenies.* Mira imago est: iubet spargere salutarem doctrinam et consilia, ac si panem in aqua spargeremus, qui

---

1) *et*] Peuc. *aut*, ex emendatione.

2) Ed. 1557. et Peuc. *sciremus.*

3) Haec verba uncinis inclusa in edit. 2. et in Opp. non leguntur, sed pro iis haec inserta sunt: „Confirmantur pii „et singulari testimonio in cordibus, quod nequaquam eis „dubium est. Nam et in sensu irae Dei agnoscunt, eum vere „irasci peccatis, et rursus, cum in consolatione eriguntur „fide, illucescit pectori flamma, agnoscunt se ex inferis re„trahi, et sentiunt initia vitae aeternae. De hoc testimonio „loquitur Paulus, inquiens: *Spiritus sanctus dat testimo„nium spiritui nostro.*"

4) *huius libri*] addit edit. 2. et Peuc.

5) *obiectionum*] excidit e textu edit. 2. et Peuc.

6) *eventus*] edit. 2. et Peuc. *labor.*

perire ibi videtur. Sed melius hic promittit[7]) Concionator. Aliqua ex parte hi tui labores Ecclesiae, patriae, posteritati profuturi sunt, etiamsi non poteris constituere statum, qualem constituit Iosue, Samuel, David, Salomon, Iosias: at[8]) servies utiliter tuo loco, sicut in misera et oppressa patria serviebant Zacharias, Simeon et alii his inferiores, quorum tamen fuit similis voluntas. Postremo cum non respondent eventus, tamen in Deo acquiescito: scias ipsi et in officiis vocationis, et deinde in eventibus obediendum esse, sicut scriptum est: *Humiliamini sub potenti manu Dei.*

Non est similis temporum fortuna: et Deus ipse praedixit maiores imperiorum et Ecclesiae dilacerationes in extrema senecta mundi futuras esse, quam fuerunt patrum et Prophetarum temporibus. Et tamen quaelibet aetas multa tristia exempla habet. Sed nunc urgemur non solum aetatis infirmitate, sed etiam mole poenarum, quae cumulatae sunt propter idola et alia scelera. Maior etiam in Diabolo rabies est, sentiente iam instare tempus extremi iudicii, in quo sibi maiores cruciatus in omnem aeternitatem certo propositos esse novit.

Addit Salomon et comminationes. Tradit regulam, atrocia scelera et in hac vita puniri. *Non est iniustis*, inquit, *evasio in praelio;* item: *Etsi differuntur poenae, tamen certo secuturae sunt. Bene erit timentibus Deum: ac nequaquam bene erit impio, nec diuturna eius vita erit, sed sicut umbra evanescit.*

Haec sunt praecipua membra in hac concione Salomonis. Iam apud sese lector reputet, quam sit utilis doctrina, quae confirmat in mente sententiam de providentia et de venturo iudicio: quae admonitionem de officiis vocationis, et consolationes de difficultatibus et eventibus proponit. Nam exordium in omni gravi deliberatione est cogitatio de providentia, et de iudicio Dei, et de auxilio divino.

Sciat autem lector et hoc, has conciones in Ecclesia Dei recitari, ubi notam esse oportet doctrinam de veri Dei invocatione et de Redemtore filio Dei. Praelucere agnitionem filii Dei et Redemtoris oportet his laboribus, de quibus haec concio loquitur: ut ipse Salomon hic universam doctrinam Ecclesiae cognosci et audiri praecipit, et cultus inutiles taxat, inquiens: *Ingrediens domum Dei, accede ut audias. Melior est obedientia, quam stultorum victimae, qui nesciunt, quantum faciant mali.* Vides gravissime praecipi, ut doctrinam in domo Dei, id est, in vera Ecclesia sonantem audiamus, quae totam fundamenti doctrinam complectitur. Nam et tunc necesse erat discerni verum Deum ab omnium gentium commenticiis numinibus, et oportebat promissiones de Redemtore notas esse, intelligi doctrinam de iustitia fidei. Nulla fuit, neque est, invocatio grata Deo, nisi mens agnoscat summum Sacerdotem, perferentem nostra vota et nostros gemitus ad aeternum Patrem.

Itaque tunc quoque Prophetae docebant agentes poenitentiam accipere remissionem peccatorum, reputari iustos, donari Spiritu Sancto, et heredes esse vitae aeternae certo fiducia Redemtoris, non propter propriam dignitatem aut legem. Fulsit autem haec notitia Redemtoris in aliis magis, in aliis minus: multi etiam, ut fit omnibus aetatibus, tantum somniarunt, homines illa disciplina legis iustos esse, et peccata tolli mactatione victimarum. Sed tamen Prophetae et multi eorum auditores custodes fuerunt verae doctrinae, et fiducia Redemtoris Deum recte invocarunt. De caeteris, qui putabant se iram Dei placare suis sacrificiis, inquit Salomon: *Nesciunt, quantum faciant mali.* In hac brevi querela Salomonis tristis vituperatio est coecitatis multorum omnibus aetatibus, qui simili errore fascinati sunt. Multi nunc quoque nesciunt, quantum faciant mali, qui idola stabiliunt in Missa et in invocatione mortuorum. Sed audire eos vocem divinam oportebat, quae taxat errores et monstrat veram invocationem.

Haec de argumento huius libri Salomonis breviter dixi: quem, quia prodest familiariter notum esse omnibus, qui discunt literas (nam profecto multas utilissimas admonitiones continet), recens in schola utcunque relegi.

Etsi autem video enarrationem nimis ieiunam esse, et[9]) edi non volebam: tamen eo minus repugnavi, quia aliqui existimabant, plures ipsum Salomonem lecturos esse, utcunque commonefactos de rerum magnitudine, quas liber continet.

---

7) Edit. 2. et Peuc. *promittit hic.*

8) *at*] edit. 2. *ac*, ex mendo.

9) *et*] excidit in edit. 2. et in Opp.

In editione vero tuum nomen addidi, quia te quoque in illa tua militia has consolationes saepe requirere animo scio, quae adfirmant, pios labores in gubernatione placere Deo, et non prorsus irritos fore, etiamsi bona consilia variis modis impediuntur. Insidiari humano generi Diabolos non dubium est, qui incitant alios, ut vi Ecclesiam delere conentur; alios, ut sophismatum praestigiis eam turbent. Ad haec mala accedunt multae difficultates aliae. Sed scimus, filium Dei, sedentem ad dextram Patris, custodem esse suae Ecclesiae. Hunc oremus, ut nos regat, et faciat nos vasa misericordiae et organa salutaria, adiuvet pios labores, et foveat moestas Ecclesias, et reprimat Diabolum, grassantem tyrannide et sophistica. Hae nostra vota scimus non esse irrita. Bene et foeliciter vale. Cal. Octobris.

---

No. 4802. 5. Oct.

## *Christiano Regi Dan.*

Schumacher's Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II. p. 32. ep. 11.

*(Christiano III., Regi Daniae.)*

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor, allerdurchleuchtister, großmächtiger, gnädigster König und Herr. E. K. M. sende ich ein kurz Verzeichniß der Zeitungen, soviel ich auf diesen 5. Octobris gehabt; wiewol ich nit zweifel, E. K. M. haben solche Zeitungen und mehr von andern, und stehen die sächsischen Land also, daß große Unruhe zu besorgen. Ich habe auch Gedanken, daß E. K. M. noch in diesen Landen Frieden machen werde. Der allmächtige Gott wolle gnädiglich alle Strafen lindern, und ihm zu Lob Kirchen und christliche Regiment erhalten. E. K. M. ist der dritte Theil der Bücher des ehrwürdigen Doctoris *Martini Lutheri*, so neulich gedruckt, zugeschrieben, darin viel Stück sind, die ganzer Christenheit, auch bei den Nachkommen nützlich seyn werden. E. K. M. danke ich auch in Unterthänigkeit von wegen der gesandten funfzig Thaler. Der allmächtig Gott wolle E. K. M. und E. K. M. Königin und junge Herrschaft und E. M. Königreich gnädiglich bewahren. Dat. Witeberg Octobris 1550.

E. K. M.

unterthäniger Diener

Philippus Melanthon.

(Pagella huic epistolae inclusa:)

### Von Brabant.

Die hispanica Inquisitio wird grausamlich fürgenommen, sind etlich Personen getödt. Frater*) *Maria* ist zu Augsburg gewesen und hat um Linderung der Edict angesucht, ist nicht lang da blieben. Was ausgericht, weiß ich noch nit.

### Vom Reichstag

wird ernstlich geboten, den Bischöfen und Äbten ihre Güter und jurisdictionen einzuräumen und will K. M., daß das Interim soll ins Werk gebracht werden.

### Von *Italia*, *Gallia* und *Hispania*.

In Italo und Gallo ist Fried; Hispania hat ein groß Armata von sechzig Galeeren wider Aphrica gesandt. Man practicirt den Heirath zwischen des Königs von Frankreich Schwester und dem Herzogen von Saphoy.

### Von Sachsen.

Von Brunswig ist Herzog Heinrich von Brunswig abgezogen. Gewarten beide Theil Kaiserlicher Handlungen. Aber hernach ist Herzog Georg von Meckelburg mit dreihundert Reutern und zweitausend Knechten in dem Stift Meideburg gezogen, hat da etlich Flecken, die die Stadt inne gehabt, geplündert, und haben die Bürger von Meideburg und das Landvolk Rettung thun wollen, sind bei funfzehnhundert Mann umkommen; da mit viel Bürger. Jetzund liegen die Knechte noch im Stift und ist die Rede, man wolle die Belägerung der Stadt fürnehmen.

Und ist Rüstung in allen Landen umher.

Man sagt auch, K. M. hab von dem Rath zu Noriberg begehrt, daß sie die Festung dem Prinzen eingeben wollen, und Geschütz.

### Von Hungarn.

In Hungarn ist Fried, ohne daß in Siebenbürgen der Münch und Peterwitz eine Unruh angefangen von wegen der tutela, und ist der Münch zum König Ferdinando gezogen; dagegen schreibt man, Peterwitz hab Hülf von den Türken.

---

*) *Frater?* — Sic Melanthon scribere non potuit; *soror* enim Caesaris Maria, quae Caesaris loco Belgium gubernabat, Augustam venit ad comitia, ut edictum in Belgio nuper datum mitigaretur. Vid. Sleidan. p. 685. Quid in autographo pro *frater* legatur, definire nolo. Fortasse *suester* (Schwester).

Vom König *Ferdinando.*

Der König *Ferdinandus* hat auch in Tyrol ein Inquisition vorgenommen, daraus viel Unruh kömet.

---

**No. 4803.** 12. Oct.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 286. (ed. Lond. lib. II. ep. 282.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Celsitudini V. mitto concionem subito scriptam et brevem, quae consolationem continet huic tempori accommodatam. Dixi de dicto, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Qua sententia certamen significatur ingens, et tamen defensio clementissime promittitur. Mitto et orationem *Georgii Maioris*, quam vellem C. V. legere, quia contra eos scripta est, qui de externo ministerio Evangelii non recte sentiunt. Addidi et alias pagellas, et quaeso ut C. V. mihi iubeat scribi, an fasciculus paginarum redditus sit, et si qua habet historica de bello *Saxonico.* Mihi non sunt nota Principum consilia, nec scire opto: sed irritare *Saxonicam* gentem periculum non parvum esse iudico. Filium Dei oro, ut mitiget poenam nobis gementibus et eum invocantibus. Bene et feliciter valeat C. V. 12. Octobris.

---

**No. 4804.** 16. Oct.

## *Alberto Duci Pr.*

Edita a Fabro in epistolis p. 184. ep. 56.)

*Alberto Duci Borussiae*

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps. Non dubito filium dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, ac vere sibi colligentem aeternam Ecclesiam protecturum esse suos coetus in quibus vox Evangelii sonat incorrupta. Sicut inquit, nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Defendet etiam hospitia piorum studiorum et principes qui hospitium Ecclesiae praebent. Harum regionum tumultus non sunt ignoti Cels. v. et praesentia recitabit vir dignus fide *Georgius Venetus*, qui etiam testis erit de genere doctrinae, quod sonant haec Ecclesiae et Academiae vicinae. Extant ab ipso, et ab aliis publice propositae disputationes, quae sunt perspicua testimonia nos eandem vocem doctrinae sonare, quam et ante bellum fideliter auditoribus proposuimus, et quam Academiae et Ecclesiae ceterae in Saxonia sonant. Utinam hic consensus Academiarum perpetuus sit. quem cum et *Georgius Venetus* amplectatur Cels. vestrae eum reverenter commendamus.

De Mathematum professore scripsi ad D. *Fridericum Staphylum.* Integer et gravis vir, et iam egressus annos triginta, in Academia nostra et apud *Rheticum* diu magna cum laude in studiis Mathematum versatus est, *Baldasar Sartorius* *) Vratislaviensis, qui Cels. v. offert in docendis illis disciplinis suam operam. Et poterit foeliciter docere. Mores etiam placebunt omnium bonorum iudiciis, Nam sua studia amat, non ingerit se aliis negociis et modestus est ac placidus. Promittit se post proximas nondinas Lipsicas in Prussiam profecturum esse, si Cels. v. volet ut in Academia Cels. v. serviat. Bene et foeliciter valeat Cels. v. die 16. Octobris 1550.

Cels. v.

addictus

Philippus Melanthon.

### Beilage.

Die Stadt Meideburg hat selb eine Schrift lassen ausgehen, wie das arme Volk vor Meideburg geschlagen sey, acht dieselbig Schrift sey numehr E. f. g. zugeschickt.

Nach der Schlacht ist Hertzog Moritz zum Kriegsvolk kommen und hat alsbald Handlung mit der Stadt vorgenommen, sind Händler gewesen Hertzog Augustus und Fürst Wolf von Anhalt.

Aber Meideburg hat sich in keine Handlung wollen einlassen, sind vielleicht die vorgeschlagene Mittel fährlich gewesen.

Jetzund 16. Octobris liget Hertzog Georg von Mekelnburg mit dem Kriegsvolk noch im Stifft Meideburg.

Ich höre noch nichts von der Belagerung; es will auch Hertzog Moritz dieser Sachen halben einen Landtag halten.

*) Er trat im Anfange des Jahres 1551. die Professur der Mathematik an und erhielt im August desselben Jahres wieder den Abschied, weil er sich mehrerer Erfahrung wegen nach Italien begeben wollte. (*Faber.*)

Daß auch Markgrave Hans und die Hertzogen zu Mekelnburg viel Reuter beysammen haben in Mekelnburg, das wissen ohne Zweifel E. f. g. vor diser Zeit.

Auf dem Reichstag haben die Churfürsten bedacht, daß man K. M. bitten soll, das Interim zu suspendiren. Aber die andern Fürsten im Fürstenrath haben gerathen, man soll die Predicanten, so dagegen predigen, aufräumen, sonst weiß ich diese Zeit nichts vom Reichstag. Etlich haben eine Rede anher gebracht, der Keiser wolle aufbrechen. Man weiß aber nicht wohin, sind aber ungewisse Reden. So er sich gegen Noriberg wendet, ist wol zu achten, daß er die sächsische Land gedenkt anzugreifen; aber das keiserlich Kriegsvolk ligt noch in Wirteberg und sonst wie vor. In Italia und Gallia ist Fried. In Africa hat der Keiser eine große Stadt gewonnen, die sie auch mit disem Namen Africa nennen, und hat der Keiser auf demselbigen Meer ein Armata von sechzig Schiffen.

Man wartet des Königs Ferdinandi jetzund in Behem, welches auch ein Anzeigung ist, daß der Reichstag nicht lang währen wird.

Der Kaiser practicirt einen Heirat des jungen Hertzogen zu Saphoy mit des Königs von Frankreich Swester *).

---

**No. 4805.** **16. Oct.**

## *I. Menio.*

† Ex autographo Melanthonis in cod. Goth. n. 384. in fol.

*) (Addidit *Faber*:)

Der Ueberbringer dieses Briefes Georg Venetus oder von Venediger, geboren auf seines Vaters Gute, Venedig genannt, im Amte Liebemühl, fing nach seiner Ankunft hier an, die Theologie zu lehren und ward im Jahr 1552. Primarius. Wegen der Osiandrischen Streitigkeiten erhielt er den Abschied und ward Professor der Theologie zu Rostock, nachher Superintendent in Camin. Im Jahre 1567. warde er wieder nach Preußen als Pomesanischer Bischof berufen und starb im bischöflichen Sitze zu Liebemühl den 3. November 1574.

Zur Geschichte der Preußischen Bisthümer kann ich hier nicht unangemerkt lassen, daß nach dem Tode des Samländischen Bischofs Georg von Polenz im Jahr 1550. der berühmte Theologe Brentius schon im Juni 1550. und im Januar 1551. wiederholentlich zur geistlichen Jurisdiction und Superintendenz des bischöflichen Amts Samland vom Herzoge berufen, und zur Präsidenz des Pomesanischen Bisthums im Jahr 1553. Doctor Bänerlein, und im Jahr 1554. D. Jacob Herbrand vocirt wurden. Sie nahmen aber den Ruf nicht an.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Iusto Menio, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Gotha, fratri suo carissimo,*

S. D. Reverende vir et carissime frater. *Paulo Ebero* et literas et pecuniam missam exhibui. Pannos exhibui *Eusebio*[1]), ut ex filiorum literis te intellecturum esse non dubito. Curae mihi erit, ut *Eusebius* habeat honestas operas. *Περὶ τοῦ ῥήματος τοῦ δικαιοῦν* manifestum est, in graeca phrasi *δικαιοῦν* tantum esse: *iustum pronunciare*, ac ubique sunt obvia exempla. Herodotus ait, *δικαιῶν Σκύθας τοῖς αὐτοῖς ἀμύνεσθαι*, iustum ducens, Scythis eadem rependere. Et Thucydides *ἐν ἴσῳ δικαιοῦσιν ἄνθρωποι ὀρεγόμενον μὴ προσηκούσης δόξης μισεῖν*, pariter dignum ducunt homines odisse appetentem iniustam gloriam etc. Sed intellectus verbi sumatur ex Ebrea phrasi, ubi iustificare saepe significat iustum pronunciare. Sed tamen, ut tu scripsisti, de deo verum est, cum dicit, Abraham iustum esse, simul efficit, ut sit iustus, verbo est efficax[2]). Et de toto beneficio intelligo dictum: *notitia servi mei iusti iustificabit multos.* Item: *in deo iustificabitur omne semen Israel.* Complectuntur haec dicta integram salutem, *χάριν καὶ δωρεὰν ἐν χάριτι.* Considerandum est etiam, ubi in Propheticis et Apostolicis dictis loquatur textus de iustitia legis, ubi de gratuita reconciliatione, de iustitia legis, id est de obedientia in renato dicitur: *Feci iudicium et iustitiam.* De gratuita reconciliatione dicitur: *imputatum est ei ad iustitiam.* Haec ab iis, qui veritatem quaerunt, nec delectantur cavillationibus facile iudicari possunt. Et res ipsa perspicua est: primum fide hoc statuendum esse in vera conversione, personam reconciliari seu iustam reputari tantum propter mediatorem, id est, propter obedientiam mediatoris, qui pro nobis intercedit et adplicat credenti beneficia; deinde cum iustificat et liberat credentem ex doloribus inferorum, certe ipse voce Evangelii simul in corde tua est efficax, et dicit consolationem monstrans voluntatem patris, et in corde accendit novos motus spiritu sancto. Haec novitas non est illa res, propter quam persona est iusta, sed est accepta seu

1) Filius Menii natu minor. Idem a Melanthone commendatur Cranmero d. 1. Maii 1548.

2) Quum controversia de Iustificatione ab Osiandro mota occasionem scribendae epistolae dedisse videatur, referendam illam putavi ad annum 1550.

placens, seu reconciliata. Et tamen suo modo dicitur iustitia, ut scis. Sed cur haec prolixe apud te disputo, qui totam hanc doctrinam maxima perspicuitate exposuisti et propugnasti, et quem scio in quotidiana invocatione haec cogitare? Scripsi autem quia de vocabulis interrogasti, et vocabulis aliquid lucis addit vera experientia. Hanc igitur intuentes facilius iudicabimus, ubi significationes congruant. Ac si quid in his ipsis disputationibus de hoc articulo et de aliis me putabis monendum esse, te oro propter filium dei, ut me libere moneas. Ducam id tuum officium maximi beneficii loco. Bene et feliciter vale. Die 16. Octobris.

Philippus.

---

No. 4806. 18. Oct.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 621 sq.

*Mich. Meienburgio, Consuli Northus.*

S. D. Iam conscensurus eram currum, ut Lipsiam ad nuptias [1]) proficiscerer una cum viro Clarissimo Dn. Doctore *Hieronymo*, ideo scribo brevius. Rediit adolescens *Iohannes Cingularius* [2]), cuius egregia est ad virtutem et literas indoles. Gaudeo, vobis notum et probatum esse, profecto dignus est, cuius studia iuventur. Cum igitur nuper audierim, vos admodum amanter de eo loqui, dedi ei literas ad vos, et oro, ut tanquam communis Patronus literarum, ac praesertim huius scholastici gregis, benevolentiam vestram erga nos etiam huic adolescenti declaretis. Bene valete. Die Lucae Evangelistae.

Philippus.

---

No. 4807. 24. Oct.

## Seb. Stibaro.

Epist. lib. II. p. 277. (ed. Lond. lib. II. ep. 277.).

*Reverendo viro, pietate et Doctrina praestanti D. Sebastiano Stibaro, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Weissenburg, amico suo colendo,*

S. D. Venerande vir, Cum post reditum ex *Babylone* convenisset multitudo ad ruinas *Ierosolymae*, nec moenibus, nec praesidiis se contra latrocinia defendere posset, Filius Dei consolatur *Zachariam*, inquiens: *Ego ero murus igneus.* Item, *Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus.* Ita nunc sciamus Filium Dei protecturum esse pias familias recte docentium. Nec frangamur dolore ac metu propter minas Monarcharum, nec propter novos tumultus novas spes somniemus, sed tantum expectemus a Filio Dei custode sui gregis, auxilium, gubernationem et defensionem, et in nostra vocatione pie serviamus. Haec malui scribere quam historiam de bello *Saxonico*, in quo nihil adhuc gestum est quod in alterutram partem magnum momentum adferat. Castra sunt adhuc vicina urbi *Meideburg.* Sed Dei beneficio apud nos adhuc tranquillitas est, et filius bene valet et recte discit. Oro Deum ut te et tuos servet ac regat. Bene et feliciter vale. Die 24. Octobris. Commendo tibi hunc adolescentem bona indole preditum et bene eruditum *Wolfgangum Weis.* Anno 1550.

---

No. 4808. 24. Oct.

## Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 214. — Hic ex autogr. in cod. Mon. I. p. 204.

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori Norib.*

S. D. Cum post reditum ex Babylone convenisset multitudo ad ruinas καὶ ἐρείπια Ierosolymae, nec aut moenibus aut praesidiis defenderetur adversus latrocinia, consolatur filius Dei Zachariam inquiens: *Ego ero murus igneus.* Item, *Non in exercitu nec in robore, sed in spiritu dicit Dominus.* Hac consolatione nunc quoque nos sustentemus. Teget Ecclesiam filius Dei sua dextra etiam in his extremae senectae mundi confusionibus. Vulgus novas spes habet, propter arces Saxonicas; centauri alias spes habent. Nos non valde moveamur utrorumque opinionibus, sed Deo nos

---

1) Estne legendum *nundinas?*

2) De eo vid. epist. d. 7. Septb. 1546., d. 25. Aug. 1549., d. 9. Feb. 1550., d. 28. Iun. 1551.

commendemus veris gemitibus, qui non sunt irriti. Haec scribere malui quam pugnas vicinorum. Nihil gestum est quod magnum momentum adferat in ullam partem. Et quocunque fiet inclinatio, tetra barbaries erit. Oro autem filium Dei ut poenas mitiget. Scripsi autem pauca etiam historica in pagella quam addidi huic Epistolae. Bene vale vir optime et mihi carissime.

Philippus Melanthon.

Mitto tibi pagellas in quibus est enarratio brevis Ecclesiastae Salomonis. Etsi nec meus nec typographi labor mihi placet, tamen spero tibi lectionem non iniucundam fore.

---

No. 4809. (24. Oct.)

## *Eidem.*

† Ex autographo Melanthonis in cod. Monac. I. p. 263. — Est folium quod caret inscriptione et subscriptione, et haud dubie inclusum fuit epistolae ad Baumgartnerum scriptae d. 24. Oct. Nam in ep. ad Camerar. d. 27. Oct. mentionem facit commendationis factae Bosonis.

*(Hieron. Baumgartnero.)*

*Geuderus* quaerit filiis praeceptorem, qui possit eos etiam in Iure civili docere. Talis est apud nos quidam Mansfeldensis, *Lutheri* familiae adfinis, *Iohannes Boso* *), qui belli tempore Noribergae fuit, natus annos circiter viginti quatuor, homo doctus, bene moratus, intelligens, et in philosophia et latina lingua et iure bene eruditus, et amans doctrinae ecclesiasticae, et eam recte intelligens. Iudico idoneum esse ad eos discipulos docendos. Quare te oro, ut *Geudero* eum commendes, et hac de re mihi respondeas.

---

No. 4810. 27. Oct.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 645 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 786.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,*

S. D. Nec scio belli Saxonici historiam, nec te velle tragoedias illas audire arbitror. Ideo totam eam commemorationem omitto, ac filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum veris gemitibus oro, ut servet coetus ipsum invocantes, nec sinat fieri Ethnicam barbariem in his regionib. Responsio *Parthenopea* de defensione libertatis, non multum dissimilis est Thebanae, in qua Alexandro responsum est, susceptam ab eis esse defensionem libertatis Graeciae, sed haec omitto.

*Paulus Vadinus*, vir optimus, valde te orat, ut huc accedas ad renunciationem publicam testimonii de ipsius studiis [1]). Idem oro et ego.

Pagellas mitto, ut videbis. In his est et genesis *Oldenburgii* Comitis, quem *Medmanus* huc secutus est. Horum sermones coram narrabo, in quibus tamen erat praecipuum *κεφάλαιον, τὸ ἔθνος ἐν αἰγιαλῷ βαλθικῷ οὐκ εἶναι σύμμαχον τοῖς ἐν καδμείᾳ* [2]).

De *Bosone* scripsi ad *Hieronymum Bamgartnerum*, ut eum *Geudero* commendet. Optarim eum et tuo testimonio ornari. Bene et feliciter vale cum Ecclesia tua domestica, quam filius Dei protegat. Sexto Cal. Novemb.

Phil. Melanth.

---

No. 4811. 27. Oct.

## *Cph. Stathmioni.*

Epist. lib. II. p. 415. (ed. Lond. lib. II. ep. 484.). — Conf. ep. ad Mollerum d. 14. Nov.

*D. Christophoro Stathmioni*

S. D. Etsi tua causa, et propter dulcissimam familiam tuam, et propter optimas artes, quas illustrare potes, optarim tibi multorum seculorum longaevitatem in hac vitae consuetudine. Et Deum conditorem generis humani oro, ut te diu servet incolumem tuis et optimarum artium studiis. Sentio enim verissimum esse dictum *Pauli* de Deo:

---

*) Vid. epist. ad Camerar. d. 27. Oct. 1550., et ep. ad Baumg. d. 2. Febr. 1551.

1) Paulus Vadmus (sic scribitur nomen in Scriptis publ. T. I. p. 880.) Salzburgensis creatus est doctor Medicinae d. 6. Nov. 1550.

2) Magdeburgi. C. W.

*ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἔσμεν.* Deinde te quoque virum eruditissimum *καὶ φιλοσοφώτατον* oro, ne contemnas diligentiam arte tuendi vires corporis, de qua *Paulus* adeo severe praecipit, ut iubeat non solum iuvari corpora, sed etiam honore adfici, quo in verbo quam multa complexus sit, iudicare ipse potes. De significationibus in Genesi optimi Principis*) tuam commemorationem libenter legimus ego et collegae nostri, ac Deum oramus ut et ipsi captivo, et captivae Ecclesiae calamitates leniat, ac saepe versum usurpo:

*Fata viam invenient, aderitque vocatus Iēsus.*

Et ante bellum de significationibus interdum cum aliis locutus sum, et initio belli revolutiones inspexi biennii, quae erant admodum infaustae. Inspiciam et huius et sequentis anni positus. Sed non tantum astris reguntur humani eventus. Moderatur universam naturam Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui certe exaudit invocantes ipsum. De aliis quaestionibus spero me brevi tecum collocuturum esse. Mitto tibi opus recens editum, tabulas ad *Copernici* doctrinam institutas, teque oro ut mihi significes an has literas et Tabulas acceperis. Die 27. Octobris.

---

No. 4812. 29. Oct.

## Cph. Pannonio.

Epist. lib. V. p. 307. sq.

*Christophoro Pannonio (doctori in Acad. Francoford.)*

S. D. Video, quanto in luctu verseris, cum propter domestica funera, tum propter Patriae calamitatem, et dolore tuo afficior ipse.. Sed tamen nolo te, mi *Christophore*, de Repub. desperare. Et cum sint futura ingentia certamina, impendet enim *μεταβολὴ τῇ Τουρκικῇ τυραννίδι*, ne cum iis quidem male agitur, qui nunc praesentibus aerumnis eripiuntur. Nos vero, qui superstites sumus, animos bona cum spe ad acerrimas dimicationes praeparemus. Exordium rerum esse iudico, quod *Carolus* Imperator**) cum classe bene instructa petit Aegyptum, ut ex Europa Turcicos exercitus retrahat. Hoc unum vidit aetas nostra heroicum facinus, quod divinitus gubernari arbitror, et initium esse inclinationis Regni Turcici. Moveor et aliis argumentis. Stat pro filiis populi sui Michaël, Dux magnus, inquit Daniel, haud dubie de his ipsis temporibus nostris. Quare non dubito, custodem illum Ecclesiae Dei pro nobis in statione esse, et repressurum barbariem Turcicam. Quicquid audiero de adparatibus, significabo tibi. Turcicus Tyrannus voluit *Ferdinando* pacem promittere his conditionibus, si toto Regno Hungaria, Moravia et Silesia cederet *Ferdinandus*, et de Austria et Boëmia solveret annuum tributum. Sed has flagitiosas conditiones repudiavit *Ferdinandus.* Bene vale, et nobiscum precare Deum, ut defendat Ecclesias suas. Die 29. Octobris. Salutem dicito D. *Casparo Widerstet*, amico et conterraneo nostro.

Philippus.

*) Oldenburgii Comitis, vid. ep. ad Camerar. d. d. 27. Oct. h. a.

**) Non ipse, sed per proregem Siciliae. Vid. Sleidan. p. 688.

---

No. 4813. m. Oct.

## A. Burenio.

Epistola nuncupat. Phil. Melanth. praemissa libro: Ethicae doctrinae elementa, et enarratio libri quinti Ethicorum. Viteb. 1550. 4. 7 pl. Iterum edita et recognita Vitebergae anno 1553. auctore Phil. Melanth. Viteb. 1554. (Ex editione posteriori praefationem descripsi.)

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Arnoldo Burenio, Philippus Melanthon.*

Extat dulcissima narratio Xenophontis in quarto libro Sermonum Socratis, in qua Hippias ex longo intervallo reversus Athenas, audiens Socratem, illas suas usitatas admonitiones in congressibus amicorum familiariter repetere, nec iam alias, aut novas, aut splendidiores orationes habere, deridet eum inquiens: Adhuc Socrates, eadem illa dicis, qui ante multos annos te dicentem audiebamus. Ego vero, inquit Socrates, de eisdem eadem. Tu fortassis, quia ingenio et sapientia antecellis, de eiisdem non dicis eadem. Respondet Hippias: Prorsus hoc ago, ut aliquid offeram novi. An de his, quae scis, inquit Socrates, ut si quis interroget, quibus litteris scribatur Socrates? aut, an bis quinque sint decem? alia nunc dicis, alia dicebas antea? Tum Hippias: De his eadem ut tu. Sed de Iusticia nunc alia dico, quibus contradicere nec tu, nec alii possint. Socrates: Magnum

bonum toti generi humano invenisti. Nam si scient Iudices hanc iusticiae doctrinam, cui contradici non possit, nunquam inter se dissentient. Ita nullae erunt civium ac civitatum discordiae, et finis erit seditionum ac bellorum. Nec aliud magis velim, quam hanc a te sapientiam discere. Hippias: At non audies, nisi prius tu quoque sententiam tuam plane, et explicate dixeris, quid statuas esse iustum. Nec tibi concedam, ut tantum interroges, et eludas dicta, et tuam sapientiam occultes. Socrates: An non satis perspicue dicere videor, quid sentiam esse iustum, cum factis ipsis ostendam? et facta sint illustriora verbis? Sentio igitur iusticiam esse praestare legibus obedientiam. Hippias: Sed quomodo iusticia est legibus obedire, cum gentium multarum leges contrariae sint? Nec vero consentaneum est, iusta inter se pugnantia esse. Socrates: Atqui sunt leges quaedam non scriptae, communes omnibus hominibus, quas Deus ipse generi humano tradidit, ut apud omnes homines primum iudicatur rectum esse colere Deum, deinde parentes honore afficere. Neque ideo talia non sunt legitima, quia multi ea non faciunt. Afficiuntur enim poenis hi, qui violant has leges.

Hactenus colloquium Hippiae et Socratis recitavi. Primum, ut vel huius viri exemplo me tuear, quod easdem materias repeto, et quidem non mutatas. Sed eadem de eisdem, vera et recta, et proprio sermonis genere dicere studeo. Nam profecto vera doctrinarum exordia proprie et eodem modo tradere adolescentiae valde prodest. Qua in re mediocre fuisse meum studium longo tempore, spero multos intelligere. Sed de me non dicam prolixius.

Altera causa est, cur statim in vestibulo hanc narrationem collocarim: volui obviam et familiarissime notam esse multis, quia ex hoc loco, et ex disputationibus Platonis in primo et secundo πολιτειῶν extruxit Aristoteles primam partitionem Iusticiae, in quinto libro Ethicorum, quae ad vocabuli explicationem valde necessaria est. Multa enim ubique priorum dicta recitat Aristoteles, et ad normas artium accommodat, interdum pugnantia in speciem distinguit, interdum dicta figurate, tanquam non congruentia ad artes, reiicit.

Animadvertit autem nomen Iusticiae alias aliter usurpari, alias complecti totum chorum virtutum, et cum dicimus, Aristiden esse iustum civem, alias significare unam quandam speciem regentem contractus, ut cum dicimus, emtorem esse iustum, id est, servantem aequalitatem, non defraudantem alios. Cum igitur longa et involuta disputatio sit apud Platonem, de his loquendi modis, et Xenophon simpliciter, tanquam definitionem constituens, non hic tantum, sed alibi quoque in iudicio Cyri: δίκαιον est νόμιμον: Aristoteles, ut modos loquendi discerneret, et suum cuique locum tribueret, primam Iustitiae partitionem instituit, haustam ex ipsis naturae fontibus. Alia inquit, est Iusticia universalis, alia particularis. Et Xenophontis, definitionem accommodat ad universalem, δίκαιον est νόμιμον.

Quid opus est, dicet aliquis, tanta exilitate disputationum? Factis potius, sicut de se inquit Socrates, communem consociationem tueamur, idque esse Iusticiam statuamus, omissis illis quaestionum labyrinthis. Etsi ille non insulse inquit: Ego argutum civem sine virtute, odi tanquam praeficam: tamen diligentia in exponendis vocabulis, et in definitionibus quaerendis necessaria est.

In Ecclesia et in Sermone divino quoties haec nomina repetuntur, Iusticia, iniusticia, peccatum? Hic nescire, quas res haec vocabula monstrent, non solum turpe, sed etiam perniciosum est. Obruitur enim doctrina de rebus maximis, de voluntate Dei, et de salute nostra.

*Malvenda* in colloquio Ratisponensi proposuerat sententiam, Dilectione homines iustos esse, quia dilectio tribuat debitum honorem Deo. Habet suum locum haec descriptio, cum de lege dicitur: δίκαιον est νόμιμον. Et Lex inquit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Sed cum in hac caligine mentes humanae plenae sint dubitationum, et corda sint viciosa, nec ardeant amore Dei, quo modo dicit *Malvenda*, homines debitum Deo reddere? Non intelligit hanc ipsam ob caussam, quia legis obedientiam haec misera natura non praestat, in voce Evangelii proponi doctrinam de remissione peccatorum, et imputatione iusticiae.

Quantum periculi est in medicando, si remediorum nomina et naturas ignoret Medicus, ita multo plus periculi est in Ecclesia, si sermo divinus non intelligatur. Nec negari potest amissa luce multorum vocabulorum, iusticiae, gratiae, fidei, secutas esse magnas in Ecclesia tenebras. Et multi nunc quoque mordicus retinent errores, quia imbuti mala consuetudine, vocabula recte et

dextre intelligere nolunt. Magna est enim Tyrannis pravae consuetudinis, et omnino verum est, quod inquit Aristoteles: *αἱ ἀκροάσεις κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσιν. ὡς γὰρ εἰώθαμεν, οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι.*

Quare fatendum est, necessariam esse diligentiam recte cognoscendi sermonem, et quidem retinendae proprietatis, qua in re quae sit adhibenda dexteritas, etiam illi ipsi melius intelligent, qui ad hoc studium assuefacti sunt. Multum autem lucis affert collatio doctrinarum, ut dici solet, *ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα.* Cum didicit quispiam ex vera Philosophia, quid homines sani et recte loquentes nominent iusticiam, facilius intelligi potest, ubi eodem modo loquatur sermo divinus, ubi aliter loquatur. Sicut Socrates inquit *δίκαιον* est *νόμιμον.* Et definitio eius iusticiae, quae est obedientia iuxta legem, recte constituta est, et sumta a norma, videlicet a noticia recti immota, quae divinitus sancita est, ut regat actiones. Ita in Epistola Iohannis dicitur, *ἁμαρτία* est *ἀνομία.* Definitio est erudite tradita. Intuetur Iohannes normam, quae regit iusticiam. Ut igitur doceat e regione, quid sit peccatum, ait, esse quiddam discrepans ab illa norma. Haec concinne dici intelligunt hi, qui haec parva artium elementa didicerunt. Aliter loquiter Paulus cum ait: Iustificati fide pacem habemus, quam cum dicimus: Aristides est iustus.

Non ego ignoro esse multos, qui velut carcerem oderunt has metas artium, et sibi licentiam sumunt fingendi opiniones, ut libet, et summum decus esse ducunt, contradicere caeteris, ac praestigiis sophismatum recte dicta labefactant. Haec audacia, ut mollissime dicam, non est utilis Ecclesiae Dei. Formam, inquit Paulus, sanorum sermonum retineto. Discernamus genera doctrinarum, nec extra metas evehamur. Hoc consilio praecipue haec Philosophica saepe in docendo repeto, ut sermonis discrimina notiora sint.

Deinde sunt et aliae utilitates huius doctrinae. In hac qualicunque gubernatione morum necesse est nosse virtutum descriptiones et partitiones. Hinc etiam saepe oratio haurienda est, cum de moribus loquimur. Utilis est et diiudicatio sectarum, si modo veritatem quaerimus, nec tantum ut ardeliones, ostentare acumen volumus in defendendis paradoxis. Prodest etiam iunioribus, assuefieri ad ordinem et ad formam explicandi, quae in his exemplis cernitur.

Hanc totam diligentiam et has admonitiones, etsi scio vituperari a quibusdam, tamen spero tibi, Arnolde, et aliis, qui recte et candide iudicant, probari, ac talium virorum iudicia potius sequenda esse statuo, quam vel indoctorum, qui literas omnes ex Ecclesia pulsas esse vellent, vel Pyrrhoniorum quorundam, qui vincula artium oderunt, et infinitam sibi licentiam concedi volunt, ludendi opinionibus, ut libet. Et utrique habent sui theatri applausus. Sed haec voluntatum et iudiciorum dissimilitudo non est huius tantum aetatis malum. Feramus igitur sapienter hos, ut Demosthenes nominat, communes civitatum morbos, et tamen iunioribus monstratores et hortatores simus, ad ea, quae sunt vera, recta, et Ecclesiae salutaria. Bene vale. Mense Octobri. Anno 1550.

---

No. 4814. (m. Oct.)

## *Io. Aepino.*

† E collect. Ballenst. Vol. I. p. 7b, qui eam descripsit e cod. Mst. Godofredi Thomasii Medici Norinberg., nunc cod Monac. 90. no. VII. p. 419b.

*Ioanni Aepino*, (*Past. Hamburg.*)

S. D. Venerande vir et amice carissime. Nunquam antea vidi utriusque partis sententias in controversia, cuius mihi paginas[1]) misisti[2]). Ideo nec pronunciavi antea, nec literas isthuc misi de hac causa ullas. Misi autem epistolam ad Senatum scriptam, in qua et dominus Pastor Doct. *Pomeranus* et ego[3]) hortatores eramus senatui, ut vel mittant aliquibus eruditis descriptam controversiam et eorum iudicia sciscitarentur, vel ab utraque parte peterent, ne de hac re in concionibus certamina moverent. Nunquam volui accendere dissidia inter vos, et nunc quoque te oro, ut huius controversiae mentionem omittas. De aliis magnis rebus graviter et erudite doceri populus potest, quarum cognitio maxime necessaria est. Tueamur inter nos concordiam et quaedam nostra vulnera tegamus, ne fiant tristiores disputationes. Nunc plura scribere non potui. Bene vale. 1550.

1) Ballenst. *partes*, ex mendo.
2) Controversia de descensu Christi ad inferos.
3) Vid. supra epist. Mel. et Pomerani mense Septb. scripta.

No. 4815. (m. Oct.)

## H. Wellero.

Epist. lib. II. p. 292. (ed. Lond. lib. II. ep. 296.).

*D. Hieronymo Wellero*

S. D. Reverende vir et amice charissime, Necesse est in docenda iuventute easdem materias saepe repeti, sicut et in *Deuteronomio* praeceptum est: ושננתם לבניך *). Significat enim verbum iterationem. Ideo iam relegi *Salomonis* libellos. Exemplum tibi mitto, quod optarim sane nitidius excusum esse, sed rerum consideratio tibi consolationem aliquam adferet. De bello nihil scribere possum. Audio multos sapientes viros utrinque de pace agere. Sed nos oremus Deum, ut servet Ecclesiam inter Imperiorum tumultus, et servaturum esse non dubium est. Bene vale et rescribito saepius. Salutem opto viris reverendis et mihi charissimis D. Pastori et caeteris collegis.

---

No. 4816. 1. Nov.

## A. Aquilae.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 a.

*Eruditione et virtute praestanti D. Adamo Aquilae, gubernanti studia doctrinae in Litmeritz, amico suo,*

S. D. Certissimum est, primae aetatis institutionem Ecclesiae Dei maxime necessariam esse et officium esse Deo gratum. Quare hoc tuo munere et laboribus docendi, quanquam despiciuntur a Centauris, delectare, et hanc tuam Spartam ornato, quam et protegit Deus, ut de coetu illo scriptum est: angeli eorum semper cernunt faciem patris. Pannonia inter classica Turcica tamen literas colit ac sonat Evangelii vocem. Heri enim accepi κατήχησιν graece editam et erudite scriptam in ipsa Pannonia. In Germania literarum studia impediuntur intestinis tumultibus. Quare cum spes sit, Bohemiam tranquillam fore diutius, vestros homines ad doctrinae studia maiore contentione excitate. Nunc castra sunt vicina urbi Parthenopae ad Albim. Sed Dei beneficio adhuc in vicinis academiis mediocria doctrinae studia sunt. Mitto tibi pagellas meo more. Bene vale. Cal. Novembr. 1550.

Philippus Melanthon.

---

No. 4817. 1. Nov.

## Io. Aurifabro.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54 a.

*Iohanni Aurifabro (in Academia Rostochiana)*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Hanc epistolam cum scriberem in ipso natali *Lutheri* recordabor eas Tragoedias magno cum dolore, quae postquam ille nobis ereptus est secutae sunt. Et nondum videmus καταστροφήν. Servabit tamen filius Dei suos aliquos coetus, et velut halcyonibus inter saevissimos fluctus dabit nidulos aliquos. Te valde oro, ut mihi saepius scribas.

Nunc autem tibi commendo hunc *Martinum* Gandavensem, qui diu pius (?) fuit familiae Lutheri. Vir doctus et integer est, et academiae usui et ornamento esse poterit. *Arnoldo* et *Henrico* salutem dicis meis verbis. Scribam plura ubi et vestras literas accepero. De obsidione Parthenopes praeter initia nihil habemus. Fatales poenae sunt, quas ut filius Dei mitiget, toto pectore oro. Bene et feliciter vale. Die Novembris 10., 1550.

Phil. Mel.

---

No. 4818. 14. Nov.

## Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 506. (ed. Lond. lib. II. ep. 592.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et amice charissime. Et prodigia multa, et diri positus astrorum denunciarunt his regionibus hoc toto biennio magnos motus, quos ut Deus propter Filium leniat Ecclesiae, toto eum pectore oro. Belli moles transferetur in haec loca nobis propiora. Tantisper autem dum colloqui possumus, quaeso ut ad me scribas. Me

*) Vid. Deut. VI. 7.

si quis casus oppresserit, haec conscientia leniet mihi dolorem, quod me scio doctrinam utilem tradidisse iuventuti, cum magna esset opinionum confusio. Te spero nostrae amicitiae memorem fore. Mitto tibi enarrationem dictatam in *Ecclesiasten*, quae etiamsi tenuis sit: tamen hanc legere non est inutile. Bene vale et rescribe. Die 14. Novembris.

---

**No. 4819.** **18. Nov.**

## *Io. Weinlaubio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioh. Weinlaub, cancellario inclyti principis Elect. March. suo patrono colendo*

S. D. Clarissime vir et patrone cariss. Etsi scio et vos et alios honestos viros in gubernatione nunc etiam maioribus curis exerceri moto bello, [tamen] [1]) quantum fieri potest libenter vos opem [2]) ferre miseris in causis iustis [3]) non dubito. Illud autem metuo, cum negotium sit quaestionum de quo scribo, an quaestores non gravatim alloquimini. Poscit filius *Buchholzeri* mandato patris pecuniam a quaestore electo (?), ac me oravit ut ad vos ea de re scriberem. Quare vos oro, ut, quantum potestis, cum quaestore illo agatis, ut his temporibus scholasticis pecuniam numeret. Habet iam *Blasius* chirographum patris, quare magis urgeri eum iustum est. Sed qualecunque est hoc negotium, vestrae prudentiae et humanitati commendo, et oro, ut mihi veniam detis de fatali negotio ad vos scribenti. Bene et feliciter vale. 18. Novemb. 1550.

P. M.

---

**No. 4820.** **21. Nov.**

## *Io. Stigelio.*

Danz. epist. ad Stigel. ep. 60. Cod. Goth. 188. ep. 181.

---

1) tamen] excidit.
2) Cod. Paris. *opera.*
3) Cod. Paris. *iustae.*

*Clarissimo viro, ingenii bonitate, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φίλῳ, S. D.*

Cariss. *Stigeli.* Utinam et tuae venae, quae vere est Dei opus et donum, et ceteris artibus, tempora feliciora contigissent. Quod non aspernaris pagellas nostras, tuum candorem agnosco. Scio, eas nequaquam magnitudini artium respondere, de quibus scribimus. Sed et invitare adolescentes ad doctrinam utilem, et utcunque initia ostendere vel procul volui, ac Deus, qui est καρδιογνώστης, testis est meae voluntatis, et erit iudex. Coepi retexere *libellum de anima*, et iudico, oportere in Ecclesia talem aliquam lucubrationem exstare. Nec novum est exemplum. Mitto igitur ea, quae utcunque collegimus. Tuum carmen dulcissimum edi curabo. Γλαυκῶμα eram ipse mutaturus, et mutabo. Si *Lipsiam* venies, et *Camerario* et mihi tuus conspectus erit iucundissimus; εἰς ὄμματ' εὔνου *) γὰρ βλέπειν φωτὸς γλυκὺ, ut apud Euripidem scriptum est de Repub. Nec ego alia scribo, nisi illam vere καθολικὴν γνώμην: Scio Ecclesiam Dei filio curae esse, qualescunque erunt regnorum ruinae. Biblia habemus hic non primae editionis, sed anni 1545., edita vivente *Luthero*, quae si vult inclytus Comes ad se mitti, significa. Nec dubitet de fide editionum etiam reliquorum annorum. Arbitror enim, tibi quoque integritatem *Rorarii*, qui praefuit editionibus, notam esse. Inclyti Comitis benevolentiam tibi gratulor, quia scio, eximiam in eo virtutem esse; et propter excellens patris ingenium et propter ipsius integritatem semper ipsum veneratus sum. Adscribam venuste dictum cuiusdam Abbatis, qui cum cive Wormatiense, meo affine, hospite D. *Dolscy* in curru cum multa de temporibus disseruisset, inquit, se quoque ita iudicare, insolentiam Pontificiorum nunc nimiam esse, cum quidem status ipsorum tantum sit *Leibding*: nosti quid ita Germani nominent: Es stehe alle ihre Pracht auf einem Leib etc. Bene et feliciter vale, 21. Novemb.

Salutem opto collegis, viris doctiss. et optimis.

Philippus Melanthon.

---

*) Danzius edidit ὄμμα' εὔνουν.

No. 4821. 22. Nov.

## *A. Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 158.

*Antonio Lauterbach, Pastori Eccles. Pirnensis.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Pagellas mitto, et narravi honestiss. socri ea, quae de Augustana deliberatione audivi, nec aliud nunc iam minus insuave relatum. De bello Saxonico nihil nisi haec initia non incruenta scio. Optarim non esse irritatos principes, et metuo longam tragoediam. Oremus autem filium Dei, ut ipse in his regionibus Ecclesias suas servet; et servaturum esse spero, etiamsi erunt regnorum ruinae. Cum poteris ad nos scribito. Nihil adhuc actum est ad Parthenopen, quod in alterutram partem magni momenti sit. Bene et feliciter vale. Die 22. Novbr. 1550.

Ph. M.

---

No. 4822. 2. Dec. (h. a.?)

## *Ioachimo Pr. Anhalt.*

Becmanni Access. hist. Anhalt. p. 125.

*Ioachimo, principi Anhaltino.*

Illustrissime et Clementissime Princeps. Inscripsit hic doctus et honestus vir, Magister *Matthaeus Lucanus* *), C. V. Librum de Iudiciis, quae a stellarum positu sumuntur, erudite scriptum latinis et graecis Carminibus. Quaerit autem huic honesto studio patrocinium apud C. V. tanquam apud sapientem Principem et doctrina excultum. Et vestrae Celsitudini honestissimum est, haec optima studia fovere. Quare oro primum, ut clementer excipiat hoc munus C. V. propter ipsarum artium dignitatem; deinde oro, ut, quanquam non libenter sumtu C. V. onero, tamen huius docti viri officium ostendat C. V. sibi non ingratum esse. Quo confugere hoc tristi tempore studiosi possunt, nisi ad Principes sapientia et virtute praestantes? Ego etiam C. V. mitto pagellas proximae disputationis, quarum lectionem spero C. V. non iniucundam fore *). Bene et feliciter valeat C. V. Die 2. Decembris.

*) Matthaeus Roselerus, Lucanus, artis medicae doctor. Vid. infra epist. d. 1. Sept. 1555.

---

No. 4823. 5. Dec.

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad. Stigel. ep. 48. Cod. Goth. 188. ep. 153.

*Clarissimo viro, felicitate ingenii, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carissimo,* S. D.

Acquiesco non nihil legens et literas tuas summo candore scriptas et dulcissima Poemata. Quare tibi gratiam habeo, et de perpetua erga nos benevolentia, et de assiduitate in scribendo. Tua carmina nunc edam, adiuncta oratione *Burenii* de Principe *Magno Megapolitano*, et altera nostra de Duce Saxoniae *Ioanne Electore* [1]), cuius scis multas fuisse virtutes et eximias, et populo salutares. Mitto tibi pagellam versuum *Ioachimi*, in quibus est honorifica mentio *Eobani*. De commentario περὶ ψυχῆς spero has δευτέρας φροντίδας [2]) non fore inanes. Heri mutavi locum de Malleolis et Talis, in quo *Gaza* [3]) et Erasmus a doctrina anatomica discesserunt. Malleoli, σφυρά, sunt ossa, quae supra parvum pedem eminent, die Knöchlin, et sunt appendices τῆς κνήμης καὶ τῆς πρόνης, et sunt septa Talorum. Sunt Tali ἀστράγαλοι interiora ossa, quae non eminent, et adiuvant flexum pedis. Picturam habes in paginis, quas tibi misi. Bene et feliciter vale. 5. Decemb. [4])

Philippus Melanthon.

Salutem opto collegis. *Nicolao* mittam libellum eruditum mei generi de dimensione terrae. Hodie enim officina edetur.

*) Fuerunt (ut ex Quaest. Academ. ab *Ebero* editis, intelligitur) publicae disputationes anno 1550. d. 6. Nov. Pauli Vadini, et d. 9. Decb. Ioannis Schurstab.

1) Prodiit secundum Mylium anno 1550. et legitur in Declamationibus T. III. p. 104.

2) Danz. φροντίστας, mendose.

3) Danz. *Gaxa.*

4) Cod. Goth. 188. addit: 1550.

No. 4824. 10. Dec.

## *Matth. Collino.*

† Ex autographo Mel. in bibl. Pl. Rev. *Baehrii*, ab ipso mihi descripta.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Matthaeo Collino in Academia Pragensi, fratri suo cariss.*

S. D. Carissime frater. Existimo alios ad te iam scripsisse de morte *Hannonis* et *Briccii* [1]). Etsi autem et parentum dolore adficior, et propter Ecclesiam optarim, utrique longius vitae curriculum concessum esse, tamen voluntati Dei obtemperandum est. Teque adhortor, ut luctum parentum lenias, qui eo sint tranquilliore animo, quia uterque in pia invocatione placide decessit. *Hanno* etiam pridie antequam anima eius ex hoc ergastulo liberata est, dulcissimo somnio cum filio Dei collocutus est. Deum oremus, ut servet Ecclesiae multa bona ingenia, et nos faciat σκεύη ἐλέους. De republica non libet scribere. In ora Baltici littoris certum est exercitum non contemnendum esse, qui minitatur his regionibus, qui si huc accesserit, haud dubie etiam in vestris [2]) urbibus novi motus erunt. Non possumus haec nostris consiliis regere, sed oremus filium Dei, ut Ecclesiam suam et regat et servet, et det ei mediocria hospitia. Bene et fortunate vale. Die X. Decbr. Mitto tibi libellum eruditum, editum a meo genero [3]). Rescribe.

Philippus Melanthon.

1) Mag. Martinus *Hanno*, Matthaei *Collini* discipulus, Bohemus, obiit Vitebergae, eique funus factum est d. 23. Novembr. 1550. *Bricius Sithonius* Secensis decessit Vitebergae d. 26. Novbr. 1550. Vid. Scripta publica P. I. p. 352. et p. 353 b.

2) Fortasse *nostris*.

3) Peuceri librum de dimensione terrae. Vid. ep. d. 5. Decb.

---

No. 4825. 10. Dec.

## *Ioachimo Pr. Anhalt.*

Edita ex autographo in Tab. Anhalt. a Clariss. *Lindnero* in den theolog. Studien und Kritiken (herausg. von Ullmann und Umbreit) Jahrg. 1835. p. 368.

*Illustrissimo principi ac Domino Domino Ioachimo, principi in Anhalt et Ascaniae, et comiti in Bernburg, Domino suo clementiss.*

S. D. Illustris princeps et Domine clementissime. Celsitudini vestrae reverenter gratias ago et pro pecunia missa, et pro ferina carne. Dedi autem chirographum meum ei, qui numeravit pecuniam. De republica non habemus recentes narrationes, ac plura scire Cels. vestram arbitror. Sed tamen in pagellis quaedam annotavi, quas inclusi his literis. Si quid audiero dignum memoratu, scribam ad illustrem principem *Georgium* fratrem Celsitudinis vestrae. Ago etiam gratias Celsitudini vestrae, quod liberaliter remunerata est eum, qui obtulit libellum Astronomicum **). Deus aeternus pater domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani, qui misso filio ostendit, se vere nos exaudire velle, servet Cels. V. incolumem, et eam semper clementer gubernet. Datum die X. Decembris.

Cels. V.
addictus
Philippus Melanthon.

**) Matthaei Lucani. Vid. antecedens epist. ad Ioachimum Anhalt. d. d. 2. Decb.

---

No. 4826. 13. Dec.

## *Mansfeldensibus concionat.*

Primum praefationis loco impressa in libro: Hier. Mencelii epicedion Io. Spangenbergio scriptum cum praef. Phil. Melanth. Witeb. 1551. 4., ex quo libro mihi eam descripsit Clariss. *Muffat.* Eandem edidit Manlius in farrag. p. 453., sed satis mendose, et, ex Manlio, Adami in vitis Theologorum p. 98.

*Ecclesiae Dei in comitatu Mansfeldensi, Philippus Melanthon*

S. D. Ecclesia inde usque ab initio posteris [1]) memoriam tradidit et eorum qui praecipui doctores fuerunt, et generis doctrinae: ut sciret posteritas, quam doctrinam, per quos traditam, quibus confirmatam testimoniis vel iudiciis accepisset: et normam certam haberet, ad quam conferret sententias sequentium doctorum. Ita Irenaeus Polycarpum citat, qui fuit auditor Ioannis: et Basilius

1) *posteris*] abest a textu Manl.

nutricis testimonium celebrat, quae audierat Gregorium Neocaesariensem, de trib. personis divinitatis. Et cum in Ecclesia Antiochena, quae a Petro apostolo doctrinam acceperat, et fuerat praecipua schola, Samosatenus audacissime corrumperet dictum in Ioanne, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος: opposuerunt Malchion et Dionysius (alter Antiochenae Ecclesiae, alter Alexandrinae) testimonia tradita per Apostolos, et eorum auditores.

Hanc diligentiam conservandae memoriae veterum qui recte docuerunt, et eorum monumenta custodiendi, utilem esse posteritati, nequaquam dubium est: quae etsi longo tempore intermissa est, cum nec una vox doctrinae certa esset, et pastores muti essent, ac nequissimis monachis [2]) summum gradum, videlicet munus docendi cessissent, qui fabellas ad quaestum accommodatas circumferebant: tamen nunc magna cura renovanda [3]) erat. In publicis monumentis Ecclesiae et Respublicae annotare debebant, per quos viros emendata sit quolibet loco vox doctrinae, et quorum iudiciis singuli approbati sunt.

Habuit autem Ecclesia vestra gravem et honestissimum senem *Gutelium*, qui initio puram doctrinam vobis [4]) tradidit. Postea de *Lutheri* iudicio senex venerandus *Ioannes Spangenbergius* Ecclesiis vestris praefuit, cuius extant libri: ac fuisse eum probatum reverendo domino *Luthero*, D. *Langio* Erfordiensi, D. *Pomerano*, et caeteris in tota Saxonia docentibus, meministis. Ut igitur posteri sciant, vos habuisse hunc testem verae sententiae, et custodiant doctrinam ab ipso acceptam, ut iubet Paulus depositum fideliter custodire: hortor vos, ut eius nomen et administrationis tempus in monumentis vestris annotetis, et scripta conservari curetis. Valde metuendum est in his ruinis imperiorum, maiores Ecclesiae dilacerationes secuturas esse, in quibus proderit [5]) videri, quorum fuerit eadem sententia: et probati [6]) doctores tanquam norma sequendi erunt. Iussi igitur et hoc carmen edi, ut memora nominis [7]) *Spangenbergii* diuturnior sit, et ut doctrinam eius magis ament [8]) iuniores. Est autem laudanda pietas *Mencelii*, quod hanc historiam recitavit, et ut suam erga fidelem pastorem observantiam declararet: et ut caeteris ostenderet concordiam in Ecclesia et schola vestra, et mutuam omnium docentium benevolentiam et fuisse et esse. Id exemplum et caeteris utile est. Etsi autem praecipue Dei beneficium est, quod habetis multos viros doctos [9]), honestos et concordes in Ecclesiis et scholis vestris: tamen et *Spangenbergii* modestia multum ad concordiam proderat. Hic cum eruditione et multis virtutibus excelleret: tamen ab ambitione alienissimus erat. Et candor in eo erat eximius. *Mencelium* vero scitis et antea bene meritum esse de iuventute vestra, et ornamento esse [10]) vestrae Ecclesiae. Huius officium in hac historia etiam candide probare vos decet. Bene et feliciter valete: Idibus Decembris, 1550.

---

No. 4827. 20. Dec.

## *Philippo Duci Stettin.*

Epistola nuncupatoria praemissa Tomo IV. operum Lutheri Germanicorum. (Descripsi ex edit. Witeb. ann. 1558. „gedruckt durch Peter Seitzen Erben.")

Dem Durchleuchten Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Philips, Hertzogen zu Stetin, Pomern, der Cassuben und Wenden etc. Fürsten zu Rugen und Graven zu Gutzgaw meinem gnädigen Herrn etc.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jhesum Christum unsern Heiland und warhafftigen Helfer zuvor. Durchleuchter, hochgeborner, gnädiger Fürst und Herr. Wiewohl die große Unordnung in der Welt und die großen Zerstörungen aller Land und Königreich für und für, und das Elend und Unglück vieler unschuldigen Kinder und armer Leut, die niemand Schaden gethan haben, und dagegen die große Hoheit und Gewalt der schändlichsten ärgsten Tyrannen die menschliche Vernunft irre machen, daß sie zweifelt von wegen solcher Unordnung, ob Gott Richter und Helfer sey, und ob ein besonderer Theil im menschlichen Geschlecht sonderlich Got-

---

2) *monachis*] excidit e textu Manlii.
3) Manl. *revocanda*.
4) Manl. *nobis*.
5) Manl. *poterit*.
6) Manl. *probandi*.
7) *nominis*] excidit e textu Manl.
8) Manl. *amplectantur*.
9) *doctos*] non habet Manl.
10) *de iuvent. — esse*] exciderunt e textu Manl.

tes Volk sey oder nicht, so doch Glück und Unglück durchaus unordentlich ausgetheilt ist bei allen Völkern, Christen, Türken, Heiden, Juden ꝛc. Wird doch ein großer Hauff frommer Menschen von den Bösen so sicher zertreten, wie die schönen Kräutlin oder Würmlin uff der Erden zertreten werden. Wie sind die heiligen Kindlin in Egypto zur Zeit Mosi so jämmerlich getödtet, und sind alle Zeit voll Exempel. Ein muthwilliger König in Egypto Ptolemeus Lamyrus, das ist, der Schwäßer, überfiel das arme Gottes Volk in Galiläa nicht lang vor der Zeit Maria, und tödtet bei dreißig tausend, und zwang die Gefangnen, daß sie von der Todten Körper, von ihren Blutverwandten fressen mußten, und sind ohne Zweifel viel heiliger Menschen in selbigen Hauffen gewesen. Welche große Wüterei üben die Türken für und für am christlichen Volk; darunter dennoch viel rechter Gliedmaß Christi sind. Solche Exempel machen menschliche Vernunft sehr unrugig, daß sie vom göttlichen Regiment zweifelt und zappelt.

So sollen wir doch wider diesen bösen Zweifel und gegen die unordentlichen Exempel die klaren Offenbarungen Gottes und Mirakel, als die Ausführung des Volks Israel aus Egypten und der Todten Auferweckung etc. halten und stellen, darin Gott von seinem Wesen und Willen Zeugniß gegeben, und macht uns gewiß, daß er ihm eine ewige Kirch im menschlichen Geschlecht für und für sammlet, und will dieselbige erhalten, erhören und ihr Hülf thun, und sie endlich erretten und mit ewiger Seligkeit begnaden, laut seiner Lehre, die er mit gewissen, klaren Zeugniß in die Welt ausgebreitet hat. Wo nu dieser Grund gelegt ist, daß das Herz festiglich gläubet, daß dieser Theil in menschlichem Geschlecht Gottes Volk sey, der Gottes Wort rein und ungefälscht annimmet, glaubet, lernet, liebet, erhalten und pflanzen will, da ist der Anfang zu rechter Gotteserkenntniß, zu ewiger Seligkeit und zu allem Gutem. Wo auch dieser Grund nit ist, und die Vernunft in ihrer Blindheit verharret, und will göttliche Offenbarungen, Zeugnisse und Wort nicht achten, solche Menschen fallen dahin in ewigen Zorn, wie die Teufel. Wiewohl nu dieser verdammte Hauff der großer Theil ist uff Erden, so erhält dennoch der Sohn Gottes Jhesus Christus gewaltiglich sein Erb, wie er spricht: niemand vermag mir meine Schäflin aus meinen Händen reißen. Diese Schäflin sammlet und weidet der Sohn Gottes durch sein Evangelium, das er aus dem heimlichen göttlichen Rath den Menschen fürgetragen hat, und hat es selb gepredigt, und mit seinen Wunderwerken und seiner Ufferstehung aus dem Tod bestätiget, und zu predigen befohlen, hat dazu das Predigtampt eingesetzt und erhält es wunderbarlich. Wo nu der Grund, wie gesagt ist, gelegt ist, daß du göttlichen Offenbarungen gläubest, so weißt du auch, daß Gott diese Stimme vom Himmel geben hat: dieser ist mein lieber Sohn, an welchem ich Wonn und Freud hab, Diesen sollt ihr hören. Aus diesem allen ist klar, daß wir diese Einige wahrhaftige Lehre von Gottes Wesen und Willen hören, lernen, annehmen und lieben sollen.

Wir sollen auch Unterschied halten zwischen dieser Einigen wahrhaftigen Lehre, die Gott seiner Kirchen in der Propheten und Aposteln Schriften geben hat, und allen andern Lehren, heidnisch, mahometisch, päpstisch, Mönchlehre etc., und sollen fliehen und verwerfen alle andre Lehre, die dieser Einigen wahrhaftigen göttlichen Lehre widerwärtig ist, wie der ernstlich Spruch geboten hat: wer ein ander Evangelium lehret, der soll verflucht seyn. Denn es ist bald mit Cain in die Welt eingerissen, daß die Leut haben selb wollen klug seyn, Götter und Gottesdienst erdichten, und hat der Teufel seine Werkzeug dazu heftig getrieben. Ernach wiederumb nach Nohe ist bald solche grausame Abgötterei von neuem in die Welt ausgebreitet, und bleibet bis zu Ende, wie jetzund sind Heiden, Mahometisten, falsche Jüden, Papst, und seine abgöttisch Pfaffen und Mönch. Von dieser aller Lehre und Gottesdienst muß man rechte Lehre und rechte Gottesdienst absondern und aus Gottes Wort Unterschied wissen.

Hie sprechen nu die Päpstischen: wie kann man aus der Propheten und Aposteln Schrift Unterschied nehmen, so doch dieselbige Schrift dunkel und ungewiß ist, und machet ein jeder Deutung seines Gefallens? Darauf ist wahrhaftige Antwort: der Propheten und Aposteln Schrift ist klar und gewiß in allen nöthigen Artikeln, wie Psal. 19. geschrieben ist: die Gebot des Herren sind lauter und erleuchten die Augen etc. Item 2 Corinth. 4.: unser Evangelium ist nicht dunkel und zugedeckt, ohne in solchen, die der Teufel verblendet. Wer Gottes Wort annehmen will, dem ists klar und gewiß; wer aber seinen Eigen Dünkel erhalten will, und will Gottes Wort nach seiner Fantasey deuten, der suchet Sophisterey, und machet die eigentlichen rechten Reden ungewiß. Als die Rede im ersten Capitel S. Johannis ist ganz klar, gewiß, eigentlich und wohl verwahrt in allen Umbständen, so wir gläuben wollen; gleichwohl konnt Samosatenus ein Sophisterey dagegen machen. Also haben ernach die Papisten gethan. Die Schrift sagt: durch Glauben ohne Werk werden wir gerecht. Diese Wort sind genugsam erkläret in Paulo, daß wir gewißlich

Vergebung der Sünd haben, und für Gott gerecht und angenehme sind ohne unser Verdienst, sondern allein durch den Glauben, das ist durch wahrhaftig Vertrauen uff den Sohn Gottes Jhesum Christum. Dagegen machen sie Sophisterey: Glauben sey allein die Historien wissen, wie die Teufel auch die Geschicht wissen. Darumb so dichten sie weiter, man soll mit eigen Werken Vergebung verdienen, machen neue Gottesdienst, Messe, Möncherey, Heiligenanruffung etc., weichen also vom wahrhaftigen Gott ab, und treiben Abgötterei.

Wiewohl nun solche Irrthumb oft in der Kirchen eingerissen sind, so hat doch Gott umb seines Sohnes willen aus großer Barmherzigkeit seine Wahrheit oft verneuet, damit nicht alle Menschen in Blindheit verderben, und so er sein Licht wiederumb anzündet, reinigen solche rechte Prediger die göttliche Schrift, streichen der Pharisäer Koth davon weg, wie Johannes Baptista der Pharisäer falschen Verstand straffet vom weltlichen Königreich Messiä, und gab den rechten Verstand der Propheten. Dieses ist das Werk der rechten Prediger, sie dichten nicht neue Lehre außer der göttlichen Schrift, sondern sie reinigen die göttlich Schrift von dem Unflath, welchen die Pharisäer, Abgöttische, Ketzer, Päpst, Mönch darein gemengt haben.

Das alles ist darumb gesagt, daß man wisse, warumb dieser Schatz der Bücher des Ernwirdigen Herrn Doct. Mart. Luth. zu erhalten und groß zu achten sey. Es soll der Propheten und Apostel Schrift der Grund der christlichen Lehre allein seyn und bleiben. Weil aber derselbe Grund vom Papst und Mönchen und vielen falschen Lehrern verdunkelt gewesen, und nun wiederumb aus Gottes Gnaden durch den Herrn Doct. Martinum gereiniget ist, soll man seine Bücher mit großem Fleiß bewahren und uff die Nachkommen erben, denn man wird seiner Zeugniß noch sehr oft bedürfen. Daß aber durch seine Stimme, Predigen und Schreiben die göttliche Schrift gereiniget sey, können alle gottförchtigen selb ohn allen Zweifel richten, so sie beide Lehre, die Päpstliche und des Herrn Doct. Martini Schriften und Bekenntniß gegen einander halten, und merken, welche gleich lautet mit göttlicher Schrift, und welche nicht gleich lautet. Es ist ein besonder groß Gotteswerk, daß er für und für sein Predigtampt in der Kirchen erhält, wie im vierten Cap. zun Ephesern geschrieben ist, und weil oft Irrthumb und Blindheit einschleicht, so erweckt Gott dagegen etliche rechte Prediger, als Eliam und Elisäum wider Baal, und Zachariam, Johannem Baptistam wider die Pharisäer, und ernach Johannem Evangelistam wider Hebion und Cerinthum, Athanasium wider Arium, und Augustinum wider Pelagium. Also ist auch jetzund der Herr Doct. Mart. wider päpstliche und andere viel Irrthumb erweckt, und ist Gottes Wille, daß man solcher rechter Prediger Zeugniß wisse und uff die Nachkommen bringe, wie der Herr spricht zu Petro: und so du bekehret bist, sollt du deine Brüder stärken. Gott gibt etlichen solch Licht und Gaben, andern zu gut, daß wir durch sie unterwiesen und gestärkt werden. Darumb ist dieser Fleiß den Kirchen hoch nöthig, derselbigen rechten Prediger Schriften und Bekenntniß wohl zu bewahren. Und sind insonderheit in diesem jetzigen Theil viel nöthiger Stück zusammengebracht, Erklärung etlicher Capitel Matthäi, darin Unterschied des Gesetzes und Evangelii sehr deutlich angezeigt ist. Item, eine ganze Bekenntniß, die der Herr Doct. Mart. wenig Jahr vor seinem Tod in Beiseyn des Herrn Nicolai Amsdorf, Doct. Johann Bugenhagen Pomerani, Doctor Creutzigers und anderer, selb gestellet, und mit eigner Hand geschrieben hat. Item, ein wohl gegründet starke Erklärung von den lästerlichen abgöttischen päpstlichen Messen und viel andere nützliche Stück, die zu Erinnerung dienen, daß wir uns hüten für mancherlei Irrthumb und Betrug.

Nu siehet man, wie der Teufel durch listige, kühne Schwätzer, die dem Papst anhangen, als durch den Sidonium und seines gleichen, päpstlich Abgötterey wiederumb einzuführen arbeitet. Dagegen sollen wir verwarnet seyn, daß wir nicht verblendet werden durch falschen Schein und Sophisterey, und ernach in grausame Straf fallen. Denn es ist Gott unleidlich, daß die Menschen sein Wort verachten, und wollen selb Religion machen ihres Gefallens. Und wiewohl in vielen Exempeln die Straf fürgemalet ist, als in Achab, Achas, Nabogdonosor und andern, so will ich doch allein dieses Exempel Pompeii jetzund erzählen, der ein sehr löblicher, züchtiger, gütiger, ehrlicher Fürst gewesen ist, und hat Sieg und Glück gehabt bis uff diesen letzten Stolz. Da er gen Jerusalem kam, und hat nu von der Jüden alt Herkommen und Religion viel gehört, und sahe, daß es viel ein andre Lehre war denn die heidnisch, denn die Jüden dichten nicht viel Götter, billigten nicht unnatürliche Unzucht etc., wie die Heiden etc., da wollt er den Tempel auch schauen, und sehen was doch darin wäre, ob auch Bilder oder ander Zeichen darin stunden. Nu sagt man ihm, daß Gott diese Ordnung gemacht hätte, daß allein der Hohepriester in den letzten heimlichen Chor gehen sollt, und sonst kein Mensch uff Erden. Dieses hielt er für Fabeln und ging furt in denselbigen heimlichen verbottenen Ort, und schauet was darinnen war.

Nu ist dieselbige Zeit nichts darin gewesen, denn der Kaste, darin Moises Tafeln gelegen sind im vorigen Tempel, ist mit demselbigen Tempel verbrannt. Bald nach diesem Stolz ist die Straf gefolget. Als Pompeius wiederumb mit großer Herrlichkeit zu Rom ankommen ist, hat er sich wider Julium anhetzen lassen, und ist der grausame Krieg zwischen ihnen beiden, Julio und Pompeio, erreget, darin viel hundert tausend Mann umbkommen, und ewige Veränderung des Reichs gefolget. Und ist Pompeius in der Flucht uff dem Meer jämmerlich getödtet worden, nicht fern von dem Land Judäa, da er das Land Judäa und den Tempel im Gesicht gehabt hat. Wiewohl nu diese zeitliche Straf noch nicht die fürnehme und ewige Straf ist, darin erst Gott seinen gerechten Zorn in Ewigkeit erzeiget wider alle, die sich nicht bekehren; gleichwohl will Gott auch in diesem Leben die Strafen anfahen, zu Erzeigung seiner Gerechtigkeit und zum Exempel den andern. Wie Pompeius ernach schrecklich gefallen ist, nachdem er in diesen heimlichen verbotnen Ort gangen ist, also sind viel hoher Leut gefallen, und werden fallen die so kühn sind, daß sie in solche Heimlichkeit Gottes hineindringen, wollen Religion, Lehre und Gottesdienst machen aus eigner Weisheit wider Gottes Wort, stärken und machen Abgötterei, und suchen ernach Schein und Sophismata, die Lügen und Lästerungen zu schmücken, die oft so schön gefärbet sind, daß viel Leut betrogen werden, und schwer wird, den Betrug anzuzeigen. Darumb sollen wir desto fleißiger seyn, rechte Lehre gründlich zu lernen und zu fassen, daß wir dagegen Irrthumb und Lügen richten und verwerfen können, und bleiben in rechter wahrhaftiger Erkenntniß, Glauben und Anruffung Gottes, daß wir bei ihm in ewiger Seligkeit leben, ihn preisen, und seine Weisheit, Gerechtigkeit, Gütigkeit und Freud uns in Ewigkeit mitgetheilt werde; wie der Herr spricht Johann. 15.: wer in Mir bleibet, und ich in ihm, der wird viel Frucht bringen.

Damit wir nu Unterscheid der rechten und falschen Lehre merken und verstehen können, dienen diese Bücher, darin von nöthigen Artikeln christlicher Lehre Erinnerung gefaßt ist. Und sind diese und andrer Theil derhalben an König und Fürsten ausgangen und geschrieben, daß diese Bücher desto fleißiger bewahret und erhalten werden, daß auch männiglich wisse, daß der wirdig und treue Mann Georgius Rorarius, der zum Druck verordnet, das Licht nicht scheuet, sondern arbeitet, daß diese Werk treulich und ohne Veränderung uff die Nachkommen gebracht werden. Derhalben ist dieser Theil E. F. G. zugeschrieben, weil männiglich weiß, daß E. F. G. als ein hochlöblicher Fürst, Gott in rechter Erkenntniß und rechtem Glauben anruffen, und reine christliche Lehre treulich in ihren Landen pflanzen lassen, und christliche Zucht und Studia ernstlich helfen erhalten. Nu ist auch recht, daß in diesen Büchern der löblichen Fürsten gedacht wird, die zu dieser Zeit christlicher Lehre Zeugen sind vielen zu Stärkung ihres Glaubens. Darumb wollen E. F. G. diesen Dienst christlich und gnädiglich verstehen, daß E. F. G. in diesem Werk wohl gedacht wird. Der eingeborne Sohn Gottes Jhesus Christus, unser Heiland, der gewißlich ihm eine ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durch sein Evangelium sammlet und erhält, der wolle auch E. F. G. und E. F. G. Gemahel und junge Herrschaft in seiner Kirchen, und vielen zu Trost gnädiglich bewahren und allezeit regirn, Datum Witemberg, 20. Decemb. Anno 1550.

E. F. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

---

No. 4828. 25. Dec.

## G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 406.

*Georgio Fabricio, gubernatori scholae Misn.*

Ut hic veniens annus sit faustus et felix harum regionum Ecclesiis, et Principi et populo, faciat Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, quem certum est, gemitus et dolores nostros cernere. Quantis in periculis simus, scio, te pro tua prudentia et iudicare posse, et saepe cogitare. Non enim leve negotium est, bellum gerere cum gente Saxonica, ut veteres historiae etiam ostendunt. Sed abrumpo hanc commemorationem. Cantorem *Stephanum* hic modeste vixisse audio. Et sum eum hortatus, ut tibi obtemperet, et tuis consiliis utatur. Quare eum tibi commendo. Misi tibi libellum, in quo et tua et fratris carmina edidimus, gratiam habeo et tibi et fratri pro versibus, et erudite scriptis, et Ecclesiam ornantibus. B. V. Initio anni 1551. *)

*) i. e. d. 25. Decb. 1550

**No. 4820.** (ex anno)

## *Ioanni Alberto D. Meg.*

Epistola nuncupatoria praemissa libro: Explicatio Proverbiorum Salomonis in schola Witebergensi recens dictata a Phil. Melanthone. Francof. ex officina Petri Burbachii, anno Dom. M.DLI. (Additur in fine: „mense vero Maio.") 8. Ex hac prima editione epistola hic edita est, adiectis lectionibus in editione altera a. 1556., recusa etiam in Opp. Mel. Witeberg. T. II. p. 872 sq. — Quum in fine adscriptus sit annus 1550., intelligitur, typographum primum epistolam typis exscripsisse et postea librum, et laborem ad finem perduxisse mense Maio 1551.

*Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Ioanni Alberto, Duci Megalburgensi, Principi inclitae et vetustae gentis Henetae in litore Baltico*[1]) *etc. Domino suo clementissimo* Salutem D.

Est omnino difficile reddere alienae linguae sententias et brevia dicta, praesertim linguae Hebraeae, quae nunc minus nota est, quam Graeca aut Latina. Nam in brevibus dictis multae sunt phrases, quae partim in lingua minus usitata non intelliguntur, partim induere peregrinae gentis vestem, ut ita dicam, recusant. Cum autem valde prosit Salomonis sententias quam familiarissime notas esse et iunioribus et aliis, quorum maturuit aetas: saepe optavi, ut exstaret interpretatio Latina minus squalida, quam haec vulgaris, et enarratio, quae gravissimis sententiis aliquid lucis adderet. Neutrum vero a *Iudaeis* sumi potest, qui, etiamsi Latine scirent, tamen doctrinam Ecclesiae Dei nec norunt, nec amant: quare multa tum inscitia, tum odio, corrumpunt. Et pauci inter eos tantum iudicii habent, ut in politicis sententiis consilium sapientissimi regis considerent. Quod igitur alias in privatis sermonibus, idem nunc publice, a viro reverendo *Andrea Osiandro* peto, ut et Latinam interpretationem Salomonis aliquando instituat, et illustret haec gravissima oracula sua enarratione. Hic enim et cognitione linguae Hebraeae praeclare instructus est, et Ecclesiae doctrinam intelligit ac amplectitur, et ingenii acie ac prudentia, quam aetas et usus rerum confirmarunt, videt, ad quae negotia in vita hae sententiae accommodandae sint. Hoc opus et Ecclesiae gratum, et posteritati utile foret. Nam has sententias in omnium manibus esse valde conduceret[2]).

*Iulianus* Imperator, scribens contra Ecclesiam Dei, opponit Salomoni Phocyliden, ut ostendat, doctrinam de virtutibus, et discrimen bonarum et malarum actionum non defuisse Ethnicis. Huic respondet *Cyrillus*, Salomonem saeculis aliquot fuisse ante Phocyliden et Theogniden, qui vixerunt una cum Solone et Thalete, regnante Croeso: imo antecedit *Salomon* aetate Homerum et Hesiodum. Fuit enim *Homerus* aetate Esaiae. Etsi haec temporum collatio vera est, et Graeci ipsi scribunt, Phocylidae sententias ex aliis vetustioribus monumentis collectas esse, in quibus reliqua fuerunt praecepta primorum patrum post Iaphet: tamen et alia responsio multo firmior opponenda est impietati Iuliani. Errat Iulianus, existimans in Ecclesia tantum esse legis doctrinam, ac discerni Ecclesiam a caeteris gentibus tantum professione praeceptorum de moribus: sicut et *Lactantius* collationem tantum legum facit. Ut notitiam numerorum nascentes nobiscum adferimus: ita et legum notitia lux est divinitus condita in omnium mentibus; tametsi propter naturae depravationem obscurior est. Ac voluit Deus, reliquas esse has in homine notitias, ut ipsius iudicium adversus peccatum agnosceretur, et ut disciplina regi posset. Ex hoc fonte *Solon*, *Zaleucus* et alii boni gubernatores honestas leges, et scriptores sapientes honesta praecepta hauserunt; ut *Homerus*, *Hesiodus*, *Pindarus*, *Phocylides*, *Theognis*, *Sophocles*, *Euripides* et alii, quos volo certe legi. Sed sciendum est, aliud esse vocem Evangelii de remissione peccatorum et omnibus beneficiis Mediatoris. Haec sapientia non angelis, non hominibus nota fuit sine divina patefactione. Discrimen igitur Ecclesiae a caeteris gentibus non facit legis notitia; sed longe alia sapientia de filio Dei, in promissionibus patefacta. Hoc discrimen Legis et Evangelii cum nesciret *Iulianus*, in illa sua collatione toto coelo errat.

---

1) In Opp. d. l. additum: *Domino in Rostoch et Stargarden* etc.

2) In Opp. hoc totum exordium et elogium *Osiandri* est omissum, haud dubie propterea, quod Osiandri sententia de iustificatione, quam postea protulit, a Witebergensibus iudicabatur erronea; (vide Strobel von Mel. Verdiensten um die heil. Schrift p. 48.); eique haec pauca verba substituta sunt: „Redit ad Celsitudinem tuam Salomon, sed non ornatius, ut talem Regem decebat, ac vix tenui penula vestitus, „ipsius vero Regis vocem audiri et considerari volo, non „meas paraphrases, quas ego circumdedi, qui tantum „hoc ago, ut liber Salomonis saepe repetitus sit in manibus „multorum, et a multis ac saepe relegatur." [*Lutz.*]

Etsi autem multae sunt in Salomone sententiae, quae tantum sunt legis rivuli, aut etiam politica et oeconomica praecepta, quorum similia tradiderunt viri sapientes Ethnici: quale est: *Male erit spondenti pro aliis*; quod convenit cum dicto: *Sponde, damnum praesto est:* tamen aliae multae sunt de voluntate Dei, de iudicio, de misericordia, de vera invocatione, de veris cultibus, de vita aeterna, de praesentia et auxilio Dei in aerumnis nostris. Haec doctrina non est Ethnica, aut nata in humana ratione, sed est explicatio primae tabulae Moysi; et multa dicta proprie ad Evangelium pertinent, sumta ex promissione de Messia. Haec discrimina diligentissime consideranda sunt, ut recte uti sententiis discamus. Videndum, quid intersit inter Salomonem et Ethnicos scriptores. Videndum item, quae sit varietas in ipso Salomone; et intuenda sunt summa capita doctrinae in Ecclesia, Lex et Evangelium, cultus Dei, gubernatio politica, vita oeconomica; et prudenter singulae sententiae ad sua capita accommodandae sunt. Hanc diiudicationem, et quasi classium seu generum descriptionem, necessariam esse in hac lectione nihil dubium est: ac intelliget lector, nos de rebus maximis in omnibus vitae officiis admoneri, si hanc diligentiam adferet, ut secum quaerat ipse, ad quam vitae partem singula dicta referenda sint; quos gradus vitae humanae, quae pericula, quales casus, rex sapientissimus intueatur; ubi docere ac monere lectorem, ubi consolari velit. Nam alia dicta sunt διδασκαλικὰ, alia παραινετικὰ, alia παρηγορικά.

Etsi autem haec admonitio, quam recensui, valde necessaria est, ut lector genera seu classes distinguat: tamen alia admonitio addenda est. Exorsus est ipse Salomon ab his dictis: *Timor Domini initium sapientiae*; item: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiae tuae.* Praelucere vult omnibus actionibus agnitionem et invocationem veri Dei, qui se in hoc ipso populo Israel edita voce legis et promissionum de Messia patefecit. Hunc verum Deum discernit adpellatione Iehova ab omnium gentium commenticiis numinibus; discernit item, quia praestatur, se in Ecclesia Israel concionari, et iubet huius Dei doctrinam audiri. Et placet obedientia politica et oeconomica, cum praelucet fides, qua statuimus, nobis Deum propitium esse propter Filium mediatorem, et propter eum nos exaudiri; et petimus, nos Spiritu sancto regi, servari nobis Ecclesiam, et familias et earum nidulos. Hanc totam doctrinam complecti Salomonem sciamus in dictis crebro repetitis de timore Dei, et de fide. Et cum caeteras sententias politicas aut oeconomicas audis, semper adiungat mens illas priores, tanquam in titulo scriptas. Imo ipsum filium Dei mens intueatur iam exhibitum, crucifixum, resuscitatum, regnantem ad dextram aeterni Patris, et vocem Evangelii de reconciliatione et de fide cogitet; postea vero obedientiam in officiis vitae mandatis seiungat ab Ethnica, et sciat, eam Deo placere propter Mediatorem.

Laudat *Alexander* Macedo versum Homeri:

*ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθός, κρατερός τ' αἰχμητής·*

et est talis primo quinquennio. Sed nec agnoscit, nec invocat verum Deum, nec refert obedientiam ad illustrandam gloriam Dei. Legit similem sententiam *Iosaphat* in his admonitionibus Salomonis, a quo ortus est: *Non decet Principem labium mendax*: itaque maiore studio regit linguam, praestat promissa, odit calumnias, quae sunt in aulis plurimae, prohibet sophisticam in religione et in iudiciis. Hanc diligentiam scit magnum decus esse, et multis salutare, quod et Solon, Aristides et Laelius vident. Sed Iosaphat in his officiis intuetur Deum, agnoscit Mediatorem, statuit se propter hunc immensa misericordia receptum esse, novit causas, quare tota politia, cui servit, constituta sit, et a suo cognato [3]) Mediatore petit et exspectat auxilium, et refert labores omnes ad conservandam doctrinam de eo. Ita multas virtutes addit Iosaphat, quae non sunt in Solone, Aristide, Laelio et similibus. Sic igitur in hoc libro dicta omnia politica et oeconomica leguntur, ut doctrina de bonis operibus semper in Ecclesia cognoscenda est, videlicet ut simul complectamur doctrinam de filio Dei, de timore, de fide, de vera invocatione [4]). Haec in huius libri vestibulo moneri necesse est: postea lectio et utilior et dulcior erit.

---

3) Videtur legendum *cognito.* [Lanz.]

4) In Opp. inde a verbo *leguntur* haec sic mutata videas: „— intelligenda sunt, sicut in doctrina de bonis operibus „semper Ecclesia complectitur doctrinam de filio Dei, de t., „de f., de v. inv."

Nunc vero de ipsis sententiis non aliud praeconium addam, nisi hoc, quod praecipuum est, haec oracula vocem esse Spiritus sancti in Ecclesia, et congruere cum Lege Dei et Evangelio, et continere admonitiones utilissimas de plurimis vitae officiis et periculis. Quare et quotidie legenda sunt omnibus aetatibus. Subinde enim iuniores et grandiores plura ex hac lectione discent: et bonis ac studiosis, considerantibus, quo referendae sint hae gravissimae admonitiones, subinde haec sapientia erit dulcior. Sed cur ego mea oratione invitare lectores conor? Invitat eos liber ipse, non voce Salomonis tantum, quod etiam saepe fit, sed etiam voce divina, cum inquit: „*O viri, ad vos* „*clamito: audite. Ab aeterno ordinata sum,* „*antequam coelum, terra, abyssi conderentur.* „*Et adfui architectatrix. Ludo in orbe terrae,* „*et deliciae meae sunt hominum saluti consulere.* „*Beati, qui vias meas custodiunt.*" Sic divina sapientia in hoc ipso libro omnes homines invitat. Hac tanta auctoritate si qui non moventur, duriores sunt omnibus in Caucaso scopulis. Praecipue vero nostri officii est in Scholis adsuefacere ad hanc lectionem iuniores. Ideo superiore anno rursus hunc libellum utcunque enarravi. Scio nullius enarratione amplitudinem rerum, quarum hic fit mentio, comprehendi posse. Haec vero nostra explicatio nimis ieiuna et macilenta est. Sed tamen, cum eam typographi ederent, non repugnavi, quia fortassis haec nova editio plures ad hanc lectionem invitabit.

Causa autem, cur huic editioni tuum nomen adscripserim, non haec tantum est, quod scio, te in hac ingenii et virtutis praestantia libenter legere sapientissimi Regis admonitiones; sed etiam, quia, cum priorem editionem ante annos viginti dedicassem inclito Principi *Magno*, Duci Megalburgensi, tuo fratri patrueli, hanc recentem editionem ad te mittere decrevi, ut munus illi missum in familia maneret, in qua ut semper Salomonis vox audiatur, toto pectore opto: quam quidem summa cum pietate Dux *Magnus* audiebat, et cum ad hanc normam consilia privata et publica dirigeret, optime de patria meritus est, summa reverentia sapientissimum patrem in gubernatione adiuvit, Ecclesias curavit recte erudiri, et custos fuit duarum optimarum rerum, puritatis doctrinae et concordiae docentium; fovit studia literarum, quae eo magis amabat, quia praeclare eruditus erat, et cum Ecclesiae doctrinam ex fontibus hauserat, tum Latinas et Graecas historias adsidue legebat, ac a viro doctissimo *Arnoldo Burenio* ad formandam Latinam orationem sic adsuefactus erat, ut Latine recte et splendide loqueretur et scriberet: denique exemplum erat Dux *Magnus* boni et salutaris Principis in publica et privata vita. Itaque quanto eius desiderio non solum patria, sed etiam vicinae gentes adficiantur, vides. Sed ut Propheta inquit, *evocantur ex hac mortali vita iusti, ne videant ventura mala*, sic ipsum quoque Deus ad aeternae Ecclesiae consuetudinem abduxit, ubi iam inter optimos principes, Davidem, Iosaphat, Ezechiam, Iosiam et similes fruitur dulcissimo conspectu et colloquiis Dei et Domini nostri Iesu Christi, quae in hac vita ardentissimis votis expetivit. Ipsi igitur coelestia [5]) gratulemur.

Et quia Deus aliquos in hac militia huius vitae vult esse superstites, oremus filium Dei, custodem Ecclesiae suae, Dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse nos gubernet, et faciat nos *σκεύη ἐλέους* et organa salutaria, et servet Ecclesias et earum hospitia. Verissimum est enim, has res tantas non servari posse sola humana sapientia: sed filius Dei, sedens ad dextram aeterni Patris, immensa bonitate suos coetus, suam hereditatem, tuetur.

Accipies igitur a me hunc librum eo libentius, quia fratris patruelis in eo mentio fit, qui si viveret, etiam hortator esset, ut lectionem Salomonis tibi familiarissimam faceres.

De mea vero enarratione nihil aliud dicam, nisi me pio studio hoc agere, ut boni libri sint in manibus discentium; et cum de hoc scripto, tum de caeteris meis scriptis omnibus, iudicium Ecclesiis et Academiis harum regionum, quae *Confessionem*, exhibitam Imperatori *Carolo* in conventu Augustano Anni M.D.XXX. amplectuntur, permitto. Nec ego aliud genus doctrinae amplector, nisi illud ipsum, quod quidem scio esse perpetuam Ecclesiae Christi vocem. Bene et feliciter vale. Anno M.D.L. [6]).

Philippus Melanthon.

5) In Opp. hic inserta vox *bona*.
6) In Opp. Anno M.D.LV. T. Celsitud. addictiss. Philippus Melanthon.

No. 4830. (hoc anno, ut videtur.)

### Hartm. Beiero.

† Ex autographo Melanth. in Bibl. Senat. Francof. ad Moen. mihi descripta a Clariss. D. *Boehmero*.

*Venerando viro, eruditione et virtute praedito, D. Hartmanno Beier, docenti Evangelium Francofordiae, amico suo,*

S. D. Venerande vir et amice carissime. Concordia, inquit ille, parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur; quod et nobis accidit. Nec principes concordes unquam fuerunt, nec doctores. Et magis accusandi sunt doctores quam principes. Hic dolor, ut meminisse potes, me inter multos valde excruciavit. Secuta sunt igitur mala, quae discordias sequuntur, quae ut deus corrigat, toto eum pectore oro. Et correcturum esse non dubito, sed tu nunc consilium flagitas. Non fugio periculum in dando consilia, sed non scio quid ..... *) a vobis. *Petrum* miror suis interpretationibus lenire manifeste absurda. Te non iubeo aliquid facere contra conscientiam. Bene vale.

Philippus M.

*) Lacuna est in autogr. — Fortasse: *requiratur*.

---

No. 4831. (h. a.)

### P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 b.

*Petro Vincentio. (Lubecae.)*

S. D. Clarissime vir et carissime frater. In Deliaco templo recte scriptum fuit et ordine distributi sunt gradus honorum: *κάλλιστον τὸ δικαιότατον λῷστον δ' ὑγιαίνειν*. Vult Deus, primam esse curam recte faciendi, alteram deinde fovendi vires corporis, quantum in hac mortalitate fieri potest. Cum igitur aegrotare coepisset *Valentinus*, iudicavimus, postquam vires rursus utcunque collegit, profuturam ei expatiationem. Commendabis igitur eum patri, et lenies eius curas tua prudentia. Ego quoque, ubi primum erit occasio, curabo, ut in schola aliqua locum habeat. Bene vale, carissime frater.

Philippus.

---

No. 4832. (h. a.)

### Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 b.

*D. Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Tangermund.*

S. D. Venerande d. Christophore et carissime frater. Saepe recito hunc versum commonefacientem nos de conferendis operis: ἡ γὰρ χερὸς χεὶρ καὶ ποδὸς ποὺς ἐνδεής. Indigeo Anshelmo, quem cum habeas, quaeso ut mittas inspiciendum. Restituam eum bona fide. Nuncium meo sumptu mitto, nec te onerari volo. Bene vale. Salutem opto d. *Hieronymo* et vobis omnibus.

Philippus.

---

No. 4833. (h. a.)

### Fabricius ad Voicium.

Manlii farrag. p. 542 sq.

*Docto et honesto iuveni, D. Michaeli Voicio, musico et cantori Torgensi, amico suo charissimo Georgius Fabricius* S. D.

*Ieremias* ad te mittit literas et pecuniam, quam stato tempore accepisses, nisi obstitisset certi et fidelis nuncii inopia. Feres igitur hanc moram aequo animo. Opus musicum, quod apud nos inchoasti, id credo te quotidie excolere atque perficere, cum adolescentum studiosorum gratia, quibus opera tua multum profuturus es: tum etiam, ut tuum nomen cum utilitate aliorum propages ad posteros. Iucunda est investigatio veritatis in quavis arte: sed multo iucundior esse potest his miserrimis temporibus, quibus cum veritas ex humano genere explosa pene sit, circa ocium nostrum et literarum studia errat, et in scholis cogitur delitescere. Id etiam te intelligere, et in eadem mecum esse sententia existimo. Per igitur Musas perge, et omne tuum studium confer ad illustrandam hanc artem: ita tamen, ut interdum tantum ocii sumas, ut scribere ad nos crebro possis. Nihil enim mihi erit illa consuetudine inter nos absentes gratius. Clarissimo viro D. *Leuschnero* gratias age, quod prodigium ad nos miserit, prope Vitebergam in aere visum. Multo plura et tri-

stiora hoc ipso mense Pragae et in finitimis urbibus visa narrant: aperte divinam iram, nisi meliores fiamus, denunciantia. Irascor ipse mihi, quod data proxime facultas non fuerit, divertendi apud hospitem tuum: nimis enim breves inter nos sermones fuerunt. [Reliqua deerant.]

---

**No. 4834.** (h. a.)

## H. Wellero.

Epist. lib. II. p. 287. (ed. Lond. lib. II. ep. 290.).

*D. Hieronymo Wellero, Superintendenti Freibergensi*

S. D. Reverende vir et amice charissime, Fecit officiose cognatus tuus [1]), quod istuc iturus literas flagitavit. Nam si posset fieri, multo saepius ad te scriberem, ac coram potius saepe de doctrina Filii Dei, et de communibus Ecclesiae aerumnis, et consolationibus colloquerer. Etsi hanc Cymbam Filii Dei videmus his annis varie quassari: tamen speremus Filium Dei eam servaturum esse. Sicut inquit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Hac consolatione te quoque erigito.

In cognato tuo indoles bona est, quare te oro ut cum amicis deliberes, ne propter inopiam inchoata optimarum artium studia deserere cogatur. Brevi mittam tibi aliquid recentium editionum. Bene vale. Salutem Reverendo D. *Pastori* [2]), et meo conterraneo et vobis omnibus opto.

---

**No. 4835.** (h. a. ut videtur.)

## N. N.

Editum ex autographo Mel. a *Veesenmeyero* in programm.: Hexas epistolarum Claror. Virorum hactenus nondum editarum. (Ulmae 1802. 4.) p. 7. — Anni et nominis subscriptionem esse recisam, monet *Veesenm.*, et putat esse fragmentum epistolae.

## N. N.

De quaestione *Antonii* *), an liceat a sacrificulo accipere reditus vel dona sine obligatione ad impietatem, clara est responsio. Licet habere et retinere coniugem ethnicam, ut mater Augustini fuit nupta viro Ethnico, soror Constantini Licinio, et Paulus expresse de hoc casu loquitur.

Haec igitur politica communicatio non impedit fidem.

Haec certissima sunt, et copiose ostendi possunt.

Item, si nihil accipi liceret, quod a Papistis collectum vel constitutum est, fere omnes pastores harum regionum fame perirent.

Sed *Antonii* clamores tandem patefacient causas, unde oriantur, et attrahent ei poenas. Iam excusant se *Meideburgenses* de libris editis, et mira mendacia fingunt.

---

1) Iohannes Stumm, qui peractis studiis d. 20. Aug. 1551. commendatur Hartmanno, quare hanc epist. ad ann. 1550. referendam esse putavi.

2) Caspar Zeyner.

*) Antonii Ottonis Northusani?

---

**No. 4836.** h. a.

## Inscriptio.

† Ex cod. Goth. 79. in 4to. p. 474. — „Supputatio annor. mundi" latine scripta a Luthero prodiit Witebergae 1541. iter. 1545. — Germanice: Chronica des Ehrw. Hrn. D. Mart. Luthers. Witth. 1550. 8.

*Chronicae Lutheri inscripsit Phil. Melanth.*

Psal. 78.

Ich will meinen Mund aufthun zu Sprüchen, und alte Geschicht aussprechen, die wir gehört haben und wissen, und unsre Väter uns erzählt haben, daß wir nicht verhalten sollen unsern Kindern, die hernach kommen, und verkündigen den Ruhm des Herrn.

Die großen Thaten hat Gott befohlen, daß sie unsre Väter ihren Söhnen, und ihre Söhne ihren Nachkommen sagen sollen. Es ist gewißlich Gottes ernster Wille, daß wir seine gnädigen Offenbarungen und Zeugnisse lernen, und ihn dadurch lernen recht erkennen, ihm glauben, ihn fürchten und anrufen, und ihm gehorsam seyn, und laut der vorigen Exempel Hülf und Rettung erwarten. Ist noth *) zu wissen Ordnung der Zeit und Jahre, wie hernach in der Vorrede angezeigt ist. Darum soll man solche Verzeichniß der Jahre merken, und die Gedächtniß und Bücher, darin Historien und Ordnung der Zeit gefasset, treulich bewahren, erhalten und lesen. Dieß ist gewißlich Gottes Wille; denn darum hat er selbs seine Historiam schreiben und fassen lassen.

---

*) i. e. Es ist aber nöthig. Videtur aliquid hic excidisse.

**No. 4887.** **h. a.**

## *Alia inscriptio.*

**In exemplo libri, quondam Eberi, nunc Pl. Rev. Sixti Pastoris Sennfeldensium prope Schweinfurt: „Enarratio Symboli Niceni. Cum praefatione Philippi Melanthonis ad Doctores Ecclesiae Dei in Saxonia. Witebergae 1560. 8." haec leguntur scripta manu Melanthonis:**

תנא דבי אליהו
שתא אלפי שני הוי עלם
וחד חריב:
שני אלפי' תהו
שני אלפי' תורה
שני אלפי' ימות המשיח
ובעונו תינו שרבו
יצאו מהם שיצאו

Traditio Domus Eliae
sex millia; Anni sūt Mundi
& postea destructio
Duo millia, Inane
Duo millia, Lex
Duo millia, Dies Messiae
Et propter peccata nr̃a quę
multa sūt, deerūt anni qui
deerunt

Spiritus ut Domini nascētia *)
corpora fovit,
Cum manus Artificis
conderet ipsa Dei.
Sic foveat coetus qui
Christi oracula discūt
Accendatq; igni pectora
nostra suo.

Philippus Melanthon.

Athanasius:

*Καλὸν ἡ ἄσκησις, μετὰ*
*ἀληθοῦς γνώσεως,*
*καὶ σύμμετρος.*
*εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώια,*
*δυσσεβέων δ' οὔ.*

*) Hi versus leguntur etiam in Melanth. epigr. p. 85.

# 1551.

No. 4838. 1. Jan.

## *Philippo Com. a Nass.*

Praemissa libro: Die schöne und tröstliche Historia von Joseph, darin das Wesen und Stand Christi und seiner Kirchen erkläret und angezeigt wird. Durch Casparum Goldwurm, Athesinum. 1551. Mit einer schönen und tröstlichen Vorrede D. Phil. Melanth. Wittenberg durch Georg Schawen Erben, anno 1551. 4. (descripta a Cl. *Foerstemanno*).

Dem wohlgebohren Grafen und Herrn, Herrn Philipps, Grafen zu Nassau und zu Sarbrück, Herrn zu Mehrenburg etc. Meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Wohlgebohrner, gnädiger Graf und Herr. Wiewohl menschliche Vernunft in großen Zweifel fällt, ob Gott Richter und Helfer seyn wolle, und ob auch ein besonderer Theil im menschlichen Geschlecht Gottes ewige Kirche sey, und wo sie sey, so wie die große und mancherlei Unordnung in der Welt, und Spaltungen und Zwietracht in allen Völkern anschauen, wie auch ohne Zweifel die Nachbarn Jacob, welches Hausgesinde die Zeit Gottes Kirche seyn sollte, und gewißlich war, da sie vernommen, daß die Söhne ihren Bruder getödtet oder verkauft haben, item, da sie die Stadt Sichem mit Betrug überfielen, und die Bürger tödteten, item, daß der ältere Sohn des Vaters Weib beschlafen ꝛc., haben solch unordentlich Volk nicht für Gottes Kirche gehalten: so hat doch Gott wider solchen Zweifel mancherlei klare Offenbarung und Zeugniß gegeben, daß wir lernen, wissen und festiglich schließen sollen, daß gewißlich das menschliche Geschlecht nicht vergebens geschaffen ist, sondern daß Gott darin will erkannt seyn, und will je eine ewige Kirche daraus sammeln, will Richter seyn etc.

Und obgleich der Teufel und menschliche Schwachheit viel Unordnung machen, so hat Gott dennoch Zeugniß gegeben, als in diesem Joseph; item, in Ausführung aus Aegypten; item in Auferweckung der Todten und mancherlei Mirakeln, und hat uns seine Lehre von seinem Wesen und Willen, Gesetz, Dräuung der Strafe und Verheißung der Gnaden geoffenbaret, daß wir ganz gewiß sind, daß eine Gottes-Kirche ist, und wo sie allzeit ist, und wie sie zu erkennen, und von allen Völkern und Menschen zu unterscheiden ist.

Denn obgleich Jacobs Hausgesinde große Sünde thät, und die Heiden halten übel von ihnen, so sind doch der Vater, die Mutter, Joseph und viel andre Zuhörer bei ihnen gewesen, die Gottes Wort und Lehre treulich bewahrt haben, und haben Gott mit wahrhaftiger Anrufung und rechtem Gehorsam gedienet. Die sind also gewißlich Gottes Kirche, obgleich der Teufel auf allen Seiten um sie laufet, und viel Sturm versuchet, und wollt sie gern alle auffressen, richtet mancherlei Spaltungen und Aergerniß an ꝛc.

Und soll die rechte wahrhaftige Kirche erkannt werden bei diesen gewissen Zeichen, bei reiner Lehr des Evangelii, und rechtem Brauch des Sacraments. Und ist ganz gewiß, dieser Hauf ist nicht Gottes Kirche, welcher reine Lehre verfolget, und öffentliche Abgötterei und Sünde billiget, stärket und schützet. Denn es ist klar geschrieben: wer ein ander Evangelium predigt, der soll verflucht seyn, sie haben Titel und Dignitäten wie sie wollen, als Papst, Bischöffe, Canoniker, Mönche ꝛc. und ihr Anhang. Das ist so öffentlich, daß es nicht kann verdruckt werden.

Daraus folgt auch, daß gewißlich diese Menschen Gottes Kirche und Volk sind, die reine Lehre des Evangelii und rechten Brauch der Sacrament annehmen, lieben, pflanzen, bekennen, Gott recht anrufen, Abgötterei fliehen und strafen. Von diesen sagt der Sohn Gottes: meine Schäflein hören meine Stimme.

Dieses hab ich erstlich darum gesagt, denn dieser Grund ist allen Menschen nöthig, daß man erstlich betracht, was und wo Gottes Kirche sey, und wo sie zu-

erkennen, ob sie gleich mit vielen Aergernissen verdunkelt wird.

Zum andern so ist zum höchsten nöthig, daß ein jeder Mensch bei sich selbs schließe, daß er ein Gliedmaß der rechten Kirche Gottes seyn wolle, und sey, wie im 28. Psalm geschrieben ist: dieses einig bitt ich, dieses such ich, daß ich in deinem Haus mein lebenlang und ewiglich wohnen möge.

Und so oft wir sprechen im Symbolo: ich gläube, daß eine christliche Kirche sey, das ist, darin Gott und der Heiland Jesus Christus recht erkannt, und recht angerufen wird, und will darin gewißlich wirken, erhören, helfen und selig machen, so soll ein jeder bei sich betrachten, ob er dieser Kirchen Gliedmaß sey, und soll sich von Gottes Volk nicht ausschließen.

Ja, sprichst du, ist doch die rechte Lehre unsichtbar; item, es sind so mancherlei Spaltungen, daß man nicht weiß, wo die rechte Kirche zu finden ist. Antwort: Gott will erkannt seyn, und hat seinen Sohn öffentlich in die Welt gesandt, mit gewissem Gezeugniß, Auferweckung der Todten, hat sein Evangelium in aller Welt predigen lassen, wie der Psalm spricht: *in omnem terram exivit sonus eorum.* Darum ist gewißlich wahr, daß man die rechte Kirche kann und soll erkennen, obgleich die Aergernisse und mancherlei Unordnung ein großen Nebel machen vor den menschlichen Augen; dennoch hören die Ohren und Herzen die Lehre, und so du nicht wider dein eigen Gewissen reden willst, so kannst du verstehen und richten, welche Lehre dem Evangelio gleichstimmet, und welche ihm widerwärtig ist. Du kannst sie öffentlich richten, daß es eitel Lügen sind, wenn Papst oder Münch lehren, man verdiene Vergebung der Sünden durch Meßhalten, Möncherei oder andere unsere Werke. Item, du hörest, daß öffentliche Lügen sind, wenn sie sagen, man soll die gestorbenen Menschen anrufen. Item, man soll den Priestern die Ehe verbieten. Also kann ein gottfürchtiger Mensch, der die Wahrheit liebt, alle Artikel aus Gottes Wort selbs richten, und so er nun die Wahrheit annimmt, liebet und also Gott recht anrufet, so soll er schließen, daß er gewißlich der rechten Kirche Gliedmaß ist, obgleich viel Feinde und Verächter der Wahrheit um ihn und neben ihm sind, gleichwohl gehört er in das Häuflein, das in die Welt zerstreuet ist, welches die Versammlung Christi ist. Als, obgleich Loth zu Sodoma war, und Joseph in Aegypten, so waren sie dennoch Gliedmaß der rechten Kirche, und gehörten in die Versammlung Sem, Abraham, Isaac, Jacob etc.

Diesen Trost sollen alle Menschen wissen, ob du gleich in der Türkei ein Gefangener wärest, so bleibst du dennoch ein Gliedmaß Christi, so du in reiner Lehre und rechtem Vertrauen auf den Sohn Gottes Gott anrufest und solches bekennest, und Abgötterei strafest ꝛc. Es soll auch ein solcher Gefangener mit dem Herzen bei der rechten Kirche seyn, mit ihr anrufen, wie Joseph in Aegypto gedacht hat, daß er diesen wahrhaftigen Gott anrufet, der seinem Vater Jacob die Verheißung gegeben hat, und hat also mit seinem Vater denselbigen Gott angerufen.

Dieses sey zu Trost gesagt in dieser jämmerlichen Zerstreuung. Dabei aber sollen christliche Regenten dieses auch wissen, daß sie ihnen und ihren Unterthanen zu gut öffentliche christliche Versammlungen, das Predigtamt, Taufe, Absolution, öffentliche christliche Austheilung des Leibs und Bluts Christi erhalten sollen, daß Gott in solcher Versammlung gepreiset werde, wie im Psalm geschrieben stehet: es sollen Könige und das Volk zusammenkommen, Gott zu dienen.

Und ist einem christlichen Herzen eine große Freude, so es auch äußerlich vor Augen eine rechte Versammlung und Kirche siehet, darin nicht falsche Lehre und Abgötterei ist, sondern da Gott recht von Vielen zugleich und einträchtiglich angerufen und gepreiset wird. Dieses Werk sind alle Regenten zu erhalten schuldig, wie der Psalm spricht: ihr Fürsten thut eure Thore auf, daß der Sohn Gottes bei euch und den euern erkannt werde.

Solches hat Joseph auch in Aegypten gethan; erstlich als ein Gefangener im Kerker allein, oder mit Wenigen, Gott angerufen, aber hernach ist durch seine Lehre der König zu Gott bekehrt worden. Da ist auch öffentlich rechte Versammlung angerichtet worden.

Von diesem Trost und dieser Erinnerung ist weiter geredt in diesen Predigten des würdigen und wohlgelahrten Caspar Goldwurms, Athesini, der Euer Gnaden bekannt ist, in welchen christlicher Lehre Summa rein und recht gefasset ist. So ist insonderheit zu dieser Zeit die Historia Josephs tröstlich zu lesen. Darum wolle E. G. dieses Werk zu christlichem Trost und Erinnerung zu lesen gnädiglich annehmen. Der allmächtige und eingebohrne Sohn Gottes Jesus Christus unser Heiland, der von seinem armen Häuflein gesprochen hat: niemand vermag mir meine Schäflein aus meinen Händen reißen, der wolle E. G. und E. G. Gemahl und junge Herrschaft gnädiglich allzeit regieren und bewahren. Datum Witteberg am neuen Jahrestag anno 1551.

E. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

No. 4839. 1. Ian.

## *F. Staphylo.*

† Ex autographo Mel. a *Schelhornio* descripta in collect. Ballenst. Vol. I. p. 18 b.

*Friderico Staphylo, in Academia Regiomontana.*

**S. D.** Doctissime vir et cariss. frater. Accepi tuum scriptum et inspexi, ac video, tuas copias non solum robore valere, sed etiam splendide ornatas esse. Ego proelior inter velites *καὶ ψίλους*. Sed arcem tenere studeo: fidem niti obedientia mediatoris, non nostra novitate. Hunc portum et hanc consolationem delet illa *Baltica Gorgon*. De schola Episcopi primum [1]) in aula regia non impetraturum esse reditus. Deinde scis, *οὐκ ὅρκια πιστὰ λέουσι* [2]) *καὶ ἀνδράσιν εἶναι,* ut inquit Homerus, et nos didicimus *παθόντες*. Postremo sermones hominum quales sint, vides. Iudicant, esse desertionem veritatis familiaritatem qualemcunque cum isto genere. Hos sermones sustinere non poteris sine magno dolore. Quare tuae tranquillitati rectius consules, si omnino abstinebis ab Episcopi familiaritate. In Academia *Rostochiana* tranquillam et honestam functionem habere te posse existimo. Ego si hac nostra sede expellar, quod reliquum erit vitae Deo iuvante in precatione et privatis studiis peragam. Nosti ipse, quae fuerit mea sedulitas, quas tulerim aerumnas. Nunc qualis gratia redditur? Scio, haec ita fieri inter homines, et sapienter ferenda esse. Sed si Deus mihi tranquilliorem senectam praeberet, magnum beneficium esse ducerem, quem quidem oro, ut servet Ecclesiam et nos gubernet. Bene vale. Calend. Ianuarii.

Philippus.

---

No. 4840. 12. Ian.

## *Fabricius ad Eberum.*

† Ex autographo Fabricii in cod. Goth. 123. ep. 126. (Quum Melanthon in epistolis horum prodigiorum saepius mentionem fecerit, eorum catalogum ab epistolis eius abesse noluimus.)

*Clariss. et doctiss. viro, D. Paulo Ebero, philosophiae professori in Acad. Witenbergensi, amico suo plurimum colendo*

**S.** Ignosce mihi, doctissime *Ebere*, quod serius exequar tua mandata, non enim mihi studium deest gratificandi tibi, viro optimo atque diligentiss., sed rerum ipsarum varietas et multitudo moram affert mihi. Si quid autem pollicitus es auditoribus tuis, aequo animo ferent aliquantulum spatium temporis, dum certiora et pleniora postea illis communices. Quis putaret autem, intra tam paucos annos tot monstra evenisse, totque significationes factas irae divinae in coelo, terra, aquis, aliisque rebus? Fateor in eo quoque culpam meam, qui negligentius quaedam consignarim, quaedam non curaverim, cum crederem rumoribus nos decipi. Sed inter tot tantaque miracula atque prodigia non possunt non esse plurima vera, ut sunt: quaedam etiam vero magis similia essent, si aut ab hominibus peritis animadversa, aut primum non a simplicibus prodita. Accipe igitur nunc catalogum eorum, quae mox copiosiora mittam.

| | | |
|---|---|---|
| 1537. | Incendium Aetnae. | 16. Cal. Aprilis. |
| | Fulmen Romae. | pr. Id. Decemb. |
| 1538. | Terrae motu mons factus. | pr. Cal. Octob. |
| 1539. | Partus monstrosus in Italia. | |
| 1540. | Terrae motus Chemnicii. | 5. Cal. Iulii. |
| 1541. | Partus montrosus Fribergi. | 19. Cal. Febr. |
| | Vitulus biceps. | |
| | Botrus barbatus. | |
| 1542. | Terrae motus in Hetruria. | 8. Id. Iunii. |
| | Locustae in Italia. | Augusto et Septb. |
| | Locustae in Germania. | Octobri. |
| | Monstrosus partus. | |
| | Terrae motus in Sicilia. | 16. Cal. Ian. |
| | Fulmen Florentiae. | 11. Cal. Ian. |
| 1543. | Monstrosus partus in Belgio | 8. Cal. Febr. |
| 1545. | Vates Hessica. | |
| 1546. | Infans in utero ploratus. | |
| | Piscis miraculosus. | |
| | Terrae motus in Syria. | |
| | Tempestas Mechliniae. | 1. Id. Aug. |
| 1547. | Partus monstrosus Lovanii. | 1. Id. April. |
| | Fulmen Misenae. | 4. Cal. Maii. |
| | Fulmen aliud. | eod. die. |
| | Arista tritici spicarum quindecim. | |
| | Locustae in Rhetia. | Iulio mense. |

1) Excidisse hic aliquid, satis liquet; fortasse: *puto te*.

2) Schelh. mendose *λέγουσι* pro *λέουσι*. Est locus in Iliad. X, 762.: *ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά.*

| | | |
|---|---|---|
| 1547. | Crux in coelo visa Romae. | Idib. Nov. |
| | Pueri in saxa mutati. | |
| 1548. | Prodigium in coelo in Lusatia. | 11. Cal. Iunii. |
| | Aliud in Thuringia Holtzhusii. | pr. Cal. Iun. |
| | Aliud Prettini. | 12. Cal. Iulii. |
| | Aliud Ienae in Turingia. | 7. Cal. Aug. |
| | Aliud Numburgi. | 5. Cal. Aug. |
| | Sanguis ex spicis in Silesia. | |
| 1549. | Pluit frumenta tribus locis, Stiriae, Turingiae, Boëmiae. | |
| | Campus ardens in Votlandia. | Octbr. |
| | Tres soles visi in Suevia. | pr. Non. Novembr. |
| | Chasma. | 7. Id. Novb. |
| | Monstrosus partus. | Decbr. |
| 1550. | Pira florem emittentia. | |
| | Prodigium Trebisense. | pr. Id. Iunii. |
| | Monstrosus partus Fribergae. | 4. Id. Iulii. |
| | Mirum de stante adolescente, | ibid. |
| | Monstrosus partus zu Motschen. | |

Haec dabunt tibi occasionem investigandi alia: isthic enim plura et certiora licet cognoscere: cum erit certus nuncius rerum istarum nudam narrationem accipies. Vale. pr. id. Ian. M. DLI.

Georgius Fabricius.

*Georgius Agricola*, amicus noster, excellens philosophus, nascitur in oppido Misenae Glaucha 1494., nono calend. Aprilis mane, medio inter horam quartam et quintam spatio.

---

No. 4841. 13. Ian.

## *Gustavo Regi Suec.*

Edita in: „Monumenta politico-ecclesiastica ex Archivo Palmskiöldiano nunc primum in lucem edita, (Disp. Cont. I.) Praeside Olavo O. Celsio, Respond. Io. Lindblad, Upsal. 1759. p. 19 sq. — Descripta nobis a S. V. *Lüdecke*, Past. Stockholm.

*Serenissimo, invictissimo, illustrissimoque Principi ac Domino, Dom. Gustavo, Suecorum, Gothorum et Vandalorum Regi inclyto etc. Domino suo clementissimo,*

S. D. Inclyte et Potentissime Rex et Domine clementissime. Gratias agimus summa reverentia Regiae Maiestati vestrae. Pastor huius Ecclesiae Doctor *Pomeranus* et ego, quod per legatos hac iter facientes Regia Maiestas Vestra exponi nobis iussit suam erga nos clementiam, et oramus Deum conditorem generis humani, custodem et Ecclesiae suae et Regnorum quae sunt Ecclesiae hospitia, ut et Regiam M. V. diu servet incolumem, et posteritati Regiae Maiestatis vestrae foelicem et salutarem gubernationem tribuat. Ecclesiam et doctrinam literarum et artium alibi Turci, alibi Pontifices delere conantur.

In hac tanta calamitate levatio quaedam est, quod Regia Maiestas V. et Rex Danicus eximia pietate tegunt et fovent Ecclesias, ut olim Cyrus, Constantinus, Theodosius. Tales Reges et in terris vere sunt imagines Dei, et in celesti Ecclesia perpetua gratulatione celebrabuntur. Hic triumphus splendidior erit omnibus triumphis Iulii et Pompeii et similibus. Cum igitur scirem Regiae Maiestatis Vestrae clementiam erga homines modestos et eruditos eximiam esse, dedi huic *Erico Herchiepe* Finlandiensi testimonium, ut eius studia Regiae Maiestati Vestrae commendarem. Vir honestus est et gravis, et cum Rostochii virum doctissimum *Arnoldum Burenium* audivisset biennio, Postea in hac Academia triennium commoratus, ad studia latinae et graecae linguae etiam Ebraeam adiunxit, ut rectius enarrare sermonem propheticum possit. Et doctrinam Ecclesiae Dei recte didicit et consensu amplectitur, quam et Suedicae et nostrae Ecclesiae uno spiritu et una voce cum catholica Ecclesia Christi profitentur. Cumque sciat ad dexteritatem in docendo prodesse philosophiae cognitionem, etiam harum artium doctrina se instruxit quas Philosophia continet. Nec vero dubito, quin Regia Maiestas V. maxime velit ut passim Ecclesiis praeficiantur viri honesti, eruditi et moderati. Talem esse hunc *Ericum* Regia Maiestas V. cognoscet. Est et haec eius virtus laudanda, quod reditum sibi ad Academias concedi orat, ut de multis doctrinarum partibus eruditionem augeat et iudicium confirmet. Itaque Regiam M. V. reverenter oro, ut studia eius diutius adiuvet. Xenophon inquit: Nihil differt Rex bonus a patre bono. Hac fiducia *Ericus* ad Regiam M. V. cuius scit paternam esse voluntatem erga subditos, summa reverentia, hoc testimonium et hanc petitionem adfert. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Regiam M. V. servet incolumem, et Ec-

clesiis et Regno in Suecia piam et perpetuam pacem largiatur.

Datae Witebergae Idibus Ianuarii A:o 1551.

Inclytae Regiae Maiestati V.

addictus reverenter

Philippus Melanthon.

---

**No. 4842.** **14. Ian.**

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 171 sq. Contuli autograph. in cod. Mon. I, p. 153.

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori Norib.*

S. D. Ut hic veniens annus faustus ac foelix sit Ecclesiae publicae et tuae domesticae Ecclesiae, faciat Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, custos generis humani, qui de nobis dixit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* De bellis Saxonicis nec scribere libet nec argumentum habeo literis dignum, nec quid agatur scio. Ac magis excruciant me Hyperboreae disputationes, quam cura huius vicini belli. Ac de disputationibus illis scribam alias.

Nunc tibi *Ketzmannum* viri optimi filium egregia indole praeditum, et doctrina recte instructum commendo. Te intuetur adolescentia vestra, tibi curae esse salutem publicam et rectas doctrinas *) videt. Et quanquam te non libenter onero, tamen horum laudo virtutem, qui tibi probari cupiunt. Nec defatigeris iuvandis mediocribus ingeniis, etiamsi in hac confusione rerum frustra laborare videmur. Sed hac nos Pauli voce consolemur: ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ. Deo curae erit, ne sint irriti labores, etiamsi res humanae variis tumultibus quassantur. Bene et feliciter vale. Die 14. Ianuarii. 1551.

Philippus Melanthon.

---

**No. 4843.** **21. Ian.**

## *Io. Placotomo.*

Epist. lib. VI. p. 283.

*) Sic edidit Spanhemius, sed autographon habet: *rectae doctrinae*, ex errore; vel praetermissum est *studium* vel simile.

*Iohanni Placotomo, Doctori Artis medicae.*

S. D. Clariss. vir, et cariss. frater; Profecto mihi non deest studium gratificandi, et de tua virtute, integritate et industria sic sentio, ut scripsi in literis, quarum exemplum mitto *). Vellem autem te ipsum ad aulam proficisci, et consilio uti Domini Cancellarii, quem scio non deesse viris honestis, et saepe mihi in magnis rebus gratificatus est. Adiunget etiam Reverendum D. *Islebium*, ad quem accipies literas a Socero tuo. Spero et *Sabini* amicitiam tibi usui fore et ad eum scribam. Oro autem Deum ut te et tuam domesticam Ecclesiam servet, et omnia tua consilia gubernet. Bene vale. Die 21. Ianuarii 1551.

---

**No. 4844.** **22. Ian.**

## *H. Besoldo.*

Epist. lib. V. p. 242 sqq.

*Hieronymo Besoldo (docendi Evang. Noribergae)*

S. D. Reverende vir, et amice charissime. Magnitudo earum rerum, de quibus libenter ad te scriberem, tanta est, ut necesse sit mihi, dicere illud Aristotelicum: ταῦτα οὐκ ἔστιν ἐπιστολικά. Semper reverenter de tuo socero [1]) et sensi et locutus sum, ac miror, unde tantum sit incendium adversus me [2]). Sed Deo hoc commendo, ac toto eum pectore quotidie oro, ut me faciat σκεῦος ἐλέους. Nominat nos socer tuus simios. Fateor, me doctrinam aliunde accepisse, nec unquam volui aliud sonare, nisi communem vocem Ecclesiarum nostrarum, et cum *Luthero* de hac ipsa caussa familiarissime saepe locutus sum. Si non habes pagellas, in qua sua manu *Lutherus* mihi respondit ad quasdam interrogationes de imputatione,

*) Placotomus, suspectus quarundam insidiarum ex Academia Regiomontana iterum migraverat in Saxoniam anno 1550. Uberius totam rem narratam habes in epistola Osiandri ad Besoldum, edita in Hummelii semicenturia II. epistolar. sec. XVI. etc. p. 74 sqq.

1) *Osiandro.*

2) Osiander in ep. ad Besold. d. 21. Febr. 1551. (vid. Hummelii semicenturia epistolar. etc. P. II. p. 81.) de Melanthone scribit: „Ego credo, *Philippum* cum omnibus adhaerentibus ipsi esse mera mancipia Satanae. — — tanto artificio retinet speciem sanae doctrinae, abnegata omni veritate eius, ut non credam, pestilentiorem hominem in Ecclesia extitisse iam inde a temporibus apostolorum.“

mittam tibi exemplum. Socer tuus ita in nos invehitur, quasi nihil de renovatione dicamus. Vera pietate vos quoque et de Filii Dei praesentia in renatis et de vivificatione et renovatione omnia diximus. Sed etiamsi novitas inchoata est, tamen retinenda est consolatio de imputatione. Mitto tibi pagellas meo more, teque oro, ut quamprimum rescribas. Bene et felic. vale. Die 22. Ian. Non habebam nunc tempus ad scribendam longiorem epistolam.

Philippus Melanthon.

---

No. 4845. 22. Ian.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 172 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 154.

*Clarissimo viro — D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.*

S. D. Ἔα μάχην, ἔα πόλεμον χωρὶς Θεοῦ, inquit Pindarus. Ac idem monent tot exempla, in quibus vidimus infeliciter bella mota esse praetextu doctrinae. Sex millia militum collegerant *Volradus Mansfeldensis* et *Heidecus*, quae iam sine pugna dissipata sunt *). Exempla tibi mitto literarum quas scripserunt ductores ad vicinos. Miraberis quam pollicentur se Ordinis Equestris commoda amplificaturos esse. Sed omitto hanc narrationem et potius oro Filium Dei, ut ipse nos regat ubique et servet Ecclesiae suae reliquias. Mitto tibi pagellas hic editas. Tales operas iudico utiliores esse Ecclesiae, quam illa seditionum classica, qualia nostri vicini scripserunt. Bene et foeliciter vale. Die 22. Ianuarii. 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4846. 1. Febr.

## *Eidem.*

† Ex autographo Melanth. in cod. Monac. I. p. 262.

*Clarissimo viro, Dom. Hieronymo Bomgartnero, Senatori.*

S. D. Clarissime vir. Multa peccamus omnes, non tantum nostra causa, sed etiam propter alios vel intempestive vel iniusta petentes. Sed demus veniam communae miseriae hominum. Αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει **). Doc. *Leonartus Stettner* orat, a republica sibi mutuo dari ducentos aureos, et pollicetur, se bona fide redditurum esse. Id ut tibi significarem voluit. Nescio quid fieri possit; significavi tamen, et te oro, ut nobis respondeas **). Bene vale. Calend. Febr.

Philippus Melanthon.

---

No. 4847. 2. Febr.

## *Eidem.*

Epist. lib. VI. p. 173 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 156.

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.*

S. D. Hanc Epistolam scripsi die secundo Februarii, quo Ecclesia recitat historiam pulcherrimi congressus Simeonis, Mariae, Annae et similium quorundam in templo, cum puer primogenitus ritu illo, qui propter multas commonefactiones divinitus institutus erat, offerretur aeterno Patri. In cuius historiae cogitatione, intuens illam Ecclesiam, quae inter teterrima monstra tyrannorum et Pharisaeorum et Sadducaeorum et magnos exercitus pessimorum hominum tamen servata et protecta est, orabam hunc ipsum primogenitum filium Dei, ut nunc quoque nos et regat et tueatur, et suos aliquos coetus semper servet. Idque te hoc ipso die a Deo petere cum Ecclesia tua domestica non dubitabam.

Dedi autem hanc epistolam Iohanni *Bosoni* Mansfeldensi, qui ad *Sebaldum Geuderum*, quod faustum et foelix sit, proficiscitur, auditurus eius voluntatem de filiis instituendis. Adfert ad id munus optimos mores et eruditionem in lingua Latina, Philosophia, doctrina Ecclesiae et Iure, convenientem huic institutioni, et fidem et gravi-

---

*) Ea de re habet Sleidan. in Comment. p. 689. haec: „Erat id temporis (1550.) in Saxonia *Hedecceus*. Is et *Albertus* Mansfeldius — copias conscribunt, ut Magdeburgicis essent auxilio. *Mauritius* ergo Decembri mense cum parte exercitus illos petit et dissipat."

*) Homer. Odyss. ρ', vers. 347. *αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρί.*

**) Vid. ea de re ep. ad Baumg. die aequin. verni anno 1551.

tatem scio in eo eximiam esse. Quare te oro, ut tuis eum literis Patri *Geudero* commendes, quem tamen suo consilio et arbitrio de tota re statuere volumus. Academiarum studia Dei beneficio adhuc mediocria esse ex hoc ipso *Bosone* intelliges, qui et Saxonicas historias narrare poterit, quarum ut sit *καταστροφὴ*, placida et utilis Ecclesiae, faciat ille ipse primogenitus Filius Dei, qui et horribiliter primogenita in Aegypto occidit et delet ubique superbos, et servat Ecclesiam suam in aedibus, quarum limina sanguine agni notata sunt. Hic filius Dei te quoque protegat et tuam domesticam Ecclesiam. Bene vale et rescribe. 2. Febr. 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4848. 8. Febr.

## *Matth. Irenaeo.*

Epistola d. d. 8. Febr. 1551. Matthiae Irenaeo inscripta incipiens: „Etsi mea causa" etc. legebatur in Hummelii Collect. T. I. p. 62.

---

No. 4849. 9. Febr.

## *Bucerus (ad Io. Praetorium?)*

† Ex apographo in cod. Guelpherb. No. 7. 9. in fol. p. 246.

*Fidelissimo Christi ministro I. P. (Ioanni Praetorio?) S. S. in Saxonibus, fratri carissimo.*

Benevolentiam, consolationem atque defensionem precor tibi, domui tuae, et Ecclesiae, atque generosis Comitibus tuis ab omnipotente servatore nostro Iesu Christo, venerande collega, frater carissime. Non decebat te tam anxie excusare scribendi beneficium. Nam ab eo, quod primum te cognovi, et quae Dominus tibi contulit sua dona agnovi, maioris semper te feci, et id puto me quoque tibi satis familiariter declarasse, quam ut dubitare debeas, tuas mihi quam gratissimas fore literas. Missis igitur istis urbanitatibus, agamus in domino familiariter.

Petiisti a me et tuo et generosi Comitis *Henrici* nomine, ut describam ad vos causam atque eventum stragis [illegible] hic admissae. Perstringam rem breviter.

*Anglia* divisa est in comitatus 39, in quibus unus est in parte occidentali, *Devoniae* nomen habens, finitimus Cornubiae, praepotenti comitatui. Populus est in hoc Devoniae comitatu opulentus atque ferox, terram habitans paluatrem et maritimam, littusque Gallicum habet obiectum. Hi homines caruerunt idoneis doctoribus diu, ut tota prope Anglia, eoque ut et alii peraegre tulerunt, eripi sibi primum cuncta monasteria, et quae colebantur statuas, quod factum est ab *Henrico* octavo: multo aegrius, cum initio statim regni huius *Eduardi* sexti sublatae fuerunt semel *) cunctae statuae et imagines: aegerrime vero, cum biennio hinc tota religionis administratio mutaretur ad praescriptum verbi Dei in omnibus necessariis partibus. Missae enim omnes tunc sublatae sunt et aliae papisticae ceremoniae, ritus sacrorum non dissimilis Coloniensis ordinationis institutus, et totus in vernacula lingua, suntque libri sacrorum ad omnes comitatus missi cum edictis ex lege regni, ut eos libros omnes pastores et populi susciperent et sequerentur. Cum itaque nusquam in hoc comitatu, ut in aliis quoque perpauci sunt, pii et docti essent sacerdotes, sed omnes indocti, flagitiosi et obstinati papistae, (plerique ne anglice quidem possunt legere, aut quicquam praeterquam demurmurare suas non intellectas missas et facere mortuaria) — hi perditi sacrificuli, videntes suum avertendum quaestum, populum per se accensum in seditionem concitarunt, duces se illi praebuerunt, nobilibus quibusdam in societatem pertractis, ut manum conflarint bene pugnacem ad X millia. Aram quandam et ipsum panem eucharistiae suae circumferebant in castris cum aqua benedicta, qua lustrabantur subinde, et maxime cum pugnandum esset. Concilium regni tentavit primum permulta, ut horum furores sedaret absque caede; miserebat populi a sacrificis dementati. Illi autem, quo magis eis Consiliarii regis blandirentur, eo insanius ferociebant, ac deposcebant iam ad poenas regni protectorem et Cantuariensem, sibique missas et ritum omnem papisticam relinqui volebant, novumque sacrorum librum aboleri, cuius illi exemplaria quotquot habuerunt, exusserunt. Poscebant item, ut Cardinalis *Polus*, qui ex prima Angliae nobilitate est, revocaretur, regisque et regni cura ei committeretur.

---

*) simul?

Postquam igitur nihil posset cum eis ex aequo transigi, et urgerent graviter obsidione urbem praeclaram iuxta suum comitatum, *Exeniam*, qua occupata periculum erat, ut ad se et Sommersetenses et Cornubios permoverent, missus est contra eos Comes *Betfordiensis*, vir senex, sed valde strenuus atque regi fidus, cum iusta manu. Eodem tempore passim per regnum concurrebant agricolae, sed non religionis causa; querebantur illi de iniqua oppressione nobilium, qui de publicis agris ad roboraria sua pro domis, atque etiam ad pascua pro ovibus plurimum sibi vendicassent. Ex his unus populus *Norvicensis* verbis sedari non potuit. Cum igitur et cum his pugnandum esset, eo magis cavendum erat, ne *Devonienses* illi suam potentiam augerent. Sunt enim omnia hic papisticis sacrificulis et hominibus aliis referta. Desunt enim doctores; alioqui populus satis docilis. Nam quocunque veniunt idonei Evangelii Christi praedicatores, plebei summa animi promptitudine evangelium recipiunt. Et sunt certe aliquot summa pietate et doctrina praediti in hoc regno concionatores, sed numerus est longe impar regni amplitudini. Inde invenias frequentia oppida, quae in duobus aut tribus annis ultra unam concionem non audierunt.

Ubi igitur satis apparuit, nihil posse cum *Devoniensibus* nisi armis decerni, arma expedita sunt, et feliciter aliquoties cum illis pugnatum est. Sed nec sic aequas admittebant conditiones, donec iusto proelio conflictatum est, et prope sex millia ex eis caesi sunt, nec pauci capti, ex quibus multi fuerunt sacrificuli; nam hi fere ordines duxerunt, cumque de Christo nihil possent, de Antichristi tum virtute, tum de certo auxilio Dei adfuturo ipsis, a divis, a missis, a reliquis ceremoniis, a consentientibus in regno plurima praedicaverant. Non pauci ergo ex his, parta victoria, pependerunt. Posthaec missus est ad reliquos huius populi valde pius quidam et doctus concionator; is paucis mensibus totam prope gentem ad dominum convertit, ut iam vix alter sit Comitatus, in quo habeat religio melius. Tanta est vis verbi fideliter praedicati. Eodem prope tempore commissa sunt proelia cum aliis seditiosis, qui ipsi quoque manus non dederunt, antequam ad sex millia ex eis caederentur.

Habes ut dominus monuerit Angliam commemoratis seditionibus. Tu ores, ut admonitionem det quoque istam, et alias in tempore sequi. Plurima enim restant hic corrigenda. *Rex* admirandae pietatis est, et ingenii felicissimi, studii indefessi; tamen, cum decimum quartum modo agat annum, regni gubernacula administrare nondum per se potest. Sorores habet duas, quarum maior natu, cum summis alioqui virtutibus polleat, tamen de evangelio hactenus persuaderi non potuit. Ad hanc ergo plurimi respiciunt. Ex testamento enim patris, si quid filio accideret, proxima regni haeres est. Adhaec consobrina est *Imperatoris*, agitque nunc annum 34. Altera soror est sicut rex, et literarum et pietatis studiosissima.

Ego in schola Cantabrigiensi praelego literas sacras, ac spero non absque fructu, quamquam nimium supersit et hic obstinatorum papistarum. Tu precibus nostros adiuva labores. Ad decem prope menses, 1. ab Augusto ann. 49. usque in Maium anni 50., gravissimis morbis conflictatus sum, mortique proximus fui, sicque catharris noxiis adflicta membra fuerunt, ut manus ambae nondum sint plane restitutae. Commenda ergo et tu meum Domino ministerium, ut, dum fuero, laudet eum anima mea. Haec de Anglis.

De vobis summa laboro anxietate. Perscriptum enim est ad nos, extrema parari Magdeburgens., et passos gravem caedem per copias Mechelnburgens. cuiusdam, ac etiam obsidionem; postea professum se supremum Imperatorem huic bello ducem *Mauritium*; attamen dum *Mauritius* maximam copiarum partem duxit contra exercitum, coactum in auxilium Magdeburgensium, hos binis eruptionibus multos de hostibus suis trucidasse, cepisse atque a se propulsisse, atque inter alios ipsum quoque ducem Mechelnburgensem vulneratum cepisse. Ita si res habent, cum etiam ordines Imperii auxilia promiserint contra Magdeburgenses, horrendum cogitatu est, quae videatur Satan mala vestris regionibus adeoque toti Germaniae et pluribus adhuc gentibus conflasse. Dominus, qui verbo ventos et mare potest tranquillare, dignetur nobis suam dare atque conservare pacem. Amen. Tot annis nos clementissimus Dominus ad poenitentiam suam vocavit per evangelium suum; quam negligenter autem eum omnes audiverimus nunc experimur. Convertat vel nunc demum nos ad se penitus. Utinam possem saepe habere tuas literas. Dominus tueatur vos omnes, et qui periclitamini iam, et qui periculo vicini estis propter nomen suum.

Contentio illa de *Adiaphoris*, ut et aliae, machinae singulares sunt Satanae, quo distrahat quos Dominus tot et beneficiis et flagellis cogit ad se in unum. Legi pleraque scripta utrinque edita. Si vera sunt, quae alii aliis invicem impingunt, optarim, pleraque aliter esse instituta et perfecta. Sed quidquid sit de adiaphoris rebus in se, nunc in isto articulo confessionis, quae requiritur a nobis hodie, purae religionis, cum ad papatum manifeste revocamur, perpauca licet invenire, quae sint indifferentia. Aedificandae fidei debent omnia servire apud nos, nihil destructioni. Unius Christi sunt Ecclesiae, eius igitur Spiritui et verbo regendae per omnia relinqui debent. Si papistae vel summe necessaria religionis amplecti voluissent, poterat propter hoc bonum aliquid in externis admitti rebus, quod per se admittere non liceat, multo minus cum exigitur id, ut initium reditus ad papatum. Debemus Christum confiteri tanto liberius quam ullos reges, quando rex noster est maior omni homine. Is quoque solus omnipotens est, religionem nobis suam facile conservare potest, etiamsi contra moliatur omnia mundus universus, malletque eam servare non prodentibus eam humanae gratiae aut potentiae, quam iis qui ad humana respiciunt praesidia. Nunquam facienda mala sunt, ut eveniant bona. Inde autem existimo istam contentionem ortam. Legi, propositum a quibusdam principibus esse concionatoribus suis et populis, se non posse sustinere potentiam Caesaris, et statuisse iam, quaedam externa abolita revocare; non petere huius rei consilium a concionatoribus; illi de eo tantum statuant, cum hoc principum auctoritate factum fuerit, malint tolerare aliquid servitutis in ritibus externis, et sinceram servare populo doctrinam iustificationis, verosque usus omnium ceremoniarum, quam prodere greges suos confessis papistis, hic medium nullum superesse. In his angustiis forsan D. *Philippus* et alii quidam gravius duxerunt populos Christi in totum prodere papistis apertis et sceleratissimis, quam aliquid ceremoniarum admittere non pure cum verbo Dei consentientium, postquam putabant, retenta sana doctrina his malis posse oportuna adhuc remedia adhiberi. His vero angustiis et perplexis disputationibus semper abesse malui. Argentinae nullae imponebantur nobis reiectae ceremoniae; tantum petebatur, ut in refutanda missa, invocatione sanctorum, papatu et huiusmodi rebus priorem παῤῥησίαν paululum remitteremus ad tempus. Nemo quidem ex collegis id promisit; praestant tamen quidam. Ego vero nihil huius meae imponere potui conscientiae. Testatus itaque cum essem, cum sanctae memoriae *Paulo Fagio* collega meo, me oportere Antichristi omnia eo exagitare severius, quo ea impudentius ille auderet revocare, dimissus munere meo sum et loco, cum eodem *Paulo*, loco certe commodissimo, et aetate aliena; tamen malo hic exulare in regione corpori meo parum commoda, quam illic ullius intempestivi silentii tolerare conscientiam.

Oremus Dominum, ut ipse dirigat nos in his temporibus sane periculosissimis. Nimis ingrati fuimus multis amplissimis dei donis; id nunc sentiamus et nos emendemus. Erit cum virgam impiorum removebit a sorte iustorum.

De cane laborabo, quantum potero. Harum ego rerum, ut scis, parum sum peritus. Commenda meum ministerium domino, qui opulentissime benedicat tibi, uxori tuae, ambobus liberis, et generosis Comitibus omnique eorum domui et ditioni. Non possum plura nunc. Sum enim nonnihil affecta valetudine. Cantabrigiae 9. Februarii *) 1551.

Totus tuus et semper
*Martinus Bucerus.*

---

**No. 4850.** (d. 10. vel 11. Febr. in itinere.)

## *G. Fabricio.*

Epistola poëtica mihi descripta e cod. Zittaviensi, ubi No. 38. legitur. Eandem Georgius Fabricius descriptam misit Nic. Meurero, Lipsiensi, e quo apographo illam nuper edidit *Nobbius* in libello: Aliquot Georgii Fabricii ad Meurerum de Melanthone epistolae, p. 28. Melanthon eam scripsit, quum Dresdae esset, ut salutaret doctores Misnenses.

### *D. Georgio Fabricio et collegis.*

Χαίρετε ὦ λῷστοι ἁρμόζοντες, νεανίσκων
τῶν Μυσῶν[1]) σοφίᾳ στήθεα ἠδὲ λόγοις

---

*) Obiit M. Bucerus d. 27. Febr. 1551. — Adscriptum est apographo in codice, Bucerum hanc epist. sua manu non scripsisse, sed subscriptionem tantum. Idem testatur Mel. in epist. ad Baumgartn. d. IV. Non. Maii 1551 scripta, ubi de hac epistola loquitur. Est igitur fortasse ultima epistola, quam Bucerus ex Anglia misit in Germaniam.

1) Mysorum i. e. Misnensium. Misniam enim Melanthon vocat Mysiam. Male Nobb. dedit μουσῶν.

*Καὶ πατέρων ἀγαθῶν βλαστήματα καλὰ τρέφοντες,*
*μήποτε γίνεσθαι πατρίδ' ἔρημον ἐήν.*
*Οὐδὲν τοῦδε πόνου γέρας ἄλλοτι κάλλιόν ἐστι*
*μᾶλλον, ἢ [2]) εἰς ἀρετὴν ὠφέλιμον πολέσιν,*
*Χωρὶς γὰρ διδαχῆς θεὸς οὐ γινώσκεται ὀρθῶς,*
*χωρὶς ἐπιστήμης καὶ βίος ἐστὶ σκότος [3]).*
*Ἀλλὰ μάτην πόνος ἐστὶ βροτῶν ἐν πράγμασι πᾶσι,*
*οὔριον εἰ μὴ ἄγοι πνεῦμα θεοῖο φρένας.*
*Ἵλαον οὖν δέξαι ἡμῶν ὦ Χριστὲ δεήσεις,*
*σὴ [4]) χάρις ἡγείσθω Θεσπεσίοιο πόνου·*
*Καὶ σὺ διδασκόντων χορὸν εἶνα ὁμόφρονα ποίει*
*ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἡδὺ ὁμοφροσύνῃ.*
*Δεῖ δε φιλοφροσύνην ἀλλήλοις δεῖξαι ἅπαντας*
*καὶ πέμπειν οἶνον τοῖς προσιοῦσι ξένοις.*

Philippus.

---

No. 4851. 14. Febr. (Dresdae.)

## *P. Ebero.*

Epist. lib. II. p. 169. (ed. Lond. lib. II. ep. 158.).

*D. Paulo Ebero*

S. D. Spero nos vel hodie vel cras hinc discessuros esse *). Ex Academia *Lipsica* accersiti sunt *Fachsius* et *Camerarius*, nec de ulla re alia proposita est deliberatio, *εἰ μὴ περὶ τῆς ἐν τριαίνῃ συνόδου.* Etsi enim ludunt tantum *οἱ ἀρχιερεῖς* umbram Synodi ostendentes, tamen quod semel decrevit Imperator, non facile abiicit. Rex *Gallicus* ita adsentitur indictioni Synodi, ut petat tamen ne *ὁ ἀρχιερεὺς* sit *αὐτοκράτωρ*, vel *ἀνυπεύθυνος*, iterum sese etiam Synodi autoritati subiiciat. Fortasse haec ipsa conditio novam *πρόφασιν* tergiversationis, aut morae adferet. Tu tamen ad iter te iam accingito. Nam tuus pater te mittendum esse ad illum confessum censet, in quo nos quoque *Pauli* vocem exaudiri optaremus. Sed haec coram. Nos Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ut ipse Ecclesiae suae reliquias servet, ac inter nos sibi aeternam Ecclesiam colligat. Reverendo domino *Pastori* hanc legito epistolam, et ei salutem nostris verbis dicito. Pridie Dominicae Invocavit.

2) Cod. Zitt. *εἰ.*

3) Nobbius ob metrum scribere vult: *σκότος ἐστὶ βίος*, sed codex eundem verborum ordinem servat.

4) Cod. Zitt. *σὺ.*

*) Dresdae haec scripsit Mel., ut intelligitur ex epistola Caspari Heidenreich (in cod. Goth. 190. p. 194.) ad Anton. Lauterbachum d. d. 16. Febr. 1551. qui scribit: „Fuerunt hic venerabilis D. Pastor, Philippus Melanthon et Ioachimus Camerarius. Cum aulicis nostris deliberarunt de personis ad Concilium Tridentinum, quod huius anni primo Maii futurum est, mittendis, et quamvis nondum certo constet, quibus hoc negotium demandabitur, tamen hoc fere omnes affirmant, D. *Philippum* mansurum domi et illustriss. Principem Georgium ab Anhald fore supremum legatum, cui erunt comites Alesius Scotus, fortasse D. Maior et alii, quos ipse debet eligere. De forma confessionis nostrae nondum constat."

---

No. 4852. (his dieb.)

## *(De concilio Trid.)*

† Ex apographo in cod. Monac. 90. No. VII. p. 416. — Melanthonem haec non latine scripsisse persuasum habeo, et puto, illum lingua vernacula usum esse, et alium quendam scriptum in linguam latinam transtulisse. Caeterum non anno 1552. sed anno 1551. hoc iudicium scriptum est, quum intelligatur eo, quo scripsit, tempore, confessionem Saxonicam, concilio Trident. tradendam nondum fuisse conscriptam. Debebat igitur inscribi non de concilio Trid. *habito*, sed *habendo.* Videtur Dresdae a Melanthone exaratum mense Februario 1551. Vid. ep. ad Eberum d. d. 14. Febr. eius anni.

### *De concilio anno 1552. Trident. habito sententia et iudicium D. Philippi Melanthonis.*

Non dubium est Saxones, Prussiacos, Helveticos ac fortassis Anglos non accessuros esse ad concilium, etsi publica fide vocabuntur, et excusabunt se his argumentis.

Primum, non accedendum est, ne videantur adiuvare confirmationes errorum et corruptelas veritatis, quia non dubium est, talem synodum pontificiam confirmaturam esse multos errores. Scriptum est autem: non communices alienis peccatis.

Secundo: cum frustra reclamaturi essent; quid attinet frustra et cum periculo animae accedere?

Tertio, nulla aequa forma iudicii erit; Episcopi, qui sunt rei, erunt iudices.

Quarto dicent, ideo non esse accedendum, ne agnoscere videantur Episcopos tanquam partem Ecclesiae, sicut scriptum est: nolite iugum ducere cum gentibus: quae sit societas lucis et tenebrarum.

Quinto; si erit tantum continuatio Tridentinae Synodi et decreta iam facta, non licebit reprehendere, in quibus sunt manifesta errata. Quare

si accederent, viderentur assentiri decretis illis prius factis.

At nostrae Ecclesiae concedunt, oportere in nobis esse novitatem, et Deum esse causam illius novitatis et habitare in sanctis et sic fieri inhabitationem. Filius dicit verbum consolationis, in quo verbo cernitur voluntas aeterni patris, et simul dat spiritum s. in corda, laetificantem corda et accendentem dilectionem et invocationem et alias virtutes. Sed propter hanc novitatem non habet homo remissionem peccatorum et reconciliationem. Sed prius accipienda est remissio et reconciliatio, (quae sunt iustificatio propter mediatorem Deum et hominem), fide. Hac fide intuente mediatorem accedimus ad Deum, sumus iusti, id est, accepti non propter nostram novitatem, sed imputata nobis iustitia propter mediatorem. Haec est consolatio necessaria. Et sic prophetae accedunt ad Deum: *salvum me fac propter misericordiam.* Moises: *innocens coram te non est innocens.*

Medius quo non est terminus ad quem (?)
Fides est medium quo iustificamur,
Ergo fides est iusticia nostra.

Concedo totum argumentum, quia non sumus iusti fide propter qualitatis ipsius dignitatem, sed sumus iusti imputatione iusticiae propter Christum per misericordiam. Sed hanc imputationem oportet apprehendi et applicari nobis fide. *Credidit Abraham Deo et imputata est ei iustitia.*

---

No. 4891. (in. Maio.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad. Camerar. p. 614. (ed. Lond. lib. IV. ep. 755.). — Non anno. 1549., ut editori visum est, sed a. 1551. scripta est.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,*

S. D. Existimo idem tibi accidere, quod mihi accidit. Crescit mihi dolor de eo negotio, quod te excruciat. Nunquam ita me illae ineptiae disputationum fatuarum in vicinia afflixerunt, ut hic casus. Sed oremus Deum, ut sua immensa misericordia sanet et hoc vulnus nostrum. Recte fecisti quod non abiisti ad conventum *Naoburgensem* *), quia de Synodo Tridentina differri deliberationes possunt.

Advenit huc Gennensis adolescens, qui narrat Augustae de Synodo silentium esse. Romanum Pontificem colligere exercitum ad recuperandam *Parmam* **). *Tutianus* pictor Venetus est Augustae, qui saepe accedit ad Imperatorem, a quo accersitus est, ac narrat valetudinem mediocrem esse. Donavit Imperator nuper mille coronatos Italici poëmatis autori. Bene et feliciter vale.

Philip. Mel.

---

*) Vid. ep. ad Matthes. d. 20. Maii.

**) Caesar, dimisso conventu m. Febr. 1551., Augustae commoratus est usque ad exeuntem Aprilem. Pontifex autem mense Febr. et Mart. arma movit ad recuperandam Parmam, a copiis Gallicis occupatam. Quare puto, hanc ep. scriptam esse mense April. a. 1551., non a. 1549. ut visum est editori epp. ad Camerar.

No. 4892. (In. Maio.)

## Iac. Cameniceno.

Edita praefationis loco in libro: Simplex et perspicua explicatio insignium — sententiarum ex Ioanne Evangelista collectarum a *Vito Theodoro*, — latino sermone reddita a *Laurentio Spon*, Sacense, cum praef. D. Phil. Melanthonis. Adiectum in fine epigramma de Pareliis conspectis Witebergae 21. Mart. M. D. LI. Lipsiae excudebat Wolfgangus Gunterus. (s. a.) 8. Vid. infra ep. ad Camenicenum d. d. 29. Maii 1551.

*Reverendo viro, eruditione et virtute* [*praestanti*] *Dom. Iacobo Cameniceno, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Bohemiae Saza, Philippus Melanthon* S. D.

Et *Viti* studium probo, qui dulcissimas consolationes ex Ioanne, ut pluribus in conspectu essent, excerpsit et enarravit, et laborem viri docti *Laurentii* Sacensis gratum fore multis iudico, qui *Viti* enarrationes latino sermone reddidit. Nam et prophani homines et pii norunt, haec visibilia bona, voluptates, opes, potentiam, vitae splendorem, res fugacissimas esse, nec vera praesidia in veris periculis ab iis rebus peti posse. Sed mentes piae norunt, et esse Deum, et colligere eum aeternam Ecclesiam agnitione filii, et Ecclesiae praesidio esse in omnibus periculis et calamitatibus corporum et animae, et promissiones tradidisse, ut vera invocatione auxilium petatur. Has promissiones vult Deus omnibus familiarissime notas esse, vult eas recte intelligi, vult nos eas fide amplecti, et earum testimoniis confirmatos petere et expectare auxilium, et acquiescere animis.

Etsi autem hanc consolationem rident Epicurei, et rumores vacuos verbaque inania esse dicunt, tamen certissimum est, hanc spem nequaquam fallacem esse. Irrideant nos quantum volunt diaboli et omnes prophani homines, tamen nos Deo hunc honorem tribuemus, adfirmabimus, veram esse Evangelii vocem, et non deseri Ecclesiam, nec irritos esse piorum gemitus et vota.

Cum hac sententia mentes confirmatae sunt, ut statuant, non fabulosam esse Ecclesiae doctrinam, libenter ex his fontibus haurient consolationem, et dictum Pauli magnifacient, qui inquit: *sermo Christi habitet in vobis abunde in omni sapientia, et docete et commonefacite vos invicem.* Ubi cum habitandi verbo usus est Paulus, vult nobis familiaria esse scripta divina, vult nos quotidie cum Prophetis et Apostolis colloqui.

Quid autem bonae menti dulcius esse potest quam familiare colloquium sapientissimorum et doctissimorum hominum, qui summo candore omnibus animi vulneribus remedia monstrant. Imo pectora eorum, qui se cogitatione divinarum promissionum sustentant, verissima fiunt Dei domicilia. Vere in his Deus et novam lucem, sapientiam, iustitiam et vitam accendit. Qui hanc familiaritatem et quasi domesticam consuetudinem cum Deo expetunt, ament lectionem harum et similium lectionum, quibus cum adsentientur, petant et expectent divinum auxilium in omnibus periculis et negotiis; quod cum facient, praesentiam Dei agnoscent, et leniri sibi miserias experientur. Hac tanta causa invitari ad lectionem divinarum concionum nos praesertim oportet, qui scimus Ecclesiae doctrinam non esse fabulosam. Et inter legendum intueamur patefactiones Dei, et testimonia, quae Deus immensa bonitate humano generi ostendit, et vota misceamus, ut adsensionem in nobis confirmet, et vere in nobis habitet.

Scimus, in hac caligine etiam bonas mentes magnis dubitationibus concuti, et horribiliter grassari diabolos, ut nos implicent inextricabilibus laqueis. Ideo et vigilantia et invocatione filii Dei opus est, et iudicia de doctrina et consilia de omnibus actionibus ad hanc normam, videlicet ad vocem divinam dirigenda sunt, et acerrime repugnandum est dubitationi, et tenenda haec vox: *omnes, qui te expectant, domine, non confundentur.*

Sed in hoc ipso libello saepius hae admonitiones repetuntur, cui addidi hanc epistolam, ut cum mihi et collegis meis probari studia *Laurentii* intelligetis, vos quoque eum maiore benevolentia complectamini.

---

No. 4893. 4. Maii.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 177 sq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 160.

*Clariss. viro — — D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori urbis inclytae Norib.*

S. D. *Τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δὲ οὐ μέλει,* inquit Pindarus. Et crebro usurpatur. Etsi autem nunc de nobis ipsis ac de Ecclesiis Germanicis

magis angor, tamen saepe etiam de Ecclesiis aliarum nationum cogitare nos necesse est.

Heri Anglicas literas et libros accepi. *Bucerus* aliena manu scribit propter valetudinem adversam [1]). *Fagium* multo robustiorem collegam, *Bucerus* extinctum esse queritur. Narrat initia emendationis Ecclesiarum plena esse certaminum. Sed haec fortassis vobis notiora sunt. Nunc tibi commendo *Nicolaum* honestum virum et bene eruditum. Offert Ecclesiis vestris suam operam, quod scire vos utile est, ut vestros potius provehatis et iuvetis, quam alienos. Et magis obtemperant vestris monitis, qui et natura patriam amant et beneficia educationis et institutionis, quae a prima infantia a vobis acceperunt, meminerunt. Etsi enim illud Pindaricum etiam verum est, *παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνήμονες δὲ βροτοί*: tamen aliqui non prorsus feri sunt. Speroque hunc *Nicolaum* patriae gratum fore, et scio eum doctrinae, virtutis et pietatis amantem esse. Bene vale. 4. Nonas Maii [2]).

Philippus Melanthon.

---

No. 4894. 11. Maii (Dessaviae.)

## P. Medmanno.

**Edita a S. A. *Gabbema* in epist. claror. viror. p. 82.**

### *Ad D. Petrum Medmannum.*

Caris. Frater, *Meppum* ad te pervenisse spero, virum honestum et eruditum, et tibi exhibitum esse scriptum de coniugio, in quo praefatio est ad te scripta; cuius lectionem honestis et doctis viris spero non insuavem fore. Literas igitur a te expecto. Accessit ad me hic noster amicus, qui de te valde amanter locutus est, cum ex nostra Academia ad *Anhaltinum* secessissem, ut scriptum pertexere possem, quod ad *Synodum Tridentinam*, si procedet, mittendum est *): Et exemplum tibi mittam. Lego iam in secessu Clementem Alexandrinum, qui recitat definitionem iustitiae, *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος*. Existimo hanc definitionem ab iis traditam esse primis illis temporibus qui voluerunt ostendere, aliud esse iustitiam Evangelii, aliud iustitiam legis. Et verum est, iustitiam, de qua concionatur Evangelium, esse *κοινωνίαν θεοῦ*. Postea assuta est particula *νομικὴ, μετὰ ἰσότητος*. Scio nos coniunctos esse *τῇ κοινωνίᾳ θεοῦ*. Volo etiam perpetua nos benevolentiae aequalitate copulatos esse. Idem scio te virum colentem iustitiam velle. Bene Vale. In Dessa V. Idus Maii.

Philipp. Melanthon.

1) Vid. epist. Buceri d. 9. Febr. h. a.

2) Alia manus adscripsit: ann. 1551.

*) Est „confessio Saxonica", ut vocatur.

---

No. 4895. 11. Maii (Dessaviae.)

## G. Cummerstadio.

**Epist. lib. II. p. 355. (ed. Lond. lib. II. ep. 362.).**

### *D. Georgio Cumerstadio*

S. D. Magnifice vir et patrone colende, Scribo brevius, quia D. *Ioachimus Camerarius* ipse exhibebit vobis commemorationem scriptam de nostris Ecclesiis [1]). Si erit Synodus, ut nondum arbitror, et volent principes mittere aliquos, tali aliqua forma erit ostendendum, quid doceant Ecclesiae nostrae. Et hanc formam ego quidem iudico honorificum testimonium esse nostris Ecclesiis et nunc, et ad posteros, quod ostendet, nos non probare absurdas, fanaticas, seditiosas opiniones. Sed totam hanc rem vestrae deliberationi permitto. Adhuc sum in hac sententia, ut censeam, non Principum, sed Pastorum nomine exhibendam commemorationem doctrinae vel hanc, vel similem, si tamen erit Synodus, quia quaedam convenientius dicuntur in persona docentium. Ac si vobis haec forma, quam scripsimus, non displicebit, erit etiam Doctoribus et Pastoribus *Lipsiae*, et D. *Danieli* [2]), et *Fribergensi* danda, ut iudicent eam. Si inter nos conveniet, existimo *Pomeranicos*, et Pastores civitatum praecipuarum in *Saxonia* subscripturos esse. Bene et feliciter valete. Die 11. Maii.

1) Est prima delineatio confessionis Saxonicae, Dessaviae scripta.

2) Daniel Gresserus, Pastor Dresdensis.

No. 4896. 13. Maii.

## Io. Marbachio.

Edita in *Io. Fecht.* hist. eccles. sec. 16. supplement. p. 28.

*Iohanni Marbachio*

S. D. Dei adhuc beneficio in Ecclesiis harum regionum ἀλκυόνεια sunt, et ut diuturna sint, faciat filius Dei. De vestris a te aliquid exspecto literarum. Salutem opto vobis omnibus, reverendo D. *Hedioni*, Dom. *Iacobo Sturmio*, et *Ioanni Sturmio*. Nunc enim plura scribere non potui. Bene vale, die 13. Maii 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4897. 17. Maii.

## Hier. Baumgartnero.

† Ex autographo Melanthonis in cod. Monac. I. p. 270.

*Clariss. viro, prudentia, eruditione et virtute praestanti, D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori urbis inclytae Noribergae, amico suo cariss.*

S. D. Scio te pro tua sapientia et pietate multa cogitantem de miseriis humani generis, valde adfici in calamitatibus hominum non sceleratorum. Et misera mulier, coniux Doctoris *Leonarti Stetneri* tua beneficia lacrymans praedicat. Quomodo ei consuli possit, cum multa tentata sint, invenire non potui. Senatus oppidi nostri promittit, se ducentos aureos missurum esse in autumno, ut ex literis Senatus intelliges. Academiae aerarium inane est. Sed hoc egimus, *Ambrosius* venditurum se esse vineam dicit, qua vendita Senatui vestro curabit academia mitti ducentos aureos. Interea annuam pensionem solvi ex stipendio *Ambrosii* curabimus. Ipse aliquod miserae dedi. Et vineae venditionem urgebo. Si adesset ipse doctor *Leonartus* sperarem, posse eum in urbe Budissin fieri syndicum, quanquam eius morositas formidatur. Non potui plura prae dolore scribere. Si his nostris promissionibus leniri eius calamitas potest, quaeso ut annitaris, cum quidem sciam, te omnia possibilia in re tanta tentare. Bene et foeliciter Vale, die 17. Maii.

Philippus.

No. 4898. 20. Maii.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 60. (edit. Lond. lib. II. ep. 43.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Dulcissimum versum *Euripidis* saepe usurpo de amicis cogitans:

εἰς ὄμματ' εὔνου ἀνδρὸς εἰσβλέπειν γλυκύ.

Nec post coelestes consolationes alia res mihi lenit utcunque dolores, nisi sapientum amicorum congressus. Te igitur considero et expecto. Et de multis magnis rebus colloqui nos quam primum velim. Aiunt *Tridentum* venisse Cal. Maii Pontificium legatum, et Caesaris Oratorem, et sacrum publicum factum esse ad inchoandam Synodum, sed deliberationem, seu ut vocant, sessionem nullam futuram esse ante Septembrem. Tunc igitur transibimus *Alpes*, quo tempore et *Annibal* eas transiit. Aiunt et Regem *Gallicum* velle mittere legatos ad eam synodum. Ego scriptum adornavi synodo exhibendum, quod hic videbis. De conventu *Naoburgensi* nihil certi adhuc habemus. Filium Dei oro, ut det καταστροφὴν placidam deliberationibus eius conventus, de quo fortassis citius istic audies totam historiam, quam nos audiemus. Mitto tibi pagellam, quia aliam nunc ad manum non habebam. Ego multis magnis doloribus excruciabar. Commendes et Ecclesiam et hospitia eius et nos Filio Dei. Bene et feliciter vale, die 20. Maii.

---

No. 4899. 23. Maii.

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 178 sq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 161.

*Clariss. viro — — D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Norib.*

S. D. Ut in Repub. Attica multo plures erant conciones inutiles et tantum πολυπραγμοσύνῃ hominum inquietorum convocatae, quam utiles et salutares: ita in Ecclesia Dei paucae felices Synodi fuerunt, plurimae vero maiora incendia excitarunt. Interea tamen Deus sua immensa bonitate et colle-

git et servavit Ecclesiam suam. Ita nunc servaturum esse non dubitemus, etiamsi Reges et Principes alii aliter eam impediunt. Vos quid de Synodo habeatis, scire cupio. Mihi scribitur, venisse *Tridentum* Pontificium legatum et Imperatoris Oratorem, sacrum ipsorum more factum esse. Postea renunciatum, ante Septembrem nullam fore sessionem, ut nominant. Pontificem etiam occupatum esse cura colligendi exercitus ad recipiendam *Parmam*. Decrevisse Reges, Gallicum et Anglicum, non missuros se esse Legatos ad Synodum. Ego scriptum composui, in quo repetitio est nostrae Confessionis, quod fortassis ad vos quoque mittetur, si deliberatum fuerit aliquos ex his Ecclesiis mittendos esse. Mitto tibi libellum de coniugio, in quo Praefatio fortassis non insuavis est lectu. Bene et feliciter vale. Die 23. Maii *).

Valde te oro, ut nuncio *Andreae* locari cures habitationem in turri aliqua, ut audio vos solere pauperibus locare. Eaque in re etiam nostrae pro eo petitioni aliquid tribuite.

Philippus Melanthon.

*) Alia manus adscripsit: ann. 1551.

---

No. 4900. 23. Maii

## *Hedioni et Marbachio.*

† Ex autographo Mel. in cod. Basil. XXV. fol. 47. mihi descripta a S. V. *de Wettio.*

*Reverendis viris, eruditione et virtute praestantibus D. Doctori Casparo Hedioni, et D. Doctori Iohanni Marpachio, docentibus Evangelium fideliter in Ecclesia Argentoratensium, amicis suis cariss.*

S. D. Reverendi viri et amici cariss. Scripsi repetitionem confessionis, quam ego quidem vobis missurus sum, etiamsi volo has deliberationes omittere. Sed nunc liber adhuc in aula est. Ad nos scriptum est, ante Septembrem nullas fore deliberationes in Synodo. Nec vero dubito, Pontificem serio abhorrere etiam a fucosa synodo, ac tantum umbram ostentare, ut paulatim eludat consilia τοῦ αὐτοκράτορος. Vos fortassis plura scitis. Ideo literas a vobis expecto. Mitto libellum de coniugio. Bene et foeliciter valete viri optimi. Die Maii 24.

Philippus Melanthon.

---

No. 4901. 29. Maii.

## *Iacobo Cameniceno.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 64a.

*Eruditione et virtute praestanti viro, Sophiano, docenti literas et elementa doctrinae Christi in oppido Satzen, amico suo* [1]). — [Potius: *Iacobo Cameniceno.*]

S. D. Reverende vir et amice carissime. Sciebam piis lectoribus *Viti* lucubrationem de dulcissimis sententiis per sese gratam fore sine aliena praefatione. Invitus igitur hoc πάρεργον addidi. Sed studio *Laurentii* deesse non volui, et tibi nostrum officium placuisse gaudeo, tibique pro epistola et munere tuo gratias ago. De republica nihil fere novi. Nam sermones de synodi Tridentinae exordio vos audivisse arbitror. Mense Maio convenerunt Tridenti Pontificius legatus et Imperatoris orator [2]), et suo more sacrum fecerunt. Postea renunciarunt differri sessiones usque ad Septembrem. Non dubium est ipsum Pontificem a Synodo abhorrere, et Caesari utcunque umbram Synodi ostendere. Sed certum est, filio Dei nos curae esse, qui recte docere studemus. Scripsi etiam repetitionem confessionis harum Ecclesiarum, ut, si postulabitur, exhibeatur Synodo. Bene et feliciter vale. Die 29. Maii, quo ante annos 98 capta est Constantinopolis, cuius cladis recordatio nos moneat, ut ardentius petamus, servari reliquias Ecclesiae. Mitto pagellam disputationis Lipsicae piae et eruditae.

P. M.

1) Sine dubio in hac inscriptione error describentis agnoscendus est. Non solum enim eodem die *Sophiano* Melanthon scripsit epistolam, sed etiam hunc non alloquutus fuisset: Reverende vir, qua compellatione utitur si ad Theologos scribit. Nullo modo igitur errare mihi videor, si statuo hanc epistolam inscriptam fuisse Pastori Sacensi, *Iacobo Cameniceno*. Vide etiam praefationem ad Viti librum, quam supra ineunte Maio dedimus.

2) Apogr. pro *orator* habet *auctor*; quod est mendum.

No. 4902. 29. Maii.

## Sophiano.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Eruditione et virtute praestanti viro* Sophiano, *docenti literas et elementa doctrinae Christi in oppido Satzen, amico suo*),

S. D. Saepe recito de nostro ordine dulcissimum Theocriti versum: τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ. Consociatio maior est inter illa minuta quam inter grandes bestias. Ita facilior, dulcior et firmior sit coniunctio in nostro ordine quam inter tyrannos. Et plurimum conducent nostrae amicitiae studiis et Ecclesiae. Quare et tuam et tui similium hominum eruditorum amicitias appeto et libenter alo, volo[1]) etiam eas ad communem Ecclesiae consensum referri[2]). Volo igitur, inter nos perpetuam amicitiam esse, ac a te peto, ut interdum ad nos scribas. Mitto exiguam pagellam; aliud enim iam non habebam ad manum. Bene vale. Die 29. Maii, quo ante annos 98 capta est Constantinopolis, cuius cladis recordatio nos moneat, ut ardentius petamus, servari reliquias Ecclesiae.

Philippus Melanthon.

---

No. 4903. (m. Maio.)

## Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Iohanni Aurifabro [in Acad. Rostochiana]*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Spero *Davidis* *) ingenium utiliter serviturum Ecclesiae Dei, et ut ipsum et nos regat filius Dei toto pectore opto. Quaecunque erunt imperiorum et dilacerationes et ruinae, tamen nos in Ecclesia ~~Dei et con-~~sensum in vera doctrina et animorum coniunctionem tueamur, et amicitias non solum, ut homines philosophi, virtute colamus, sed etiam referamus eas ad communem Ecclesiae consociationem. Expecto a te literas de Lubecensi controversia et de hyperboreis disputationibus, de quibus etiam coram vobiscum loqui cogito. Non enim volo ἰδιοβουλεύειν, ne plus fiat distractionum, teque valde oro, ut quam primum ad me scribas. Salutem opto D. *Briccio* et tuo conterraneo *Vincentio* et bonis ac doctis viris omnibus in Ecclesia Lubecensi. Scire te arbitror Lubecam significare στέφανον seu corculum *) coronae. Oro Deum, ut vere sit Ecclesia Lubecensis multarum Ecclesiarum corona. Vale 1551.

Philipp. Melanth.

1) Apogr. *nolo*, mendose.

2) Apogr. *referit*.

*) Davidis Chytraei, qui mense Aprili vocatus venit in Academiam Rostoch. Ergo epistola fere mense Maio scripta est.

*) Mst. *sorcutum*. Sed vel *sorculum* vel *sirculum* scribendum est.

---

No. 4904. 1. Iun. (h. a.?)

## Cph. Stathmioni.

Epist. lib. II. p. 417. (ed. Lond. lib. II. ep. 486.).

*D. Christophoro Stathmioni*

S. D. Scio hos tuos cives cum et recte eruditi sint, et virtutem intelligant, ament, et colant, te quoque ex animo venerari. Sciunt enim virtuti honorem deberi, et generi humano utilissimam esse nostri gregis coniunctionem. Quare vicissim eos complecteris. Hodie literas accepi ab eo, qui docet initia Mathematum in Academia *Marpurgensi*, in quibus scribitur Principem *Hessorum Guilhelmum* praeclare eruditum esse in doctrina Astronomica, ac arte Planetarum motus computare. Dignior hic laude est, quam Medicus aulae *Hennebergicae*, qui astris bellum infert magnis clamoribus. Ego iudico adolescentiam ad optimas artes divinitus monstratas summa cura invitandam esse, inter quas numerari eas, ex quibus doctrina motuum extructa est, necesse est. Et haec ipsa est per sese μαντική, quia testimonium est de Deo, et de providentia. Quaeso ut nobis aliquid de tuo vicino scribas. Bene vale. Calend. Iunii.

---

No. 4905. 3. Iun.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 61. (edit. Lond. lib. II. ep. 44.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Etsi adhuc spero et opto adventum tuum: tamen nunc ad te scribo propter hunc tabellarium, cognatum meum *Matthiam Rudland*, natum in mea patria ex filia mei avunculi, parentes honestos habuit, et frater eius in vicino oppido meae patriae praefecturam tenet. Hic *Matthias* studio peregrinationum venit in *Austriam*, et manu ac ingenio ad scribendum idoneus est, in *Austria* infra *Viennam* apud Praefectum scribae munere functus est. Valde te oro, ut ei quaeras Dominum, ubi scribae officio fungatur. Pater vir gravis fuit, mater casta et modestissima mulier fuit. Ac videtur ingenium bonum in hoc ipso iuvene esse. Spero igitur bene collocaturos esse beneficium eos, qui ei benefaciunt, teque rursus oro, ut eum consilio tuo et auctoritate iuves. Bene et feliciter vale, die 8. Iunii. Anno 1551.

---

No. 4906. 9. Iun.

## G. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵇ.

*Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Berlinensis.*

S. D. Cum ederem latinas pagellas de figura domini nostri Iesu Christi, et de matris figura [1], volebam addere graecas, quia in fontibus proprietas maior est; sed typographi insulsitas impediebat nos. Cogito tamen, si quando rursus edentur, addere graecas pagellas. Vestra germanica interpretatio mihi bene placet. Oculi χαροποὶ nec latine nec germanice satis perspicue redduntur. Sunt autem similes leonum et columbarum oculis. Ideo in mea versione graecum vocabulum retinui. Observavi autem in multis hominibus singularem ingenii vim esse in iis, qui habent charopos oculos. De figura capitis etiam libenter cum amicis disputarem. Nam graece est vocabulum, quod sic sonat quasi velit dicere, non fuisse caput acuminatum, sursum vergens, quod significat homines iracundos et temerarios. Rotunda figura significat ingeniosos sed astutos. Utinam coram de graeca, et latina et germanica disserere [2]) possemus. Remitto vestram manum, quia non scripsisti an hic excudi velitis. Si volueritis excudi, cum amicis de utraque versione rursus disputabo. Bene valete. Die 9. Iunii. Mox exhibito epistolam, quam inscripsi Viro clariss. D. Doctori *Melchiori Kling*, quia res magni momenti est.

Philippus Melanthon.

1) Vid. ep. ad Ducem Lignicens. d. d. 30. Apr. 1551.

2) *disserere*] scripsi pro *disseremus*.

---

No. 4907. die solstit.

## G. Cummerstadio.

Epist. lib. II. p. 356. (ed. Lond. lib. II. ep. 368.).

*D. Georgio Cumerstadio*

S. D. Magnifice vir et patrone colende, Significavit mihi *Camerarius*, addendum esse scripto nostro Articulum de forma veterum Collegiorum Episcopalium, in qua de conservatione ordinationis, et examinum, item visitationis Ecclesiarum, et de Consistoriis, multa honestissime dici possunt. Coepi igitur et hunc articulum conscribere. Nunc hoc significo. Discessit ex hac Academia in *Daniam* senex *Georgius Rorarius*, qui habuit aureos sexaginta ex pecunia stipendiorum. Hi sexaginta transferri nunc possunt partim ad clarissimum virum D. Doctorem *Laurentium*, partim ad D. *Georgium Cracovium*, generum D. *Pastoris* Doctoris *Pomerani*. Quaeso ut seni *Pastori* gratificemini, qui voluntatem habet honestam, et nequaquam seditiosam. Et in ipso *Cracovio* ingenium est excellens, quod Reipubl. aliquando usui esse poterit. Nam praeclare proficit in studio Iuris, et alios feliciter docet. Bene et feliciter valete. Die Solstitii aestivi, Anno 1551.

---

No. 4908. 16 Iun. (Sonnenwaldae.)

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 556 sq.

*Mich. Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Honestissime vir, et Patrone colende. Respondebo copiosius, cum redibo domum, re

deliberata cum aliis. Nunc quia domo aberam, vocatus ad Comitem *de Solms*, scribo brevius. Primum mihi commodissimum et utilissimum videtur, ut *Menium* vocetis ad componendas controversias † et ad compescendum *Antonium*" [1]). Nam etsi postea dimitti *Antonium* necesse esset, tamen tentata hac pacificatione magis perspicuum fieret vicinis, Senatum nihil temere fecisse [2]). Secundo de persona substituenda, si *Georgium* substitueretis, credo, bene consultum esset Ecclesiae, praesertim cum iam sit explorata eius moderatio. Cogitaveram de quodam, cuius aetatem, gravitatem, et prudentiam probo. Sed is iam vocatus est in urbem Saxonicam *Staden* [3]). Nunc cogito de alio quodam, nato in ditione Nassaviensi. Sed aetas magis idonea esset ad inferiorem locum, etsi doctus, eloquens, et modestus est. Sed domi cum aliis deliberabo. Bene et feliciter valete. Deus servet vos et vestros clementer. Datum in Sonnenwald Zinstag post Viti.

Philippus.

---

**No. 4909.** 17. Iun. (Sonnenwaldae.)

## C. Peucero.

Epist. lib. II. p. 405. (edit. Lond. lib. II. ep. 420.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissimi fili, Etiam filiae tuae desiderio non libenter absum domo, sed nos hodie adhuc commorari hic oportet, quia Comes *de Solms* abest apud Ducem *Mauricium*. Mihi eo etiam molestior est commoratio, quia βαρύοδμα loca non sine periculo fero. Sed Deo iuvante cras ingrediemur iter. In itinere cum venimus ad oppidum *Slieben*, quod esse Σλαβήνην existimo a gente, collocuti sumus D. *Cummerstadium*, qui ibi erat apud Principem Electorem. Narrabat eadem quae istic audivimus, Imperatorem *Carolum* ex *Augusta* expatiatum esse in urbem Ducis Bavarici. Salutem opto vobis omnibus. Bene vale. Die Martis proxima post diem Viti.

1) Addit haec A. D.

2) Antonius Otho, Pastor Nordhusanus, adiunxit se inimicis Vitebergensium.

3) Ioachimus Neumann, vid. ep. ad Hardenb. d. 1. Maii 1551.

**No. 4910.** 20. Iun.

## (De L. Socino.)

Editum est hoc scriptum a *Strobelio* in Riederers Abhandlungen p. 435., unde illud descripsit *Lunzius*. Caeterum hoc scriptum non est, ut quidam putarunt, testimonium de studiis Laelii feliciter peractis, sed commendatio publica, sive syngraphus, Laelio, iter Viennam facturo, ad tempus traditum. Solebat Melanthon eiusmodi syngraphos discipulis suis ad itinera facienda exhibere, praesertim tempore bellorum. — De Laelio Socino vid. ep. d. 18. Iul. 1550. et d. 1. Decb. 1557. De eius itinere conf. ep. d. d. 24. Iun. ad Chytr. et d. 21. Iun. ad Aquilam et Collinum.

*Omnibus lecturis has literas*
S. P. D.

Et decus magnum est, et virtutum indicatio, natum esse ex parentibus, quorum est eximia virtus. Natus est autem hic vir, nobilitate generis et virtute praestans, *Laelius Socinus*, patre *Mariano Socino*, viro clarissimo, qui ad generis nobilitatem addidit cum caeteras virtutes, tum vero Iuris Romani cognitionem, cuius praecipuus est interpres, et nunc in illa matre doctrinarum, in urbe Bononia [1]), nobilibus et ingeniosis hominibus, ex tota Europa ibi confluentibus et convenientibus, Iuris doctrinam cum summa laude eruditionis, fidei et prudentiae tradit. Tali patre cum hic *Laelius* natus sit, et ab honestissimis parentibus semina virtutum accepit, et domestica disciplina ad optimos mores adsuefactus est, et postea eruditione confirmavit iudicium, et suo consilio actiones omnes ad iustitiae normam dirigit. Quamquam autem *Italia* haud dubie est domicilium sapientiae: tamen, ut aliarum gentium homines doctos et honestos audiret, Galliam, Germaniam et Britanniam abiit, ac ad me ab honestissimis viris ex multis locis honorifica de ipsius integritate testimonia perscripta sunt. Quibus etsi fides tribuenda est: tamen ego ipse familiari consuetudine aliquot mensium [2]) comperi, hunc *Laelium Socinum* virum eruditum, iustum, prudentem, pacis publicae amatorem, [in] omni officio diligentem et integrum esse. Hoc verum testimonium ei tribui discedenti, ne quid hoc turbulento tempore suspicionis adferret eius peregrinatio. Literarum et virtutis causa cum viris doctis colloqui solet; Academiarum studia et Politiarum exempla considerat; quia hanc considerationem existimat doctri-

1) Strob. *Banonia*.

2) Advenerat Witebergam Laelius mense Iulio anni 1550. Vid. ep. d. 18. Iul. scripta.

nam esse virtutis: ac simul honeste colit hospitalia iura. Tali consilio peregrinanti iustum est vicissim hospitalia officia praestare: quae quidem iustitia et Deo grata est, et apud omnes gentes, in quibus intellectus virtutis fuit, laudata est. Nota sunt enim omnibus eruditis ea, quae sapiens antiquitas de iustitia et honestis hospitibus scripsit. Quare omnes honestos viros, ad quos hic *Laelius* veniet, oro, ut etiam propter honestissimas causas privato consilio peregrinantem, et pacis amantem, ac prorsus alienum a regum et imperiorum negotiis, amanter excipiant. *Homerus* inquit: Fratris loco sapientem hominem esse habendum. Sic ego eum complexus sum: nec dubito, honestos et prudentes viros, cum ipsius prudentiam ex familiaribus colloquiis cognoverint, et optimos mores considerarint, libenter eum in amicitiam admissuros esse. Oro etiam aeternum Patrem Domini nostri I. C., conditorem et custodem generis humani, ut hunc *Laelium* custodiat et in itinere, et toto vitae tempore, ut iter facientem Iacob custodivit. Bene valete. Datae Witebergae, die 20. Iunii, Anno 1551.

Philippus Melanchthon.

---

No. 4911. 21. Iun.

## Ad. Aquilae.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54^a.

*Eruditione et virtute praestanti Adamo Aquilae, gubernanti studia literaria in oppido Litomericia, amico suo,*

S. D. Carissime Adame. Vetus celebritas gentis vestrae et fama virtutis maiorum vestrorum hospites quosdam nostros movit, ut videre Pragam decreverint. Causam peregrinationis honestam habent, et duo, quorum alter Italus est, alter Polonus, in familiis nobilibus nati sunt. Italus *Laelius Sozinus* *) natus est patre *Sozino*, qui nunc praecipuus Iurisconsultus est, et Bononiae magna autoritate docet. Ipse *Laelius* ad caetera ornamenta etiam eruditionem addidit, ac inprimis amat doctrinam Ecclesiae incorruptam. Et est vir integer et prudens. Quare te oro, ut eum amanter complectaris. Mitto tibi pagellas recens editas, in quibus fortassis aliquid est versuum aut narrationum quod iuvabit legere. Adiunxerunt illi nostri hospites sibi comitem hunc *Iohannem Laurentium*, non solum ut interpretem istic habeant, sed etiam πρόξενον, a quo ad doctos viros ducantur. Hunc etiam tibi commendo. Bene vale. Die 21. Iunii 1551.

Philippus Melanthon.

*) Vide ep. antecedentem.

---

No. 4912. 21. Iun.

## M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54^a.

*Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.*

S. D. Carissime frater. Vetus celebritas gentis vestrae et fama virtutis maiorum vestrorum, nonnihil etiam nostri de tua virtute et eruditione sermones, moverunt *Lelium Sozinum*, virum nobilem, filium praecipui Iurisconsulti Bononiensis, hospitem meum, ut et urbem vestram videre et tecum colloqui cuperet. Intelliges esse virum prudentem, et ego integrum esse affirmo; ac sincera studia doctrinae Ecclesiae amat. Quare te oro, ut eum amanter excipias, eique tanquam πρόξενος ad aliorum bonorum et doctorum virorum colloquia aditum patefacias, quorum probas candorem. De republica nec libet scribere, nec habeo argumentum ἀξιόλογον. Nos inter hos fluctus et imperiorum tumultus hac nos consolatione sustentemus, quod scimus filio Dei Ecclesiam suam, et in ea nos quoque cives Ecclesiae, curae esse, quam spero servaturum esse, sicut nuper in exundatione Moeni servavit infantem in cunis abreptum et tribus milliaribus delatum ad ripam Francofordianam, ubi incolumis et salvus infans in illa sua argo in cunis a piscatoribus exceptus est. Huius exempli narrationem sperabam tibi iucundam fore, ideo adscripsi. Nec dubito, divinitus servatum esse. Bene et feliciter vale. Die 21. Iunii, 1551.

---

No. 4913. 24. Iun.

## Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54^a.

*Ioanni Aurifabro, Theologiae Doctori (in Acad. Rostoch.)*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Etsi iam adventum tuum expectabam, tamen, quia dubitabam, literas D. *Antonio* dedi, testes nostrae coniunctionis, quam etiam propter Ecclesias perpetuam esse volo. Ideo autem de adventu tuo scribo, quia cum iussus sim scribere repetitionem confessionis, si fortassis Imperator in synodo eam flagitaturus esset, ut iam flagitaturum se esse ostendit, vellent multi, unam esse omnium Ecclesiarum in his regionibus vocem. Ideo inspici scriptum a vobis et aliis oportet. Quanquam autem haec curae esse debent iis, qui praesunt, tamen mihi non dubium est, τὸν ἀρχιερέα ῥωμαῖον omnibus modis impediturum esse synodum. Rex Gallicus iam edictum proposuit, ne Episcopi Gallici ad synodum accedant, metuens, ne disputationes apud suos moveantur de iis controversiis, quas agitari in synodo oportebit. Ὁ ἀρχιερεὺς ῥωμαῖος alia marchina grandiore synodum impedit. Magnum bellum in Italia movet de *Parmae* recuperatione, quam Gallus adiungere sibi conatur, ut arcem Mediolano vicinam habeat. De talibus rebus dimicant reges et pontifices; Ecclesia iacet spreta, imo, ut David inquit, veritas iacet prostrata in terram. Nos igitur maiore cura doctrinae lucem et nostram coniunctionem tueamur. Res Ungaricas arbitror ad te perscribi ex patria tua. Rex *Ferdinandus* misit copiolas ad monachum. Bellum igitur Hungaria metuit; περὶ αὐτοκράτορος non libet vulgi fabulas scribere. Ζώει δ' γ' ἢ τέθνηκε κακὸν δὲ ἀνεμώλια βάζειν *). Nisi ipse adfuturus es literas mittito. Bene et feliciter vale. Die Ioh. Baptistae 1551.

Philipp. Melanth.

---

**No. 4914.** 24. Iun.

## *D. Chytraeo.*

Ex David. Chytraei epistolis p. 1226.

*) Vid. Homeri Odyss. δ'. 834. — De Caesaris morbo vid. epist. ad Regem Daniae, d. d. 25. Mart. h. a.



*Davidi Chytraeo [Prof. in Acad. Rostoch.] *)*

S. D. Carissime David. Meministi dictum de gubernatione docentium in Ecclesia: Sedet ad dextram aeterni patris Filius, dans bona hominibus, ποιμένας καὶ διδασκάλους. In id agmen cum te quoque vocarit, oro eum, ut te regat. Tibi vero gratiam habeo, quod ad me scripsisti, ac peto, ut saepe scribas, et coniunctionem nostram tuearis. Minus deformis est Ecclesia, donec hae vicinae μυρμακιαὶ doctrinarum sunt concordes. *Hyperborei* Oratoris καινοφωνίας evolvet tempus. Ego hoc bona conscientia affirmo, me, cum esset magna opinionum diversitas et confusio, veritatem studiose quaesivisse, et annixum esse, ut extaret explicata, cum ille interea nec me nec alios in his Ecclesiis quidquam monuit. Exhibebit tibi D. *Antonius* libellum a meo genero missum, teque oro, ut nobis scribas: *Lelius Italus* heri iter ingressus est profecturus Viennam. Sed iam apud nos est *Nicolaus* magister Academiae Heidelbergensis, cuius et eruditione et candore valde delector. Scribit mihi meus frater et narrat idem *Nicolaus*, moliri quosdam in aula principis Palatini, quarundam praelectionum novarum institutionem. Sed opinor, id consilium impedituros esse eos, qui verae doctrinae de Deo adversantur, qui etiamsi non valent autoritate, tamen factionibus pugnant. Et habent adiunctos vicinos Amphyctyonas. In tota ditione Wurtebergensi iam Ecclesiae pie instaurantur. *Brentius* Stutgardiae docet publice; *Frechtus* Tubingae est. De Synodo et rebus Italicis scripsi D. Doctori *Aurifabro*. bene vale et rescribe. Die Iohan. Baptistae.

Philippus Melanthon.

---

**No. 4915.** 24. Iun. (h. a.?)

## *Cph. Pannonio.*

Epist. lib. V. p. 315.

*Christophoro Pannonio (doctori in Academ. Francoford.)*

S. D. Chariss. D. Christophore. Ut colloquio tuo, si una essemus, nihil mihi dulcius esset, ita

*) Mense Aprili huius anni Chytraeus abierat Rostoch.

nunc; cum aliter non possumus, libenter tecum per epistolas colloquor. Cumque ante triduum *) dederim literas tuo auditori, qui epistolam tuam attulerat, nunc iterum scribo. Oro autem Deum, aeternum Patrem Dn. nostri I. Christi, qui mirando consilio coniunctionem maris et foeminae instituit, eamque a nobis amari postulat, ut te et honestissimam coniugem tuam, et dulcissimos liberos tuos servet incolumes, teque adhortor, ut iis te consolationibus, quas Deus nobis proposuit, sustentes. Neque enim putemus, dulcissimas illas promissiones traditas iis, qui invocant Deum, inania somnia esse, quale illud est de aureo pisce apud Theocritum. Sed revera vult nos Deus exaudire, vult opem ferre confugientibus ad Filium, τὸν λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρός.

*Franciscum*, vicini tui filium, et Patri et tibi commendo, modeste vixit, et didicit Arithmeticen, et utcunque exercuit Dialecticen, et latine scribendi orationem. Nec deest ei ingenium, sed ῥαθυμότερος est. Bene et feliciter vale. Pridie diei, quo celebratur memoria historiae Iohannis Baptistae, cuius aerumnis nos quoque consolemur. *Franciscum* Patri meis verbis commendato.

Philippus Melanthon.

---

No. 4916. 28. Iun.

## Ioachimo Pr. Anhaltino.

Becmanni Access. hist. Anhalt. p. 124.

### *Ioachimo, principi Anhaltino.*

Illustrissime Princeps et Domine Clementissime. Etsi magnae sunt difficultates temporum et pericula multa praecipue huius viciniae, tamen sapientia et virtus C. V. etiam inter has difficultates Ecclesiae et literarum curam non deponit, et fama beneficentiae Vestrae Scholasticos movet, ut ad C. V. confugiant. Adfert C. V. his *Iohannes Cinglarius* Carmen luculentum, scriptum de trium fratrum Principum Anhaltinorum laudibus; Et ingenii in ipso eximia suavitas est, ac profecto natura digna est, quae a Republica iuvaretur. Etsi igitur non libenter onero C. V., tamen hunc honestum et ingeniosum hominem C. V. reverenter commendo, et Deum oro, ut C. V. servet incolumem, et concedat pacem his regionibus propter suam gloriam, ne fiant barbaricae vastationes. Prodigium recens conspectum C. V. mitto. Bene et feliciter valeat C. V. d. 28. Iunii, quae fuit dies mortis Alexandri ante annos 1874. *)

*) Vid. ep. d. 19. Iun.

*) Secundum Eberi Calendarium Alexander mortuus est d. 28. Iunii 323. ann. ante Christum natum.

---

No. 4917. 30. Iun.

## P. Medmanno.

Edita a S. A. Gabbema in epist. claror. virorum p. 85.

### *Ad D. Petrum Medmannum.*

Carissime frater. Etsi prudentiam et fidem tuam agnosco in ea quoque parte literarum tuarum, in qua de Synodo scribis, tamen videris nimium sollicitus. Nunquam enim οἱ ἀρχιερεῖς ῥωμαῖοι ullam Synodum, ne quidem fucosam convenire sinent. Sciunt secutura esse, motis disputationibus inter suos, maiora certamina, etiam alibi ut accidit, post exiguum illum conventum Tridentinum, qui fuit ante quinquennium: dissentire inter se monachi in Italia de re maxima coeperunt. Scripsi tamen repetitionem confessiones, quam viri docti ex aliis regionibus, qui legerunt hactenus, probarunt: et probaturum quoque te esse arbitror. De publicis negotiis nihil habeo ἀξιόλογον et tibi notiora esse arbitror, quam mihi sunt. Paginas meo more tibi mitto, quae utcunque studia Academiae ostendunt, etsi et alia philosophica, utilia adolescentiae edita sunt. Tempus etiam Borussiacas calumnias refutabit. Ego certo consilio nondum respondi, nec tantum superest vacui temporis. Bene Vale, et rescribe. Pridie Cal. Iulii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4918. 7. Iul.

## Io. Bretschneidero (Placotomo).

Epist. lib. IV. p. 290 sq.

*D. Iohan. Bretschneider (Placotomo), Doctori artis Medicae.*

S. D. Clariss. vir et amice cariss. Quod ad te tot iam annis non scripsi, tantum tribuito vel occupationibus vel aerumnis meis. Sed de ingenio tuo, et de studiis, ac virtute semper amanter et praeclare sensi. Vicissim etiam et naturam meam et voluntatem in Republ. tibi notam esse existimo. Nam hoc quoque scis esse hominis Philosophi, considerare et iudicare sensus hominum. Etsi autem agnosco et fateor meam imbecillitatem, tamen bona conscientia adfirmare possum, me fideliter Ecclesiae Dei servisse. Et labores multis noti sunt. Tibi gratiam habeo, quod in multis rebus benevolentiam erga me tuam declarasti.

Nunc tibi *Iosiam Menium* [1]) commendo, teque oro ut apud Clariss. et Magnificum virum Dominum *Iohannem a Werden* causam eius agas, ac petas ut adolescentis modesti studia iuventur. Specimen ingenii et ipse Dominus *a Werden* et tu ex carminibus quae mitto iudicare poteritis. Dux *Megalopurgensis* donabat adolescenti decem Ioachimicos. Mitto tibi *Rottingi* scriptum de vicini vestri paradoxis. Doleo moestas Ecclesias novis dissidiis turbari. Sed spero Deum his vulneribus etiam medicaturum esse. Bene et feliciter vale. Nonis Iulii [1551.] [2])

---

No. 4919. 9. Iul.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 62. (ed. Lond. lib. II. ep. 45.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Magna cum voluptate legimus tuam concionem eruditam et piam, in qua et Deo gratias agis de metallis, quorum in vita maximus usus est, et instruis tuos auditores, qui venas scrutantur. Optarem autem nos una fuisse, cum eam concionem scripsisti: inseruissemus enim *Philippenses*, ad quos *Paulus* scribit, et alia. Apud *Diodorum Siculum* in Graeca editione pag. 9. scriptum est, venas auri fuisse χρηνίδας, quas cum occupasset *Alexandri* pater, urbs nominata est φίλιπποι. Ex iis venis Rex quotannis sexcenta millia coronatorum habuit. Fuit igitur *Philippensium* urbs talis conventus scrutantium venas, qualis est civium tuorum conventus. Et vides eius loci Ecclesiam valde laudari a *Paulo*, sed haec coram. Nunc adsunt vicinarum Ecclesiarum pastores, ut iudicent de scripto, in quo est repetita Confessio. Tuum adventum et opto et expecto. Bene et feliciter vale, die 9. Iulii.

Iocus de longis auribus *Midae* et curiositate multorum qui sunt in locis venarum metallicarum, valde placuit mihi et aliis.

---

No. 4920. 10. Iul.

## *Matth. Collino.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ¹.

*Matthaeo Collino, in Academia Pragensi,*

S. D. Carissime frater. Antea cum scriberem tibi existimabam, te cogi ad synaxin *) aliorum, qui sunt in Ecclesiis vestris, ubi sunt in populo aliqui pii quanquam infirmi, quorum infirmitatem utcunque excusabam. Nunc intelligo, te posse ab illa synaxi abesse. Certum est autem et pium esse, et ad conscientiae tranquillitatem multo accommodatius esse, non accedere ad synaxin talium ministrorum, qui depravant usum coelestis mysterii. Eliges igitur hoc, quod melius esse ipse iudicare poteris. Utinam aliquando copiosius coram colloqui possemus. Bene et feliciter vale et rescribe. Die 10. Iulii, 1551.

---

No. 4921. 11. Iul.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 252. (ed. Lond. lib. II. ep. 248.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Cum huc venissent Pastores vicinarum Ecclesia-

---

1) De eo vide epp. d. 10. Maii 1555. scriptas, et ep. ad Placotomum d. d. 15. Oct. 1551.

2) Annum uncis inclusi, quippe sine dubio ab editore adscriptum.

*) Apogr. *syntaxin*, mendose.

rum, viri honesti et Deum recte invocantes *), primus dies in lectione scripti, in quo repetita est Confessio, consumptus est. Postridie dictae sunt sententiae, Dei beneficio, consensu omnium piae et perspicuae. Oramus autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiae suae, ut nos gubernet, et harum regionum Ecclesias protegat. Fuerunt ante octiduum hic et *Marchionis Iohannis* legati duo, viri docti et candidi, qui scriptum testimonium nobis reliquerunt, quo ostenderunt se probare hanc Confessionem. Existimo ad C. V. venturum esse Reverendum virum D. *Pastorem* Ecclesiae *Lipsicae*, qui copiosius narrabit historiam nostri congressus. Bene et feliciter valeat C. V. Die 11. Iulii.

---

No. 4922. 11. Iul.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 63. (ed. Lond. lib. II. ep. 46.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Ante biduum scripsi ad te de concione tua in qua et Deo gratias agis, qui ad plurimos vitae usus metalla condidit, et instruis scrutantes venas. Fuit grata mihi lectio eius concionis, et vellem prolixiorem esse. Imo volo te aliquando sumere tibi ad longiorem concionem eo argumento scribendam tempus, de laude metallorum et de beneficiis Dei. De salubritate aëris huius oppidi, scito hac aestate nondum hic grassata esse contagia pestilentiae, sed tamen suadeo nondum huc mitti *Bohemicum* Baronem ante Octobrem. Scis meam diligentiam in consideratione aëris mediocrem esse, stellarum positus minatur nobis hoc anno pestilentiam. Cum enim *Saturnus* est in Leone aut Aquario, grassatur hic pestilentia **), sed magis cum Leonem pervagatur. Et exempla annorum sexaginta annotavi. Suntque initia post solstitium aestivum mense Iulio vel Augusto. Ante paucos dies idem consilium dedi Consiliario Ducum *Luneburgensium*, qui Doctori *Vito* commendabat Principem; suasi ne ante Octobrem huc mittatur. Bene vale, die 11. Iulii.

*) d. 9. Iul. vid. epist. Maioris ad Ionam d. 14. Iul. 1551.

**) Vid. epist. ad Schoerk. d. 9. Febr. 1550.

---

No. 4923. 12. Iul.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 179 sq. — Hic ex autogr. in cod. Monac. I., cui adscripta sunt: „d. 26. Iulii 1551." (videl. accepi).

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae,*

S. D. Ut integritas Nathanaelis praedicatur in historia Evangelica, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι; sic praedicari posse Doctorem *Wenceslaum* [*Linckium*] *) vere arbitror. Et existimo fuisse eximiam benevolentiam Senatus vestri erga eum propter ipsius modestiam, et quia utiliter docebat, οὐκ ἀεροβατῶν ut eius collega. Nunc quod filio eius benefacitis, pietas est, ut scis, Deo grata. Oro autem ut et propter *Lutheri* memoriam, qui valde diligebat *Wenceslaum*, et propterea quia hic vestram Ecclesiam fideliter et recte docuit, huic eius filio *Salomoni* concedatis, ut diutius stipendio fruatur. Iudico modestum esse et video eum studiose et recte discere Philosophica et Theologica. Quaeso ut eum tua suffragatione adiuves. Cum aliquanto plus accedet aetatis, poterit fungi Ecclesiastico ministerio. De caeteris rebus scribam per nuncium *Andream*.

Nunc tibi hanc pagellam mitto, in qua commemoratio fit exempli, sicut protexit Deus, vagantibus in Iudaea pessimarum gentium militibus et latronibus, Mariam, Elisabeth, et similes, ita sperandam esse nunc quoque protectionem. Quid dicam, motis bellis Gallicis, Italicis, Turcicis, tamen nunc edi Edicta atrocia περὶ τοῦ μεταξύ; Interea magis dilacerat Ecclesias etiam Hyperboreus orator, cuius deliramenta refutat *Stancarus* et *Morlinus* adhuc quidem constanter. Sed omitto has narrationes. Bene vale. 12. Iulii **).

Philippus Melanthon.

*) *Linckium* addit Spanhemius.

**) Alia manus adscripsit: 1551.

No. 4924. 14. Iul.

## *Maior ad Ionam.*

† Ex autogr. Maioris in Vol. Epist. Meining. ep. 88. Addidi hanc epistolam propter narrationem de praelecta et approbata confessione Saxonica.

*Rev. viro, pietate, virtute, eruditione et prudentia praestanti, Dm. Iusto Ionae, S. Theol. Doct., et Ecclesiae Coburgensis Superattendenti, Domino et amico suo observando.*

S. Reverende vir, patrone et amice observande, quae res me hoc tempore ad scribendum hortata sit, intelliget Praestantia tua ex his literis inclusis *). Cum autem mihi satis nota sit voluntas tua in provehendis et adiuvandis studiis iuventutis, non utar longiore oratione, tantum hoc peto, ut adolescentem pium, modestum et in discendo diligentem tua auctoritate apud illustriss. et optimum Principem ac D. D. *Iohannem Ernestum* iuves et commendes. Puto autem te audivisse de conventu Pastorum et Doctorum Ecclesiae harum regionum, qui fuit altera die post Chiliani **), in quo scriptum Synodicum, repetitio nempe Confessionis Augustanae, summo omnium consensu et receptum et cum singulorum subscriptione adprobatum est. Bene vale, vir Reverende. Wittemberga 14. Iulii 1551.

Georg. Maior.

---

No. 4925. 16. Iul.

## *Ioachimo Princ. Anhalt.*

Edita in Becmanni Access. hist. Anhalt. p. 118.

An Fürst Joachim zu Anhalt.

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum unsern Heyland und wahrhafftigen Helffer zuvor, Durchlauchter, Hochgebohrner Gnädiger Fürst und Herr, Zeiger dieser Schrifften ist des Chur-Fürsten Pfaltzgraffen Friedrichs Gesandter zu beyden Chur-Fürsten dieser Land und zu Marggraffen Albert, und ist des ehrlichen Manns Doctor Hartmanns Sohn, der Pfaltzgraffen Friederichs Cantzler war, da er zu Regenspurg war; auch ist dieser sein Sohn, Hartmann, Doctor. Dieweil er denn in diesen Landen noch mehr bekannt ist, und will zu Marggraff Alberten reisen, habe ich gerathen, daß er auf Dessau reisen wolle, und damit E. F. G. wissen wer er ist, habe ich ihm diese Schrifft mitgeben, und bitte E. F. G. wolle denselben Ihnen von des Churfürsten wegen auch von seines Vaters und seiner wegen gnädiglich lassen befohlen seyn; Der allmächtige Gott bewahre E. F. G. allezeit. Den 16. Iulii, 1551.

E. F. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

*) Epistola Iohannis Ziegelstetter, Coburgensis ad Georgium Maiorem (quae ibidem habetur ep. 84.) stipendium poscentis.

**) i. e. d. 9. Iulii. Vid. etiam de hoc conventu Theologorum ep. Georgii Maioris ad Regem Daniae, apud Schumacherum Vol. II. p. 150 sqq.

---

No. 4926. 19. Iul.

## (*N. N.*)

Narrat *de Murr* (Biblioth. Dilherrian. Vol. I. p. 209.), in biblioth. Noriberg. esse „Album s. Philotheca *Wolfgangi Krehnii*, cui adiectae sint literae Melanthonis et Pauli Eberi d. 19. Iul. 1551." Sed illius bibliothecae praefectus, Cl. *Ranner*, mihi scripsit, eiusmodi album nunc non extare in illa bibliotheca. Fuit, ut opinor, testimonium Krehnio datum.

---

No. 4927. 19. Iul.

## *Erh. Schnepfio.*

Epist. lib. III. p. 232 sq. (ed. Lond. lib. III. ep. 142.).

*Erhardo Sneppio (Ienae)*

S. D. Quanquam in hoc communi Ecclesiae et harum regionum luctu, assiduam moestitiam ubique bonae mentes circumferunt: tamen ubi Ecclesiae tranquillae sunt, et iudicia voluntatesque de doctrina congruunt, si non minor est dolor, tamen minus impeditur invocatio. Tali loco cum sis, et habeas collegas, viros bonos, et doctos, spero tibi nonnihil leniri exilii difficultates, teque oro ut ad nos interdum scribas. Semper enim et vox doctrinae apud nos vobiscum congruet, et benevolentia erit perpetua. Nec bene faciunt quidam veteres amici nostri, qui nunc Ecclesias nostras falsis probris traducunt, cum quidem misericordia servitutis nostrae magis adfici debebant. Ipsi enim in libertate minus sustinent certaminum quam nos. Sed haec alias. Collega noster *Vitus Wins-*

*hemius*, vir doctus et integer, ad vos expatiatur, quem ut complectaris, te adhortor. Mihi cum eo vetus et firma amicitia est, multis illius officiis erga me confirmata, et studia hic praeclare adiuvit. Spero eius congressum tibi gratum fore. Bene vale, 19. Iulii. Salutem opto collegis.

---

No. 4928. 23. Iul. (h. a.?)

## *Io. Stigelio.*

Danz. ep. ad Stigel. ep. 56. Cod. Goth. 188. ep. 67.

*Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, amico suo carissimo* S. D.

Clariss. vir et cariss. frater. Delectatus sum *Magnete* tuo, etsi Astrologum laudari mirabar. Scis enim, et Magnetem mirificum Astrologum esse, et monstrare Arcton in coelo; quam ob causam magnas utilitates praebet navigantibus. Sed ut ipsi cognatio est cum coelo, ita tibi scio propiorem cognationem cum coelo et bonis ingeniis esse, in quibus coelestes igniculi *) doctrinarum studia accendunt. Tale est ingenium huius *Ioannis Schosseri*, cuius existimo te legisse carmina, et venam probare. *Sabinus* et venam et mores probat. Quare te oro, ut commendes eum amicis in aula. Scribam plura per adolescentem, quem nobis commendasti. Bene et feliciter vale. die 23. Iulii.

Philippus Melanthon.

---

No. 4929. 25. Iul.

## *Iacobo Cameniceno.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. Iacobo Cameniceno, Pastori Ecclesiae Dei in Sacen, amico suo*

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Aderit tibi filius Dei, dominus noster Iesus Christus, et te spiritu sancto reget et confirmabit. Legi responsionem tuam piam et modestam, nec possum aliud consilium dare, nisi ut simpliciter respondeas, te vera, quae doces et observas in Ecclesia tua, nequaquam mutaturum esse *). Si te prehendent aut pellent, iniuria ferenda est. Sed expulsio non valde formidanda est. Sunt usitatissima Ecclesiae exilia. Poteris nostro hospitio aliquantisper uti. Bene et feliciter vale. die Iacobi 1551.

P. M.

*) Danzius edidit: *ingeniauli.*

---

No. 4930. 25. Iul.

## *Ioanni in Waldstein.*

Epist. lib. III. p. 76. (ed. Lond. lib. III. ep. 35.).

*Illustri et Magnifico D. Iohanni Baroni in Waldstein.*

S. D. Illustris et Magnifice Domine, Utrumque praedixit ipsa Dei vox: In hac delira mundi senecta, futuras esse maiores regnorum et Ecclesiae dilacerationes, quam fuerunt antea: et tamen inter has ruinas semper fore aliquem coetum, qui sonet Evangelii vocem, et vere invocet Deum, in agnitione Mediatoris. In eo coetu esse melius est, quam esse socium et ministrum crudelitatis eorum, qui delere manifestam veritatem Evangelii conantur. Ut igitur, cum Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus crucem suam gestabat, *Simon Cyrenaeus* partem oneris subibat: ita pie faciunt homines, nati in illustribus familiis, qui leniunt piis et doctis Pastoribus miserias. Spero autem tua authoritate aliquo modo posse reprimi iniustam saevitiam eorum, qui pastori *Sacensi* minitantur. Legi eius responsionem, et iudico piam et modestam esse. Ideo illustrem dominationem tuam oro, ut quantum fieri potest, mitigare acerbitatem inimicorum studeat. Dolendum est, viros doctos, salutaria docentes, et modeste viventes pelli, cum tales omni cura, propter gloriam Dei et salutem populi retinendi et fovendi essent. Sed agnoscamus Ecclesiae aerumnas, et pii lenire eas studeant. Bene et feliciter valeat illustris Dominatio vestra. Die Iacobi Anno 1551.

*) Vid. ep. seq. ad Io. a Waldstein.

No. 4931. 25. Iul.

## *H. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 181 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 163., cui adscripta sunt: „1551. d. 10. Aug. per Andreolum."

*Clariss. viro — D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae etc.*

S. D. Etsi multi prudentes existimant nullam Synodum fore, tamen iussus scripsi *Repetitionem Confessionis*, quam qui legerunt, testantur bona fide et recte recitatam esse communem harum Ecclesiarum, cum quibus et vestra sentit, doctrinam. Nec profecto unquam volui nova dogmata gignere. Sed quae fuerint causae et occasiones, cur quaesiverimus genus sermonis in explicandis controversiis, in quo minimum esset ambiguitatum, tu ipse nosti. Etsi autem non tantum ille Hyperboreus *Gorgias* nunc in me incurrit, sed etiam alii saepe allatrarunt, tamen et conscientia rectae voluntatis mihi lenit dolorem, et Ecclesiae iudicium nunquam defugi. Iamque ita cumulat absurda iste *βωμολόχος*, ut iudicari eius sententiae facile possint. Sed exspectemus eius libros, qui nunc cuduntur. Nec plura iam addam de hoc novo vulnere Ecclesiae, quod ut sanet Filius Dei toto eum pectore oro.

Scriptum Synodo exhibendum non edetur, nisi inspectum ab aliis. Optamus enim unam esse et manere vocem harum Ecclesiarum in omnem aeternitatem.

Mitto tibi *pagellam cognatorum Christi* nuper adolescentibus propositam *). Sed Basileae genealogia vetusti scriptoris edetur his nundinis. Illud autem hic adscribere libuit. Clemens Alexandrinus recitat colloquium Salomes et Christi, quod ait extare in Evangelio secundum Aegyptios. In eo colloquio verba haec sunt Christi ad Salomen: *ἦλθον καταλῦσαι τὰ ἔργα τῆς θηλείας.* Haec haeretici citarunt contra coniugium, interpretantes generationem aboleri. At Christus nominat *ἔργον θηλείας* lapsum Hevae et miserias quae secutae sunt. Generatio est opus Dei conditum in Natura, non est orta a nobis, ut peccatum. Ut autem tunc haeretici rectissime dicta depravabant, ita videmus nunc quoque usitatum esse ludum, recte dicta calumniose corrumpere. Oro autem Filium Dei, ut calumniatores reprimat. Bene et feliciter vale. Die Iacobi *).

Philippus Melanthon.

*) Postea editam anno 1550. vid. ep. d. 21. Iun. et d. 22. Iul. 1555.

---

No. 4932. 25. Iul.

## *Erasmo Benedicto.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*Erasmo Benedicto*[1]) [*in oppido Freystadt*].

Clariss. vir et cariss. frater. Ex narratione *Zachariae* non satis intelligo, an etiam in munere ecclesiastico vivere velis? In scholis quam sit ingrata erga nos respublica, omnes experimur. Tua vero aetas, eruditio, prudentia et gravitas ornare Ecclesiam potest, et passim desiderantur gubernatores Ecclesiarum. Heri etiam huc *Lubecensis* Senatus misit literas, et petit indicari virum idoneum ad suae Ecclesiae gubernationem [2]). Te indicarem, si tale munus tibi imponi sineres. Et offeret Deus plura loca. Scribes igitur ad me de tua voluntate. Ex tuis literis rectius cognoscam tuam voluntatem quam ex Zachariae oratione. Sed tamen Deus, si Ecclesias deleri non sinet, dabit alicubi nidulos invocantibus ipsum.

De tuis quaestionibus respondi, et velim monstrari D. *Giganti*, qui legat ut iudex. Fui brevior propter angustiam temporis. Bene vale et rescribe cum de voluntate tua tum de quaestionibus. Die Iacobi. Salutem opto D. *Giganti* [3]) et vobis omnibus.

---

No. 4933. 31. Iul.

## *P. Vincentio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*) Ann. 1551. serior manus adscripsit.

1) Vid. de eo ep. d. 12. Maii, d. 15. Maii, d. 4. Iul. 1548., d. 18. Febr. et d. 7. Apr. 1549., d. 20. Febr. et 8. Iun. 1550.

2) Vid. supra ep. ad Aurifabrum d. 25. Mart. 1551.

3) Is iam erat Pastor in oppido Freystadt.

*Dom. Petro Vincentio, gubernanti studia literarum in inclyta urbe Lubeca.*

S. D. Et tibi gratiam habeo, quod *Valentini* [1]) erga nos benevolentiam confirmas, et *Valentino* gratias ago, quod ad nos accessit, ut et de amicitia nostra et de Ecclesia coram colloqui possemus. Acquievi nonnihil in viri prudentissimi et fidelissimi sermonibus. *Οὐκ ἔστι δὲ λύπης ἄλλο φάρμακον βροτοῖς, ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ φίλου παραίνεσις,* inquit graecus poëta. Ac volo, inter te ipsum et me aeternam amicitiam esse, et quidem eo coli, ut coniunctio nostra prosit Ecclesiae, et in illa coelesti consuetudine frui hac nostra amicitia possimus. Omnino contra furiosos et fanaticos homines oportebat bonorum et doctorum coniunctionem firmiorem esse. Tuam epistolam de pecunia *Hieronymo* [2]) mittenda exhibui ipse Hieronymo, ac, si quid accepero, reddam bona fide, veteri formula: inter bonos bene agier. Natura *Hieronymi* bona est, et omnium doctrinarum capax. Oro autem filium Dei, ut ipsius studia gubernet, et eum Ecclesiae servet. Quod gubernatio studiorum adolescentiae in Corona vestra [3]) tibi mandata est, primum Ecclesiae causa gaudeo; spero enim hanc militiam tuam ei plurimum profuturam esse [4]). Laetor et te habere honestum locum in tali urbe, et filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, *λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου πατρὸς,* oro, ut doctrinae vocem et in schola tua et in Ecclesia ipse regat. Sermones de synodo et alios narrabit *Valentinus.* Bene et feliciter vale. Pridie Cal. Augusti.

Philippus Melanthon.

---

**No. 4934.** 1. Aug.

## *Io. Stigelio.*

Dans. epp. ad Stigel. ep. 85. Cod. Goth. 188. ep. 101.

1) Valentini Korti, Pastoris Lubecensis Ecclesiae.

2) Hieronymi Schroederi, qui a. 1552. Witebergae mortuus est. Vid. ep. ad Besoldum d. 26. Maii 1552.

3) i. e. urbe Lubeca.

4) Id factum esse videtur anno 1551. Certe hoc anno mense Febr. habemus epistolam ad Vincentium, ubi ei Melanthon gratulatur de munere publico ei mandato. Valentinus Korte autem, Pastor Lubecensis, adfuerat, ut subscriberet confessioni Tridentum mittendae. Vid. epist. ad Meienb. d. d. 5. Augusti 1551.

*Viro clarissimo, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, Deo et Musis caro, amico γνησίῳ καὶ φιλτάτῳ,* S. D.

Mihi vero, cariss. *Stigeli*, et assiduitas tua in scribendo gratissima est, et elegans facilitas nectare dulcior. Nec mihi unquam illa Graecorum de Xenophonte sententia placuit, quem dicunt historiam scripsisse *ἡδέως μὲν ἀλλ᾽ οὐ καλῶς,* Thucydidem vero *καλῶς οὐχ ἡδέως.* Mihi quidem illa suavi et limpida forma orationis nihil pulchrius, etiam nihil venustius videtur. Itaque tibi gratias ago toties tam amanter scribenti, et te oro, ut, donec colloqui possumus, hoc officio benevolentiam mutuam declaremus. *Τὴν ἑορτὴν* Baptistae, celebratam a te vero officio, brevi mittam. De *Basilio*, genero *Antonii Musae*, meum consilium est, ut se ad Ecclesiasticum munus praepararet. Ita facile et cito ei inveniri nidulus potest. Scholae pauciores sunt. Non ita multo ante Numburgensem quendam Olsnicensibus misimus, qui domi in vicinia vestra cum coniuge apud parentes vivebat. Ita quam primum audiero, locum vel in Ecclesia aliqua, vel in schola vacare, qui possit tradi huic *Basilio*, statim id tibi significabo. Nec dubita nobis omnibus curae esse eos, quas commendatis. D. *Schneppio* et D. *Victorino* salutem opto. *Vitum* *) spero a vobis literas allaturum esse. Bene et feliciter vale. Cal. Aug.

Philippus Melanthon.

---

**No. 4935.** 4. Aug.

## *L. Mollero.*

Epist. lib. V. p. 468 sqq.

*Laurentio Mollero (Concionatori Hildeshem.)*

S. D. Doctissime et charissime Laurenti. Extat vetus definitio Iustitiae, in scripto Clementis Alexandrini, ut existimo, tradita, ut discerneretur Iustitia renatorum a Iustitia legis, i. e. disciplina externa. *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία Θεοῦ, μετὰ ἰσότητος.* In priore particula complectitur primae tabulae obedientiam, quae in renatis est *κοινωνία Θεοῦ,* quia accenduntur in cordibus verae flammae divinitus. Deinde voluit autor com-

*) Vid. epist. ad Schnepf. d. 19. Iul.

plecti et secundam tabulam, cum sit μετὰ ἰσότητος. Sit autem ordinata aequalitas. Nam haeretici sunt abusi hac definitione, sicut Anabaptistae, cum faciunt barbaricam ἰσότητα, facultatum. Agnoscamus nostram infirmitatem, et tamen tribuamus cuique convenientem locum in gubernatione. Et concordibus animis serviamus Ecclesiae. Diligi me a te gaudeo, et expeto bonorum amicitias, quae nonnihil laboris mihi adferunt. Sed expeto propter Ecclesiae concordiam. Sic me a te diligi volo, non ut superiorem, ἀλλὰ ὥσπερ ἴσον. Agnosco meam imbecillitatem, sed mens similis est tuae, cupio fideliter servire Ecclesiae Dei. Et negotium *) vestrae civitatis curabo diligenter, et vobis rescribam, quid obtinuerimus. Senatus Zervestensis virum talem retinere studebit, sed tamen alius inferior isto poterit sustinere Diaconi munus. Qua de re cum ipsis Principibus agendum est, qui nunc non sunt domi. Ideo fui suasor vestro nuncio, ut recta ad vos rediret. Bene vale. Die 4. Augusti.

Philippus Melanthon.

Reverendus d. Pastor Ecclesiae nostrae, Doctor *Pomeranus*, properante tabellario, cum tuas literas legisset, iussit, me suo nomine vobis precari salutem, et mecum ad *Zervestam* ipse profecturus est, ut coram cum *Iohanne* Diacono agamus. Iterum vale.

Philippus.

---

No. 4936. 5. Aug.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 575 sqq. Hic ex autographo in bibl. Noriberg., quod nobis descripsit Cl. *Rannerus*.

*Clarissimo viro, prudentia et virtute praestanti, D. Michaeli Meienburg, Consuli Northusano, amico suo praestantiss. et cariss.*

S. D. Clarissime vir, et amice charissime. Dei beneficio adhuc recte valent filii, et discunt. Ac nondum contagia pestilentiae in hoc oppido sensimus. Ex castris *Meideburgensibus* venerunt *Kembergam* aegroti, ad quos cum Diaconus accessisset, infectus est simili morbo, deinde et senex Pastor Ecclesiae Kembergensis, divinitus servatus in priore bello, cum ab Hispanis vulneratus esset. Hunc nobis iam illud Meideburgense contagium abstulit.

Legerunt nostrum scriptum Synodo exhibendum, si ita res postulatura esset, multi docti viri, Concionator *Lubecensis*, vir valde ingeniosus, et alii, qui iudicare possunt, a quibus et scriptum ipsum et consilium comprobatur, quod habere paratam materiam a multis inspectam, ante Synodum volumus. Nondum edituri sumus, sed prius etiam *Brentio* mittam. Nam *Brentius* etiam scripsit similem confessionem, cui Argentoratenses subscripserunt. Vellem autem communicatis sententiis unam esse nostrarum Ecclesiarum vocem. Iam vocatus sum *Dresdam*, sed fortassis deliberatio erit de mandato Imperatorio, quale ad vos missum fuit. Vidi aliud missum ad *Gelnhusen:* scio, et *Noribergam* esse missum: sed quid Senatus responderit, nondum scio. Exemplar Aula nondum voluit spargi, nec habeo descripta exempla. Si quod pervenit Exfordiam, non est in meis aedibus, aut, me sciente, facta descriptio *), quanquam ego quidem non aegre fero, legi nunc quoque ab aliis hanc recitationem praecipuae doctrinae Ecclesiasticae. Et iudico, formam Confessionis recte institutam esse. Sed libenter vellem cum pluribus eruditis colloqui. Et, si erit Synodus, aliquos ex nostris prius colloqui oportebit, quam exhibeatur Confessio. Mittam vobis exemplum nostri scripti, quamprimum fieri poterit. De bellis Italicis non libet scribere. Classis *Turcica* propinqua est Italiae. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, ut in his regionibus Ecclesias et earum hospitia protegat, et vos et vestros servet incolumes. Bene et feliciter valete. Die 5. Augusti 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4937. 6. Aug.

## Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 507. (ed. Lond. lib. II. ep. 533.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et amice charissime. Scio te de ingeniis, studiis, et moribus prudenter, et

---

*) Vid. epist. d. 21. Mart.

*) Vid. ep. ad. Meienburg. d. 3. Sptb. 1551.

graviter iudicare. Quare cum tibi notus sit Magister *Henricus Paxman*, filius Pastoris Ecclesiae *Borgwedelensis*, non utar longiore commemoratione. Spero autem tuum iudicium cum meo congruere, qui quidem astrorum positum in ipsius genesi inspexi. Natura omnium disciplinarum capax est, et iam in tota Philosophia praeclare eruditus est, et mores sunt honesti et sancti. Cumque pater suppeditet sumptus etiam caeteris filiis ad discendum, confugere ad liberalitatem publicam cogitat. Oro te et patris, et meo, et *Henrici* nomine, ut aulae commendes hunc *Henricum*, ut stipendio iuvetur. Deo iuvante optime in hunc collocabitur beneficium Principum et Ecclesiae. Iudico etiam hunc *Henricum*, ad erudiendum iuniorem Principem, quem in Academiam missuri estis, maxime idoneum esse. Satis enim gravitatis est in natura et aetate ipsius. Et pium est te anteferre cives peregrinis. Quare et in ea deliberatione de hoc *Henrico* cogitare vos optarim. *τὰ ὑπομνήματα* scripta in *Ecclesiasten* iam recuduntur *); mutavi non epistolam, sed argumentum, quod sequitur, quod in priore editione non congruebat cum epistola. Bene vale. Fratres Dei beneficio recte valent. Die 6. Augusti. Anno 1551.

---

No. 4938. 7. Aug.

## *P. Medmanno.*

Gabbema claror. viror. epist. p. 81.

### *Ad. D. Petrum Medmannum.*

Cariss. Frater, ut de se Aeneas inquit, ita *Paulus Unicornis* dicere possit:

*Nam me iam septima portat*
*Omnibus errantem terris ac fluctibus aestas.*

Tot iam annos non solum exulat, sed etiam sustinet odia suorum, tantum propterea, quod filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum recte invocare studet, et abhorret ab Idolomania. Te igitur oro, ut hominem honestum et eruditum, tibique notum complectaris, praesertim cum tu quoque propter eandem causam in fortuna simili vivas procul a patria. Usui esse nobis hic *Paulus* in docendo poterit in templis aut in scholis. Mihi eius oratio Latina nunc magis placet, quam ante annos aliquot. Et Ecclesiae doctrinam recte tenet, didicit et forensia iura, sed mavult Deo servire in docenda Ecclesia. Hanc epistolam dedi *Paulo* prius ituro Francofordiam, quam ad te proficisceretur. Ideo de caeteris negotiis nihil iam scripsi. Non enim certo accipies hanc epistolam. Bene vale, cariss. Frater. Die 7. Augusti. Anno 1551.

Philippus Melanthon.

*) Vid. d. 1. Oct. 1550.

---

No. 4939. 18. Aug.

## *Christiano Regi Dan.*

Edita in *Io. Pet. de Ludwig* reliquiis manuscriptorum Tom. V. p. 550. Iterum in Schumacher's Briefe an d. Könige v. Dänem. Vol. II. p. 35. ep. 13. et Pontoppidan Kirchengesch. von Dänemark, Vol. III. p. 308., ubi pagella huis epist. addita non simul edita est.

Dem allerdurchlauchtigsten, großmächtigsten Fürsten und Herrn, Herrn Christian, zu Dänemark, Norwegen, der Gothen und Wenden König etc. Herzogen zu Schleswig und Holstein, der Dittmarschen Herrn etc. Grafen zu Oldenburg, meinem gnädigsten Herrn [1]).

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Allerdurchlauchtigster, großmächtiger, gnädigster König und Herr. Wiewol E. K. M. sonst gewisse Zeitungen haben, so hab ich doch [2]) so viel Sachen verzeichnet, als ich auf diesen 18ten Tag Augusti gewißt habe. Vom Concilio ist viel Rede; aber ich weiß noch nit, ob ein Bischof aus Teutschland dahin gezogen sey, wiewol man vor dreyen Wochen gesagt, Mentz, Trier und Wirtzburg würden mit einander gen Trident ziehen. Es ist aber wohl zu achten, wie der Beschluß seyn wird, wenns gleich zum Beschluß kommt. Wir wollen durch Gottes Gnad in reiner christlicher Lahr bleiben, die wir in der Augsburgischen Confession ausgedruckt haben. Und wiewohl wir nit wissen, ob wir etwas an das Concilium schreiben müssen; so sind wir dennoch gefaßt mit einer Schrift, darinnen wir die Confession repetiren, und uns auf die vorige Confession referiren; ist auch dieselbige Schrift durch viel Prädicanten dieser Land und etlich andere besehen und bewogen, die sie als recht und christlich approbiren. Doch ist sie noch nit in Druck

1) Hanc inscriptionem dederunt Ludwig et Pontoppid.
2) doch] non habent Lud. et Pontopp.

ausgangen, denn wir zuvor hören wollen, was das Concilium machen will, ob es ins Werk kommen [3]) oder nit. Auch kann das Concilium kein Auctorität haben, wenn Frankreich niemand senden will, wie man sagt. Es sey nu solchs alles, wie es ist, so wollen wir durch Gottes Gnad in einer Bekanntniß mit diesen [4]) Kirchen bleiben, da reine christliche Lahr ist, laut der vorigen Augsburgischen Confession und unserer Schriften, die am Licht sind. Der allmächtige Gott wolle E. K. M. und E. K. M. Königin und junge Herrschaft gnädiglich bewahren. Dat 18. Augusti 1551.

Ewr. Königl. Majestet
unterthänigster Diener
Philippus Melanthon.

(*Pagella huic epistolae inclusa:*)

Der Römisch Kaiser ist ziemlicher Gesundheit, hält sich nit inne, ist neulich wiederum gen München auf die Jagd gezogen. In Italia ist Parma belagert durch des Papstes und Kaisers Volk, sonst sind nit Krieg in Italien. Wie es in Frankreich und Engeland steht, haben E. K. M. gewisse Zeitungen. Der Kaiser hält an bei dem Papst, daß er mit dem Concilio fortfahren soll. Das müssen wir Gott befehlen; und wiewol Reden gewesen, daß Mainz, Trier, Wirtzburg, Eichstedt, mit einander gen Trident haben ziehen wollen, so weiß ich doch noch nit, ob sie gezogen sind. In Teutschland ist kein offenbarer Krieg denn die Belagerung Meideburgs, und sind am Donnerstag nach Laurentii abermal etliche auf beiden Seiten fürnehme Personen umkommen, und ist nit Hoffnung, daß diese Sach zum Vertrag komme, wiewol Handlungen fürgewesen.

In Hungern ist wahr, daß Siebenbürgen dem König Ferdinando gehuldigt hat, und hat die Wittfrau König Johannis dem König Ferdinando die Kron überantwortet. In Hungern ist ein türkisch Volk ankommen, und rüsten sich die Hungern den Türken Widerstand zu thun. Denn die Wallachey ist auch erregt wider den Türken; denn der Weyda in Walachey, der bis anhero noch christlichen Namen gehabt hat, ist zum türkischen Glauben abgefallen, darum ihn die Walachen nit dulden wollen. Die türkisch Armata ist stärker auf dem Meere, denn sie vor allen diesen Zeiten gewesen ist; hat Volk an Sicilien weggeführt, und hat des Kaisers Armata Schaden gethan in Syrtib.

3) Pontopp. kommen soll, Ludw. komme.
4) Pontopp. dieser.

**No. 4940.** **19. Aug.**

## *C. Egenolpho.*

Edita in libro Encelii de re metallica. [Lunz.]

*Christiano Egenolpho, civi Francofordiano, amico suo, Philippus Melanthon salutem dicit.*

Honestissime vir et amice charissime. Etsi dissimilitudo est artificum, ut Iurisconsulti dicunt: tamen studia inquirentium naturam mediocri diligentia iuvanda et ornanda sunt. Scripsit autem de metallis et eorum generatione et varietate quidam Salveldensis, *Christophorus Encelius* *), non ut certet cum viro doctissimo et ingeniosissimo *Georgio Agricola*, sed ut suo aliquo labore studia philosophica adiuvet. Id opus edi optamus. Quare te valde oro, ut vel tuis typis excudas, vel consilium editionis adiuves. Opinor sine detrimento excudi posse, cum multi haec physica libenter legant et diligentia huius Christophori sit singularis. Multa certe deprehendit, quae nusquam apud alios leguntur. Quare te etiam atque etiam oro, ut hanc editionem adiuves. Bene vale. Die 19. Augusti, Anno 1551.

---

**No. 4941.** **20. Aug.**

## *Hartm. Beiero.*

† Ex autographo Melanth. in bibl. Senat. Francof. ad Moen. mihi descripta a Clar. D. *Boehmero.*

*Venerando viro, eruditione et virtute praestanti d. Hartmanno Beiero, docenti Evangelium pie et fideliter in inclyta urbe Francofordia, amico suo,*

S. D. Venerande vir et amice carissime. Non respondi literis tuis amanter ad nos scriptis, impeditus occupationibus et aerumnis nostris, quae tibi non prorsus ignotae sunt. Sed pietatem tuam, et in explicatione dogmatum diligentiam et fidem

*) „De re metallica, hoc est, de origine, varietate et natura corporum metallicorum, lapidum, gemmarum, atque aliarum, quae ex fodinis eruuntur, rerum, ad medicinae usum deservientium Libri III. autore *Christophoro Encelio* Salveldensi. Cum Privilegio Imp. Franc. ap. heredes Chstni Egenolphi 1557." Hanc ed., unde Melanchth. ep. sumsi, suppeditavit mihi Bibl. *Senat. Lips.*; editionem vero anni 1551. quo ep. data est, adservat *Bibl. Acad. Lips.* (Lunz.)

probo. Legi nempe quaedam tua scripta. Habeo etiam gratiam, quod edidisti τὸ σύγγραμμα περὶ δικαιοσύνας, scriptum a viro docto et gravi d. *Aepino*. *Osiander* recte *) eruditas res nova sophistica conturbat, de qua scribam aliquando copiosius. Nos repetitionem confessionis scripsimus, exhibendam synodo, si quid flagitabitur. Et inspexerunt iam multi docti et boni viri. Curabo ut tu quoque habeas exemplum. Nunc te valde oro, ut huic adolescenti Fribergensi, *Iohanni Stumm*, cognato doctoris *Welleri*, queras munus scholasticum vel apud vos vel alibi. Possit honesti civis liberos erudire. Ages de eo et cum viro doctissimo, qui docet in urbe vestra adolescentiam, et cum typographis. Ita tibi eum commendo, et meo et *Welleri* nomine, quem scis esse virum integerrimum, ut maxime orem, ne adolescenti ingenioso et bene morato desis. Bene vale. die 20. Augusti 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4942. 24. Aug.

## *Nic. Clausio.*

Epist. lib. II. p. 555. (ed. Lond. lib. II. ep. 577).

*D. Nicolao Clausio, Consuli Frankenhus.*

S. D. Honestissime vir et amice charissime, Utinam pro tuis literis amantissime scriptis, mittere Epistolam argumento non tristi scriptam possem. Sed nosti et humanarum rerum inconstantiam, et nos voluntati Dei parere oportere. Audies igitur fatalem casum Filii fratris tui *Ulrici* minore animi perturbatione. Dum *Ulricus* aegrotans inde usque a vere, non vult relinquere hanc Academiam, cum quidem Medicus vir fidelis et prudens fuisset hortator, ut secederet, tandem vicit morbi vis, ac Dei voluntate *Ulricus* in Academiam aeternam ad doctorem Filium Dei, et ad agmina scholae coelestis, traductus est **). Nam in invocatione Filii Dei, et inter vota placide exhalavit animam. Etsi autem naturalis στοργή dolorem adfert, et Deus vult nos desiderio nostrorum adfici: tamen scis hoc quoque a Deo praecipi, ut dolorem moderemur, quem quidem adolescentis pietas praecipue tibi et tuis levare debet, quam cum et in vita et in agone declaraverit, non dubitemus eum inter eos esse, de quibus scriptum est: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Nec ipsi labores studiorum perierunt, cum se ad hoc iter recte praeparaverit, gestiens etiam cum recitaret moriturus haec verba, (*quem constituisti μεσίτην καὶ ἱκέτην*) Utinam viventi gratificari aliis officiis potuissem. Nunc haec tristia officia praesto. Bene vale. Die Bartolemaei.

*) Apographon mihi missum habet: *certe*.

**) De funere Ulrici Clausii d. 22. Aug. 1551. vid. Scripta publ. T. I. p. 872.

---

No. 4943. 27. Aug.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 72 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 57.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Impendet fatalis mutatio omnibus gentibus, etiam in *Walachia* motus exorti sunt propter religionem. Hactenus enim et Praesides *Walachorum* seu Principes, et ipsi *Walachi* retinuerunt nomen *Christianum*: nunc recens, is qui praefuit, scelerate abiecta professione *Christiana*, amplexus est *Mahometicam* impietatem, et edicta proposuit, in quibus populum iubet imitari suum exemplum. Factus est igitur impetus in eum consensu omnium Ordinum, et comprehensus necatus et in flumen abiectus est. Postea *Walachi* ad Regem *Polonicum* miserunt, et cum eo et *Moscis* [1]) societatem fecerunt, et *Turcicam* Tyrannidem excutiunt. Deum oremus, ut ubique Ecclesiam sibi colligat et protegat. Hac nocte quinque domus in suburbio nostro conflagrarunt [2]). Heri literas a Duce *Prussiae* accepimus, in quibus scribit se missurum esse nobis disputationes suorum indicandas. Literas tuas ac potius teipsum expecto. Bene et feliciter vale. Die 27. Augusti 1551.

---

No. 4944. 27. Aug.

## *Iac. Milichio.*

Epist. lib. II. p. 412. (ed. Lond. lib. II. ep. 464.).

1) Moscoviis?

2) Vid. Script. publ. Tom. I. p. 869. et ibid. edictum Rectoris dat. mense Aug. 1551.

*D. Iacobo Milichio*

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Dei beneficio tua familia recte valet, et adhuc Academiae et oppidi tranquillitas est, quam Deus tueatur. Sed annona fit angustior. Et hac nocte in suburbio nostro conflagrarunt quinque domus. Incendium in domo Tinctoris ortum est, postea vento ad vicinas prolatum, inter quas est et domus Aurigae *Wolfii*, cuius uxor est puerpera. Reditum tuum expectamus, ac ut omnes feliciter redeatis, Illustrissimi Principes *Ascanii*, et tu, faciat Filius Dei, custos invocantium ipsum, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus. Historica multa habemus, quae coram narrabo Principibus. In *Walachia* Princeps, seu quocunque eum nomine appellant, scelerate abiecta professione Christiana, amplexus est *Mahometi* impietatem et edicta proposuit, ut exemplum suum imitaretur populus. Itaque consensu omnium ordinum impetus in eum factus est, et comprehensus necatus est, et in flumen abiectus: ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅστις τοιαῦτά γε ῥέζῃ. Excutiunt Tyrannidem *Turcicam Walachi*, facta societate cum *Moscis* et *Polonis*. Heri a Duce *Prussiae* literas accepimus, in quibus scribit se missurum esse nobis iudicandas suorum disputationes. Illustrissimo Principi *Georgio* dicas, *Dresdae* tantum deliberationes fuisse περὶ τῆς ἐν τριαίνῃ συνόδου, quam coram recitabo, et plura interea audiemus. Bene et feliciter vale. Die 27. Augusti.

---

**No. 4945.** **28. Aug.**

## *Ad. Sibero.*

Epist. lib. II. p. 578. (ed. Lond. lib. II. ep. 602.).

*D. Adamo Sibero*

S. D. Cum coetus vestros intueor, nonnihil his cogitationibus mihi lenitur moestitia, quod haec agmina discentium scio Deo curae esse, ac spero eis Filium Dei, et Ecclesiam et hospitia mediocria servaturum esse: et ut ipse Filius Dei assideat in his scholis, sit Rector et Doctor, toto eum pectore oro: deinde ut poenas nobis mitiget. Simul etiam Illustrissimo Principi, et tibi, et Oeconomo gratias ago, quod *Aegidii* filium vestro coetui adiunxistis: τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, ut scriptum est. Vicissim igitur Deus benefaciet iis, qui talibus sacrificiis pietatem ostendunt. Tuo sancto labori gratulor, ac pro tuo munere, et publico et meo nomine tibi gratias ago. Bene vale. Die Augustini, M. D. LI.

---

**No. 4946.** **1. Sept.**

## (*Testimonium Omphalo dat.*)

† Ex apographo. in cod. Paris. D. L. 54 a.

*S. D. omnibus lecturis has literas.*

Utrumque praedixit filius Dei, dominus noster I. C., et futuras esse maiores regnorum dilacerationes in hac ultima senecta mundi, quam fuerunt antea, et tamen se Ecclesiam aeternam etiam inter has ruinas regnorum voce Evangelii semper collecturum esse, et vult ob eam ipsam causam studia doctrinae coli, nec sinit ea interire. Itaque sapienter feramus aerumnas communes, et bona cum spe studia doctrinae tueamur, ac sciamus, labores nostros non fore irritos. Hac spe hic *Wenceslaus Omphalus*, natus in oppido Boiemiae Luna colit studia literarum, et servire Ecclesiae Dei in docendo cupit. Praeclare igitur instruxit se eruditione in lingua latina et graeca et in philosophia et doctrina Ecclesiae Christi. Praecipue vero exercuit se in parte philosophiae praestantissima et dulcissima, quae motuum et effectionum coelestium rationem ostendit, qua in re et consilium eius laudandum est, et vis ingenii conspicitur. Scit autem adpetendam esse doctrinam, ut verum Deum recte agnoscamus et celebremus, et mores honeste gubernemus. Ad hos fines et ipse refert literarum studia ac pietatem animi erga Deum vera invocatione et honestis moribus declarat. Quare eum bonis viris omnibus commendo. Semper eximia fuit iustitia, gravitas et constantia gentis Boiemicae, et has virtutes in defensione verae doctrinae ante annos centum declaravit. Extant enim monimenta certissima, quae ostendunt, sententias veras ab illis viris fortissimis defensas esse, qui stolas suas in sanguine agni lavarunt. Harum honestissimarum rerum memoria nunc quoque moneat multos, ut amantes studia doctrinae maiore benignitate tueantur. Precor autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut hunc

*Venceslaum* gubernet, et faciat eum σκεῦος ἐλέους, et organum salutare suae animae et Ecclesiae. Datae Cal. Septembris anno 1551.

Philippus Melanthon manu propria.

---

No. 4947. 1. Sept.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 182 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 165., cui adscripta leguntur: d. 15. Sept. 1551."

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae etc.*

S. D. Erunt in hac mundi senecta paulatim distractiones gentium et religionum plures. In Anglia postquam et foedera facta sunt et pacta de coniugio, nunc cum Gallicis legatis deliberationes sunt περὶ διδασκαλίας καὶ περὶ τοῦ ἀρχιερέως ῥωμαίου. Sunt qui hortantur, ut Gallicus Rex, postquam Pontifex ei fulmen suum minitatur, constituat in regno Gallico Patriarcham. Pannonicas res scio tibi notas esse. Dux *Prussiae* scribit nobis sua manu, se suorum scripta nobis missurum esse, ut iudicentur. Fortassis autem nostra sententia erit illi Gorgiae classicum novi certaminis. Sed tamen δεῖ συνηγορεῖν τῇ ἀληθείᾳ, ut in Attico iuramento dicebatur, ἀμυνῶ ὑπὲρ τῶν ἱερῶν καὶ μόνος καὶ μετὰ ἄλλων.

Huius *Georgii Wagneri* bona est natura, et studia moderatione morum ornat. Didicit autem Philosophica et summam doctrinae Ecclesiasticae, ita ut sperem usui et ornamento fore Ecclesiae Dei. Quare valde te oro, ut eum Senatui vestro et iis qui stipendia distribuunt commendes. Mitto tibi pagellam de Eclipsi. Elegantissima est natura et eximia eruditio in Philosophia *Matthiae Stoii* Prussiaci hospitis vestri. Quare eum amanter complectare. Bene et feliciter vale. Calend. Septemb. *)

Philippus Melanthon.

---

No. 4948. (1. Sept.)

## *H. Besoldo.*

Epist. lib. V. p. 231 sq.

*Hieronymo Besoldo (concionatori Noriberg.)*

S. D. Scribit ad nos sua manu Dux *Prussiacus* [1]), se ad nos contraria suorum scripta missurum esse. Et Rex Daniae hortator est ei, ne sinat turbari vicinarum Ecclesiarum consensum. Etsi autem illud metuo, quod saepe fit, ut magis inflammetur certamen adversando, tamen respondere necesse erit, † καὶ τῷ ἀντιδίκῳ μέλει ἡμῶν ὥσπερ τῶν ἐν τέλμασι βατράχων". [2])

Mitto tibi pagellas de Eclipsi, etsi optarim, versus esse meliores, sed eo mitto, ut scribant nobis D. *Ioachimus* et *Stoius* suae observationis et considerationis tempus. Diligentiam *Rhetici* novistis. Et tamen videtur Eclipsis initium antecessisse id tempus, quod annotavit. De Tridentina Synodo rursus hic silentium. Significabis de eo, quicquid habes ἀξιόλογον. Nobis scribitur, Anglicos homines iam cum Legatis Gallicis disserere de doctrina, et quosdam hortatores esse Regi Gallico, ut suum ἀξίωμα ἀρχιερατικὸν in Gallia tribuat Patriarchae ademtum τῷ ῥωμαίῳ ἀρχιερεῖ. *Georgium Wagnerum* tibi commendo. Bene vale, et rescribe.

Phil. Melan.

---

No. 4949. 2. Sept.

## *Pastori in Rabenstein.*

Mel. Consil. lat. P. II. p. 151 sq.

*An Coena Domini infantibus impartienda sit? Et de phrasi: quod Sacramenta adferant Spiritum sanctum, ad Pastorem Rabenst.*

Perlegi tuam disputationem de Coena Domini impartienda infantibus, et morem vestrae Ecclesiae novi. Scio et apud Cyprianum quaedam extare, quae testantur, alicubi similem fuisse consuetudinem olim. Sed consuetudo impartiendae Coenae infantibus non est necessaria. Iudico baptismum eis testimonium esse, *quod fiant membra verae Ecclesiae, et sint in gratia Dei. Nec opus est eis impartire Coenam Domini.* Tegit eorum impetus vitiosos gratia, in quam recepti sunt, iuxta illud: *Non est voluntas patris, ut pereat unus*

---

*) Alia manus adscripsit: ann. 1551.

1) Vid. ep. ad Milichium d. 27. Aug.

2) Addit A. D.

*de parvulis istis.* Id dictum est de infantibus Ecclesiae insertis. *Caeterum Coena Domini instituta est, ut sit exercitium discentium, quia Christus iubet ibi annunciare mortem Domini. Praeterea Paulus iubet discerni corpus Domini.* Item, *iubet, ut se quisque probet. Haec omnia conveniunt propriae aetati, quae iam doctrinae capax est. Ideo mihi magis placet mos nostrarum Ecclesiarum.*

*Quod de privata Coenae administratione quaeris, instituta est Coena, ut sit publica ceremonia convenientis Ecclesiae. Ideo dissimilis est baptismo, qui privatim singulis administrari potest.* Sed hanc disputationem omitto.

De libro huc misso scias, non supposititium esse. Et cum latinis congruit in summa sententiae, etiamsi interdum aliis verbis loquimur germanice, aliis latine, rem eandem tractantes.

Sed video te urgere dictum de Sacramentis, *quod afferant Spiritum sanctum. Id dextre intelligendum est. Baptismus infantum vere testimonium est de donatione Spiritus sancti.* Etsi quomodo fides sit in infantibus, non satis intelligimus. Retineo autem firmiter has sententias: *Non est voluntas patris, ut pereat unus de parvulis istis.* Item, *Sinite parvulos ad me venire: quia talium est regnum coelorum.* Item, *promissio Evangelii pertinet ad infantes. Et haec intelligo omnia de infantibus, qui inseruntur Ecclesiae, hoc est, quibus applicatur beneficium Christi per ministerium Ecclesiae, cum uti eo possumus.* Caeterum de adultis sic sentiendum est: Non prodesse eis Sacramenta sine fide, hoc est, sine fiducia consolante conscientiam, et intuente promissiones Christi. Hic reiicio opiniones operis operati, ut vocant. Gaudeo te de summa doctrinae nobiscum sentire. Waldenses scio dissimiles esse, et quidam nimis morose defendunt quaedam, de quibus aliquando cum eis rixatus sum. Quidam nolunt absolvere lapsos, qui ad poenitentiam redeunt. Negant coniugium suis sacerdotibus. Haec certe sunt duriora, quam convenit. Bene vale. 2. Sept. Anno 1540. *)

*) In anno mendum est. Nam in indice Pezelius hoc scriptum retulit ad ann. 1551.

No. 4950. 8. Sept.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 617 sqq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northusano,*

S. D. Dei beneficio filii vivunt, et recte valent, et discunt. Nec deprehendi hactenus in hoc oppido contagia pestilentiae. Quales morbi Lipsiae grassentur, nondum scio, sed audio, multum ibi morborum esse.

Hodie *Michaëlem* capitis dolor nonnihil cruciavit, fortassis ex cruditate aliqua, sed iam remisit. Deus eum servet.

De pecunia danda Caesari scio clamores quorundam, qui prohibent dari. Zu Hall wolten etliche auch sehr dagegen fechten, aber sie habens müssen gehen lassen, ich weiß auch nicht anderst zu sagen: dann si eripuerit tibi tunicam, concede et pallium. Sic respondi aliquot Pastoribus: Non hortari volo, ut seditiones moveant.

De Synodo [1]) mihi videtur, civitates posse prorsus tacere, donec Synodus fuerit finita: si tamen ulla unquam erit. Postea poterunt deliberare editis decretis Synodi, quia, si erunt manifestae absurditates, facilior tunc erit refutatio. Bellum in Italia crescit [2]). Galli deliberant de Patriarcha constituendo in Gallia et de relinquendo Romano Pontifice [3]). Tali tempore quomodo potest haberi Synodus? Sed Lipsiae in mercatu copiose vobiscum colloquar.

De proditionibus in familia mea [4]) ideo nihil scribo, quia credo, plura fingi a calumniatoribus, quam sciunt. Et multa ex suis coniecturis comminiscuntur. Mea scripta ad vos missa non potuerunt describi, quia non scribo bis. Nec puderet me, etiamsi Erfurdiae in Templis et in Curia legerentur. Tota mea vita et ratio consiliorum nota est multis sapientibus viris in multis Regionibus, et Deo me commendo. Bene et feliciter

1) Concilio Tridentino, restaurando Cal. Septb. 1551.

2) De bello Henrici regis Galliae contra Caesarem, in Italia gesto, vid. Sleidan. ad ann. 1551. p. 709.

3) Vid. quae uberius narravit Sleidanus in Comment. p. 711 sqq.

4) Nescimus, ad quid Melanthon hic respexerit. Puto sermonem esse de apographo confessionis Saxonicae, quod Erfordiae quidam habuerunt invito Melanthone facto a nescimus quo. Fortasse fama fuit descriptum esse libellum a Peucero vel alio Melanthonis necessario. Vid. epist. d. 5. Aug. 1551.

valete. 3. die Septembris. Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, qui dixit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis, regat et protegat vestros omnes, et vos et nos.

Philippus.

---

No. 4951. 4. Sept.

## (*Testimonium Fabricio datum.*)

Manl. farrag. p. 370 b.

*S. D. Omnibus lecturis has literas*

Natus est hic *Wolfgangus Fabricius* in oppido Saxoniae Witeberga, ex parentibus honestis et piis. Et quamquam oculos habet imbecilles, tamen et legere potest et fungi ministeriis sacris in templo. Docuit etiam iuventutem in schola Dantiscana. Et in oppido, vicino urbi Pomeraniae Stettini, servivit in ministerio Evangelii: suntque ipsius mores honesti, placidi et pii. Ac propter eruditionem et vitae innocentiam gradu Magisterii Philosophici ornatus est. Quaerit autem locum, ubi Ecclesiae in docendo serviat. Hanc habet causam peregrinationis suae. Quia, praesertim hoc belli tempore, multi vagantur errones malis consiliis, hic vero *Fabricius* et homo innocens est, et honestam habet causam peregrinationis, et eruditione instructus est, officium autem Deo gratum est, praebere hospitalia officia hominibus innocentibus et inculpatis, ac praesertim iis, qui Ecclesiae servire cupiunt: hunc igitur Magistrum *Fabricium* omnibus bonis viris commendo, eosque oro, ut ipsum benigne adiuvent, cum sciant vocem Filii Dei: Qui uni ex minimis meis dederit potum aquae frigidae propter doctrinam, habebit mercedem. Bene et feliciter vale, Candide Lector. Anno 1551. die 4. Septembris, Witebergae.

Philippus Melanthon
manu propria

---

No. 4952. 6. Sept.

## *Matth. a Wallenrod.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 a.

*Clarissimo viro, nobilitate generis, prudentia et virtute praestanti, Matthaeo a Wallenrode, Consiliario inclyta Ducis Saxoniae, patrono suo colendo.*

Clarissime vir et patrone colende. Quanquam haec temporum moestitia impedit et studia doctrinae et munificentiam bonorum principum: tamen cum nos quidem certo sciamus, Ecclesiam Dei nequaquam interituram esse, pii gubernatores non abiiciant curam tuendi honestas artes. Et sapientia est, eligere ingenia. Est autem in hoc *Nicolao Schellero*, Coburgensi, natura excellens, omnium disciplinarum capax. Praeclare didicit linguam latinam et graecam. Scribit feliciter solutam orationem et carmen. Ad haec studia adiunxit omnium philosophiae partium cognitionem tantam, ut in qualibet Academia etiam cum laude Mathemata et motuum coelestium rationem docere possit. Singulari Dei beneficio vicinia vestra olim genuit *Iohannem* *) *Regiomontanum*, qui pene extinctam doctrinam de motibus coelestibus renovavit. Nunc multi isthic nati eadem studia colunt. Sed hic *Nicolaus* Deo iuvante decus, a Regiomontano partum, tuetur. Ornat autem hanc philosophiam optimis moribus, et Deum vera pietate colit, quare et Illustrissimum Principem et vos, quos in consilium adhibet, reverenter oro, ut hunc Nicolaum propter ingenii excellentiam et propter eruditionem publica liberalitate iuvetis. Ubi consideraveris et mores et eruditionem, haud dubie iudicabis, ipsum beneficium illustriss. principis optime in eo collocari. Fuit admirationi multis doctis viris, qui eum in examine audiverunt. Itaque ad te praecipue de eo scripsi, quia te optimis artibus favere scio. Bene et feliciter vale. Die 6. Septemb. 1551.

Phil. Melan.

---

No. 4953. 9. Sept.

## *Io. a Lasco.*

Epist. lib. VI. p. 821 sq.

*) Ioann. *Marcellum*, Regiomontanum.

*Illustri, Magnifico et Reverendo Viro, Nobilitate generis, virtute et sapientia praestanti Dn. Iohanni a Lasco, Patrono suo colendo.*

S. D. Scripsit apud nos Orationem de fratre tuo homo ingeniosus, et valde amans familiae tuae, quae tot iam saeculis praestantes et Duces et Senatores Regno Polonico genuit. Etsi autem scriptum est, ut videbis, iuvenile, tamen propter argumentum, ac vero etiam propter autorem libenter edidi. Ego si mihi fratris historia magis nota fuisset, retexuissem, quamquam et mea oratio squalidior est. Te scio habere illas dotes, quae in Scriptore postulantur, *σύνεσιν πολιτικὴν, καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικήν.* Quare optarim teipsum aliquid de fratre edere, aut certe commentarium nobis mittere. Exempla orationis exhibebit tibi hic *Nicolaus Forstius* natus in Brabantia, vir eruditus et gravis, qui propter doctrinae puritatem in Ecclesiis vestris mavult vivere quam alibi. Diu in Academia Lovaniensi fuit, postea hic amplius anno commoratus est, et comperimus eius integritatem nobis ab *Alberto Hardenbergio* vere praedicatam esse. Poterit isthic in docendis Belgicis Ecclesiis usui esse. Poterit et in Scholis docere. Quare te valde oro, ut hospitem tecum exulantem in eadem causa amanter excipias, et ei nidulum alicubi quaeras. Credo tibi saepe in mentem venire dictum exulantis Reginae, *Non ignara mali miseris succurrere disco.* Eadem oratione fortassis brevi apud te coram utar. Expectamus enim nos quoque exilia. Tantae cum sint calamitates Ecclesiae, *Prutenicus Gorgias ταράσσει τὸ κεφαλαιότατον μέρος τῆς διδασκαλίας, περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ ἀρτολατρείας.* Sed oremus filium Dei, ut ipse tot magnis vulneribus Ecclesiae medeatur. Bene vale. Die nona Septembris. 1551.

---

No. 4954. 19. Sept.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 616 sq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. † Dei beneficio filii recte valent et discunt" [1]). Nondum contagia pestilentiae animadverto, sunt igitur mediocria Academiae studia. Et quanquam de Augustano exemplo [2]) multa cogito, tamen discedere non volo, nisi edicta nos expellant. Et oro Filium Dei, ut non sinat in his Ecclesiis fieri dissipationes. In Synodo Tridentina nondum proceditur ad facienda decreta. Nec Synodis opus est, si prius expellentur ex Ecclesiis Pastores, et alii, qui docent, quam fiat ulla de controversiis deliberatio vel collatio. Sed spero, Filium Dei repressurum esse haec consilia, quae manifeste pugnant cum ordine Iuris. Si erit opus, scribere Apologiam, non deerit Ecclesiis mea opera, si vivam. Ita versor in hac tanta temporum confusione, ut sim mihi conscius piae voluntatis, studiose inquisivi fontes verae doctrinae, et iuventuti discenti viam in multis rebus monstravi. Si propter has causas interficior, aut pellor, feram has Ecclesiae usitatas miserias. Lipsiae colloquemur, Deo volente. Mitto vobis pagellas, quae sunt signa studiorum Academiae. Enarratio in Ecclesiasten [3]) vobis etiam consolationem adferre potest. Bene valete. Die 19. Septembris.

Philippus.

---

No. 4955. 21. Sept.

## S. Glasero.

Epist. lib. V. p. 521 sqq.

*Sebastiano Glasero, Cancellario Principum Hennebergensium.*

S. D. Chariss. Sebastiane. Certissimum est, doctrinam de virtutibus omnibus praecipue traditam esse hominibus divinitus, ut agnoscamus Deum, qualis sit, et discernamus eum a naturis malis. Facit autem illustre discrimen castitas, quae discernit Deum a naturis immundis. Itaque ostendit Deus magna poenarum severitate, flagitare se castitatem, et modum sanxit, consuetudinem dulcissimam unius maris et unius foeminae. Et horum veram *στοργὴν* vult esse imaginem amoris, quo Filius Dei humanam naturam, quam adsumpsit, et Ecclesiam diligit. Quare gaudeo, non solum, quod in coniugio vivere decrevisti, sed

---

1) Addit A. D.

2) Expulsi fuerant exeunte mense Aug. 1551. ministri verbi divini Augustae Vindelicor. Vid. Sleidan. p. 708 sq.

3) Vid. d. 1. Oct. 1550.; recusa a 1551. Vid. ep. d. 6. Aug. h. a.

etiam magis, quod causas nosti, cur hoc genus vitae amandum sit, et quod pietatem tuam erga Deum hac in re etiam declaras, et Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, Conditorem generis humani, et Authorem dulcissimi foederis coniugalis, oro tecum, et cum dulcissima sponsa tua, ut coniugium vobis concedat faustum, felix et foecundum. Scio, ipsum esse Custodem et Ecclesiae suae, et piorum coniugum in Ecclesia. Hac spe me in multis doloribus sustento.

Epithalamion tibi scribit *Ortholphus*, cuius vena te celebrari magis volo quam alterius. Et scribit carmen, dignum lectione eruditorum, et quod posteritas etiam probatura est. Valde autem te oro, ut inclytis Principibus vestris *Ortholphum* commendes, ut eius studia iuvet. Audire Tubingae *Fuchsium* cupit. Nam coepit artem Medicam discere. Ingenii in eo vis est excellens, et eruditione praeclare instructus est, et mores sunt honestissimi et pleni officii. Ideo eum tibi commendo. Bene vale. Die Matthaei.

Philippus.

---

No. 4956. 21. Sept.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 64. (ed. Lond. lib. II. ep. 47.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Usitata sunt Ecclesiae exilia, ut commonefacti nostris aerumnis cogitemus, et de primo exilio generis humani, in quo coelestem patriam amisimus, et de Filio Dei, qui factus exul, *κατάγει φυγάδας*, reducit nos in aeternam patriam; nec tibi ignotae sunt historiae. Quam triste spectaculum fuit cum pulsis magnis agminibus piorum ex urbibus, sequutae sunt equitum turmae, quae in via calcarent miseras matronas, virgines, pueros, senes, sacerdotes? Legimus etiam senem sacerdotem Episcopum cum coniuge anu, in primo agmine euntes, in coelum vivos sublatos esse spectante multitudine. Est autem pietas Deo grata, benefacere praesertim his exulibus, qui, quia recte docuerunt, ex suis Ecclesiis pelluntur. Quare tibi hunc *Augustanum* Concionatorem, virum doctum, recte sentientem et modestum, *Iohannem Flinderum* Francum commendo. Eius collegae alii penitus toto divisos orbe *Britannos* adierunt, alii ad *Alpium* iuga profecti sunt. Hic in *Borussiam* iturus erat, coniugem et familiam Augustae habet. Itaque ne longius a suis abesset, et ne certamina *Osiandri* rursus eum ex illis *Arctois* locis pellerent, suasimus ut ad vos iret. Opinor concedi hospitium apud vos iis, qui eiiciuntur ex *Germanico* Imperio, ut nominant. Eam rem inquiri a te volo, et si licet huic esse in regno *Bohemico*, cures ei nidulum alicubi in illa vestra *Sarepta*, aut in vicinia. Fuit et *Sarepta* metallica officina, ut nomen indicat, significat enim *conflatorium*. Et vitrum initio factum est in locis vicinis *Sidoni*. Et venae metallicae gignunt lapidem, ex quo vitrum excoquitur. Haec quoque recitabis in concione tua. Etsi te expecto, tamen quaestionem nunc tibi propono: In dicto Esaiae 52. *Gratis venundati estis, gratis redimemini.* Cur dicat *gratis redimemini*, notum est, sed quid est *gratis venundati estis?* Ego existimo hoc dici: *gratis venundati estis*, id est, *frustra captata utilitate quam Diabolus vobis proposuerat*, *Eritis sicut Dii*: Quaeso ut cogites de hac pulcherrima sententia, de qua coram etiam loquemur. Nondum Dei beneficio contagia pestilentiae hic animadverto. Mitto tibi pagellas meo more. Bene et feliciter vale. Die Matthaei, qui ex publicano factus est Evangelii praeco et scriptor, ut sciamus venisse Filium Dei, ut salvos faciat peccatores ad ipsum confugientes.

---

No. 4957. 29. Sept.

## *Georgio, Duci Siles.*

Praemissa libro: Von den Versuchungen des Herrn Christi, beschrieben im Evangelio Matth. 4. Ein christliche Auslegung, gestalt durch Magistrum Johannem Hyalynum von der Lignitz. Mit einer Vorrede D. Phil. Melanth. Wittenb. 1551. 4. 8 Bog. (Habetur hic liber in biblioth. Norinberg., mihique epistola descripta est a Clar. *Rannero*. Eiusdem libri exempl. est Monaci, ubi mihi hanc epist. descripsit Cl. *Muffat*.)

Dem Durchleuchten Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Georgen, Herzogen in Schlesien, Brieg, Bolaw, Streln etc., meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor. Durchleuchter, Hochgeborner, gnädiger Fürst

und Herr. Ew. Fürstl. Gnaden als ein hochlöblicher, christlicher Fürst, wissen aus hohem und christlichem Verstand, daß in der Regierung das erste und das höheste Werk ist und seyn soll, Pflanzung und Erhaltung rechter Erkenntniß und Anrufung Gottes und des Heilandes Jesu Christi. Denn in der ernstlichen Predigt Psalmo 2. hat die göttliche Majestät ausdrücklich die Könige und Fürsten angesprochen: *et nunc reges intelligite, osculamini filium.* Und Psalmo 23.: *Aperite portas, Principes, vestras* etc. Wiewohl nun der größere Theil der mächtigen Potentaten auf Erden diesen ernstlichen Befehl leider wenig achten, und bleiben derhalben viel Menschen in Blindheit und fallen in ewige Straff; so will dennoch Gott aus unaussprechlicher Gütigkeit um seines Sohnes willen das menschliche Geschlecht nicht ganz verderben lassen, sondern gibt das Licht des Evangelii, und beruft viel Menschen, und erweckt etliche Regenten, daß sie auch Gliedmaßen der ewigen Kirchen werden, und daß sie dem Herrn Christo ihre Porten [portas] aufthun, und Herberg geben, und will derselbigen Wohlthaten nicht vergessen. Denn also spricht der Sohn Gottes: wer den geringsten unter den Meinen um der Lehre willen einen Trunk Wasser giebet, der wird Belohnung empfahen. Solche König und Fürsten sind gewesen zu Abrahams Zeiten Abimelech; zur Zeit Josephs der König in Aegypten, und hernach David, Josaphat, Ezechias, Josias, und hernach Cyrus, Constantinus, Theodosius und etliche mehr.

Nu können Ew. Fürst. Gn. selb bedenken, wie ein hohe, große Ehr dieses ist, in dieser Fürsten Zahl stehen, und nicht neben den andern, die alle Unzucht getrieben, und sind allein vasa irae gewesen. Nu sind durch Gottes gnädige Wirkung Kirchen und Schulen in E. F. G. Land christlich bestallt mit vielen gottfürchtigen, gelehrten Männern, und thun E. F. G. Gott einen wohlgefälligen Dienst, daß sie ihr dieselbigen in Fürstlichem und Väterlichem Schutz lassen befohlen seyn. Und wünsche ich E. F. G. in Unterthänigkeit sammt andern Gottfürchtigen in E. F. G. Land, daß E. F. G. auch bei den schönen, tugendreichen Königen und Fürsten in Ewigkeit leben, und Gott preisen, und bei allen Engeln und löblichen Menschen gepreiset werden sammt Josaphat, Ezechia, Josia und dergleichen.

Nachdem nu diese Predigt durch einen E. F. G. Unterthanen gestallt, hab ich diese Schrift unterthäniger Meinung an E. F. G. geschrieben, und bitt unterthäniglich, E. F. G. wolle dieses Büchlein gnädiglich annehmen, darin viel christlicher Erinnerung und Trost gefasset ist, und wollen ihr diesen E. F. G. Unterthanen Magistrum Johannem Hyalinum, sammt vielen andern gelehrten Männern in E. F. G. Fürstenthum und Landen gnädiglich lassen befohlen seyn. Und nachdem geschrieben ist, *Plantati in domo Domini florebunt*, bitt ich den allmächtigen Sohn Gottes Jesum Christum, er wolle E. F. G., die auch in seine Kirche gepflanzt sind, gnädiglich bewahren und regiren. Datum am Fest der heiligen Engel, anno 1551.

E. F. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

---

No. 4958. 29. Sept.

## *L. Mollero.*

Epist. lib. V. p. 451 sqq.

*Laurentio Mollero* (*concionatori in urbe Hildesheim*)

**S. D.** Clariss. vir, et charissime frater. Et nostra negligentia reprehendenda est, quod segnius oramus Deum, ut idoneos ἐργάτας in messem suam mittat, et accusandi sunt gubernatores, qui non curant, institui et praeparari plures, ut praefici Ecclesiis possint. Sed tamen Filius Dei, quia non vult, funditus interire Ecclesiam, ut conservet ministerium, alicubi dona dat hominibus, Pastores et Doct. salutares. *Cervestensis* senex recusat suscipere gubernationem vestrae Ecclesiae, quia morbo impeditur: videlicet Hernia, quo minus sustinere contentionem vocis et aliarum actionum possit. Quare fuimus hortatores huic Magistro *Arnoldo Corvino*, viro docto, prudentia et modestia praestanti, ut serviat Ecclesiae vestrae, si gubernationem ipsi Senatus commendare velit. Cumque iter in Patriam haberet, hortati sumus eum, ut ad vos accedat, et voluntatem vestram audiat. Quare et ad Senatum et ad te scripsimus, ut si ita videatur, Ecclesia eum audiat: ac postea de tota re statuat. Recte intelligit doctrinam Ecclesiae, et explicare eam proprie potest, et mores sunt pii, ac comperi ipse prudentiam, et circumspectionem eius in consiliis et in iudiciis eximiam esse, ac indico, idoneum esse ad gubernationem, qualis haec est, de qua deliberatis. Non arbitror, ambitiosum et cupidum rixarum esse. Ideo tibi

et verecundis viris, Pastorib. Ecclesiae vestrae eum commendo.

De *Synodo Tridentina* nihil habeo recentius, quam Episcopos Moguntinum et Trevirum ingressos esse Tridentum ipsa hora Eclipseos Solis, quae fuit ante mensem *). Veniunt fortassis, ut Soli Christo inducant tenebras. Sed emerget ex illis tenebris ille Sol, aeternus Filius Dei, quem oro, ut nos regat, et Ecclesiam suam ubique gubernet. B. vale. Die castorum Angelorum 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4959. 2. Oct.

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 625 sq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. † Dei beneficio filii recte valent et discunt, ac oro eum, ut vos et vestros servet" [1]). De literis vestris ago vobis gratias. Dixi aliquoties, me suspicari, ortam esse rem de Concionatoribus Augusta expellendis [2]) ab ipsis Senatoribus. Sed et Ecclesiam et nos Deo commendemus. Iam hic sunt Consiliarii Ducis Saxoniae, Electoris, et Legati Meideburgenses, et de pace facienda deliberant [3]). Novimus ingenia et voluntates eorum, qui regunt consilia urbis. Deum oro, ut restituat Germaniae pacem. Bella Gallica et Turcica satis exercebunt orbem terrarum. Certum est enim, magnos exercitus ad Hungariam adduci. Et fiunt multa parva praelia, et circiter octo millia hominum Turcae exiguo tempore abduxerunt. Utinam haec mala depellere potius conarentur summi Monarchae, quam turbare Patriam Synodi vanissimis decretis, et aliis stultis consiliis. De Synodo adhuc apud nos silentium est, sed vidimus articulos stultos, de quibus proxima decreta facienda sunt, de transsubstantiatione, et similes, ubi prodibunt illa decreta, autoritatem Synodi apud multos diminuent. Audio, ipsum Imperatorem velle in Synodo audiri, et diligentius iudicari controversias. Sed haec Deo commendo. Bene et feliciter valete. Die 2. Octob.

Philippus.

*) Vid. ep. d. 1. Sept. 1551.

1) Addit A. D.

2) Sleidan. lib. XXII. p. 708.

3) Sleidan. p. 720. „Vitebergae transactum de bello (cum Magdeb.) fuit."

---

No. 4960. (2. Oct.)

## *Christian. Meienburg ad patrem.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª. — Est epistola a Melanthone filio Meienburgi praescripta.

*Clariss. viro, prudentia et virtute praestanti, D. Michaëli Meienburg, Consuli Northusano, patri suo praecipue cariss.*

Cariss. pater. Dulcissime dictum est in Actis Apost. de Dei praesentia: in ipso sumus, vivimus et movemur. Ipsum igitur Deum conditorem generis humani et conservatorem oro, ut te et carissimam matrem et dulciss. sororem et suaviss. fratres meos servet incolumes. Nunc adsunt in hoc oppido Consiliarii Ducis Saxoniae et legati Magdeburgenses, ac deliberationes de restituenda pace habentur, quae utinam sint felices et non sint irritae *). Intelligo, animos utrinque expetere pacem, et de conditionibus onerum civilium convenire, promitti etiam iis, neminem turbaturum esse Ecclesias Magdeburgensium. Sed de quibusdam minutis rebus in conditionibus dissident iudicia. Dolendum est autem, hoc domestico bello impediri expeditionem, qua reprimi barbariem et crudelitatem Turcicam oportebat. Certum est, tres magnos exercitus Turcicos ad Pannoniam adduci, et rex *Ferdinandus* imperat Bohemis, ut equites ac pedites mittant. Hi queruntur, et pecuniam et arma adempta esse. In tantis periculis cum sit Germania, dolendum est, domi non sedari civilia bella. Sed commune hoc malum est ruentium Imperiorum, ut Claudianus inquit: Nam caetera regna luxuriis, vitiis etc. Nos teneamus hanc consolationem, filium Dei custodem esse Ecclesiae suae, et petamus, nos in ea servari, et statuamus, haec nostra vota non esse irrita, Deo iuvante. Lipsiae te et videbo et complectar. Bene vale.

Chrst.

Phil. praescr.

*) Id factum est sub finem Septembris a. 1551. Vid. Sleidani comment. p. 718. Sed ex epistolis Mel. intelligitur legatos d. 2—5. Oct. convenisse.

No. 4961. 4. Oct.

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stigel. ep. 59. Cod. Goth. 188. ep. 121.

*Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carissimo*, S. D.

Cariss. frater. Utinam vindemia vobis leniat dolores, quae ut esset iucundior, dulcissimum tibi libellum *γνωμολόγικον* *) mitto, quem illustravit *Camerarius*. Nobis miseriae et dolores crescunt. Nam inde usque a littore Balthico etiam horridi flatus nostra studia turbant. Mitto scriptum *Osiandri* **) viro Reverendo Domino *Sneppio*, de quo eius iudicium audire cupio. Quaesivi mediocri studio explicationes praecipuarum controversiarum simplices et necessarias bonis mentibus, et me conscientia rectae voluntatis sustento, ac me moneri ab aliis ac iuvari semper optavi, nec recuso cum doctis conferre cogitationes, praesertim in iis, qui velint *πείθειν καὶ πείθεσθαι*. Sed oro filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est *ἀπαύγασμα* aeterni patris, ut Ecclesias in his regionibus, et nos in eis, sua luce gubernet, et ut te et tuos servet. Vellem te mittere, si habes exempla carminum tuorum aliquem acervum, quem in primo tomo edere possemus. Iussi *Vitum* hac de re tecum loqui. Bene vale, die 4. Oct.

Philippus.

---

No. 4962. 5. Oct.

## *Christiano, Regi Dan.*

Schumacher's Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II. p. 58. ep. 14. Edita etiam in *Pontoppidani* hist. Eccl. Daniae P. III. p. 309. et in *Io. Peter de Ludewig* reliquiis manuscriptorum, Tom. V. p. 358.

Dem Allerdurchleuchtisten, großmächtigsten Fürsten und Herrn, Herrn Christian zu Dennmark, Norwegen, der Gothen und Wenden König, Herzogen zu Sleswik und Holstein, der Ditmarsen Herrn etc., Graven zu Oldenburg, meinem gnädigsten Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor. Allerdurchleuchtister, großmächtiger, gnädigster König und Herr. E. K. M. sende ich ein kurze Verzeichniß, soviel ich jetzund hab vernommen von Zeitungen, und wird E. K. M. aus beigelegtem Zettel vom Concilio zu Trident achten können, daß man viel grobe decreta machen wird von diesen und folgenden Artikeln, die selb hernach auch in andern Nation verachtet werden, und wird die Wahrheit dagegen leichtlich zu erkennen und zu [1]) erklären seyn, wenn sie ihre Thorheit an Tag geben haben. Ich wollt aber herzlich gern, daß wir selb in allen unsern Kirchen christliche Einigkeit zu erhalten Fleiß thäten, und so einer die andern strafen wollt, daß solchs geschehe mit vorhergehender Vermanung.

Unser Bedenken auf Osiandri Schrift wollen wir E. K. M., sobald sie fertig, zusenden, wollten auch gern E. K. M. Universität und Magistri Georgii Morarii Bedenken vernehmen. Der allmächtige Sohn Gottes, Jesus Christus, der für uns gekreuziget ist, und ist wiederum erstanden, und regiret in Ewigkeit, und sammelt ihm gewißlich eine ewige Kirche im menschlichen Geschlecht, der wolle E. K. M. und E. K. M. Königin und junge Herrschaft, Kirchen und Königreich gnädiglich bewahren. Dat. 5. Octob. 1551.

E. K. M.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

*(Pagella his literis inclusa:)*

Zu Augsburg ist Rede gewesen, der Kaiser werde vor Winter in Brabant ziehen, und hat der Duca *de Alba* selb dem gefangenen Herrn etc. Herzogen zu Sachsen solches angezeigt. Er ist auch hernach über wenig Tag in Italien geritten. Ich höre aber noch nit, daß der Kaiser aus Augsburg weg sey. Zu Trident soll im Octobri von diesen Artikeln eine Session gehalten werden, die hier beigelegt sind. Aus diesen Landen ist noch kein Bischof gen Trident gezogen. Sidonius ist noch zu Mersburg, und ist krank; aber Mentz und Trier sind zu Trident einkommen, die ecliptico. Von Kirchen, darin rechte Lahr ist, ist niemand gen Trident zu

---

*) Liber Sirach, editus a Io. Camerario?

**) Videtur esse confessio Osiandri, quae mense Iul. 1551. prodiit, sic inscripta: „Von dem einigen Mittler Jesu Christo, und Rechtfertigung. Bekenntnuß Andr. Osiander." Königsb. 1551. 4.

1) zu erkennen und] exciderunt e textu Schum.

ziehen verordnet; allein der Churfürst zu Brandenburg hat einen Doctorem iuris, D. Straßen gesandt, der reiner Lahr sehr widerwärtig ist; warum er aber gesandt, das weiß ich nit, acht aber allein des Episcopats halben Meideburg. Mit der Stadt Meideburg ist noch diesen Tag allhie, in Witeberg, Handlung, Gott gebe zum Frieden, und sind heute die Reden gewesen, daß gute Hoffnung des Friedens sey. Osiandri Erklärung ist nu am Licht, darauf wir unser Bedenken auch mit Gottes Hülf stellen wollen. In Hungern ist gewiß, daß der Bascha zu Ofen etliche Schloß eingenommen hat, Flecken verbrannt, Leut zerhackt und weggeführt, und hat König Ferdinandus in östreichischen Landen auch in Behem und Moravia aufgeboten, und schreibt man eigentlich, daß man Türkische Krieg haben werde. Von Italia und Frankreich ist ohne Zweifel am königlichen Hof mehr Zeitung, denn wir haben.

---

No. 4963. 5. Oct.

## G. Knutelio.

Epist. lib. VI. p. 297 sq. Hic ex autographo Mel. in cod. Monac. I. p. 302.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Guilelmo Cnutelio, inclyti Principis Nassoviensis Cancellario, amico suo reverenter colendo*

S. D. Clarissime vir et amice carissime. Scis utrumque divina voce praedictum esse, et fore in hac delira mundi senecta maiores Imperiorum confusiones, quam fuerunt antea, et tamen inter has ruinas filium Dei sibi collecturum esse sua agmina, ne prorsus notitia Dei in genere humano extinguatur. Iubet igitur ipse filius Dei his saevis tempestatibus sperare Ecclesiae verae conservationem, et suo quemque loco pia studia iuvare. Grata est itaque ei pietas vestra, quod et Ecclesiis et studiis opem fertis, quanquam ut Daniel inter leones, ita vos inter truculentos hostes versamini. Sed non dubito filium Dei custodem et esse et fore harum Ecclesiarum, in quibus haec vox doctrinae sonat, quam et vestrae Ecclesiae pie amplectuntur: Et eum toto pectore oro, ut nos gubernet et has Ecclesias servet. Te quoque quod facis oro, ut bona ingenia tuearis et ornes.

*Iohannem Galbam* propter honestos mores, eruditionem et facundiam ornamento patriae fore spero, tibique eum commendo. De fratre ipsius *Antonio* te valde oro, ut illustri Principi vestro eum commendes, ac ores, ut sua munificentia studia adolescentis iuvet.

Scio in hac difficultate temporum etiam bonos Principes impediri, quo minus in hoc genere liberales sint. Sed tamen tanta est virtus Illustris Principis *Guilelmi*, ut etiam inter has difficultates non abiiciat curam conservandae piae doctrinae. Quare te valde oro, ut ei hunc *Antonium* commendes, qui et ingenio valet, et in optimae doctrinae studia bona cum spe ingressus est. Bene et feliciter vale. Die 5. Octobris. 1551.

Philippus MelanthoN.

---

No. 4964. 7. Oct.

## Ad. Aquilae.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Integerrimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Adamo Aquilae, gubernanti studia literaria in oppido Bohemiae Litomericia, amico suo.*

S. D. Cariss. Adame. Eximia est gentis Bohemicae gravitas et constantia, quam et olim declaravit, et nunc ostensura esset in repressione Turcicae barbariei, si ducem haberetis. Ac saepe cogito tristi fato orbis terrarum retineri in Hispania *Maximilianum* *). Sed omitto hanc commemorationem. Quaecunque enim erunt ruinae regnorum, hac nos consolatione sustentemus, quae a filio Dei saepe nobis proponitur, qui adfirmat, se Ecclesiam sibi aeternam semper collecturum esse. Et huius semina sunt in tuo coetu. Praecipue ad Ecclesiae conservationem hi labores necessarii sunt, quos in his agminibus erudiendis sustinemus, quae certum est Deo curae esse; ut scriptum est: talium est regnum coelorum. Ac filium Dei oro, ut nos in hoc labore regat et adiuvet.

Cum autem scripseris ad me de socio huius sanctissimae militiae quaerendo, fui hortator huic *Iohanni Garceo*, ut ad te proficiscatur. Valet enim ingenio et recte eruditus est in duabus linguis, latina et graeca, et in mathematum initiis

---

*) Maximilianum, filium Ferdinandi Regis.

diu alios exercuit. Etsi autem mediocris in Academia numerus est talium, qui ad docendum idonei sunt Dei beneficio, tamen propter patrem huius *Iohannis Garcei* iam rationem eius habendam esse censui. Pater vir integer et doctus est, et diu Ecclesiae Hamburgensi et aliis fideliter servivit. Et filios, quanquam ei res familiaris valde angusta est, tamen erudiri liberaliter curavit. Nunc ingravescente aetate cum honestissima coniuge et parvis liberis discessit ex urbe Hamburga propter dissidium quoddam, de quo nec libet iam scribere, nec opus est. Te vero oro, ut hunc Garceum complectaris, etsi utrique adhuc liberum est suo arbitrio statuere de hoc negotio. Hic Garceus a nobis propter eruditionem et virtutem ornatus est magisterii gradu, et eruditionis specimen in docendo praebuit. Te quoque mores et eruditionem, ubi eum intro inspexeris, probaturum esse non dubito. Bene et feliciter vale. Nonis Octobris 1551.

Philippus Melanthon.

Mitto tibi dulcissimos versiculos.

---

No. 4965. 7. Oct.

## G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 408.

*Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misnensem.*

Chariss. frater. *Pace vigent pietas et iura tenacia recti*, inquit hic scriptor, cuius de *Bucero* Elegiam tibi mitto. Cumque nunc de pace deliberationes sint cum vicinis, oremus Filium Dei, ut omnium animos ad pacem flectat. Iussi autem exhibere tibi has pagellas hunc *Iohannem Garceum*, qui cum in Bohemiam proficiscatur *), videre et alloqui te in hoc itinere cupiebat. Est enim admirator ingenii et eruditionis tuae, et ad optimarum artium ac universae Philosophiae studia, modestiam et veram Dei invocationem adiungit. Quare ut colloquio tuo, aut etiam Museo lenias ei itineris laborem peto. Bene et feliciter vale. Die 7. Octobris.

*) Vid. ep. Senatus Leutmeritziensis in. Iul. 1553.

No. 4966. 12. Oct.

## A. Hardenbergio.

Edita in S. A. Gabbema Epist. claror. viror. p. 90.

*Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Alberto Hardenbergio, Doct. Theol. in Ecclesia Dei in urbe inclyta Brema docenti Evangelium, fratri cariss.* S. D.

Reverende Vir et carissime frater. Daniel in sua narratione expresse nominat Filium Dei, cum ait: conspectum esse quartum inter tres vivos, qui in ignem coniecti erant in Babylonico fornace. In talibus incendiis nunc quoque ipse Filius Dei et servat et servabit Ecclesiam suam. Laetemur nos procul abesse a Synodo Tridentina, in qua octobri mense fient decreta haud dubie plena monstrosae impietatis περὶ ἀρτολατρείας. Expectari καταστροφὴν eius Synodi, utile esse iudico. Nunc de pace cum vicina urbe [1]) agetur: et legati hic aliquot diebus fuerunt, nunc accesserunt ducem Saxoniae. *Osiandri* librum [2]) ubi videris quaeso ut de tuo iudicio ad me scribas. Ego quoque cum legero, significabo, quid mihi videatur. Nimirum abiicit imputationem, et obscurat consolationem necessariam, qua etiam renatis opus, ut acquiescant in Mediatore, et statuant se placere propter ipsum Sacerdotem et deprecantem pro nobis, et propter eius meritum, non eo quod effecerit, novitatem in nobis. Sed hac de re tuum quoque iudicium flagito. Quaeso ut mittas in Angliam fasciculos *Georgii Maioris*. Bene vale. XII. octobris.

Philippus.

---

No. 4967. 13. Oct.

## Io. Aepino.

Edita in den Hamburgischen Berichten von neuen gelehrten Sachen auf das Jahr 1756, p. 818.

1) Magdeburg. Legati de pace acturi hoc tempore convenerant Witebergae.

2) Vid. ep. ad Stigel. d. 4. Oct.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Dn. Iohanni Aepino, Doctori Theolog., gubernanti Ecclesiam Dei pie et fideliter in inclyta urbe Hamburgo, fratri suo cariss.*

S. D. Reverende vir et amice cariss. Ut facilius iudicare possis, qualis sit in synodo *Tridentina* cognitio futura, ostensa sunt *προχρίματα.* Pulsi ex *Augusta* Rhetica doctores Ecclesiae, viri modesti et qui sine corruptelis Evangelium docuerunt, ut audivisse te existimo. Maluit autem hic *Iohannes Flinderus* Francus, qui Augustae decem annos docuit Ecclesiam, vivere in Saxonicis Ecclesiis. Ideo eum inclyto Duci *Iohanni*, *Duci Holsatiae*, commendavimus, ad quem tu quoque scribes. Tibi igitur hospitem commendo. Plura scribere non potui, cum mercatores properarent. Bene et feliciter vale. Die 13. Octobris 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4968. 13. Oct.

## Io. Placotomo.

Epist. lib. VI. p. 284 sq.

*Iohanni Placotomo [Bretschneider], Doctoris artis medicae.*

S. D. Ego vero semper de ingenii tui dexteritate praeclare sensi, teque propter eruditionem, virtutem, et iudicii rectitudinem amavi, et has laudes inter familiares saepe praedicavi. Nuper etiam cum *Mansfeldenses* audirem deliberare de Medico, iussi inclyto Comiti *Iohanni Georgio* dici, iudicare me recte consulturos patriae si te accerserent. Postea secuta est deliberatio *τοῦ ἐν τέλει ἐν πόλει νωρικῇ περὶ ἰατροῦ*, dedi idem consilium, ut accerserent. Et existimo nos de posteriore negotio, aut fortasse de utroque literas habituros esse amicorum post paucos dies. Significabo quicquid accepero.

*Iosiae* studia tibi commendo, quem iussi rursus interpellare Virum Magnificum Dn. *Iohannem a Werden.* Sed opus est nobis tuo patrocinio. Mitto igitur tibi ipsius poëma et adiunxi aliud *Stigelii.* Postquam edita sunt mysteria *Gorgiae* vicini nostri, curabimus ut et nostra admonitio ad Ecclesias extet. Nunc properantibus vestris Mercatoribus longiores Epistolas dare non potui. Dn. *Friderico Staphylo* exhibeto Epistolam quam huic inserui ad te scriptae. Bene vale. Die 13. Octobris 1551.

---

No. 4969. 15. Oct.

## G. Sabino.

Edita in *Georgii Sabini* poëmatibus (Lips. 1578.) p. 472.

*Georgio Sabino, genero suo,* S. P. D.

Etsi non dubito, sanis omnibus iucundissimam fore lectionem historiae *Bembi*[1]: sic enim scripta est, ut eruditae antiquitati graecae et latinae opponi possit, et haud dubie superet omnium scripta in hoc genere, quae inde usque a Liviana aetate nata sunt: tamen tu ex ea voluptatem eo maiorem capies, quia et hanc ipsam orationis formam rectius iudicare potes, quam alii, et legens recordabere ipsius erga te benivolentiam, et quasi colloquentem audies. Mitto igitur tibi exemplum libri *Bembi* nitidissime excusum; mihi quoque aliud emam. Vere in hoc viro dotes illae fuerunt, quas in historico esse volunt, videlicet *σύνεσις πολιτική, καὶ δύναμις ἑρμηνευτική.* Valde te oro, ut mihi scribas, an et Bembi librum et has literas acceperis. Filia[2]) Dei benificio recte valet, et habet honesta exercitia precum et oeconomica. Tuas literas et flagito et expecto. Deus, conditor generis humani, servet te et honestissimam coniugem tuam et dulcissimas filias et carissimos filios. Bene et feliciter vale. XV. Octob. anno MDLI. Vitebergae.

---

No. 4970. 15. Oct.

## B. Mithobio.

Epist. lib. II. p. 348. (ed. Lond. lib. II. ep. 353.).

*D. Burcardo Mithobio*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Saepe recito versum dulcissimum:

*Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ.*

---

1) *Petri Bembi*, cardinalis historia Venet. De eo vid. Encyklop. von Ersch und Gruber sub h. t. Plures epistolae Bembi ad Sabinum, et Sabini ad Bembum editae sunt in appendice poëmatum Sabini.

2) Catharina, filia Sabini, quae apud Melanthonem educabatur.

Quo in versu numeri sunt Poetae Graeci, sed sententia antea divinitus tradita est: *Generationi rectorum benedicetur.* Erit igitur et tua familia Deo curae, et ab eo protegetur, et ut hic verus Deus Pater aeternus Domini nostri Iesu Christi, servet te et tuos incolumes, toto eum pectore oro. Academiae studia, Dei beneficio, mediocria sunt, ut ex *Dedekindo* viro prudentia, eruditione, et integritate praestanti intelliges. De Synodo *Tridentina* nunc deliberationes apud nos nullae sunt. Flatus Boreae, qui inde usque a littore *Baltico* spirant*), arbitror tibi quoque dolores tuos, et solicitudines augere. Sed Deus medebitur etiam huic incommodo, et ut medeatur toto eum pectore oro. Bene vale, vir optime et mihi chariss. Die 15. Octob.

---

No. 4971. 18. Oct.

## *Seb. Stibaro.*

Epist. lib. II. p. 278 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 279.).

*D. Sebastiano Stibaro*

S. D. Reverende vir et amice charissime, Dei beneficio, filius tuus *Iohannes* recte valet et discit. Ac Deum oro ut te et tuos clementer servet, protegat et gubernet, sicut inquit: *Generationi rectorum benedicetur.* De periculis tuis et nostris non possum multa scribere. Sequamur vocem Filii Dei: *Cum eiecerint vos ex uno oppido, ite in aliud.* Usitata sunt Ecclesiae exilia. Sed tamen tantisper donec manere potes, maneas, etiamsi quaedam seu molestiae, seu iniuriae ferendae sunt, quae sine impietate tolerari possunt. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut et consilio suo te regat et te servet incolumem. Bene vale. Die Lucae 1551.

---

No. 4972. 19. Oct.

## *Senatui Esslingensi.*

Denkwürdigkeiten der Würtemberg. und Schwäbischen Reformationsgesch. von J. L. Schmid und J. L. Pfister. 1. Heft S. 181. Beilage 5.[1])

Den Ehrbaren, weisen und fürnehmen Herrn, Herrn Bürgermeistern und Rath der löblichen Stadt Esslingen, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn, Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Ehrbare, weise, fürnehme, günstige Herren. Ew. Ehrbarkeit dank ich ganz fleissig, daß sie für den armen Knaben Samuel[2]) die Bezahlung anher verordnet. Wiewohl ich nun die grosse Last dieser Zeit auch bedacht, doch bitt ich, Ew. Ehrbarkeit wollen auch dem wohlgelahrten Magister *Georgio Rhoner* aus der jetzigen Schuld und Noth helfen, damit er zu Dienst kommen könne; denn er durch Gottes Gnad zu ehrlichen Diensten wohl zu gebrauchen ist. Er hat einen guten Verstand, und ist in lateinischer Sprache wohl geübt, hat auch in kaiserlichen Rechten einen guten Anfang, und ist ehrlicher Sitten, und zu hoffen durch Gottes Gnad, er werde ein nützlicher Mann werden, der vielleicht auch mit der Zeit dem Vaterland dienen wird. Ew. Ehrbarkeit wollen derwegen nochmals väterliche Gütigkeit an ihm erzeigen, und ihm aus dieser Noth helfen. Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, wolle Eure Stadt und Ew. Ehrbarkeit und die Euern allezeit gnädiglich bewahren. Datum 19. Octobris anno 1551.

Ew. Ehrbarkeit

williger
Phil. Mel.

---

No. 4973. (20. Oct.)

## *Io. Marbachio.*

*Io. Fecht.* hist. eccles. sec. XVI. supplement. p. 24. (Descr. *Luncius.*)

*Io. Marbachio (Concionatori Argentorat.)*

S. D. Reverende vir et charissime frater. Post iter vestrum de Synodo nullae apud nos deliberationes fuerunt. Intelligimus etiam in urbe *Tridento* nondum inchoatos esse consessus, ut nominant. Sed vos haec melius scire potestis, teque oro, ut, cum erit occasio, mihi scribas. De *Parthenope* vicina spes est pacis: et nunc quidem sunt induciae. Adolescens, cui hanc dedi epistolam, *Io-*

---

*) Loquitur de controversia ab Osiandro mota.

1) „Genau nach der Urschrift." (Nota editoris.)

2) „Wahrscheinlich ein Neffe von (Ambros.) Blaurer." (Nota editoris.)

*sephus*, filius est Pastoris Ecclesiae Dei in oppido Mysorum Friberga, *Caspari Zenneri*, viri integerrimi, et optime gubernantis Ecclesiam, cui praeest. Vult erudiri in vestra schola. Quare te valde oro, ut eum viro clarissimo D. *Iohanni Sturmio* et caeteris, qui scholae praesunt, commendes: et si quid erit, ubi et tuo aliquo officio ei opus erit, patris erga eum animum indicito. Addit Deus huic aetati angelos coelestes custodes. Et nos angelorum officia in hoc genere imitari decet. Salutem opto vobis omnibus, et peto, ut ad nos scribas. Bene vale. Pagellas mitto amicis. Die 20. [*mense non addito*] 1551.

Plura scribere non potui.

Philippus.

---

No. 4974. 24. Oct.

## *A. Lauterbachio.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 134.

*Antonio Lauterbach, Pastori Eccles. in oppido Pirna.*

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Etsi impendent novi tumultus et regna passim ruunt in exitium suum, tamen hac nos vera consolatione sustentemus, quam proponit filius Dei adfirmans, se etiam inter imperiorum ruinas conservaturum esse Ecclesiam, quae sonat Evangelii vocem incorruptam. Ad hunc confugiamus. Nec vero dubito, nostros gemitus et vota exauditurum esse, etiamsi varie oppugnant nos Sycophantae multi et alii hostes.

*Augustae* postquam eiecti sunt pastores, etiam iis, qui in scholis docent novae leges latae sunt*), sed ita arcanae, ut iurarint, se non prolaturos esse. Sed omitto has narrationes.

De pomis et Deo conditori gratias ago, qui alit Ecclesiam, et tua erga me benevolentia delector et tibi gratiam habeo. Bene et feliciter vale. Die 24. Octobris 1551.

Mitto tibi pagellas meo more.

Phil. Melanthon.

*) Anno 1551. d. 26. Augusti, ut narrat Sleidanus in comment. p. 708 sq., ministri verbi divini et doctores in scholis Augustae mandatum acceperunt, ut intra diem tertium, quia librum Interim sequi in sacris nolebant, ante solis occasum ex urbe decederent. — Extat ea de re libellus, quem ipse non vidi, sic inscriptus: Ain new Lied, Wie die Predigcanten der Stat Augspurg geurlaubt vnd abgeschafft seind, den 26. Augusti, Anno Domini 1551. geschehen. (sine loco et anno.) 8.

---

No. 4975. 25. Oct.

## *Ph. Voit.*

Epist. lib. V. p. 524 sqq.

*Nobilitate generis, virtute et sapientia praestanti viro, Clarissimo Philippo Voit in arce Salzburg Patrono suo colendo.*

S. D. Clarissime vir, nobilitate et virtute excellens: Scis, divinitus utrumque praedici, et futuras esse in hac ultima senecta mundi maiores Imperiorum confusiones, et tamen Filium Dei servaturum esse reliquias suae Ecclesiae inter ipsas regnorum ruinas. Hanc consolationem, existimo, tibi quoque lenire moestitiam, et hac spe liberos posteritati educatos, cum scias, divina voce affirmari, piorum familias Deo curae esse, sicut Psalmus inquit: Generationi rectorum benedicetur. Cum autem *Lindemannus* mecum de Paedagogo filiis tuis mittendo deliberaret, censuimus, hunc *Wolfgangum Trasium*, natum in valle Ioachimica, qui et antea *Lindemanno* notus fuit, at te mittendum esse. Natura modestissima est, et in lingua latina et graeca, et in Philosophia et doctrina Ecclesiae bene eruditus. Et cum sit orphanus, aliena liberalitate hominis Franci iudicis in valle *Ioachimica* adiutus, in Academia circiter quadriennium commoratus est cum summa laude integritatis, et innocentiae et diligentiae, in optimae doctrinae studiis. Etsi autem tuo iudicio atque arbitrio statues, an filios ab eo erudiri velis: tamen haec de eius ingenio, modestia et eruditione vere a nobis scribi, ipse intelliges. Quare eum tibi commendo, ac eo libentius recipies, quia orphanus est.

Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, Custodem Ecclesiae, ut tuam totam domesticam Ecclesiam protegat et gubernet, et posteritati tuae sedem, Ecclesiam et Politiam tribuat, Amen. Bene et feliciter vale, vir optime. Die 25. Octobris Anno 1551.

Philippus Melanthon.

---

No. 4976. 27. Oct. (h. a.?)

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 508. (ed. Lond. lib. II. ep. 534.)

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir, et amice charissime, Scio in tanta magnitudine negotiorum et periculorum, nec scriptis, nec sermone satisfieri posse animorum solicitudini, sed cogitemus illud optimi Regis: cum nescimus, quid agendum sit, oculi nostri ad te Deus tolluntur. Et discamus non solis hominum consiliis regi Ecclesiam, ut certe non solis matris viribus servatur in utero, aut editur foetus. Expectemus igitur a Deo auxilium. Respondi autem utcunque de pagella, quam misisti, et meam opinionem significavi. Mallem autem tecum coram de multis rebus loqui, quia et iudicio de fide te excellere scio. Ac profecto interdum aliquos colloqui prodesset. Tuas literas priores non accepimus, nec frater, nec ego. Scribe quaeso saepius, et donec in his locis sum, respondebo. Volo etiam inter nos perpetuam amicitiam esse, nec movearis clamoribus illorum, qui de non necessariis rebus tumultuantur, necessaria negligunt, ut in vita saepe fieri solet.

*Viti* causam socero et tibi commendo, titulos etiam inscribes literis. Rectoris epistola scripta est manu tui fratris. Die 27. Octobris.

---

No. 4977. 27. Oct.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 256 sq.

*Reverendo viro, etc. D. Georgio Buchholtzer*

S. D. Reverende vir, et amice colende: Scio vobis non deesse consilium: et habere istic fideles homines, qui utilia suadere possunt: tamen pro nostra sincera amicitia ego vobis suadeo, ut si inspectores offerunt pensiones annorum quinque, sitis contenti hoc munere, nec pugnetis de summo iure. Videtis quam turbulenta instent tempora. Quare Deo commendemus nos, et nunc de institutione iuniorum pia cogitemus, quibus qualem Deus Rempublicam post aliquot annos daturus sit, nunc scire non possumus. Sed habeant viaticum, scilicet pietatem et eruditionem, ut possint usui esse Ecclesiae, qualiscunque forma erit imperiorum, quorum timeo ruinas non leves.

De *Prussiaco* negocio quaeso ut hoc agatis, ut communis responsio mittatur a nobis et a vobis, et Marchionis *Ioannis* *) concionatoribus: ne maiora dissidia oriantur. Die Octobris 27.

Turcicus exercitus profligatus est. Oremus filium Dei, ut nobis adsit. Bene valete, die Andreae.

---

No. 4978. 25. Oct.

## Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 183 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 167., cui adscripta sunt: „d. 10. Novemb. 1551." (videl. accepi.)

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae etc.*

S. D. Scio vos vestro gravissimo iudicio et pietate vestra benefacere pauperibus Scholasticis, et Deo gratias ago, quod alicubi haec officia gubernatoribus[1]) curae sunt, et eum oro, ut vicissim civitati vestrae benefaciat. Quod vero meas literas non aspernamini, et tibi et Senatui gratiam habeo. Possum autem vere adfirmare, me si qua parte queam maxime cupere Ecclesiae studia iuvare, et tueri harum Ecclesiarum consensum, etsi crudelissimas calumnias de me sparsit in libro suo Hyperboreus Orator. Sed Deus qui est καρδιογνώστης erit iudex utriusque.

De Synodo Tridentina consiluerunt in aula deliberationes, quod non moleste fero. Spero autem Filium Dei, etiamsi tempestas mota est saeva, tamen Cymbam suam servaturum esse.

Nunc recudimus librum de Anima, cui praefationem ad te aliam addam. Decrevi etiam edere libellum Iustini Martyris recens allatum, cui titulus est ἔχθεσις πίστεως. Valde diserte loquitur περὶ οὐσίας καὶ ὑποστάσεων, ac si antiquum scriptum est, profecto et illustre testimonium. Bene vale. Quinto Calend. Novemb.[2])

Philippus Melanthon.

---

*) Ioannis, marchionis, qui Theologos suos convocavit d. 12. Febr. 1552. in oppido Cuestrin, ubi Osiandri dogma improbatum est. — Vid. etiam ep. ad Buchh. d. 26. Nov. 1551.

1) Spanh. mendose: *gubernantibus*.

2) Alia manus adscripsit: ann. 1551.

No. 4979. 5. Nov.

## P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ².

*Petro Vincentio, gubernanti studia literarum in urbe Lubeca.*

S. D. Graeci Rhetores scribunt, Demetrium Phalerensem narrare, Aristotelem, si quando in epistolis attigit negotium prolixius, solitum hac forma uti in abrumpendo: ἐῶ ταῦτα· οὐ γάρ ἐστιν ἐπιστολικά. Ita, si mihi excusationem concedis, verius quam Aristoteles hac causa uti possum. Profecto enim res maiores sunt, de quibus tecum et cum aliis viris doctis colloqui cupio quam ut literis complecti possim. Ac profecto ad vos aliquando accedere decrevi. Adolescentem *Nicolaum*, qui has tibi literas exhibebit, quaeso, ut suae aviae commendes. Scripsi de eo et ad *Valentinum*. Carmen de *Bucero* tibi mitto, quod qualecunque est, tamen Anglicis hoc argumento scriptis antecellit, quae vidi*). Quaeso, ut veniam des brevitati; nam adolescens properabat, et a te iam expecto literas. Bene et feliciter vale. 5. Novemb.

Philippus.

*) Vid. ep. ad Fabricium d. 7. Oct.

---

No. 4980. 6. Nov.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 73. (ed. Lond. lib. II. ep. 58.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Graeci Rhetores scribunt *Demetrium Phalerensem* narrare, *Aristotelem* si quando in Epistolis attigisset argumentum prolixius aut maius, solitum uti hac forma in abrumpendo: ἐῶ ταῦτα, οὐ γάρ ἐστιν ἐπιστολικά. Hac mihi excusatione nunc maxime uti licet. Libenter enim de rebus maximis tecum agerem, sed ne magnis quidem voluminibus complecti eas possem. Et de adventu tuo spem abiicio, me igitur ad te accedere necesse erit. De *Tridentina* Synodo scis sessionem, quae futura fuerat mense Octobri, rursus prorogatam esse ad finem Ianuarii, ut in Bacchanalibus decreta in vino faciant isti *Areopagitae*. De vicinae urbis**) pace nondum finitae sunt deliberationes. Ideo nihil certi de his rebus scribere possum. Mitto tibi carmen de *Bucero*; quod qualecunque est, tamen minus ineptum est *Anglicis*, quae eodem argumento scriptae sunt. Bene vale. Die 6. Novembris.

**) Magdeburgae.

---

No. 4981. 15. Nov.

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 287. (ed. Lond. lib. II. ep. 284.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Etsi optarim non esse irritatam nationem impatientem servitutis: tamen quicunque eventus erunt, melius est nos non fuisse Tubas belli civilis, quod vastitatem horrendam minitatur. Nec vero frangamur animis, sed fugiamus ad Filium Dei custodem Ecclesiae suae, qui servabit nos etiam desertos ab omnibus humanis praesidiis, imo trucidari malo quam stipatus exercitu vel *Hispanico*, vel *Baltico*, vagari per has regiones, ut iam aliqui somniant nova imperia. Bene et feliciter valeat C. V. Die 15. Novemb.

---

No. 4982. 15. Nov.

## Scholasticis.

Scripta publ. Witt. I. p. 380.

*Philippus Melanthon (Scholasticis.)*

Deo iuvante cras hora septimana inchoabo enarrationem comoediae *Aristophanis*, cui titulus est, *Equites*, in qua non equitem, sed furiosum civem exagitat, qui alterum pedem in curia, alterum in castris habebat. Diem Martis tribuam *Thucydidi**), quem etiam cum admiratione saepius legisse imperator *Carolus* V. dicitur. In utroque sunt imagines multae, quarum consideratio nunc quoque utilis est, et multum de causis publicorum motuum monet, quos ut leniat filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, veris gemitibus precemur. (anno 1551.)

*) Versio Thucydidis postea edita est a Vito Winshemio.

No. 4983. 26. Nov.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 263 sq.

*Reverendo viro, D. Georgio Buchholtzer, praeposito Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, amico suo colendo.*

Reverende vir: Cum Dux *Prussiae* ad multos eodem argumento scripserit, utile esset ab his vicinis principibus ita institui deliberationem, ut una communis responsio mitteretur, ne postea ex his initiis maiora dissidia oriantur: et hoc meum consilium velim indicari inclyto principi Electori *Marchioni.* Ego hactenus non volui accendere discordias. Ideo multas multorum iniurias pertuli, meque hac voce consolari soleo: Quod est ex Deo, non dissolvetur. Simplici et pio animo quaesivi et recitavi summam doctrinae Ecclesiae. Et mihi nec potentiam, nec opes quaesivi. Et oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut me regat, et servet harum regionum Ecclesias. Quaeso ut mihi scribatis, an velit illustrissimus Princeps Elector *Marchio*, ut una communis responsio mittatur. Bene et feliciter valete. Die 26. Novembris, anno 1551.

Cogitavi de forma pia, et quam sperarem concordiae profuturam esse: et non gravatim veniam ad colloquium, de re tanta cum aliis conferendi.

---

No. 4984. 27. Nov.

## Georgio Princ. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 244. (ed. Lond. lib. II. ep. 242.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Opto ut iter viro integerrimo D. *Forstero* sit faustum et felix, quem quidem expatiari iam ad C. V. utile est, ut sermonibus C. V. leniatur ei dolor, quo propter filiae maximae natu mortem adficitur*), in qua erant multae egregiae dotes animi et corporis. Estque patris moestitia eo maior, quia filiae morbus a moerore ortus fuit, quo excruciabatur propter mariti ἀστοργίαν et mores inutiles patrifamilias. Haec scire C. V. volui, ut miscere consolationes aliis sermonibus studeat. De publicis negotiis ea quae habemus de Ducis *Prussiaci* literis ad Principes et civitates missis, et de *Pannonia* recensebit D. *Forsterus.* Prodesset unam responsionem ab his vicinis Principibus mitti ad Ducem *Prussiae.* Id scripsi ad *Bucholcerum.* Nostra aula nobis nondum misit *Prussiacas* literas: Et fortassis occupata est aliis curis, quas utinam Deus regat. Vellem et C. V. *Marchioni* scribere, ut curaret unam communem responsionem mitti. Nam si sumet sibi censuram eius concionator, cuius vanitas in conventu cognita est, metuo maiora ex vicinia dissidia. Bene et feliciter valeat C. V. Die 27. Novemb.

*) Vid. Scripta publica T. I. p. 584. de funere eiusdem d. 23. Nov. 1551.

---

No. 4985. 30. Nov.

## Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 62. Cod. Goth. 188. ep. 182.

*Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carissimo,* S. D.

Cariss. frater. Apud Aristotelem in Rhetoricis versus sunt Empedoclis, physici Poetae, ut scis, quibus describi inquit Ius naturae, ut nominamus,

Ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος
αἰθέρος ἠνεκέως τέταται, διά τ' ἀπλέτου αὐγῆς.

Ait, ordinem, seu mentem ordinis causam, sparsam esse in totam naturam regentem iusta. Miratus sum, hos versus ad hanc doctrinam de Iure naturae ab Aristotele accommodari. Sed concedamus ei hoc. Scimus autem, Dei voluntatem esse, ut grati simus iis, qui et bene merentur de communi vita, et privatim nobis bene faciunt. Ac saepe hoc iam recito, gratitudinem virtutem esse compositam ex duabus summis virtutibus, ex veritate et iustitia. Veritas profitetur, unde sit acceptum beneficium: iustitia obligat ad mutua officia. Tibi igitur optime merenti de studiis publice gratitudo debetur. Et ego tibi, pro perpetua tua erga me benevolentia, gratitudinem semper praestabo. Tuos optimos versus nuper mihi missos. Paulus tradidit *Valentino Lypsico*, Typographo, ut nitide edantur*). Is promisit, se nobis exempla missurum esse, quae, cum accepero, tibi mit-

*) Vid. ep. ad Stigel. d. 11. Apr. h. a.

tam. Scordium adfert etiam hic nuntius, quo utinam et calumniarum venena depellere possemus. Sed filio Deo nos commendo. Cum habebo exempla carminis tui, scribam prolixius. *Vitum* et *Erasmum* nostrum tibi commendo. Bene vale, pridie Cal. Decemb.

Philippus Melanthon.

---

No. 4986. 30. Nov.

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 650 sqq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 791.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

S. D. Non accipio dulciores litteras ex Noriberga a genero *Osiandri*, quam tu ab illo vetere amico nostro, ac videor mihi iustius queri de hoc adolescente, quem multis privatis officiis iuvi, sed talis est haec aetas. Etsi autem video, quanto in odio et periculo sim, tamen has aerumnas ferre malo, quam esse tuba belli[1]) crudelissimi, quod motum esse videmus, seu fato, seu errore, seu irritatis Principum animis petulantia scriptorum, qui se in illas arces abdiderunt. ac animum ad ferenda ea, quae accident, praeparo, et ad filium Dei confugio, eique et Ecclesias et haec nostra studia, et familias nostras commendo, nec dubito ei nos curae esse, nec antea mihi πολιτεύματα aulica, nec belli consilia nunc placent, et quantum meo loco potui, ostendi quid sentirem. Seditiose tumultuari non volui, qua in re si peccavi, aut pecco, excusationem videor habere, quod nihil proficerem, et gravissimas caussas habui cur nec antea ad illos *Cyclopas*[2]) accesserim, nec nunc eo accedam, meque utcunque conscientia rectae voluntatis sustento. Quaesivi in magna confusione opinionum, explicationes veras et utiles discentibus, et fui hortator iuventuti ad discendum. Tibi facilior est defensio tui curriculi et actionum tuarum, sed de me simul hoc cogito, mihi in tantis aliorum furoribus ignosci aequum esse, sicubi lapsus sum, video et aliorum magis tetra errata, qui sese admirantur, et Semidei perhiberi volunt: sed abrumpam hanc narrationem, ac potius tecum et cum Ecclesiis nostris Deum orabo, ut nos regat, nec sinat fieri barbaricas vastationes.

Meus gener[3]) tibi munus adparat non ineruditum. Scripsi de D. *Vadino* ad Consulem *Annaemontanum*. Bene et feliciter vale. Deus servet et domesticam Ecclesiam tuam et publicam. Prid. Cal. Decemb.

Vellem te quoque scribere ad hunc Consulem Annaemontanum *Bavarum*, ad quem ego scripsi, vel ad alium, si quem nosti, aut certe istic litteras ab amicis impetrare poteris. Somnium mihi denunciavit βούδορα ἤματα. Nam haec verba audiebam, allatura esse paroxysmum.

Philippus Melanth.

1) Magdeburg. C. W.
2) Saxones. C. W.
3) Peucer.

---

No. 4987. (hoc fere t.)

## *D. Chytraeo.*

Ex Dav. Chytraei epistolis p. 1224.

*Clarissimo Viro, eruditione et virtute praestanti, Davidi Chytraeo, in Academia inclyta Rostochiana, amico suo carissimo.*

S. D. Carissime David, de Sacerdote inope, cui epistolam ad vos dederam, vobis gratiam habeo. Scis illud: χεῖρα πεσόντι δίδου, σῶσον δὲ ἀποφίστατον ἄνδρα. Et oro, ut adhuc ei nidum quaeratis. De tua quaestione scio te videre quid statuendum sit. Etiamsi semper aliquis coetus fuit exiguus, qui fuit vera Ecclesia, tamen ministerii pars magna fuit saepe apud impios, ut tempore Mariae apud Pharisaeos et Sadducaeos. Et tamen vox doctrinae fuit in vero coetu: Haec pars ministerii potior est. Et hi semper in confessione fuerunt seiuncti ab hostibus verae doctrinae. Nunc eadem fiunt eodem modo. Nec semper lux similis est. Ac etiam in vera Ecclesia, proh dolor, multum est caliginis aliquando. Scribam plura si requires. Nunc enim sero audieram profecturum esse virum clarissimum D. *Laurentium*. Bene vale et rescribe. Salutem opto viro Reverendo Doctori *Aurifabro*, et aliis vestris collegis. Filius Doctoris *Pfeffingeri* M. *Iohannes* in Academiam coelestem evocatus est, pater magno in luctu est. Gallica et Turcica bella mota sunt. In

ditione Wurtebergensi, quae veteribus nominatur Charitinorum regio, Ecclesiae nunc quidem χάριτι θεοῦ tranquillae sunt.

Philippus Melanthon.

---

No. 4988. (hoc fere t.)

## Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 61. Cod. Goth. 188. ep. 129.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, fratri suo carrissimo,* S. D.

Carissime frater. Quoties audio iuniorum funera, doleo me tam diu in hoc carcere retineri: sed Deo obtemperandum est. Eripuit nobis hic annus ingeniosissimos viros, *Matthaeum Irenaeum*, Iurisconsultum, *Cornelium Sittardum*, Medicum, apud vos *Nicolaum*, recens Lipsiae filium pastoris [1]). Omitto commemorationem seniorum, *Buceri* et aliorum. Sed oremus filium Dei, ut seminaria Ecclesiae servet. Dedi Doctori *Pontano* epistolam ex Italia ad me scriptam περὶ μανίας καὶ φρενοληψίας Monachorum, et de earum gentium tenebris. Moveor illis exemplis, ut magis sperem, Deum adfuturum esse nostris Ecclesiis, in quibus studium est veritatis, etiamsi ingens infirmitas. Sed scis, vocem divinam esse: *ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* De Ciceronis epistolis statuite vestro arbitrio. Magna pars sapientiae humanae est in epistolis prudentum. Ideo optarim, eas edi, sine meis et mei similium ineptiis. Scribam ad te alias plura. Necesse est edi tua poemata, collecta in unum volumen aut plura [2]). Nam et expetuntur exempla, et non sunt reliqua in Bibliopolis. De Mathematum Doctore non decet πολυπραγμονεῖν apud vos. Et scio, vobis non deesse consilium. *Erasmus Reinholdt* petit sui fratris mentionem fieri. *Menius* filium fortassis commendabit. Et istic petit *Sigismundus* [3]) *Naoburgensis*. Est hic homo excellens ingenio et eruditione, *Michael Neander*, natus in Valle Ioachimica. Gaudeo tam multos reperiri harum artium Doctores. Bene vale.

Philippus.

1) Pfeffingeri.

2) Vid. ep. ad Stigel. d. 5. Decb. 1550.

3) *Schoerckelius.*

---

No. 4989. (hoc temp.)

## Io. Pfeffingero.

Mel. Select. epist. p. 808. Epist. lib. I. p. 282. (ed. Lond. lib. I. ep. 97.). Iterum in Mel. opp. Witeb. T. IV. et in eiusd. Declamatt.

*Iohanni Pfeffingero, Pastori Lips.* S. D.

Ideo Deus humano generi στοργὰς indidit, ut sint commonefactiones de ingenti amore suo erga Filium et erga nos, ut sint vincula societatis humanae. Vult igitur adfici nos desiderio nostrorum, et in luctu pietatem probat. Sunt autem in optimis naturis στοργαὶ expressiores. Quare non dubito te, amisso filio (tali praesertim viro, in quo non tantum indoles laudabatur, sed qui et omnium artium doctrina excultus erat, et non solum natura ad virtutem incitabatur, sed etiam divino spiritu regebatur, et iam in hoc studium ingressus erat, ubi ingenium eius ad artium propagationem profuturum erat) magno in dolore esse. Qua in re non equidem accuso mollitiem animi tui, ac pietatem potius agnosco et probo, et tecum ipse valde doleo, cum tua, tum Republicae causa, praesertim cum videam in hac paucitate recte discentium, Ecclesiae defutura esse seminaria doctorum. Sed tamen pro sapientia tua scis utrunque a Deo praecipi, et ut lugeamus, et ut sit modus moestitiae. Ac primum statuamus, cum hos eventus regi divino consilio certum sit, flectendos esse animos ad obedientiam Deo debitam, ut etiam in adversis rebus ei placide obtemperemus.

Non iam de Physicis causis mortis dicam. Etsi natura fuit obnoxia multis morbis, tamen et voluntatem Dei intueamur, et non quid nobis acciderit incommodi, sed ad quae bona, ex hac misera vita, et quidem tristissimis temporibus evocatus sit, consideremus. Nam si ipsum vere dileximus, favendum est eius bonis. Imo si sentimus veram esse Ecclesiae doctrinam, gratulari ipsi coelestis Academiae consuetudinem debemus, in qua non iam dilutos rivulos sapientiae, ut in hac vita, bibit, sed coram fruitur immenso ac purissi-

mo fonte sapientiae, audit Filium Dei, Prophetas et Apostolos, et inenarrabili laetitia Deo gratias agit, quod cito in hunc coetum et in hanc pulcherrimam Academiam abductus sit, de qua cogitantes nos quoque mox evolare ex hoc carcere mallemus.

Auget fortasse dolorem tuum, cogitatio de ipsius ingenio, eruditione, virtute, et dulcissimam talis filii consuetudinem desideras. Sed hoc ipsum decus minuere luctum debet. Quia et his virtutibus scis eum in hoc brevi curriculo multis profuisse, nec fuisse inutile onus terrae. Vidisti testimonia pietatis lucentis in vita, et in hoc agone, quae ostenderunt initia coelestis vitae in ea accensa fuisse, et hanc eius migrationem fuisse iter ad coelestis Ecclesiae consuetudinem. Imo quoties haec filii ornamenta cogitabis, gratias ages Deo, qui declaravit se et tibi et ipsi favere, cum haec in eum contulit munera, quae sint omnium summa. Est enim gratae mentis, non tantum adversa, sed etiam beneficia recordari.

Cum igitur scias, et voluntati Dei obtemperandum esse, qui iubet moderari dolores, et filio nihil mali accidisse iudicandum sit, harum causarum cogitatione paulatim te erigito, et moerori repugnato. Moventur etiam animi hominum exemplis. Quia iustum videtur, non defugere communia onera, quae quasi communi legi generi humano imposita sunt. Quanto tristius spectaculum fuit primis parentibus interitus *Abel*, quo interfecto, simul viderunt Ecclesiam virilem in sua familia extinctam esse: Quanto hi graviores dolendi causas habuerunt in illa prima solitudine generis humani, quam vos, qui reliquam habetis familiam, in qua signa sunt pietatis non obscura? Et in illis gemina vulnera fuerunt. Nam scelere impii fratris magis excruciabantur, quam alterius morte.

Innumera exempla ex omnium temporum historiis repeti possent. Sed senem *Babylam* episcopum *Antiochenum* intueamur, cui tres filii a Tyranno *Decio* trucidati sunt, cum quidem astarent pater et mater, nec tantum oculis crudelitatem aspicerent, sed etiam adolescentes sua voce confirmarent. Postea mater spectatrix fuit necis coniugis, et complexa filiorum et mariti corpora, pio ritu ea in terram condidit.

Meministi et Imperatoris *Mauricii* historiam, qui tacitus spectator fuit necis filii et filiae, cumque ad coniugem ventum esset, luctans cum dolore, inquit, *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.*

Semper sapientes mirati sunt, cur tanta mole aerumnarum onerata sit imbecilla hominum natura. Sed nos, qui scimus causas divinitus patefactas, obtemperemus divino consilio, et remedia divinitus monstrata teneamus. Haec autem cum colliges, et hoc domesticum exemplum tibi proponito.

Si quando evocatus menses aliquot peregre a familia abes apud insuaves homines, leniuntur molestia et desiderium spe reditus ad tuos. Ita nunc desiderium feras modestius, quia aliquanto post in illa pulcherrima Academia coelesti filium rursus complecteris, et quidem ornatum honore splendidiore, quam sunt hi gradus, videlicet luce divina et collocatum in agmen Prophetarum, Apostolorum, et caeterorum, qui laude doctrinae floruerunt. Ibi una vivetis in omni aeternitate, fruentes conspectu Dei, et dulcissimis sermonibus Christi, Prophetarum et Apostolorum. Hanc aeternitatem intueamur in hac aerumnosa peregrinatione, tanquam metam, et fortius has miserias feramus, quia et breve curriculum est, et ad illam aeternitatem, in qua sapientia et iustitia Dei fruemur, non ad fugacia huius vitae bona conditi sumus.

Quae cum tibi viro docto et bono nota sint, brevius ad te scripsi, ac Deum oro, ut et animi et corporis vires tibi augeat; Meministi enim dictum, *In ipso sumus, vivimus et movemur.* Vale.

---

No. 4990. 5. Dec.

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 593 sq.

*Michaeli Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Nec querelas de praeteritis actionibus scribere volo, nec de praesentibus rebus committere ea literis possum, quae coram exponerem, si una essemus. Non interfui consiliis belli ante annos quatuor, et multa tunc metuebam. Post id bellum optavi, ut haec vulnera moderatione nostra sanare studeremus. Sed utrinque magis accensa sunt odia. Nec

pacis conditiones aequas ulla pars admittit. Vidi acta per Comitem *Oldeburgium*, cum quo hic etiam locutus sum. Haec si vidistis, considerare potuistis fontes huius negotii. Quicunque erunt eventus, hac me conscientia consolabor, quod semper etiam quaesivi explicationem difficillimarum controversiarum, utilem discentibus, et neque antea, neque nunc fui belli tuba. Docemus adhuc, et multa talia scripta hic eduntur.

Filio *Michaëli* mitto pagellam, quae Chronica complectitur omnium temporum *), missurus et alias lucubrationes, quae his diebus edentur. Spero, Deum servaturum esse Ecclesiam suam, et ut servet, toto eum pectore oro. Oro eum etiam, ut vos et vestram coniugem honestissimam, et dulcissimos filios, et filiam servet incolumes. Bene et feliciter valete. 5. Decembris. *Christophorus*, Dei beneficio, recte valet, et, ut spero, cras in disputatione Iuriscons. specimen studii sui ostendet.

Philippus.

---

No. 4991. 6. Dec.

## *G. Buhholtzero.*

Manlii farrag. p. 206.

*Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, domino Georgio Buchholtzer, praeposito Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, amico suo carissimo, Phil. Mel.*

S. D. Venerande domine Georgi, hunc nuncium misi ad virum clarissimum dominum doctorem *Hieronymum:* qui an sit Berlini, aut Francofordiae, nuncio meo indicabitis. Literas autem, si quas mihi volueritis mittere, huic tabellario tradite.

Nos nihil novi habemus, nisi rediise Ducem Saxoniae *Mauritium* Electorem, et adducere Magistrum Theutonicum, ut vocant, ut conducantur equites. Sermones hominum non obscuri sunt de bello Helvetico, et de bello Saxonico. Deus reddat miserae Germaniae pacem. Bene valete, et rescribite. Salutem reverenter opto viro clarissimo, domino Cancellario. Die Nicolai.

*) Videtur esse genealogia Christi, cuius mentionem fecerat in ep. ad Baumgartn. supra d. 25. Iul., et quam edidit a. 1555. Vid. epp. d. 21. Iun. et 22. Iul. 1555.

No. 4992. 8. Dec.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 74. (ed. Lond. lib. II. ep. 69.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Indue patris animum erga illam mulierem, de qua scribis, ut certe pius pastor nihil differt a bono patre, sicut *Cyrus* apud *Xenophontem: Οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρός.* Si mea esset filia, et adulter esset homo vagabundus, nec spes esset emendationis, nec sedes certa, retinerem filiam, nec suaderem ut sequeretur hominem vagabundum, cum iam sit libera, si certum est adulterium admissum esse. Et pater iustissimas causas habet, cur illi scelerato graviter irascatur. Credo te assiduum hortatorem esse politico Magistratui, ut sit severus in puniendis adulteris, stupratoribus et incestis. Sed videmus, proh dolor! nimis magnam negligentiam esse, quae certe irritat iram Dei. Quaeso ut circumstantias in hoc casu expendas, quae mihi non sunt notae. Dux *Prussiae* misit *Osiandri* librum ad multos Principes et civitates, excusat ipsum, et adversarios duriter accusat, ac petit iudicia. Composui amico *) formam, quam tibi mittam. Nunc enim nondum descripta erat. Mitto tibi pagellam meo more. Quaeso ut saepe mihi scribas. Bene vale. Die 8. Decembris, quo ante annos 114 *Sigismundus* Imperator mortuus est.

---

No. 4993. 10. Dec.

## *Cph. Libio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ².

*Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Tangermunda.*

S. D. Venerande vir et amice carissime. Et servabit filius Dei nidulos Ecclesiarum, et, ut servet inter multiplices diabolorum furores, veris gemitibus petamus. Spero autem, et Illustriss. Principem Marchionem pro naturae bonitate et pro pietate sua non permissurum, ut pastores, qui

*) Moibano.

sunt organa Dei salutaria, pellantur, etiamsi omittant ritus inutiles. Nos nova bella metuimus. Nam

Hessica terribili fremit horrida terra tumultu.

Et exercitus, qui fuit ad Parthenopen, adhuc in Thuringia vagatur. De Prussiacis disputationibus audivisse te opinor, ducem Prussiae petere a multis principibus et civitatibus, ut iudicia eruditorum de scripto *Osiandri* sciscitentur. Dedi consilium, ut vicini principes curent, unam responsionem re deliberata ab aliquibus mitti, ne dissidia plura oriantur. Si quid audies hac de re, mihi significa. Accepi decem Ioachimicos missos a domino *Hieronymo*, et retuli in rationes, quod ei dicas. Bene et feliciter vale. Die X. Decemb. anno 51.

Philippus Melanthon.

---

No. 4994. die brumae.

## Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 653. (ed. Lond. lib. IV. ep. 793.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Cam. Bam. fratri suo carissimo,*

S. D. Primum ex tuis litteris reditum tuum cognovimus, de quo si citius audivissem, scripsissem ad te, quanquam tanta est et dolorum meorum et negociorum magnitudo, ut complecti epistolis ea non possim, de quibus maxime tecum colloqui cupio. Existimo te iisdem cogitationib. excruciari, et in aula πένθεϊ ἀτλήτῳ βεβολήατο πάντες ἄριστοι. sed haec coram. Gaudeo te ad tuos incolumem reversum esse, et Deo gratias ago, quod et te et Ecclesiam tuam domesticam protegit, et ut protegat toto eum pectore oro, spero etiam propter aliquas pias familias leniturum esse poenas publicas, et servaturum posteris Ecclesiam et doctrinae lucem. Eam partem operis tui, in qua recitatur doctrina de aeterno Patre filio et Spiritu Sancto, tunc cum mihi scriptum ipse ostendisti, studiose perlegi totam et iudico recte et propriis ac significantibus verbis expositam esse τὴν τῆς ἐκκλησίας ἐξομολόγησιν. Institui ἐξήγησιν, afferam istuc. *Lelius* *) scripsit ad me ex Tiguro, et nominatim tibi salutem optat. Bene et feliciter vale die Brumae.

Philippus.

*) Mariani Socini filius. C. W.

---

No. 4995. (h. t.)

## (*Fragmentum epist.*)

† Fragmentum manu Melanthonis, senis, scriptum in cod. Monac. II. p. 72. Etiam hoc fragmentum ad deliberationes de concilio Trident. anno 1551. habitas pertinet.

Es schreiben die Prädicanten von Straßburg, sie haben des *Brentii* confessio gelesen und subscribirt*). Wiewohl [wir] nun nicht zweifeln, Brentius und wir sind ganz Einer Meinung, dennoch so man im Concilio sollt etwas vortragen, wäre gut, daß man sich zuvor eigentlich verglichen hätt.

Das alles kann durch Privatpersonen geschehen, wenn man will, daß in der Kirchen Einikeit bleiben soll. Und so man solches nicht thut, werden noch mehr Spaltungen werden.

---

No. 4996. 13. Dec.

## U. Mordisino.

† Ex autographo Mel. in cod. Goth. fol. no. 404. p. 80.

*Magnifico Domino Cancellario Inclyti Ducis Saxoniae Electoris, etc. Ulrico Mordisin, Doctoris Iuris, Viro clariss., virtute, sapientia et eruditione praestanti, patrono suo colendo*

S. D. Magnifice D. Cancellarie, Patrone colende. Hodie, videlicet die Decembris tertio decimo accepi literas de itinere ad synodum, quae mandant *Georgio Maiori* et mihi, ut simus Noribergae pridie diei Magorum, et additum fuit die undecimo Ianuarii. Nulla fit mentio instructionis, nulla equorum et viatici, nulla collegarum. Sum miratus haec subita mandata. Sed tamen, ne dicar inobediens, decrevi, cras recta ire Lipsiam, inde ad vos Dresdam, ut audiam, quae sit voluntas vestra; quanquam in hac et magnitudine moe-

*) Ut Mauritius, Elector, Melanthoni mandaverat, ut confessionem concilio Tridentino exhibendam scriberet, sic Christophorus Dux Wirtemb. idem mandatum dedit Ioanni Brentio. Vid. Sleidan, p. 705.

sticiae et corporis imbecillitate non sine periculo iter facio tali tempore. *Georgius* profectus est Islebiam ante aliquot dies; sed mittam ei Illustrissimi Principis literas, et scribam, ut Dresdam veniat, si volet una proficisci. Si erit eundem Noribergam, rectius erit, nos ex Dresda facere iter, quam per Turingiam. Bene et feliciter valete. die 13. Decembris.

Philippus Melanthon.

Numerus dierum in vestris literis, ut arbitror, mendose scriptus fuit. Nam sextus dies Ianuarii proxime antecedet festum Magorum.

No. 4997. 14 Dec.

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 245. (ed. Lond. lib. II. ep. 243.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Heri literas ex aula accepi, in quibus iubet illustrissimus Dux *Saxoniae* Elector, ut *Georgius Maior* et ego proficiscamur *Noribergam*, ubi simus audituri mandata de itinere ad Synodum, quia Dux *Wirtebergensis* et civitas *Argentinensis* iam miserunt legatos. Cum autem instructionis nulla sit facta mentio, ego recta *Dresdam* eo, inde scribam ad C. V. Utinam aula non contempsisset illud consilium, quod multis probabatur, ut plurimarum Ecclesiarum in vicinis principatibus et civitatibus constituto consensu communis legatio missa esset. Sed Deo nos commendo. Bene et feliciter valeat C. V. Die 14. Decemb.

No. 4998. 14. Dec.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 635 sq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Clarissime vir, et amice charissime. Scitis, utrumque voce divina praedictum esse, et fore in hac senecta mundi confusiones in Imperiis maiores, quam fuerunt antea. Et tamen Filium Dei servaturum esse Ecclesiam suam. Quare animos ad communia mala ferenda componamus, et hac spe nos sustentemus, quod tamen leniet has aerumnas Filius Dei, et proteget pias familias. Haec sunt praecipua fundamenta consolationum. Impendet Germaniae mutatio, quam Deus gubernet. De Synodo fuit nostrum consilium initio, ut omnes Ecclesiae harum regionum constituto consensu, si flagitaret Imperator, mitterent unam legationem. Id placuit multis Principibus, et aliis honestis viris. Postea aliter visum est aulicis quibusdam.

Heri autem accepi literas, ut *Georgius Maior* et ego proficiscamur Noribergam. Sed cum prius causam itineris scire cupiam, hodie ad aulam, quod faustum et felix sit, proficiscor. Ex Dresda scribam ad vos.

Dei beneficio filii recte valent et discunt. Dixi Magistro *Adamo*, ut filium ad vos adducat, si contagia luis erunt metuenda. Et vellem, vos accersere filios ad vos, aut certe *Michaëlem*, me absente. Nam in vicinia passim lues grassatur. Et dixi vobis annorum observationes. Sed oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut vos et filios vestros, et Ecclesiam suam servet. Bene et feliciter valete. Die 14. Decembris.

Philippus Melanth.

(*Melanthon ex mandato Mauritii, Pr. Electoris, iter Tridentum ingreditur, ut Synodo intersit. Sed ultra Norinbergam non progressus est.*)

No. 4999. 17. Dec. (in itinere.)

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 184 sq. Hic ex autographo, cui Baumgartnerus adscripsit: „1551., 24. Dec. per Ludwig Beilhorn."

*D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noriberg.*

S. D. Meministi vocis Filii Dei, cum inquit: *Non relinquam vos orphanos.* Hac spe nos confirmemus ac statuamus, ipsi Filio Dei curae esse suos coetus. Regibus ac gubernatoribus politicis quomodo curae sit videmus. Nunc subito evoca-

tus sum, ut apud vos exspectem mandata de Synodo, ac nondum scio, quos collegas habiturus sim, nondum audivi eos, quorum nosse voluntates utile esset. Sed tamen ne defugere cognitionem dicamur, iter, quod Deus gubernet, ingredior. In quo hanc habeo qualemcunque curarum et dolorum levationem, quod te, ut spero, complectar et vivas licebit audire et reddere voces. Nihil est rerum humanarum, in quo utcunque acquiescere animus possit, nisi veri amici colloquium, qualem te esse scio. Bene vale. 17. Decembris *).

Philippus Melanthon.

---

No. 5000. (in itinere.)

## L. Rulichio.

† Ex apogr. in codice Zittaviensi ep. 47.

*Laurentio Rulichio, amico suo carissimo*

S. D. Carissime Laurenti. Existimo, te Pindaricum illud [1]) meminisse, quod saepe me recitantem audivisti:

Ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς
ἀθάνατοι. τὰ μὲν ὦν
οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν,
ἀλλ' ἀγαθοί, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω.

Dei beneficio sunt in his regionibus Ecclesiae et scholae magis florentes, quam alibi. His serviamus, etiamsi sunt alia, quae et excruciant animos nostros et interdum impediunt. Tempus adferet aliquid remedii. Cogitemus etiam hoc, tot iam annos divinitus nos servatos esse, quanquam saevae tempestates aliquoties exortae sunt. Vocati sumus *Dresdam*, quo cum venero, rursus monebo, ut vestra constituantur. Salutem opto *Matthiae* καὶ ἀνεξικακίαν. Salutem *Iobo* [2]) et vobis omnibus opto.

Philippus.

---

*) Alia manus adscripsit: ann. 1551.

1) Pind. Pythion. v. 81.

2) Iobo, Cantori in oppido Meissen.

No. 5001. 18. Dec. (Misniae.)

## P. Ebero.

Epist. lib. II. p. 144. (ed. Lond. lib. II. ep. 151.).

*D. Paulo Ebero*

S. D. Etsi iter nostrum multi reprehendunt, et ego longe malim consuetudine et conspectu meae familiae et amicorum frui: tamen sive serio sive εἰρωνικῶς aguntur haec in aula, ideo obtempero, ne ut aliquoties dictum est metu nos aut petulantia defugere publicos congressus dicant. Prius vero audiam quae daturi sint mandata. Iam *Padornus* iter ingressus est, ut *Tridentum* eat et petat audiri nos etiam de prioribus decretis retexendis, seu ut ipsi nominant, readsumendis. Sequi igitur aliquos necesse est. Et vocati sunt *Alesius* ac *Paceus*. Sed *Alesium* febris retinet. *Paceum* ad nos venturum esse spero, ubi de collega responsum acceperit ex aula. Ero hortator ut *Sarcerium* vocent, qui habet iam populi studia. De belli metu et de *Alcibiadeis* consiliis nihil scribam. Nec certi quidquam audio. Nos cum aspicimus nostras parvas filiolas, scimus eum gregem Filio Dei curae esse, et gemitus nostros exaudiri. Hac nos consolatione sustentemus. Tuas literas heri in itinere accepi, et de frumento loquar cum iis, cum quibus colloqui potero. Sed quid sperandum sit nescio. Mitto tibi relectum a me scriptum de libro *Osiandri*, quod et *Lipsiae* aliquoties descriptum est, Doctor *Baldasar* mittit ad ducem *Augustum*. Si petent *Marchiaci* sinas describi. Fortassis *Dresdae* eodem argumento aliquid componam prolixius. Decano et *Marcello* dabis versiculos quos mitto, quibus uti poterit cum significabit examen. Oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui vere est *Emanuel*, ut vos et nos custodiat, et adsit nobis omnibus. Videmus quam sint humana omnia fragili et incerta. Ideo nos Deo commendemus, et petamus nos ab ipso servari et regi. Bene valete omnes. Die 18. Decemb. in oppido ad arcem *Iuliam*.

---

No. 5002. 19. Dec. (Misniae.)

## Mich. Voitio.

Manlii farrag. p. 568.

*Egregia doctrina et bonitate viro, D. Michaëli Voctio, Musicae professori, amico suo charissimo,*

S. D. Amo studium tuum, quod ponis in Musica excolenda: et cuperem, ut perficeres libros, quos hic inchoabas. ἀποσχηματισμὸν, quem proxime misisti, legi, et nonnulla adscripsi. De ordine sic sentio, quod ad Musicae divisionem attinet, ita ponendum esse, ut a latere chartae scripsi, cum suis definitionibus. Ita enim artis varietas magis perficietur. Deinde τὸ σχῆμα de intervallis Arithmeticis et Musicis, ex una parte pingendum, et subiicienda primum Procli, deinde Nicomachi verba: ex altera parte τὸ διάγραμμα alterum, de tribus modorum generibus antiquis, ita ut rursus Procli verba subiungantur, atque item Platonis. In divisione Musicae ponantur definitiones omnium partium Latine, figuris postea subscribantur Graeca. Haec si considerabis, etiam tu probabis. Vale, et me ama. Misenae, 1551.

---

No. 5003. 22. Dec. (Dresdae.)

## Georgio Princ. Anhalt.

Epist. lib. VI. p. 6 sq.

*Illustrissimo et Reverendissimo Principi et Domino, Domino Georgio, Principi in Anhalt et Ascania gubernanti Ecclesias Mysorum, etc. Domino suo Clementissimo*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps: Etsi multae graves causae sunt, cur me quoque liberatum esse maluerim hac periculosa legatione, tamen quia et Celsitudo Vestra et alii quidam honesti homines indicarunt, Principes et gubernatores Reipub. non sine specie contumaciae, talem legationem omissuros esse, adiungi me aliis, si qui ibunt, patior. Ac meminit Cels. V^a. aulicos de hac tota re sermones. Sed optarim nostrum consilium de constituendo consensu plurium regionum, non esse spretum. Sed iam Dresdae Dux Megapolensis *Iohannes Albertus*, et Legatus Pomeranicus adhuc fieri hoc posse censebant, ut suos nobis adiungerent. Cupiebam ante iter alloqui Cels. V^ram, sed in literis aulicis adeo breve spatium temporis scriptum erat, ut mox postridie post acceptas literas iter ingressus sim. Nunc Dresdae iussus sum expectare adventum D. *Camerstadii* et *Fachsii*, qui de his negotiis mecum loquentur, et de collegis huius legationis. Fortassis autem iam concedetur mihi ut rediam domum, quod si fiet, recta cum Dn. *Camerario* ad Cels. V^ram proficiscar. Sin autem non conceditur reditus, scribam omnia, quae erunt ἀξιόλογα.

Audio Electorem brevi iter facturum esse ad Imperatorem, quod speramus profuturum esse ad pacem. Hac de re multa cognovi, quae Cels. V^rae nota esse optarim.

De *Osiandri* libro composui amico responsionem simplicem, perspicuam et veram, non contentiose scriptam, cuius exemplum petat Cels. V^ra a Dn. D. *Ziglero*. Cogito idem argumentum iam in hoc itinere copiosius tractare.

Mitto Cels. V^ae pagellam de Parmensi calamitate, quae est exemplum irae divinae, quod mihi profecto iam auxit dolores, cogitanti de multis miseriis publicis et privatis. Sed oremus filium Dei, ut nos regat et mitiget poenas. Bene et feliciter vale, die XXII. Decemb. Dresdae. Anno cIↃ IↃ LI.

---

No. 5004. 22. Dec. (Dresdae.)

## P. Ebero.

Epist. lib. II. p. 155. (ed. Lond. lib. II. ep. 142.).

*D. Paulo Ebero*

S. D. Spero *Balthasarum* feliciter ad vos reversum esse, teque fasciculum literarum, quas misimus ex oppido arcis *Iuliae*, accepisse. *Dresdam* postea venimus, ubi cum alia multa de Synodo et caeteris negotiis cognovimus, tum vero leniri illos *Alcibiadeos* sermones audivi: καὶ φασὶν αὐτὸν ἡγέμονα πορεύσεσθαι πρὸς τὸν αὐτοκράτορα. Ego hic expectare adventum consiliariorum iussus sum. Heri autem me accersivit Dux *Megapolensis Iohannes Albertus*, qui et de Synodo mecum allocutus est et de *Osiandri* libro. Exposui summam responsionis, quam scripsi *Moibano*, eaque narratione audita aiebat se iam planius intelligere controversiae statum, ac petivit sibi exemplum responsionis dari. Iussi a te peti, etsi iam hic in ocio idem argumentum copiosius recitare decrevissem. Curabis igitur Principi optimo describi illam nostram ἐξήγησιν, scriptam *Moibano*. Sed

prius et a Reverendo Domino Pastore legi eam, et iudicari volo. Mitto pagellam de calamitate *Parmensi*, quae est exemplum irae Dei, ac mihi cogitanti de poenis *Germaniae* et harum temporum furoribus, dolorem auxit. Oro autem tecum Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos regat, et ut poenas leniat. Bene et feliciter vale. Die 22. Octob.*)

---

**No. 5005.** (h. a.?)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 648 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 788.). Editor retulit quidem hanc ep. ad ann. 1551., sed nescio an non potius scripta sit exeunte anno 1556. postquam Carolus Imperator mense Septb. in Hispaniam redierat. Philippus Caroli filius mense Maio a. 1551. Augusta Vindel. discessit, et per Italiam in Hispaniam rediit.

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Cam. fratri suo cariss.*

S. D. Meministi illud in Tragoedia. Nihil habeo σοφὸν, εἰ μὴ δάκρυα. Exposuit mihi noster amicus**), vir honestus, calamitatem suam, ita ut multum lacrymarum ambo funderemus. Nam inter tristissima quae homini accidere possunt, hanc calamitatem esse iudico. Nec consilium video, sed oro filium Dei ut ipse leniat nobis omnibus aerumnas publicas et privatas, plura de hac re coram.

Nunc respondeo *Lubecensibus* Pastoribus περὶ γαμικῶν ζητημάτων: crescit licentia, quae significat μεταβολὰς πολιτειῶν, quas Deus gubernet. Nihil dubium est Turcos moliri oppressionem τῶν ἐν παιονίᾳ ἰαζύγων.

Heri et a Bremensi quodam litteras accepi, in quibus scribit, Belgas nolle filio Caroli parere, nisi restituat immunitates, quas habuerunt ante annos quinquaginta, et doctrinam Ecclesiis proponi concedat, receptam in nostris Ecclesiis. Apud vos certiora dici arbitror. Oro filium Dei, ut te et totam Ecclesiam tuam domesticam et publicam servet.

Philippus.

*) Imo d. 22. Decbr. ut ex antecedente epist. clarissime intelligitur. Fortasse 22. 10bris ex mendo lectum est 22. 8bris.

**) Forsan pater captivi Medici Servestae. C. W.

---

**No. 5006.** (h. a.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 649. (ed. Lond. lib. IV. ep. 789.).

*Clarissimo viro Ioachimo Camerario.*

S. D. Ego vero somnium illud tuum, in quo sententiam audiisti, Nulla vis maior pietate vera, θείαν ὀμφὴν esse statuo, praecipientem nobis, ne fracti metu, turbari invocationem veram Dei sinamus. Ac acquievi aliquantum lecta tua dulcissima epistola, in qua somnium illud narras, cum quidem admodum defatigatus essem, non itineris labore, sed cogitatione τῶν γοητειῶν, quas animadverti postquam iter ingressus es. Certamen nobis adversus manifestos terrores facilius esset, sed pugnatur aliis modis, petamus autem Deum, ut nos regat. Bene vale.

Philippus.

---

**No. 5007.** (h. a.)

## *Val. Vigelio.*

Editum primum in Pezel. Consil. II. p. 162. Legitur etiam in cod. Goth. 19. p. [illegible] et cod. Goth. 401. p. 272. — Inscriptio apud *Pezel.* „Responsio Phil. Melanth. ad quaestionem de praesentia sacramentali corporis et sanguinis Christi in coena et de reliquiis symbolorum. Ad D. *Valentinum.*" — In cod. Goth. 401. inscribitur: Iudicium Ph. M. *de eo, quod parochus quidam reliquum in poculo post communionem ebiberat.* — In cod. Goth. 19. inscribitur *Valentino Vigelio* (Weigelio). — Pezelius epistolam ad annum 1551. retulit.

*Valentino Vigelio (Weigelio).*

Certum est, Deum non esse alligandum ad ullam rem; ad quam se non alligavit ipse suo verbo, sicut peccant omnes, qui Deum magis ad hanc statuam quam alibi exaudire imaginantur. Et ex tali imaginatione omnes idolomaniae in mundo ortae sunt. Non igitur alligandus est Deus [1]) ad panem et vinum extra usum, ad quem instituta est coena domini. Et est merus furor, fingere, quod dictis verbis a consecrante sic immigret corpus Christi in panem, ut ibi semper manere cogatur, sicut infusum vinum in cantharum [2]) manet, nisi rursus effundatur. Sed sacramenta pacta sunt exhibitionis. Cum illae res sumuntur, simul adest Chri-

1) Codd. *Deus*, sed Pezel. *Christus.*

2) *cantharum*] codd., sed Pez. *canthare.*

stus et est efficax. Haec[3]) sacramentalis praesentia est voluntaria; non est inclusio geometrica vel magica, qua cogatur Christus in pane manere. Cum baptizatur homo in ipsa actione vere adest Spiritus sanctus; non manet in aqua extra actionem. Sunt igitur abominandae illae[4]) quaestiones: an mus, rodens panem consecratum, comedat[5]) corpus Christi. Et abominandus est mos circumferendi panis in spectaculis. Quare ea, quae post communionem de pane et vino reliqua sunt, quae non manducantur ab iis, quorum sit[6]) intentio, uti coena domini, non sunt sacramenta, quia actio tota est sacramentum. Sed propter imperitos et reverentiam consulo, ut reliquum in poculo ebibat ultimus communicans, vel unus vel plures.[7]). † Cessante usu sacramenti cesset quoque sacramentum. Christus sub panis specie non est adorandus. Panis simul cum corpore Christi manet in sacramento"[8]).

---

**No. 5008.** (h. a.)

## *Praefatio.*

Declamatt. Tom. IV. (1558.) pag. 659. ed. Serv. Tom. IV. p. 598. — Librum ipsum Maioris videre nobis non contigit. Dedimus igitur praefationem ex Declamationibus Mel.

### *De horrendis abusibus ac profanatione coenae Dominicae in Missa, et vera eiusdem usu, praefatio praefixa libro D. Georgii Maioris de Missa.*

Duae omnium hominum praecipue curae esse debent, prior, ut verum deum invocemus et omnia commenticia numina vitemus et execremur, sicut ipse inquit: Dominum deum tuum adorabis et ei soli servies. Altera, ut circumspiciamus, quae et ubi sit vera dei Ecclesia, retinens fundamentum, nec pertinaciter defendens impia dogmata, aut commenticia numina, nosque ad illam unam veram Ecclesiam dei aggregemus et in ea, velut in arca abditi, in his horrendis confusionibus generis humani servemur. Sic enim scriptum est: Plantati in domo domini, in atriis domus dei nostri florebunt.

Ad utrumque autem scilicet ad veram dei invocationem et ad diiudicandum, quae sit vera Ecclesia, necesse est intelligere externos et panegyricos ritus, qui sunt nervi publicorum congressuum. Vult enim deus exaudiri vocem evangelii in toto genere humano. Vult agnosci filium, de quo dicit: Et nunc reges intelligite, osculamini filium. Aperite portas, principes vestras, et introibit rex gloriae. Ideo semper Ecclesiam suam tanquam in arce aliqua collocatam conspici et exaudiri ab omnibus gentibus voluit, et in hac vult esse publicos et honestos congressus, in quibus sonet evangelium et fiat invocatio publica. Et vincula horum congressuum semper voluit esse certas ceremonias, non hominum consiliis institutas, sed ab ipso traditas. Haec cum non recte intelliguntur, horribili furore homines falsa numina fingunt et coetus illi desinunt esse Ecclesia dei, ut subinde accidit, inde usque a primis patribus. Initio veri sacerdotes Adam, Abel, Seth, Nohe, Sem, sciebant deum non tantum externis gestibus colendum esse, sed oportere in mentibus accensam esse lucem voce promissionis, qua recte agnosceretur et invocaretur deus fiducia promissi mediatoris, et in cordibus vivos sensus esse timoris dei, fiduciae, dilectionis et aliarum virtutum, et mores externos congruere oportere cum illa sapientia dei, quae nominatur legis notitia.

Postea vero externos ritus sacrificiorum sciebant institutos esse, ut in publicis congressibus et haec spectacula commonefacerent populum de promissione divina. Sciebant mactatione pecorum significari mortem venturi redemtoris, qua ira dei adversus peccatum placanda esset, et id arcanum et mirandum decretum de morte redemtoris populo enarrabant.

Etsi autem semper in aliqua parte generis humani fulsit vera dei et redemtoris agnitio, tamen plurimi homines, contemta voce patrum, laxarunt frenos cupiditatibus, ac deinde in poenis tanquam reditum ad deum, victimis et variis ritibus placare iram dei conati sunt et paulatim progressi longius et incitati a diabolis, signa verterant in deos et alii alios excogitarunt. Chaldaei et Persae ignem, quo victimae incendebantur, colebant et in illo igne

---

3) *Haec*] codd., sed Pezel. *et*.
4) Cod. Goth. 19. *hae*.
5) Cod. Goth. 19. *rodat*.
6) *sit*] codd., sed Pez. *sit*.
7) Pezel. *communicans, unus aut plures*; cod. Goth. 401. *communus vel plures*.
8) Haec non leguntur apud Pez., nec habentur in cod. Goth. 401.

numen esse fingebant. Hic impius ritus in historia nominatur Ur Chaldaeorum.

Et hinc Persarum Orimasda, quasi lumen sanctum, Or Mehesed. Deinde, quam tetra fuerunt Aegyptiorum, Syrorum et omnium fere gentium idola? Qualis furor fuit in Bacchanalibus, qualis in mactatione hominum? Ita deus contumeliis afficiebatur in magna parte generis humani, spectantibus et applaudentibus diabolis. Horum malorum cogitatione cohorrescere sanos nequaquam dubium est, tametsi magnitudo horum scelerum non satis intelligitur. Sed exempla vetera commonefacere homines deberent, ut in hac delira mundi senecta quaereremus, ubi sit vera dei Ecclesia, quae vox doctrinae incorrupta, unde ritus orti sint, quae depravatio qua occasione accesserit.

Cumque prior aetas, in qua hominum natura minus languida fuit et disciplina severior, tantum habuerit furorum, non existimemus in hac imbecilli et fatua senecta nihil esse errorum, praesertim cum de ultima aetate vox divina praedixerit fore opinionum confusiones, quam fuerunt antea. Nota sunt enim haec terribilia oracula Matthaei 24.: Multi pseudoprophetae surgunt et seducent multos. Et ad Timotheum scriptum est: *τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων.*

Quantus autem stupor est, cum de rebus tantis divinitus praemoniti simus, nullam admittere curam in animum quaerendi, an errores in Ecclesiam irrepserint.

Quid similius est ethnicis furoribus, quam quod passim ad certas statuas prostrati alloquuntur vel ipsa saxa vel absentes homines tanquam deos, et ab eis auxilium petunt? Haec exempla usitata esse in plurimis gentibus et stabiliri morem atrocissimis suppliciis manifestum est. Et tamen tanta est impudentia Coclei, Vicelii, Cussii et similium sycophantarum, ut haec scelera praestigiis sophismatum excusare conentur. Possent et alia multa similia recitari, de quibus in aliis scriptis dicitur.

Nunc tantum de coena domini, de qua commonefactiones piae multae in hoc libro collectae sunt, dicam. An negari potest fuisse et esse venales missas et recitari eas magna ex parte a non intelligentibus, quid agant, a pluribus vero, quorum mentes et corpora spurcitia inquinata sunt? An negari potest, falsam adorationem fieri in circumgestatione panis, ubi extra usum nulla est sacramenti ratio? An negari potest, pro mortuis locari missas contra sacramenti rationem.

Quid autem dici tristius potest, quam in illa ipsa parte generis humani, quae nominatur Ecclesia proponi supplicia, si quis vel gemitu significat se dolore affici; deum tantis contumeliis et arcessi poenas toti generi humano, et multos homines ruere in aeternum exitium. Florentissimae fuerunt in Asia, Syria, Aegypto et in Graecia civitates et Ecclesiae, ubi nunc tantum stabula sunt latronum Turcicorum. Et in Europae viscera iam penetrant arma Turcica. Haec si qui dicunt casu fieri, aut tantum consiliis humanis, aut lege stellarum et non attrahi has tantas calamitates multis et magnis multorum hominum delictis et impietate, horum amentia manifestis dei testimoniis refutatur.

Agnoscamus nos singulos variis modis deum offendisse et offendere et vera conversione nos emendemus. Sed simul etiam illa publica scelera intelligere discamus, exsuscitemus corda ad veram invocationem, amemus Ecclesiam dei et queramus veram doctrinam de usu coenae domini. Nota sunt haec fulmina, si quis manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Discamus igitur reverenter administrare haec mysteria, et sciamus, deum vere irasci iis, qui profanationes stabiliunt, et veris ac assiduis gemitibus a filio dei petamus, ut ipse nobis opem ferat et liberet invocantes ipsum ab erroribus et a contagiis idolorum. Non si tantum fundere lacrimarum possem, quantum hic Albis noster undarum assidue volvit, dolori meo satisfacere possem, quem circumfero multos iam annos propter hoc Ecclesiae vulnus, quod ut sanet filius dei, toto eum pectore oro. Ut ipse filius dei inquit: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, ita avidi convenire ad coenam domini debebamus, et amare hanc ipsam frequentiam, et in hoc dulcissimo convivio erigi consolatione, et acquiescere in filio dei, qui adest his mysteriis et exhibet sese sumentibus. Vult hanc sumtionem tibi pignus esse, te vere esse membrum filii dei, qui est caput Ecclesiae, et in ea et in te ipso iam est efficax.

Hac de consolatione in hoc convivio vult recreari et laetum beneficia novi testamenti recordari. Vult hanc σπονδὴν foedus esse, quo testatur, te, cum sis membrum ipsius, sibi curae esse.

Ac nequaquam vult te in hoc convivio esse κωφὸν πρόσωπον, vult te intelligere, quid agas, vult excitari fidem et laetitiam in pectore, et accedere gratiarum actionem et invocationem pro te ipso, pro Ecclesia, pro hospitiis Ecclesiae. Ab hoc usu quantum absint venales missae et aliae profanationes, quae non sine gemitu cogitare possum.

Sint autem grati labores eorum, qui verum usum ostendunt, ut in hoc scripto Georgius plurima collegit, quae veritatem illustrant eaque de re adhibuit in historiis et testimoniis fidem necessariam in docente.

Nam alii multi, qui patrocinantur erroribus, astute multa dicta undecunque congerunt, plurima suppositicia, seu ex recentibus indoctis scriptoribus sumta, interdum et mutila, seu ambigua excerpunt ex veteribus, quae si ad ipsos autores conferantur, mox animadvertes aliud pedem, aliud citharam sonare, ut olim dicebatur.

Possum perspicue ostendere quasdam sententias citatas ab adversariis nostris, quae, etsi extant in recentibus editionibus, tamen non sunt in veteribus libris maiore cura et fide scriptis. Usitata est sophistica, praestigias offundere oculis et animis rudium mentione nominis Ecclesiae et consensus multorum seculorum, cum saepe fiat iniuria sanctissimae Ecclesiae antiquitatis, quae nondum habebat tantum morborum, quantum postea accessit.

Cur ad venales et privatas missas detorquent adversarii veterum dicta, cum historiae manifeste ostendant, veteribus privatas missas omnino ignotas fuisse. Nec si inveniunt alicubi in Africa sacrificulum privatim fecisse oblationem, unum atque alterum exemplum barbaricae et superstitiosae gentis apostolicae consuetudini opponatur. Nec defuerunt superstitiones ulli aetati. Quare et in testimoniis et in ipsa lectione veterum adhibenda est consideratio, quae fuerit scriptorum perpetua sententia, et quid obiter, quid improprie, quid explicate dixerint. Denique normam etiam teneamus ipsa scripta prophetica et apostolica et symbola. Ac inveniri veritas ab iis potest, qui pio eam studio quaerunt, sicut ipse inquit filius dei. Quanto magis pater vester coelestis dabit spiritum sanctum petentibus. Quaerant igitur pii fontes doctrinae et regi mentes suas spiritu divino petant. In eo studio sentient se divinitus iuvari. Bene vale pie lector.



No. 5009. h. a.

## (*Iudicium de sacra coena.*)

Editum in Consil. latin. a Pezel. edit. P. II. p. 152. Contuli apographa in cod. Goth. 212. p. 68 b., cod. Mehn. II. p. 22. et cod. Guelph. in fol. num. 11. 10. p. 159. — Videntur haec in schola calamo excepta esse a discipulo Melanthonis.

*Contra transsubstantiationem, et quae sit praesentia sacramentalis in Eucharistia.* (Inscriptio apud Pezel.)

*Phil. Mel.* περὶ τοῦ μυστηρίου. (Inscriptio in codd.)

Primum *transsubstantiatio* recens excogitata est[1]), quod tantum accidentia panis maneant, non substantia. Haec imaginatio ignota est veteribus. Nam Paulus appellat panem etiam in usu Eucharistiae: *qui manducat de pane hoc*[2]). Itaque recte dicitur, quod panis maneat. Secundo[3]): *panis est corpus Christi* intelligatur synecdochen esse, quae est usitata in scriptura[4]), id est, cum pane et vino exhibetur et porrigitur corpus et sanguis Christi[5]).

Iam multa disputantur hic de inclusione corporis in panem, vel de physica vel durabili coniunctione. Sed simplicissimum et verissimum[6]) est, quod dici solet: sacramenta esse sacramenta in usu; quare conscientiae satis est, quod in usu, datis his rebus pane et vino, detur corpus et sanguis domini, atque ita Christus vere adsit in nobis et[7]) sit efficax. Haec coniunctio est sacramentalis: positis rebus ponitur praesentia Christi; nec video, cur plures quaestiones hic moveri debeant[8]) de physica et durabili coniunctione.

No. 5010. hoc anno.

## (*Iudicium.*)

Mel. Select. epist. p. 558. Epist. lib. I. p. 363. (ed. Lond. I. ep. 110 b.). Etiam in Consil. lat. P. II. p. 144.

1) Cod. Guelph. *id est.*
2) *etiam — pane hoc*] non habet cod. Guelph.
3) Cod. Guelph. *secunda oratio.*
4) Sic codd., sed Pez. *corpus Christi intelligitur synecdochice, id est* etc.
5) Iam hic habet Pez.: *Haec figura usitata est in scriptura.*
6) Cod. Guelph. *certissimum.*
7) Cod. Guelph. *ut.*
8) Cod. Guelph. *moveantur.*

***An pater pius et vere amplexus Evangelium, possit petere reditus ex Sacerdotio collegii Canonicorum, pro studiis filii; Et an fruens talibus reditibus peccet.***

Primum, si filius obligatur ut pro ipso alius celebret usitatas ipsis Missas, aut additur alia impia obligatio, manifestum est nequaquam tales obligationes recipiendas esse, et fugienda collegia et reditus, si requirant ullam impiam obligationem, iuxta regulam, *Fugite Idola.* Secundo, si nulla addatur impia obligatio, petere eos reditus, et frui illis reditibus, res licita et concessa est. Imo haec ipsa bona sunt initio a Regibus ad hunc principalem usum ordinata, ut sint docentium et discentium stipendia seu alimenta. Hoc certissimum est. Nec ideo reditus ipsi, frumenta, pecuniae sunt res malae, quia antea tenuerunt impii, Sicut vasa *Aegyptiorum* non erant res malae, etiamsi *Aegyptii* fuerant impii. Ac pie *Israelitis* licuit uti illis vasis. Ita universa rerum natura condita est ad usus piorum et propter eos. Quanquam igitur saepe impii plurimis rebus magis fruuntur, tamen ubi conceditur, licet piis frui eisdem rebus. Sicut videmus emtionibus, venditionibus, donationibus, locationibus et aliis contractibus res ipsas et earum usum transferri. Vehitur *Paulus* in manibus impiorum. *David* praedam ingentem captam ex *Syria* iubet ad aedificationem templi comparci etc. Nota est Regula: *Omnis creatura Dei bona est, et cum gratiarum actione sumenda.* Item, *Sanctificatur cibus per verbum et per precationem,* Id est, usus fit sanctus amplectenti Evangelium, et utenti sicut Deus ordinavit, non furanti, non rapienti, sed habenti legitimo modo, et ad finem bonum, et Deum invocanti etc. Item sicut licet uti aliis politicis ordinationibus, ita licet uti hac constitutione stipendiorum ad bonos usus, etiamsi alii Canonici abutuntur suo ad Missas et alia Idololatrica etc.

Ex autographo *Philippi.* 1551.

---

**No. 5011.** h. a.

**(*Dictata.*)**

Mel. Consil. lat. P. II. p. 159 sq.

***Explicatio articuli: Ascendit in coelum: Item, Sedet ad dexteram patris. Dictata in schola Wittenbergensi, in enarratione epistolae Pauli ad Colossens.***

***Quae in margine asscripta sunt, ex ore D. Philippi sunt excepta.***

Hic multae insignes materiae continentur: declaratio articulorum Symboli: *Ascendit in coelos: Sedet ad dexteram Dei patris, etc.* Item, quae sint proprietates glorificati corporis. Item, quomodo dicatur: *Christus est in vobis: Christus est vita vestra.*

Osiander et alii treiben das spiel.

Ac primum de dicto: *Ascendit in coelum.* Quomodo haec congruunt? Alibi dicitur: *Filius qui est in sinu patris.* Item Iohan. 3. *Filius hominis qui est in coelo.* Respondeo:

Utramque est retinendum: Christum est vita scilicet merito et efficacia.

In Symbolo intelligatur dictum, ut sonat litera, et de corpore, et de corporali locatione: Ascendit, scilicet corporali, et physica locatione, in coelum, id est, in locum coelestem, quicunque vel ubicunque est, quia hic non sunt fingendae allegoriae. Ascensio fuit visibilis et corporalis: Et semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse, ubicunque vult. Et ascensio corporalis facta est sursum: Ideo Paulus in hoc capite locum illum nominat sursum.

Voco hic allegorias, peregrinas expositiones.

Tertium coelum potest esse summum coelum, vel ubicunque conspicitur Deus.

At in propositione: Filius qui est in coelo, dictum intelligatur communicatione idiomatum: λόγος semper est in coelo, etiamsi corporali locatione corpus est in virgine. Haec enarratio expressa est in enarratione Symboli, quae legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est: Enarratio Ruffini. Ascendit ad coelos, non ubi verbum Deus antea non fuerat: quippe qui erat semper in coelo, et manebat cum patre: Sed ubi verbum caro factum antea non sedebat, id est, ubi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, et citantur verba in Longobardo, libro 3. distinct. 22. *Non dimisit patrem Christus, cum venit in virginem, ubique*

Est posterior Cypriano sine dubio, quia attingit controversias, quae post Cyprianum sunt motae.

*totus, ubique perfectus.* Deinde additur forma sermonis: *Ubique totus est, sed non totum.* Alii concinnius locuti sunt. *Propositio vera est communicatione idiomatum: Christus ubique est.*

Non facienda est propterea confusio creatoris, et creaturae, ut Ethnici Philosophi faciunt ἐνδελέχειαν non separabilem.

Athanasius sic loquitur de incarnatione verbi: *λόγος non colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, ut et in eo sit, et extra omnia, et in sinu patris: neque cum sit in omnibus, fit pars aliorum, sed omnia vitam sustentationemque ab ipso accipiunt.*

Enoch. Elias. Moses.

Ut autem de locali ascensione naturae humanae dictum est, *Ascendit ad coelos*: Ita de exaltatione naturae humanae super omnes creaturas, dictum est: *Sedet ad dexteram patris:* ut hic Paulus inquit: *Ubique est ad dexteram Dei sedens.*

Ita loquitur Nazianz. secundum naturam invisibilem.

Ait Christum sursum esse, et quidem ad dexteram Dei, id est, non ut beati Angeli, et homines sursum sunt: sed exaltatus supra Angelos in illa arcana luce Dei, regnans cum patre: Et tamen corpus localiter alicubi est, secundum veri corporis modum, ut Augustinus inquit. Et hae propositiones: *Christus in vobis est: Ego in eis: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus, etc.* intelligantur communicatione idiomatum. Et de hac praesentia filii in praedicatione Evangelii, et in sanctis, necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, ut agnoscamus Dominum nostrum Iesum Christum adesse Ecclesiae, et esse caput omnia in omnibus perficiens.

Cogitate ista in vera invocatione non ut cavillaturi. Haec sunt simplicissime vera, recta, utilia, necessaria ad consolationem.

---

**No. 5012.** **h. anno.**

## (*De baptismo infant.*)

Mel. Consil. lat. P. II. p. 160 sq.

*De baptismo infantum: et an recipiendi sint Anabaptistae?*

Diese Sache ist hoch und groß, daß kein menschlich Herz den Schaden gnugsam betrachten kan, der folgen würde, und stehet geschrieben: Vae mundo a scandalis, und ist die Anfechtung nicht gering. Unser Herr

Jesus Christus wölle gnädiglich eure Churfürstliche Gnade regieren und bewahren. Anno 1552.

Philippus Melanthon.

Wider den Kaiser Ottonem den ersten seynd gewesen sechs mächtige Herrn:

1. Heinrich sein Bruder, Herzog zu Beyern.
2. Ludolff, sein ältester Sohn, Herzog zu Schwaben.
3. Arnolt, Herzog zu Meran.
4. Elisabet, Herzogin zu Lottringen, ist ersoffen.
5. Eberhart, Graff in Frankreich, ist erstochen.
6. Bischoff zu Maintz, und hatten Hülffe in Frankreich.

---

No. 5020. 7. Ian. (Lipsiae.)

## Io. Placotomo.

Epist. lib. VI. p. 205 sq.

*Ioh. Placotomo, Doctori artis medicae (Regiomonti).*

S. D. Doctiss. vir et amice cariss. Accedit mihi ad caetera incommoda hoc quoque in hac tanta confusione rerum, non solum ut frui amicis candidis non possim, sed etiam ut colloqui per Epistolas non queam. Subito haec Lipsiae scripsi. *Marcellum* Collegam nostrum, qui te valde dilexit et *Ziglerum* Deus ex his Academiis in coelestem revocavit. Ante mortem curaverat *Marcellus* fasciculum tibi mitti, quem nos tradidimus Lipsiae Dantiscanis mercatoribus. Staphylo salutem meis verbis amanter dicito, quem, si erit tranquilla aestas, spero in his regionibus locum honestum habiturum esse. Responsiones de *Osiandri* controversia amborum iam missae sunt. Bene vale. 7. Ianuarii 1552.

---

No. 5021. 7. Ian. (Lipsiae.)

## G. Sabino.

Edita in Sabini poëmatibus (Lips. 1578.) p. 473.

*Georgio Sabino, genero suo* S. P. D.

Nihil dubium est, divinitus insitas esse hominibus στοργὰς erga natos, ut sint commonefactrices de amore Dei erga filium et erga nos. Haec et mecum saepe cogito in ipsa precatione, et aliis saepe commemoro. Itaque, cum velit Deus affici nos desiderio nostrorum, et ne possit quidem natura in homine mediocri non dolere extinctis natis, magnum vulnus accepi cognita morte filii nostri *Alberti* [1]), quo in luctu me et recordatio matris, et cogitatio de tuo dolore valde excruciant. Etsi autem difficile est, mederi talibus vulneribus, tamen laetis temporibus facilius acquiescit [2]), cum et nostrae et aliorum familiae certam et mediocrem sedem habiturae videntur. Nunc in his ruinis imperiorum quae potest esse levatio? Ac te quidem pro tua prudentia scio multa prospicere, quae moestitiam tuam augent. Cum autem hae consolationes, quae humana diligentia a doctis collectae sint, tantis vulneribus exiguam opem afferant, intueamur divinitus praepositas. Scimus, nos Deo curae esse, quem invocemus, ut regat et protegat superstites; et statuamus, eos, quos ex hac aerumnosa vita evocavit, frui iam consuetudine coelestis Ecclesiae. Plura iam scribere non potui, ac ne quidem sciebam, an ad te hae literae perventurae sint, quas misi *Placotomo*. *Marcellum*, collegam nostrum et *Bernardum Ciglerum* Deus quoque evocavit ex hac vita. Bene vale. die VII. Ianuarii [anno 1551.] [3]) Lipsiae. Honestissimae coniugi tuae et filio *Christophoro* [4]) et filiabus salutem opto: quibus misissem munera, si certos nuntios habuissem.

---

No. 5022. 7. Ian. (Lips.)

## Io. Forstero.

Ex apogr. cod. Goth. 188. ep. 88. iam edita in epistolis aliquot consolatoriis (Argent. 1565. 8.) p. 139. ibique inscripta.

---

1) Albertus Sabini filius natu minimus ex Anna Melanthonis filia.

2) Omissum videtur *animus*.

3) Annum fortasse adscripsit Sabinus; certe error in eo est. Nam secundum Scripta publ. Vol. I. p. 388. Iohanni Marcello funus factum est d. 26. Decbr. 1551., et *Eberus* in praef. ad Script. publ. (d. Cal. Mart. 1553.) scribit: „amisimus anni superioris initio [i. e. d. 25. Decb. 1551.] *Marcellum*, deinde mox *Ciglerum*" etc. Vid. etiam ep. ad Placotomum anteced.

4) Alteram iam duxerat Sabinus uxorem anno 1550., quae ipsi pepererat mense Iulii Christophorum filium, qui vero mox post Albertum etiam ex vivis discessit, ut intelligitur ex Sabini poëmatibus.

*D. Ioanni Forstero* [1]) S. D.
[in cod. Goth. *Georgio Ficino.*]

Reverende vir, et amice carissime. Ut Ioseph, etiam in carcere, curae fuit Deo, ita et hunc *Iacobum*, *Pastorem* Ecclesiae *Sacensis*, servavit et liberavit Deus [2]). Decrevit, in Academia aliquantisper commorari. Cumque notus sit ingenioso et docto viro, genero tuo, *Laurentio*, tibi et ipsi eum commendo, vosque oro, ut eum amanter excipiatis. Optarim, eum in aedibus tuis habitare posse. Plura scribere non potui. Iam enim conscendo currum, iturus ad D. *Anhaltinum*. Bene vale. Die VII. Ianuarii.

Philippus Melanthon.

---

No. 5023. (his dieb.)

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 75. (edit. Lond. lib. II. ep. 60.). — Non integra videtur esse haec epistola, sed ultima verba videntur periisse.

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Etsi vota pro Ecclesia assidue facienda sunt, ut *Psalmus* praecipit, *Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem:* tamen mos laudandus est, quo initio anni quasi solennis fit precatio. Quare et gratias ago Filio Dei, quod hactenus servat Ecclesiam; et eum oro, ut et hoc veniente anno nos omnes gubernet et servet. De quaestione coniugali maxime velim et ego, si vir ille, de quo scripsisti, sanabilis est et non est erro, nequaquam distrahi coniugium, sed una mediocri tranquillitate vivere maritum et uxorem. Nec peccat uxor si ad maritum redit. Nos in luctu et metu vivimus, Nam Collega noster *Marcellus* recens ex hac Academia in coelestem evocatus est *). Et novi motus *Germanici* minitantur magnam confusionem his regionibus. Filius Dei *Emmanuel* protegat nos. Quaeso ut petas a Barone *Boëmico* pecuniam debitam pro habitatione, quam frustra filius expectavit. Vir honestus est *Christophorus Finck*, cui debetur, et pauper, et nunc Dei beneficio nactus est nidulum, erit enim pastor Ecclesiae vicinae in *Iuterpog.* Curabis hanc rem pro tua prudentia et humanitate. Existimo precium esse Ioachimicos sex. Carmen de natali Christi tibi mitto. Scripsi brevem admonitionem de libro *Osiandri*, quam cures describi apud *Eberum.*

1) Theol. Doct. et L. Hebr. in Academia Witteb. interpres, qui obiit 8. Dec. 1556.

2) De pastore Sacensi vid. ep. d. 25. Iul. 1551. et d. 30. Iun. 1552.

*) d. 25. Dec. 1551. Vid. Scripta publ. T. I. p. 389.

---

No. 5024. 7. Ian.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 602 sq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Clariss. vir, et amice charissime. Iterum recentibus literis flagitat Imperator, ut ad Synodum aliqui mittantur. Itaque diutius differri iter nostrum non potest. Cum autem et aëris pericula et contagia in nostro oppido metuam, et Oeconomiam, me absente, uxor mea tueri non possit, meum consilium est, ut *Michaëlem* aliquantisper ad vos accersatis, et ut apud Matrem vivat hilarius. Et nunc tempus Bacchanalium erit, quo plus licentiae sibi iuniores sumunt. Quare etiam *Christophorum* vobiscum esse malle, et possetis eum exercere forensibus operis. Elector scripsit ad Imperatorem, se ad eum venturum esse. Deus haec publica pericula gubernet, et det his Regionibus piam et salutarem pacem. Bene et feliciter valete. Die 9. Ianuarii.

Philippus.

---

No. 5025. 10 Ian. (Lipsiae.)

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 240. (ed. Lond. lib. II. ep. 238.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Die 10. Ianuarii et ego literas C. V. accepi, et exhibui Reverendis viris D. *Pastori* [1]) et D. *Alesio* fasciculum ad ipsos

1) Pfeffingero.

missum. Die 13. Ianuarii iter, quod faustum et felix sit, ingressuri sumus. De publicis negotiis tantum haec audio: Electorem Ducem *Saxoniae* profecturum esse ad Imperatorem. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut consilia illa gubernet. *Venetos* aiunt transitum *Turcis* concedere in *Austriam* per *Forum Iulium*. Haec fiunt *Gallicis* machinationibus, nec dubito, post irruptiones *Turcicas* brevi secuturum esse illum laetissimum diem, in quo Filius Dei resuscitatis mortuis ostendet triumphum suae Ecclesiae universo generi humano. Interea in his saevissimis ruinis imperiorum nos sustentemus hac consolatione, quam Filius Dei proposuit, inquiens, *Orate, ut possitis effugere futura mala.* Scribit mihi *Paulus Eberus*, Witebergae his diebus fuisse *Stancarum*, qui eo librum attulit scriptum contra *Osiandrum*, sed vellem nos non accendere controversias, ideo scripsi moderatissimam responsionem, etiamsi me deridebit. Literas *Eberi* mitto C. V. Nunc *Lipsiam* venit *Lazarus* [2]) ad quem vocati sumus, de cuius sermonibus plura scribam Celsitudini Vestrae, aut certe significabit D. *Ioachimus*. Ego quoties potero scribam D. *Ioachimo*, qui literas nostras C. V. mittet. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus adsit nobis omnibus. Bene et feliciter valeat C. V. Die 10. Ianuarii.

---

No. 5026. 13. Ian. (Lips.)

## Ad. Cureo.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[3].

*Honesto viro, eruditione et virtute praestanti, Magistro Adamo Cureo Reichstadiensi, in aedibus Philippi Melanthonis.*

S. D. Carissime Adame. Et propter aëris pericula et quia oeconomiam meam necesse est me mutare, scripsi domino *Michaëli* *), ut vos aliquantisper vel ad se accersat vel mittat Lipsiam aut Erfordiam. Ea de re scripturum esse ad te arbitror. Et poteris ei indicare sententiam tuam. Haec ideo significo, ut tu ipse cogites, quid maxime et fieri velis et huic tempori conveniat. Nam et propter tempestates et propter syderum positum metuo luem grassaturam esse. Oro autem filium Dei, ut nos servet incolumes. Bene vale, die 13. Ianuarii.

Phil. M.

---

No. 5027. 13. Ian. (Lips.)

## Mauritius ad Synod. Trid.

Epist. lib. III. p. 80. (ed. Lond. lib. III. ep. 87.). — Repetita a Pezelio in Mel. Consil. lat. P. II. p. 166. — Melanthon hanc epist. concepit Lipsiae eamque Dresdam misit, ubi epistolae dies adscriptus est. Vid. quae narrat Camerarius in vita Melanth. §. 92.

*Reverendissimis Dominis et reverendis Patribus, Cardinalibus, et Episcopis in Synodo Tridentina congregatis, Mauritii Ducis et Electoris Saxoniae nomine a Philippo scripta epistola.*

S. D. Reverendissimi Domini, et Reverendi Patres, Cum Caesarea Maiestas, Dominus noster Clementissimus voluerit, ut ex Ecclesiis nostrae ditionis aliqui ad Synodum mitterentur, noluimus eius voluntati deesse, praesertim cum et nos optemus veritatem illustrari propter gloriam Dei, et piam ac perpetuam in Ecclesiis totius orbis terrarum concordiam constitui. Quae duae res omnibus hominibus maxime expetendae sunt, praecipue vero iis, quibus Deus gubernationem commendavit.

Misimus igitur ad Synodum hos tres viros, *Erasmum Sarcerium*, *Valentinum Pacaeum*, et *Philippum Melanchthonem*, quorum et mores honestos esse, et studium pacis et publicae concordiae praedicari intelligimus. Hos ut benigne audiatis, publice exponentes, quid de omnibus controversiis communi consensu Ecclesiae nostrae doceant, petimus. Ipsis etiam mandata dedimus, ut pie, placide, et sine privatis affectibus recitent et declarent doctrinam, quam existimant universae Ecclesiae necessariam.

Scitis autem pro vestra excellenti sapientia, hos vestros Consessus intueri Deum Iudicem: Et universam Ecclesiam in coelo et in terra expetere primum, ut gloria Filii Dei vere illustretur, et sauciae conscientiae sanentur, et vera eis invocatio monstretur: Deinde, ut talis concordia constituatur, in qua non stabiliantur veteres abusus. Neque

---

2) Lazarus Schwendi, legatus Caesaris.

*) Vid. ep. ad Mich. Meienb. d. d. 9. Ian. 1552

enim grata Deo, neque durabilis esse tranquillitas sine veritate potest. Negari autem non potest, manifestos quosdam errores, et non levia vitia in Ecclesiam irrepsisse, quae dissidiis huius temporis occasionem praebuerunt. De his tantis rebus et audire vos Ecclesiarum querelas, et remedia salutaria quaerere, sapientia vestra dignum est.

Oramus autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut vulneribus Ecclesiae veteribus et recentibus medeatur ipse, sicut *Samaritanum* illum ait saucio viatori opem tulisse. Qua imagine cum sese exprimeret, ostendit se affici nostris calamitatibus, et velle se nobis opitulari. Bene valete. Datae *Dresdae* Idibus Ianuariis, Anno M.D.LII.

---

**No. 5028.** 13. Ian. (Lips.)

## *M. Tilemanno.*

Edita a *Strobelio* in Melanchthonianis p. 146. Inveni apographon eiusdem in Coll. Ballenst. Vol. I. num. 3., ex msto quodam factum.

*Honesto viro, eruditione et virtute praestanti M. Tilemanno Wesaliensi, amico suo in aedibus Philippi Melanthonis* [1]).

Carissime *Tilemanne*. Etsi malim domi esse et meorum et amicorum consuetudine frui, et scio, quam varia sint futura de hac legatione iudicia, et ipse multa pericula cogito, tamen disputant quidam attrahi certum bellum contumaciae specie. Itaque me Deo commendo, et ceteris delectis [2]) adiungi me sino. Fortassis in itinere renuntiabitur non concessuram synodum, ut retexantur priores articuli. Quodsi fit, Deo iuvante, rursus [3]) brevi una erimus. Nunc vero tibi *Sigismundum*, fratris mei filium, et *Godefridum* [4]) commendo. *Sigismundo* tamen cibus in mea domo praebebitur. Si M. *Adam* avocatus fuerit, *Godefridum* tuo iudicio alicui commendabis. Si erit metus luis tempore mercatus Francofordiani ambo adolescentes Francofordiam mitti poterunt. Totamque hanc rem prudentiae et fidei tuae et Iohannis commendo. Bene vale, die 13. Ianuarii Lipsiae, 1552.

1) Mst. Ball. *meis aedibus.*

2) *delectis*] non habet mst. Ball.

3) *rursus*] non habet Strob.

4) M[illegible] utroque loco *Godofridum.*

---

**No. 5029.** 13. Ian. (Lips.)

## (*Convictoribus.*)

Edita in Riederer's Abhandlungen aus der Kirchen-, Bücher- und Gelehrten-Geschichte p. 422. — Apographon in cod. Zittav. in fine, et aliud in collect. Ballenst. Vol. I. no. 3. Conf. ep. ad Meienburgium d. d. 9. Ian.

*Honestis Viris et Honestis Adolescentibus Convictoribus* S. D.

Charissimi Convictores. In tota vitae societate iustum est non petere officia impossibilia. Scitis autem vos ipsi, meam Coniugem non posse oeconomiam tueri, me absente. Nec *Iohanni* optime de me, et meis, et multis aliis merito, plus laborum et sollicitudinis in hac senecta imponere volo. Quare a vobis omnibus peto, ut hoc onere oeconomico meos levetis, et mensas alibi quaeratis post duas aut tres septimanas. Semper iudicavi, mihi cum iis amicitiam perpetuam esse sancitam, quibus mecum communis fuit mensa. Eodem modo et vos [1]) sentire volo: et utrique simus memores veteris decreti: τὴν τραπέζαν καὶ ἅλα μὴ παραβαίνειν. Quantum singuli solverint, et quid debeant, scitis ipsi, et potestis meas pagellas inspicere. Si Deus me reducet incolumem [2]) et tranquillitas erit harum regionum, si qui rursus meam consuetudinem expetent [3]), non deerunt eis mea officia. Nam iter suscipio, et longum et periculosum: quod, ut Filius Dei gubernet, toto eum pectore oro. Sed cum incertum sit tempus reditus, meam familiam maiore sollicitudine onerare non volui. Bene valete. Lipsiae, die 13. Ianuarii, Anno 1552.

---

**No. 5030.** 13. Ian. (Lips.)

## *Studiosis.*

Scripta publ. Witt. T. I. p. 391.

1) Rieder. mendose *eos.*

2) *incolumem*] excidit e textu Rieder. et mst. Zitt.

3) Rieder. mendose *expectent.*

*Philippus Melanthon* (*Studiosis*).

Etsi pericula nostrae legationis considero et animo praemetior, ac malebam domi esse, et frui studiis et consuetudine meorum, et amicorum, praesertim in hac temporum moestitia, et natura abhorreo a rixis: tamen cum toties iam flagitarit imperator, ut aliqui ex nostris Ecclesiis ad Synodum mittantur, et principibus fugienda sit contumaciae species, aliqui ad hanc molestam et periculosam profectionem delecti sunt, ac filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, qui vere est Emmanuel, oro, ut et nobis adsit, et nos et harum regionum Ecclesias protegat. Vos etiam obtestor, ut vota vestra ad gemitus omnium piorum adiungatis, ut filius Dei leniat poenas impendentes.

Grassari luem et famem passim videtis. Et bella Turcica crescent. Recens enim aiunt et per Forum Iulium Turcis in Austriam concessum esse transitum. Ad haec si accedent in Germania novi motus, ut adparatus in multis locis significat, erit *Ἰλιὰς κακῶν*. Deplorandus autem stupor, est, non adfici cogitatione summarum calamitatum totius generis humani. Quare et iram Dei agnoscite, et, ut in ira misericordiae suae Deus propter filium memor sit, precemini. Et ut precatio sit ardentior, sint mores modesti, et exuscitentur animi ad poenitentiam, iuxta vocem Dei: *convertimini ad me, et ego convertar ad vos.*

Nec deerunt vobis me absente praelectiones utiles. Meo loco D. Rector M. *Paulus Eberus* tradet dialectica, et adiunget enarrationem scripti alicuius, quod prodesse scholae iudicabit. Adiunget et recens editam Ioachimi *κατήχησιν*. Dominus D. *Forsterus* supra alias lectiones etiam aliquam Pauli aut Iohannis epistolam interpretabitur. Et habebitis alios linguarum et omnium artium lectores eruditos et fideles. Dominus D. *Vitus* gnomicas sententias Iesu Siracidae exponet. *Peucerus* Deo iuvante brevi redibit. Et tamen interea vir doctus, M. *Baldasar*, pertexet astronomica initia, quae in libello usitato traduntur, cui titulus est: de Sphaera. Haec optima studia, ut filius Dei, qui vere nobis est interpres *καὶ λόγος* sapientiae aeterni patris, gubernet, adiuvet, ac tueatur, toto eum pectore oro.

Cumque hanc militiam vestram sciatis ad gloriam Dei, et ad vestram ac ad communem Ecclesiae salutem pertinere, simul et laborem discendi urgeamus, et petamus, ut filius Dei mentes nostras [vestras] regat. Videtis in Italia, Gallia, et multis locis Germaniae novis decretis stabiliri errores, alicubi vero praestigias offundi simplici veritati. Nos hactenus, Deo iuvante, dedimus operam, non sine magno labore, ut vera et incorrupta doctrina simpliciter et proprie explicata vobis proponeretur. Quare non dubitamus, et esse Ecclesiam Dei, hunc ipsum coetum vera discentem, et hunc coetum Deo curae esse. Hac vos consolatione, quae in his publicis et privatis periculis ostendit eum portum, in quo praecipue acquiescunt bonae mentes, confirmate, et interea valete feliciter. Datum Lipsiae Idibus Ianuarii, quo die iter ad Cygneam suscipiendum erat, anno 1552.

---

No. 5081. 16. Ian. (Cygneae.)

## P. Ebero.

Epist. lib. II. p. 156. (ed. Lond. lib. II. ep. 148.).

*D. Paulo Ebero*

S. D. Heri *Cygneae* tuam epistolam et exempla nostri scripti exhibuit nobis adolescens *Noribergensis*. Etsi autem nova fulmina nobis ex illo *Baltico* sinu expectanda sunt: tamen si haec nostra admonitio levissime *) scripta probatur piis, et dubitationibus aliquorum occurrit, ferendae sunt nobis contumeliae forti animo. Miror te in editione publica addidisse aliorum subscriptiones, cum quidem altera illum *Hyperboreum Gorgiam* valde irritatura sit. De *Stancari* libro quae scripsisti, non sine gemitu legi. Utinam Deus Academias et servet, et regat, et earum consensum tueatur; quae si vel dissipatae, vel distractae erunt, qualis barbaries, et quam dissona dogmata sequentur? Sed oremus Filium Dei, sicut ipse precatur, ut servet nos, ut unum in ipso simus. *Lipsia* discedens dedi *Baldasaro* fasciculum literarum et alia, quae an acceperis, significato. *Cygneae* nihil audivimus dignum literis, nisi remedium cruciatuum in *Lithiasi εὐπόριστον*, quod multos scire velim et propter usum et quia ostendit Deum mirandas vires etiam spretis rebus indidisse. Adfirmant exemplis confirmatum esse, Sedari crucia-

*) lenissime?

tus, et pelli calculum, si foris tantum in loco doloris imponantur in lacte caprino calefacta poma Cynosbati contusa. Iusta profecto est indignatio apud Poetam, *Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν, ὅσον ἐν μαλαχῇ μέγα ὄνειαρ.* Amemus naturae considerationem, et Dei in ea praesentiam agnoscamus, et eum invocemus ut nobis adsit, cum quidem et tam multa magna pericula et confusiones tristissimae simul nos de Diaboli furoribus et de nostris miseriis commonefaciant. Audi spectaculum recens, in quo manifestus Diaboli furor conspicitur. In oppido vicino *Cygneae*, cuius nomen adscribere nolo, puer quinquennis casu lapsus, irruit in cultrum, quem manu tenuit, eoque vulnere statim extinctus est. Pater cum intervenisset, magnitudinem doloris effudit in uxorem, quam iratus ita verberat, ut ipsa quoque statim mortua, dolore, ut ratiocinor, propter filium magis, quam propter plagas. Abit igitur statim maritus et laqueo sibi mortem consciscit. Hanc horrendam narrationem adscripsi ut aliis recites, ut nos omnes ad invocationem Filii Dei exuscitemus, ut furentem et grassantem Diabolum a nobis depellat. Salutem opto Reverendo D. *Pastori* et vobis omnibus. Bene vale. Die 16. Ianuarii.

---

**No. 5032.** **17. Ian.**

## *Eberus ad Studiosos.*

Scripta publ. T. I. p. 393. — Addidi hoc Eberi scriptum, quia ad antecedens Melanthonis d. 13. Ian. pertinet, et simul de statu Academiae Viteb. et de Melanthonis auctoritate in ea scitu digna continet.

*Paulus Eberus (Studiosis).*

Quae sit voluntas Praeceptoris nostri reverendi, *Philippi Melanthonis*, ex scripto ipsius, quod Lipsia ad nos misit, intelligitis. Etsi autem facile agnosco, a me nequaquam ea, quae mihi ab ipso imponuntur, cum auditorum fructu sustineri posse, praesertim cum in hac occupationum varietate etiam tempore destituar, sine quo diligentiae usus esse nullus potest: tamen cum mihi integrum non sit, nisi officium scelerate praetermittere velim, eius auctoritatem defugere, quem ut parentem omnes merito colimus, aliquam partem eorum, quae iussus sum facere, in me suscepi. Caeterum hortator fui doctissimis praeceptoribus ac collegis meis, ut reliquam partem operarum ipsi inter se distribuerent, et operam darent, ut habeat iuventus, in absentia domini Praeceptoris, quod cum fructu audiat, qua in parte facilitas eorum et voluntas ad iuvandum communia studia promptissima laude dignissima est. Ego igitur, Deo iuvante, dialectica praecepta ab initio secundi libri repetam, eique lectioni tribuam horam septimam die Lunae et Martis. Ad interpretationem *κατηχήσεως* eruditae scriptae a *Ioachimo Camerario*, viro doctissimo, quam vult Dominus Praeceptor in manibus discentium esse, conferam horam septimam die Sabbati. Orationem vero pro P. Quintio pergam explicare hora quarta post meridiem, ut hactenus feci, quantum omnino per occupationes licebit, quae si quando, ut aliquoties iam accidit, mihi invito lectionem pomeridianam eripuerint, quod tamen ne saepe eveniat summo conatu cavebo, rogo auditores meos, ne me studio subterfugere legendi laborem existiment, sed persuadeant sibi, me impediri eiusmodi negotiis officii publici, quae dilationem nullam patiuntur.

Vos autem auditores hortamur, ut hos nostros labores, quos mediocri assiduitate in explicatione utilium artium sustinemus, boni consulatis, et, si vestrae expectationi non satisfacient, moveamini, et ardentius precemini Deum, ut in hoc periculoso itinere custodiat venerandum praeceptorem nostrum, Dom. Philippum Melanthonem, et eius vocem quam primum scholae restituat, qua quod privamur interdum diutius credamus etiam fieri propter ingratitudinem nostram et negligentiam, qui tam excellentem et salutarem doctorem, cum adest, vix, aut certe oscitanter audimus, vel etiam, quod indignissimum est, morum feritate et contemptu disciplinae graviter excruciamus. Quare si volumus cito nobis eius vocem reddi, agnoscamus primum et grati celebremus hoc maximum Dei beneficium, quod dedit hactenus huic scholae eiusmodi doctorem, qui non modo eruditione sua iuvit studia omnium, sed etiam tanta cura ac fide complexus est universam scholam ac singulos discentes, quanta solet pater liberos suos complecti, vel, ut Paulus loquitur: *ὡς ἂν τροφὸς θάλπει τὰ ἑαυτῆς τέκνα.* Deinde sedulo pro ipsius incolumitate oremus Deum, et mores nostros ea moderatione flectamus, ne ipsum absentem rumores de petulantia iuventutis magis affligant. 17. Ianuarii anno 1552.

No. 5033. 25. Ian. (Norimb.)

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 613.

*Michaëli Meienburgio Consuli Northusano*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Etsi cura et dolore excrucior de Synodi contentionibus, si progrediendum erit, tamen magis sum solicitus de motibus bellicis, de quibus multa collocuti sumus, cum una essemus, ac vos oro, ut mihi scribatis. Literas ad virum honestiss. *Georgium Römer* mittere potestis. Scire cupio et de filiis vestris, ubi sint. Spero, nos brevi domum redituros esse, quia in Synodo nondum responsum est ad petitiones, quas ibi Doctor *Badhorn* proposuit. Et audio, properare Episcopos, ut Synodum finiant. Bene et feliciter valete, Die Conversionis Pauli Noribergae 1552.

Philippus.

No. 5034. 25. Ian. (Norimb.)

## Io. Hornburgio.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54 a.

*Clarissimo viro, prudentia, eruditione et virtute praestanti, Domino Iohanni Hornburg, Senatori urbis Rotenburg, amico veteri et colendo,*

S. D. Clarissime vir. Semper et propter tuam virtutem te dilexi, et me a te diligi iudicavi, nec tempora deleverunt in animo meo tui memoriam. Sed propter miserias nostras minus frui veteribus et fidelibus amicis possum. Nunc vero ut ad te scriberem haec occasio fuit. *Christophorus Bomgartnerus*, natus in familia honesta Norimbergae, intellexit desiderari in urbe vestra Syndicum, ut nominant. Cum autem et Tubingae et Lipsiae annos decem audiverit Iurisconsultos, et eorum doctrinam recte didicerit, reipublicae, ut decet, servire cupit. Ac propter modestiam et iustitiae amorem mallet in civitate mediocrem locum habere, ubi iustitia pulsa ex aulis magis colitur. Istuc igitur accedet, ut vobis operam suam offerat. Quare te et *Camerarii* et meo nomine oro, ut hunc Christophorum Bomgartnerum amanter complectaris, et, si locus apud vos esse potest, senatui vestro commendes. Habet virtutes viri politici praecipuas, iustitiam, fidem, amorem pacis et concordiae publicae, veram invocationem Dei, et cognitione iuris recte instructus est. Nec rudis est certaminum forensium, sed usum et animi robur aetas et respublica augebant. Coniugem habet honestissimam ex veteri et praecipua familia Lipsica *Preusseria*. Et notus est viro clarissimo doctori *Christophoro Gugel*, qui eum consiliis suis adiuvabat. Egit autem beneficium vestrum gratissimum Domino *Hieronymo Bomgartnero*, cui optime merendi de Republica civitates alias existimo libenter gratificari. Nostram amicitiam volo perpetuam esse, qua quidem in consuetudine coelesti dulcius fruemur. Interea etiam si quibus officiis declarare mutuam benevolentiam poterimus, praesertim ubi prodesse reipublicae conceditur, coniunctionem nostram tueamur. Bene et feliciter vale. Die conversionis Pauli Apostoli. Noribergae 1552.

Philippus Melanthon.

No. 5035. 25. Ian. (Norimb.)

## Praefatio.

Praefatio in Tomum Tertium enarrationis D. Martini Lutheri in Genesin, editae anno 1552. ab Hieronymo Besold. — Descripsimus eam ex opp. Lutheri latin. Witeb. T. VI. p. 322 b.

*Philippus Melanthon pio lectori salutem dicit.*

Saepe cogitandum est consilium Dei, quod et mundi exordium et prima Ecclesiae initia et propagationem sciri omnibus temporibus voluit, et tantarum rerum memoriam conservari, et quidem instituta et tradita annorum serie, ut retro cogitari primordia possint. Ac Deo gratias agamus, quod inter tantas imperiorum ruinas, et inter excidia urbium et dissipationes generis humani hanc suam doctrinam non deleri sinit, quodque illustria testimonia ostendit, resuscitationem mortuorum, repressos solis cursus et alia multa, ut certo sciamus, et esse Deum et colligi ab eo Ecclesiam, et hanc doctrinam, quam tradidit, immotam veritatem esse. Itaque firmissima assensione amplecta-

mur hanc vocem divinam, et constantissime fugiamus et execremur ethnicos furores, quorum alii finxerunt ex atomis casu confluxisse mundi corpora, et innumerabiles mundos fuisse et fore, et diversas rerum naturas. Alii etsi haec cyclopica dicta probare non audent, et quaerunt concinniora, tamen ut coeci procul a veritate aberrant, ac tetros errores ac in Deum contumeliosos excogitarunt, ut Stoici fingunt, ne posse quidem alios motus ciere Deum, quam quo rapitur impetu materiae, ac perinde eam causam esse horribilium scelerum, ut bonarum actionum. Denique magnum chaos est errorum extra Ecclesiam Dei de mundi initio, de natura hominis, de providentia divina, de causa mali, de fine hominis. Sitne homo tantum ad hanc mortalem vitam conditus, sitne expectanda alia vita, in qua discrimen sit futurum inter iustos et iniustos, sitne coetus aliquis in tanta varietate opinionum et morum, quem certum sit placere Deo. Quomodo is coetus colligatur et discernatur a caeteris hominibus, quae officia probet Deus. Sitne reliqua tam ingens multitudo reiecta a Deo.

De his tantis rebus necessaria doctrina in sola Ecclesia Dei proponitur. Et fontes sunt in primo libro Moisi, quos oportet omnibus notissimos esse, quia in qualibet doctrina plurimum refert recte cognoscere initia et fontes, sicut dicitur: ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς, καὶ πλέον ἢ ἥμισυ. Instituit autem Deus ministerium docendi, non ut novum genus doctrinae quisquam gignat, sed ut lectores populo ad verbum recitent hos ipsos libros Propheticos et Apostolicos, ut inde sumant veram, puram et incorruptam doctrinam de Deo et de salute generis humani; deinde vero, quia rudioribus opus est commonefactione de phrasi et de ordine membrorum in lectione, declarandum est genus sermonis, monstrandae regiones diversorum argumentorum, et imperiti erudiendi sunt, quomodo ad usum in invocatione et in vita transferre sententias et exempla debeant. In hoc genere magnum est interpretum discrimen. Cum autem *Lutheri* ministerio Deus Ecclesiam repurgaverit, ad quod eum excellentibus donis instruxit, res ipsa ostendit, ipsius enarrationes longe antecellere aliorum interpretum scriptis, quas quidem extare et ad posteros transmitti utile est, non solum ut illustrentur libri Prophetici et Apostolici, sed etiam ut de omnibus articulis nota sint viri tanti, cuius pectus Spiritu sancto regebatur, testimonia et confessiones, quibus deinceps pii in certaminibus dogmatum confirmentur. Quare gratitudo debetur viris doctissimis et integerrimis, qui optima fide cum alias enarrationes, tum vero has in primum librum Moisi, quem praecipue notum esse oportet, ediderunt: Casparo *Crucigero*, Georgio *Rorario*, Vito *Theodoro* Noribergensi, Hieronymo *Besoldo* Noribergensi. Nam post Viti Theodori mortem huius laboris, ut ita dicam, haeres fuit Hieronymus, qui bona fide secutus est exempla *Crucigeri* et *Rorarii* manibus scripta, cum quibus vidit et sua manu scriptum et alterum scriptum manu Ioannis *Stolsii*, cuius diligentia et fides eximia est, congruere.

Iam ordine contempletur lector doctrinam de Deo conditore, de mundi exordio, de creatione hominum, de patefactione Dei ante lapsum et inchoata Ecclesia. Deinde de lapsu, de restitutione hominis, in qua Deus rursus se patefecit, edidit promissionem de ventura liberatione hominum et de conculcando Dracone, et rursus immensa misericordia condidit Ecclesiam, et ex media morte primos parentes erexit. Deinde considera, quae et ubi fuerit Ecclesia Dei, videlicet, quae fuit custos editae promissionis de ventura victima, et discerne legem et hanc promissionem, et agnosce hoc tristissimum dissidium in genere humano, quod semper fuerunt, sunt et erunt duo coetus, quorum alterum ille ipse filius Dei, de quo promissio loquitur, ministerio Evangelii colligit, et vere adest ei, regnat in eo, tegit peccata agnoscentium ipsum, et accendit corda eorum Spiritu suo sancto, ut vere invocent Deum et ei obediant, et reddit eis vitam et salutem aeternam. Altera multitudo ignara Dei vagatur in tenebris, et ardens ambitione, libidinibus et aliis errantibus cupiditatibus, contemnit et odit Evangelium. Hanc furiosam multitudinem diaboli incitant adversus Ecclesiam, ut Cain interfecit fratrem, et similis voluntas est in Esau.

Haec ingentia certamina, quae omnes homines valde mirantur, statim initio in prima concione praedicta sunt his verbis: ponam inimicitias inter semen mulieris et semen serpentis. Praemonenda enim erat Ecclesia, ut sciret, se non ideo negligi a Deo, quia imperiis potituri essent alii contemnentes doctrinam Dei et oppressuri coetum custodientem Evangelium. Est et contemplanda series gubernatorum Ecclesiae, et de singulis consideranda doctrina, deinde testimonia patefactio-

nis Dei et doctrinae, postea singulorum vocatio, certamina, victoriae, praesentia Dei conspecta in ipsorum liberationibus, collectio Ecclesiae; quae dicta et exempla nos erudiant, et fidem confirment, quae virtutes imitandae sint. Per haec capita ductae sunt historiae superiorum librorum de Adam et Heva, de Abel, Seth, Henoch, Noha, Sem, Abraham, Loth, Isaac; horum omnium doctrina eadem est de Deo conditore, de rerum creatione, de lapsu primorum parentum, de peccato in genere humano, de lege Dei, de promissione et de mediatore, de gratia, de remissione peccatorum, de fide, de vera invocatione, de nova obedientia, de Ecclesia, de cruce, de venturo iudicio. Sed vocationes et negotia dissimilia sunt. Noha vocatur ad servandas reliquias Ecclesiae in diluvio, et deinde ad instaurationem in posteritate. Dissipatis vero posteris Nohae, cum iam Babylonicum Imperium inchoatum esset, et tenebrae inter gentes crescerent, Deus nova vocatione Ecclesiam instaurat, repetita promissione et addito ritu circumcisionis, ut mentione ipsa membri admonerentur homines de venturo semine. Doctrinam igitur ab Abraham acceptam sonant Isaac et Iacob.

Iam in hac historia cogites, quantum decus fuerit, quanta piis confirmatio, quod eodem tempore in vicinis locis una vixerunt, et saepe convenerunt ad explicationem doctrinae et ad mutuam consolationem Sem, qui nominari existimatur Melchizedeck, Abraham, Isaac, Rex Abimelech. Et quanquam semper Ecclesiae multitudo minor est, quam gentium impiarum, tamen illis tantis doctoribus non defuit mediocris frequentia. Semper enim Deus vult Ecclesiam exaudiri in genere humano, ut filius agnoscatur, et ut pars aliqua generis humani fiat haeres coelestis gloriae. Ideo collocat eam velut in celsa arce, ut conspici et exaudiri possit, et mediocrem frequentiam addit, quae sit doctrinae testis, et accipiat beneficia filii Dei, quem non frustra misit aeternus pater.

Quare et in hac historia Iacob praecipue consideretur genus doctrinae, quod subinde repetitum est. Nam et ipse Deus stans in scala in Bethel, alloquens Iacob adfirmat nunc, vere esse Deum, qui se patefecit Abrahae et promissionem edidit. Haec iisdem verbis ibi repetita est. Hunc igitur verum Deum vult agnosci et invocari, qui edidit promissionem, et vult conspici mediatorem, vult fiducia mediatoris accipi remissionem peccatorum et reconciliationem propter ipsum, vult sciri hunc ipsum mediatorem tunc quoque custodem et gubernatorem esse Iacob, et comprobat hos cultus, quos Abraham ex voce divina didicerat, de quibus scriptum erat: credidit Abraham Deo, et imputata est ei iusticia. Unde sciebat et Iacob, cultum Dei praecipuum esse hanc fidem, qua statuebat, se Deo propter hunc mediatorem placere, non propter propriam dignitatem, et se per hunc mediatorem gubernari, et, abolito peccato et morte, restitui propter eum, et per eum iusticiam et vitam aeternam. Nam ad promissionem, quam et pater et ipse audierant, iungebat vocem illam: semen mulieris conculcabit serpentem. Hanc confessionem sonat ipse, cum inquit: benedicat pueris istis Deus patrum meorum, Abrahae et Isaac, et Angelus, qui eripuit me ex omnibus malis, ex morte aeterna et aliis calamitatibus. Nec vero dubium est, hunc angelum, cuius hic fit mentio, filium Dei esse, quem norat mitti ad Ecclesiam, ut eam gubernet, protegat, liberet a peccato et a morte. Haec beneficia non praestat ullius creaturae potentia, sed filius Dei exhibet ea Ecclesiae. Nec dubium est, de hoc Domino restituente iusticiam et vitam aeternam concionari, cum infra inquit: Donec veniet Silo, et ad eum gentes congregabuntur. Etsi autem nomen *Silo* alii aliter interpretati sunt, tamen sequens particula manifeste ostendit, intelligi ducem, qui etiam gentes ad Deum placatum congregabit, qui conculcabit caput serpentis, abolebit peccatum et mortem. Et recte existimo reddi vocabulum *Silo* appellatione salutis et salvatoris. Nec insuavis est etymologia Ebraeis nota, qui interpretantur *Siloh* foetum eius, videlicet matris, ut congruat ad dictum: semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et insigne est *χόριον αὐτῆς*. Hic filius Dei assumit humanam naturam imbecillem, quae sustinet ingentes dolores, iram Dei et mortem, et pendens in cruce est deforme et cruentum *χόριον*. Et tamen ex morte reviviscit. In nobis vero natura immunda prorsus est sordidum et pollutum *χόριον* peccato. Sed cum ipse hoc nostrum *χόριον* induit, cum nos voce Evangelii et Spiritu suo sancto vivificat, fit haec pellis templum Dei, et liberatur a peccato et morte.

Sed in hac ipsa enarratione *Lutheri* hae conciones omnes Iacob et aliorum copiose explicantur. Haec eo tantum recitavi, ut in vestibulo admonerem iuniores, in his historiis non tantum exempla vitae oeconomicae aut politicae quaerenda esse, sed praecipue genus doctrinae et consensum pri-

morum Ecclesiae doctorum in fide et in invocatione intuendum esse, ut nos ipsos eorum consensu confirmemus. Eiusdem Evangelii auditores, testes et propagatores sunt Adam, Abraham, Isaac, Iacob, quod nunc Dei beneficio sonat in his ipsis Ecclesiis, quae Lutheri doctrinam, quam in his enarrationibus et alibi proponit, amplectuntur. Quare valde prodest, horum Patrum invocationem et conciones saepe et diligenter considerare, ut scias te vere socium redemptionis, fidei et invocationis ipsorum, et cohaeredem esse gloriae aeternae. Ac doctrina considerata, Ecclesiam Iacob intuere, exilia et aerumnas, et in his exempla fidei et aliarum virtutum, et praesentiam filii Dei liberantis eum, et ut edantur testimonia patefactionis, et ut servetur Ecclesia.

Deinde et vulnera Ecclesiae intuere. Adeo grassantur diaboli, ut etiam in hoc parvo coetu, in familia Iacob, incitent praecipuos viros ad atrocia scelera. Polluitur incesta consuetudine coniunx patris a filio. Deinde multi conantur interficere fratrem Ioseph. Quis non cohorrescit haec immania exempla cernens in illa familia, quam vere esse Ecclesiam Dei nihil dubium erat? Sed vult nos Deus agnoscere nostram infirmitatem, et vigilantes esse contra diaboli insidias. Vult et lapsos rursus erigi exemplis illorum summorum hominum, qui quanquam magna vulnera accepissent, tamen rursus sanati sunt. Praeterea etsi multos hostes habet Iacob, tamen infestissimus est frater Esau, qui natura ei proximus est, et disciplina paterna ad eandem professionem de Deo, ad eandem invocationem, et ad omnium virtutum officia institutus. Ita cum usitata sit in Ecclesia distractio cognatorum et amicorum, praeparandi et confirmandi sunt animi, ut hunc ingentem dolorem, quem acerbitas parit eorum, qui fuerant coniunctissimi, sapienter feramus. Nullum atrocius vulnus est, inquit Sophocles, quam defectio amici. Et sunt in prophetis quaerelae similes. Cum autem exempla et de causis talium aerumnarum nos doceant et monstrent consolationes, lectori dolorem leniunt. Et superbia est, nos ferre nolle ea, quae alii meliores tulerunt, Abel, Isaac, Iacob, Ioseph et alii. Sciamus Deo placere obedientiam et animi moderationem in talibus aerumnis perferendis, et interea nos ipsi filio Dei curae esse, hunc esse fidelem et firmum amicum. Hac se consolatione David erigebat, inquiens: pater meus et mater mea reliquerunt me, Dominus autem adsumpsit me.

Hoc tempore et privatim fiunt assiduae coniunctissimorum distractiones, et publice vera Ecclesia variis hostium generibus oppugnatur; Turci, Pontifices, Reges et Principes Pontificum satellites, ferro et igni delere eam conantur. Et horum accendunt iracundiam Monachi et alii, qui opinione eruditionis in aulis regnant. Hi ut armati autoritate et maiore multitudine consentientium grassari nunc latius possint, in synodo Tridentina condiderunt decreta, quorum multa palam falsa sunt, plurima vero flexiloqua et sophistica, quae ut stabiliant, addent Reges edicta sanguine scripta. Ostentant nobis tot iam annos, tanquam caput Gorgonis, nomina Ecclesiae, Synodorum, consensus catholici, quibus etsi multi moventur, tamen omnes, qui vere invocant Deum, fraudem intelligant, et refutare praestigias discant. Una est regula illustris et immota, quae illas γοητείας evertit: si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Loquitur autem res ipsa, manifeste pugnare quaedam Tridentina decreta cum Evangelio et his ipsis fontibus concionum Abrahae, ubi dicitur: credidit Abraham Deo, et imputata est ei iusticia. Quam sententiam Paulus eo citat, ut perpetuum Ecclesiae consensum de fide ostenderet. Hanc concionem profert, quae prima expresse loquitur de fide et de iusticia, et adfirmat fide accipiendam esse promissionem, et cum hac fide acquiescit homo in mediatore, vere imputari iusticiam, videlicet dari remissionem peccatorum et reconciliari hominem propter mediatorem, et hunc ipsum mediatorem in eo efficacem esse, et voce promissionis et Spiritu suo sancto accendere novam lucem et obedientiam, et in corde pacem efficere, quae est initium vitae aeternae. Hanc totam doctrinam propriam Ecclesiae Dei, quae est portus et summa consolatio piorum, et expresse in hoc ipso libro, et deinceps in scriptis propheticis tradita et illustrata est, audacissime obruunt isti Areopagitae Tridentini contrario decreto impio et execrando. Iubent enim omnes homines manere in dubitatione. Ita hoc totum caput in Symbolo delent: credo remissionem peccatorum; imo inquiunt: non credo, sed dubito. Hic manifestus et perniciosus error ostendit, autores talium decretorum hostes esse Ecclesiae Dei, et abuti his nominibus, Ecclesiae, Synodi et catholici consensus. Nec Ecclesiae doctrinam proponunt, sed

ethnicas seu pharisaicas imaginationes stabiliunt. Nam humanae mentes, ignarae Evangelii, et legem utcunque intuentes, merguntur in hanc dubitationem, quae tristes fremitus adversus Deum et desperationem parit. Non recito iam decreta flexiloqua, qualia multa condiderunt, ut rimas habeant et *κρησφύγετα* *), si a nobis reprehendantur, et tamen re ipsa stabiliunt suos abusus. Sed de manifestis et perniciosis erroribus loquor. Hos cum lector in decretis illis cernit, sequatur regulam: si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Quam multae sunt nefariae corruptelae in decretis ipsorum de poenitentia? Nulla synodus unquam dixit, enumerationem singulorum necessariam esse iure divino, et quidem eo, ut possit indici satisfactio, quam ita nominant. Nunc isti Tridentini legumlatores impudenter addiderunt haec mendacia veteribus decretis, et filium Dei contumelia adficiunt. Nec enim magnitudo peccati cogitatur **), nec consideratur, quare in filium Dei derivata sit ira et satisfactio, cum offunduntur hominibus spectacula satisfactionum, quorum alia ridicula, alia etiam turpia fuerunt. Denique non leves furores fuerunt deliramenta in hoc genere. Ne ipsi quidem architecti constitutionum Tridentinarum ignorant, chaos satisfactionum fuisse et esse plenum mendaciorum, et ritus ipsos vetustate iam extinctos esse. Et tamen inanem vocabuli umbram populo ostendunt, ne iacturam faciant existimationis si fateantur errores, deinde ut praetextu aliquo vendere laxationes veterum canonum possint, quas nominant indulgentias. De oblatione in *Missa* renovant pharisaica deliramenta, mereri eam remissionem peccatorum, culpae et poenae facienti et aliis. Delent igitur vocem Evangelii de gratuita remissione, quae fit propter filium Dei, et fide accipienda est. Delent et hoc dictum: una oblatione consummavit filius Dei omnes qui sanctificantur.

Sed omitto iam longiorem recitationem, quia nondum integrum illud legum volumen editum est, quod cum proferetur, erunt et nunc et deinde apud posteros multi viri docti et recte invocantes Deum, qui synodi Tridentinae errores refutabunt, et toti orbi terrarum ostendent insidias et sophismata in decretis illis, et perversitatem authorum, qui astute multa ambigua sparserunt in decretis, ut simul et populo fucum faciant, et eludere possint veras reprehensiones.

Ut autem praemuniantur bonae mentes, legant studiose *Lutheri* monumenta, inter quae haec enarratio Moisi est velut cygnea cantio, quae ad confessiones ipsius adiungantur, quae in aliis libris recitantur, de singulis doctrinae ecclesiasticae capitibus. Harum confessionum explicatio in his longioribus concionibus expressa est. Haec testimonia ad docendas et confirmandas bonas mentes prosunt, quae tanquam honestum depositum, ut Paulus sua testimonia nominat, bona fide tueamur, nec sinamus ea vel obrui falsis ac sophisticis decretis Pontificiis, vel astute perverti, ac in peregrinas sententias praestigiis interpretationum transformari.

In hac delira mundi senecta confusiones opinionum plures erunt, quam fuerunt antea, et maior levitas ac mobilitas erit ingeniorum, multae naturae ambitiosae et seditiosae, maior etiam diaboli rabies est, qui cum sciat non procul esse illum diem, quo *) se rursus ostendet generi humano filius Dei, triumphum aget, et ornabit Ecclesiam aeterna gloria, et quo diabolorum turpitudo conspicietur et augebuntur cruciatus. Furiosius irascuntur filio Dei, et ipsius odio magis saeviunt in Ecclesiam aetate nunc imbecilliorem. Magnitudo igitur periculorum exuscitet nos, ut maiori cura et retinere puritatem et tueri consensum studeamus. Ad quae opus est pia lectione et ardenti precatione, sicut inquit filius Dei: vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Vigilantia intentionem in cogitatione doctrinae complectitur, precatio petit auxilium a Deo. Nam diligentia humana infoelix est, nisi gubernetur et adiuvetur divinitus. Ut igitur precatus est in agone suo summus sacerdos Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, ut aeternus pater servet Ecclesiam et sanctificet eam in veritate, et faciat, ut unum simus in ipso, ita haec eadem vota pro nobis assidue facit in illo arcano consilio divinitatis. Ac certissimum est, ipsius petitionem non esse irritam. Ad hanc summi sacerdotis nostri precationem adiungamus et nostros gemitus, lacrymas et petitionem, ut hoc tristissimo tempore semper colligat aeternus pater filio Ecclesiam etiam in his regionibus, et sanctificet nos veritate sua, et faciat, ut unum simus in ipso, protegat et hospitia Eccle-

*) In opp. Luth. mendose: *κρυσφηγετα*.

**) In opp. Luth. *cogatur*; mendose.

*) Luth. opp. *quod*; ex mendo.

sine, nec sinat fieri barbaricas vastationes. Haec vero gemitu, deprecante pro nobis filio Dei, aeternum patrem domini nostri Iesu Christi precor. Noribergae die Conversionis Sancti Pauli. Anno Domini M. D. LII.

---

No. 5036. 26. Ian. (Norinb.)

## I. Ionae.

Unschuldige Nachr. Jahrg. 1718. p. 891.

*Philippus Melanthon Iusto Ionae* S. D.

Reverende vir et amice mihi carissime; et propter amicitiae vetustatem ac fidem, et propter eximias tuas virtutes, et ingenii praestantiam. Semper hoc Ecclesiam servavit, ut, novis controversiis motis, convenirent aliqui ad communem deliberationem, ut fit in historia Apostolorum; et in refutatione Samosateni, et in aliis extremis. Ideo cum *dux Prussiae* flagitaret responsiones, dedi consilium duabus aulis, ut curarent convocari plures, ut una et consentiens responsio mitteretur in Prussiam, ne dissimilitudo nova certamina pareret; repudiatum est hoc consilium in utraque aula. O rem miseram! Ad ceteras Ecclesiarum calamitates tristissimas haec servitus etiam accedit, ut ne quidem colloqui nobis liceat. Nec ego Principes accuso, qui metuunt nostros congressus, sed nostri gregis ac iuniorum eruditorum petulantiam, qui, cum videant, plausibile esse movere novos tumultus, undecunque arripiunt occasiones dissentiendi. Itaque cum multi ex multis regionibus flagitarent responsionem, scripsi de ea parte, quae est κορυφαιοτάτη plane, et sine magicis clamoribus. Omisi etiam certamina de multis materiis, quas magno cum periculo movet ille *Gorgias*. Latent in disputatione semina Iudaica de personis. Hanc igitur partem lectoribus piis sumo illustrandam, non recte vel obscurari vel tolli consolationem de merito Christi, cum ait, homines iustos esse iustitia essentiali Patris, Filii et Spiritus S. Item, cum definit iustitiam esse, quod efficit, ut iusta faciamus. In his membris obscurari et corrumpi doctrinam de Christo, manifestum est. Itaque contradicere ei non dubito, etiamsi video, quae fulmina mihi exspectanda sint; et sciam, me contemni iam propter clamores quorundam. Non volui onerare meos collegas periculo. Scripsi igitur meo nomine, et multas causas narrarem coram, ac si in editione domi fuissem, leniissem aliorum subscriptionem.

Perlegi tuum scriptum, et ut monui Prussiacos, ut de merito Christi pugnarent, et de perpetua remissione in hac vita, nec tolerent praesentiam divinitatis: ita idem significandum tibi esse duxi; teque oro, ut meam admonitionem boni consulas.

Maxime cupio tecum colloqui, et, cum sperem, nos aut cito domum hinc redituros esse, aut diutius hic commoraturos, omnino decrevi ad te accedere. Iter ut antea per alia loca susciperent ductores nostri, moti sunt exundationibus.

De legatione nostra, quod scire cupis, dedi initio consilium, ut, si postularet Imperator mitti aliquos, communis legatio multorum nomine mitteretur, et ob eam causam scripta fuit confessionis repetitio. Postea, quia alii aliud disputarunt, mutata sunt haec consilia. Vidi quaternas literas Imperatorias, quibus postulat, ut aliqui mittantur, et quidem non ab uno Principe, sed a ceteris quoque. Nos igitur iussi huc profecti sumus, et filium Dei oramus, ut nobis adsit. Si non concedit retexi priores articulos falsos, recta domum redire decrevimus, nisi in carcerem abducimur. Exspectamus autem adhuc responsum de illis articulis retexendis, seu, ut vocant, readsumendis. Nostram amicitiam volo aeternam esse, et fruemur ea in consuetudine coelesti. Praestabo et in hac vita omnia amici officia. Tuum negotium in Academia, quicunque tenebunt Rempublicam perfici posse spero. Salutem tibi reverenter optant mei collegae *Erasmus Sarcerius* et *Paceus*. *Brentium* etiam exspectamus. Sed scribam hinc saepius ad te, et si hinc recta licebit domum redire, ad vos accedam. Illustrissimo Principi, et Dominis Consiliariis et Ecclesiarum Doctoribus me commendato. Bene et feliciter vale, die Ianuarii 26. Noribergae 1552.

Phil. Melanthon.

---

No. 5037. 29. Ian. (Norinb.)

## Ioach. Camerario.

Epist. ad. Camerar. p. 656 sqq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 795.)

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. Bam. fratri suo carissimo,*

S. D. Intelligo in hac urbe sensus et dolores eosdem esse honestorum et prudentum omnium, de Repub. qui nostri sunt. Et vota esse eadem piorum omnium ad filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut leniat publicas et privatas poenas, nec sinat barbaricas vastationes fieri. Quicunque igitur exitus erunt, levemus hac cogitatione moesticiam, quod nostra iudicia cum bonorum sententiis congruunt. *καὶ τὸν σεβαστόν φασιν εἰπεῖν, εἰ ἐμοῦ ζῶντος τολμῶσιν ἅπαντα ταράττειν, τί ποιήσειαν ἂν ἐμοῦ ἀποθανόντος; δεῖ οὖν κατὰ κράτος ἀμύνασθαι τοὺς στασιάζοντας.* Etsi autem multa et audio et ratiocinor, tamen tuas litteras *περὶ κορυφαιοτάτων* requiro, teque ut scribas oro.

Nos Noribergae adhuc expectamus litteras vel aulicas, vel Padornianas. Scripsi enim et ad aulam, et ad *Padornum* [1]), ut nobis significent, quid fieri velint. Quae stulticia esset progredi ad Synodum, moto bello, et inter arma disputare, qua de re et in aula antea ostendi, quid mihi videretur. Augustam eo non properavimus, quia in tanta maledicentia et vanitate hominum locus ille, ubi de religione plus est dissensionum, plus fabellarum peperisset.

Hic nihil fuit contentionum cum ullo. Et aliquantulum conticescunt sermones de *Hyperborei Oratoris* ὑψηληγορίᾳ.

In itinere cum venissemus ad Salam, aderat forte in urbe, cui nomen est seu ἅλως seu curia, *Fortiades* tuus, cui in coena dedi pagellas, in quibus est commonefactio nostra de scripto *Hyperborei* oratoris [2]). Id munus affirmabat sibi gratum esse. Postridie de vidua Cigleri cum *Strassio* et *Wallefelsio* locutus sum, qui non dubitabant polliceri Principem proximi anni pensionem integram viduae non gravatim daturum esse: de altera petitione etiam suam suffragationem promittebant. Eadem postea egi cum *Anspachensibus*, quorum expecto litteras.

De *Tripoli* ut vocant, nuper occupata a Turcis, recitata est nobis historia. *Carolus* eam tradidit militibus *Rhodiis*, inter quos multi sunt Galli. Turcis traditam esse ferunt hac pactione, Gallis ut parceretur. Hispanici homines nobiles inter Rhodios multi interfecti sunt. Interrogavi *Ebnerum* quae sit Tripolis, et disputavimus, aut Leptin, aut Cyrenen esse. Te quoque velim interrogare homines non rudes historiarum. Certum est enim, non esse Tripolin in littore Phoenicum. Postea inspecta descriptione Aphricae, quam scis hic lingua Italica scriptam haberi, vidimus eam non procul a Tuneto distare, ac inter Tunetum et Leptin sita esse videtur. *Erasmus* mittit tibi picturam poli Antarctici, qui splendidissimas stellas habere scribitur. Bene et feliciter vale. Noribergae die 29. Ianuarii Anno M.D.LII.

Philip. Melanth.

1) Badehornum.

2) Osiandri.

---

No. 5088. 1. Febr. (Norinb.)

## Eidem.

Epist. ad Camerar. p. 657 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 796.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo carissimo,*

S. D. Tuam epistolam ad generum meum *) scriptam accepi cum ipse iam Noriberga discessisset, quem quidem opto ad vos salvum et incolumem redire. Tua filia honestissima et ut mihi videtur, prudentia et gravitate singulari praedita, matri litteras mittit, quas huic nostrae epistolae inclusi. Post iter *Casparis* nihil accepi novi de Republica.

Hic *Polonus* a *Lelio* accepit litteras, qui iam in Helvetiis conventum fore scribit totius gentis, deliberaturae de gallicis petitionibus. Ac vide seculi furores, certamina *Allobrogica* [1]) de stoica necessitate tanta sunt, ut carceri inclusus sit quidam, qui a Zenone dissentit. *Lelius* narrat se *κορυφαίῳ* [2]) cuidam scripsisse, ne tam vehementer pugnet. Et mitiores sunt *Tigurini*. Tuas litteras expecto.

Quaeso ut mittas Principi *Anhaltino* fasciculum ipsi inscriptum, in quo sunt exempla Tridentinarum disputationum *περὶ λειτουργίας*. Gropperica venustius fucata. Caeterae sunt ψυχρολογίαι. Nam *Gropperum* acuit lectio nostrarum

*) Peucerum, qui comitatus erat Melanthonem.

1) Genevensis de praedestinatione.

2) Io. Calvino.

lucubrationum et κατὰ παροιμίαν λιβυκήν. Videmus in nostris vulneribus nostras pennas. Bene vale, Cal. Feb.

Philippus Melanth.

---

**No. 5039.** **1. Febr.**

## *Georgio Princ. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 246. (ed. Lond. lib. II. ep. 244.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Cum *Noribergam* venissemus die 22. Ianuarii, postridie accepi fasciculum literarum missum a D. *Padorno* *) ex urbe *Tridento*, quibus significabatur adhuc expectari responsionem de fide publica. Scripsi statim, nos venisse *Noribergam*, et petere ut significet an et quando accedendum sit ad *Tridentum;* significavi et aulae nostrae iter nostrum. Nondum autem vel ex *Tridento* vel ex aula responsum est. Ita dies iam decem *Noribergae* commoramur, incerti an et quando procedendum sit. Studia et officia multorum hic erga nos eximia sunt, et D. *Sarcerius* publice in magna frequentia concionatus est, ego aliquoties praelegi. Ac Dei beneficio in hac urbe mediocris est tranquillitas et docentium consensus. De motibus *Saxonicis* iidem sunt hic honestorum et prudentum sensus et dolores qui nostri sunt, et quidam existimant eos huic toti imperio fatalem et saevam mutationem allaturos esse. Nos Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum oremus, ut poenas publicas et privatas leniat, et servet Ecclesias ipsum invocantes. Imperatorem aiunt mediocriter valere, et hos motus *Germanicos* non contemnere. Mitto C. V. disputationes *Tridentinas* de Missa. *Gropperum* acuit lectio nostrorum scriptorum; caeterae sunt ieiunae et futiles. Bene et feliciter valeat C. V. Die 1. Februarii.

---

**No. 5040.** **1. Febr.**

## *C. Peucero.*

Epist. lib. II. p. 408. (edit. Lond. lib. II. ep. 416.).

*) Badehorno.

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissime *Caspare*, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oro, ut te salvum reducat ad tuam coniugem et ad filiam dulcissimam, et vos omnes protegat. Tuas literas de reditu tuo de nostra familia, de Academia, de belli fama, avidissime expecto. Iudicant quidam hunc motum fatalem fore huic toti Imperio. Nos igitur in his ruinis recte *) et Ecclesiam et nostras familias in Ecclesia, filio Dei commendemus. *Lelius* mihi scribit tanta esse *Genevae* certamina de *Stoica* necessitate, ut carceri inclusus sit quidam a *Zenone* dissentiens. O rem miseram! Doctrina salutaris obscuratur peregrinis disputationibus. Sed oremus Filium Dei ut nos gubernet. Bene vale. Calendis Februarii. Salutem vobis omnibus opto.

---

**No. 5041.** **2. Febr.**

## *Badehornus ad Melanth.*

E cod. Gotting. fol. 415. [*Olsh.*]

Den Ehrwürdigen und Hochgelehrten des Churfürsten zu Sachsen verordneten Herrn Doctoren und Theologen zu dem Concilio gegen Triendt, unsern großgünstigen lieben Herrn und Freunden zu eignen Händen.

Bei dem Herrn Jacob Herbroten zu Augsburg.

Unsre willige freundliche Dienste zuvor, Ehrwürdige und Hochgelehrte, großgünstige liebe Herrn und gütige Freunde.

Heut dato haben wir ein Schreiben von Euch, Herrn Philippo, an mich, Leonhard Badehorn, den 24. Januarii aus Nürnberg datirt bekommen, daraus vernommen, daß ihr, Gott hab Lob, allda ankommen und fürder nach Augsburg zu verrucken bedacht, mit Begehr, euch wissen zu lassen, ob ihr hieher und wann ihr fortziehen solltet. Drauf wollen wir euch, großgünstige liebe Herrn, nicht verhalten, daß wir von unserm gnädigsten Herrn nicht Befehl haben, daß wir euch allher erfordern oder fortziehen lassen sollten, sondern alleine haben wir von seinen Churf. Gnaden ein Schreiben, den 8. Januar aus Dresden datirt, am 18. Jan. hier angekommen, darinnen Ihre Ch. F. G.

*) *certe?*

uns Befehl gethan, wenn wir das gesuchte Geleit erlanget, dasselbige euch zu schicken, damit Ihr soviel sicherer euch auf das Concilium begeben möchtet, welches Befehls Abschrift wir euch am nächsten Sonntage zugeschickt und daneben das Geleit so gut wir es erlanget haben, sammt einem Decret der prorogirten streitigen Artikel halben, auch Copie eines Briefs des Bischofs von Arras etcet. und haben anders nicht gemeint, Ihr würdet Befehl haben, was Ihr euch, wann Ihr solch Geleit bekommen würdet, verhalten soltet, ob Ihr darauf alsbald fortziehen oder ferneren Bescheides gewarten soltet. Da ihr nun deß keinen gewissen Befehl habt, so achten wir dafür, wiewohl sie allhie zum liebsten wollen, und wir auch gutseyn achteten, daß Ihr zum förderlichsten hie wäret, daß ihr gleichwohl [nicht?] fortziehen möchtet, bis ihr derhalben von unserm gnädigsten Herrn oder den Räthen Befehl bekommt, welches wir dann achten, daß es in kurzem geschehen werde. Denn wir Ihrer Churf. Gnaden, desgleichen den Räthen alle Sachen zugeschrieben, auch Coppei vom Geleite geschickt, mit Vorzeichnus, was außengelassen, daß es dem Basilischen Geleit nicht aller Ding gemäß sey. Daneben haben wir angezeigt, daß die Wirtembergischen und der straßburgische Gesandte gebeten, ihren Herrn zuzuschreiben, was sich unser gnädigster Herr entschlossen, darauf sie alsbald ihre Theologos auch abfertigen und schicken würden. Wäre ....., daß sie unterwegen zurückkommen möchten, wie sie es dann gleichergestalt an ihre Herren geschrieben haben und seindt die beiden Wirtenbergischen darauf abgeritten, daß sie heim zu ihren Herren kommen, solche berichten und befordern wollen helfen. Es hat uns auch der eine Johann Dietrich von Pleningen zugesagt, daß er derwegen auf Augsburg zuziehen wolle, daß er Euch aller Sachen mündlich Bericht thun möge; es wäre gut, daß ihr dem Brentio geschrieben hättet. Desgleichen bittet der Herr Johann Schleidanus, daß ihr wollet dem Doctor Johann Marbach schreiben, der auch einer seyn wird, welchen sein Herr schicken werde; wir achten auch, daß es der Sache forderlich seyn würde, wenn ihr unserm gnädigsten Herrn selbst auch geschrieben hättet, oder den Räthen, dann man auch zum forderlichsten Antwort wissen ließe, was ihr euch zuverhalten. Sie erbieten sich allhier sehr gut und wohl, wie sie auch so freundlich und christlich hören und von allen Sachen mit euch gütlich reden wollen. Gott der Allmächtige gebe seinen Geist, daß es so geschehe, und nach seinem Willen und Wohlgefallen zu Ehre seines heiligen Namens alle Dinge werden ausgerichtet. Amen. Datum Triendt am Tag purificationis Mariae den 2. Febr. Anno 1552.

Wolff Koller und
Lenhardt Badehorn.

Wir bitten zum forderlichsten wiederzuschreiben, damit wir wissen wo ihr seid, und wann wir ungefährlich Euer zugewarten.

---

**No. 5042.** **3. Febr.**

## *Sleidanus ad Melanth.*

† E cod. Gotting. fol. 418. [*O.*]

*Clarissimo viro, Domino Philippo Melanchthoni, Domino ac amico plurimum colendo.*

S. Litteras X. Ianuarii ad te scripsi, vir clarissime. Ex litteris tuis Norimbergae datis ad Doctorem *Badehorn*, video te nondum illas tunc accepisse. Senatus noster mihi scribit *Marbachium* etiam vobiscum huc esse venturum. Expectamus omnes adventum vestrum. Formulam salvi conductus, ut vocant, quem nuper obtinuimus, accipietis opinor Augustae. Per legatum Wittebergensem, qui ante biduum hinc domum abiit, scripsi ea de re ad *Marbachium*, qui nunc est in itinere, uti spero, coniuncturus se vobis, ut de summa rei conveniat. In manu Dei positum est, sed utcumque sit, facienda tamen hic erit doctrinae coelestis et confessio et explicatio. Caetera gubernabit omnipotens. Fui iam hic undecim prope hebdomades; hodie Venetias exspatiamur aliqui. Vale vir integerrime. Tridenti III. Februarii 1552.

Domino Doctori Maiori multam ex me salutem.

Tui observantissimus
Iohannes Sleidanus.

---

**No. 5043.** **3. Febr.**

## *Badehornus ad Melanth.*

† (E cod. Gotting. fol. 415.) [*O.*]

*Doctissimo et celeberrimo viro Domino Philippo Melanchthoni de religione et de re litteraria optime merito praeceptori plurimum colendo.*

S. D. Heri rescripsimus vobis ad eas, quas heri accepimus a Tua praestantia litteras, ex Norimberga XXIV. Ianuarii ad me datas clarissime atque optime domine Philippe, praeceptor summa observantia omnibus nobis perpetuo colende. Et auspicatum censui, quod eo ipso die, ac forte illa ipsa hora ad me scripseris, qua ego hic in concilio quam nuper misi, orationem habui, in qua si erratum aut peccatum alicubi sit, id non voluntati nostrae, sed facultati et quod quorum consilio uteremur, non habuerimus, imputandum esse iudicabitis.

Doleo vero plurimum, quod ex litteris tuis cognovi, profectionem molestam et aliter quam censuistis institutam incumbere et quod aliis curis nunc aula sit occupatior. Sed cuius causam acturi et quem celebraturi venitis. Filius Dei, vos confirmabit et corroborabit spiritu suo, ut quod suscepistis, opus sanctissimum constanter perficiatis et quod ille voluerit fieri, omnino fiat. Nos quaecunque possumus praestare officia et obsequia paratissima, sedulo et libenter vobis praestabimus. Abierunt hodie aliqui ex nostratibus Venetias, visuri urbem eam, interea cum vester adventus expectatur. Ego mansi, ut et vestras litteras recipiam et responsum ad eas vobis rescribam, venturus vobis obviam cum aliis nonnullis, cum primum vos venturos cognoverimus. Interea et reliqui redibunt, inter quos et *Iohannes Sleidanus*, qui iam equum conscensurus scribebat eas, quas hisce inclusas litteras vides. Gratissima mihi fuit significatio tua, de incolumitate coniugis et familiae meae, cuius cura me tangi non dissimulo, et quod in coena etiam vobiscum ante discessum vestrum mea uxor fuerit, mihi declarat vos non immemores tunc mei fuisse, quod mihi est iucundissimum Christus Iesus vos nosque omnes benigne conservet ac tueatur, atque omnia pro sua voluntate dirigat ac gubernet. Volui haec addere ad priores nostras litteras, cum et nuncium cum illis hic adhuc adesse deprehendissem, et interdum litteras ad te mittere instituissem. Vale vir ornatissime et integerrime. Datae Tridenti III. Februarii 1552.

praestantiae Tuae
deditissimus
Leonhardus Badehorn.

No. 5044. 3. Febr.

## Peucerus ad Melanth.

Edita a *Strobelio* in Miscellaneis Vol. IV. p. 78.

*Clarissimo viro D. Philippo Melanthoni patri suo reverenter colendo.*

S. D. Incidi Ienae [1]) salutaturus *Stigelium* in tabellarium hunc Witebergensem, qui cum se iturum ad te [2]) diceret, has dedi ei literas, quibus inclusi eas, quas Coburgi exaratas daturus eram Doctori *Clodio*, si mane (ut conveneramus) offendissem eum. Affirmat hic cursor, trecentes milites Witebergam praesidii loco collocatos, reliquos in vicina oppida distributos esse, Principem proficisci ad Imperatorem, nostros in magno metu esse.

*Stigelius* (quod et ego suasi semper) in ea est sententia, ut Noribergae horum motuum, qui impendent, eventum expectes, nec progrediaris ulterius. Ego velim te ibi manere, aut alicubi in vicinia. De familia nostra ut curetur illa et administretur recte, et si bella ingruerint, ut vel ad te, vel ad alia loca quaecunque, ubi placuerint, transferatur, cogitabo. De nobis non sis sollicitus; et minus tibi metuam, si Noribergae te continueris, quod te obnixe oro et obtestor. Si omnino tales videbuntur orituri motus, qui scholas harum terrarum sint dissipaturi, quaeso de aliis sedibus nobis prospicias.

Ego propero domum quantum possum, ut curis et periculorum metu nostros aliqua ex parte sublevem. Audio enim me desiderari a Iohanne [3]). Vale. Deus te clementer regat et tueatur. Absentiam tui molestissime fero, et quo abs te seiungor longius, eo plus angor et excrucior. Ienae, 3. Febr. Saluta reverenter omnes, D. Abbatem [4]) et reliquos. Caspar.

No. 5045. 4. Febr. (Norinb.)

## P. Ebero.

Epist. lib. II. p. 166. (ed. Lond. lib. II. ep. 154.).

1) Videl. in reditu. Nam Peucerus comitatus fuerat Melanthonem Norimbergam.
2) i. e. Norinbergam.
3) Iohanne, ministro Melanthonis.
4) Hospitem Melanthonis.

*D. Paulo Ebero*

S. D. Charissime frater, Cum aspicis dulcissimam familiam tuam, cogitabis et ipsam et hospitia vestra Filio Dei curae esse, ac studiorum causa certe opto nostram *Argô* servari, quae in aliis locis, qualia sint, scripta multorum in rebus obscurioribus ostendunt. Heri tuarum literarum fasciculum accepi, in quibus describis lectionum distributionem, quas ut Filius Dei gubernet, opto. Et consilium tuum et omnium piam voluntatem probo. Spero autem nos brevi redituros esse. Scribit enim *Sleidanus* ex *Tridento Wirtenbergenses* legatos brevi ex Synodo discessuros esse, quia nemo eis respondet ad ea quae vel obtulerunt, vel petiverunt. Sed legito amicis quoque *Sleidani* epistolam. Hic adolescens *Styrius* commendatus est mihi a viro praecipuae nobilitatis, et a gubernante nunc *Styriam*, in Academiam nostram missus est: Reges igitur eum consilio tuo, et praescribes discendi ordinem. Viatico mediocri instructus est. Commendes eum *Viennensibus* qui *Marcello* familiares fuerunt. Bene vale. 4. Februarii *Noribergae.*

---

No. 5046. 5. Febr. (Norinb.)

## *G. Cummerstadio.*

Epist. lib. II. p. 357. (edit. Lond. lib. II. ep. 364.).

*D. Georgio Cumerstadio*

S. D. Magnifice vir et patrone colende, Cum ad publicas curas rerum maximarum accessisse vobis etiam domesticum luctum ingentem intellexissem, valde consternatus sum, et cum vestra causa doleo, tum vero propter Rempubl. quae in his summis periculis maxime indiget consilio, voce, et autoritate vestra, maiore solicitudine et moerore excrucior. Est omnino ingens infirmitas generis humani, et multae ac horrendae confusiones sunt huius vitae, quod cum saepe vos cogitare sciam, non dubito simul etiam vos pro excellenti sapientia vestra veras consolationes mente intueri, quae non humana diligentia investigatae sunt, sed a Deo conditore illustribus testimoniis patefactae, et Ecclesiae traditae sunt. Adfirmat Deus, se etiam inter ruinas imperiorum, et Ecclesias, et earum hospitia protecturum esse, sicut navim *Nohae* in diluvio servavit. Est et vox divina: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Sic igitur hinc discessit honestissima matrona coniunx tua, in qua cum omnibus pulcherrimis virtutibus fulsit vera Dei agnitio et invocatio, ut iam haud dubie fruatur conspectu Dei, et dulcissima consuetudine coelestis Ecclesiae. Ibi vos, et filios, ac filias Deo commendat. Intuens etiam suos, luctum vos moderari optat, et placide tempus expectare, in quo rursus vos omnes in illa aeterna societate, laeta cernet et complectetur. Has veras consolationes cum cogitare vos non dubitem, scripsi brevius, ac Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum toto pectore oro, ut vulneribus nostris publicis et privatis medeatur ipse. Quanquam ingentes sunt aerumnae generis humani: tamen vult nos Deus non frangi dolore, sed acquiescere in ipso propter Filium Dominum nostrum Iesum Christum, qui inquit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, ego reficiam vos.* Haec scripsi societate luctus et doloris vestri motus, quae ut boni consulatis oro. Bene et feliciter valete. *Noribergae* die 5. Febr. 1552.

---

No. 5047. 6. Febr. (Norinb.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 658. (ed. Lond. lib. IV. ep. 797.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camer. fratri suo carissimo,*

S. D. In tantis periculis et nostris et universae Ecclesiae, quorum te quoque exerceri assidua cogitatione scio, hanc habeo praecipuam consolationem, quae recitatur in tuo versu: *Nostra tuamque fides solius orat opem.* Quid enim nunc praesertim commotis rebus tantis, consiliis humanis effici potest? Eodem die hic *Lasarus* et *Cramius* fuerunt. Narrabo coram utriusque sermones. Interea tuas litteras requiro.

*Wirtenbergenses* legati, postquam nemo eis respondet quidquam petentibus ut audiantur, Tridento discedunt. Nos hic expectare iussi sumus τοῦ ἡγεμόνος reditum, qui utinam sit faustus et felix. Mirandulae circumsessae picturam tibi mitto. *Casparem* sperabam hoc ipso die, quo hanc epi-

stolam scribebam, ad te venire. Bene et feliciter vale. die VI. Februarii.

Philippus.

No. 5048. 7. Febr. (Norinb.)

## *H. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 185 sq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 169.

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Norib.*

S. D. Hodie post concionem fasciculus allatus est literarum, quae Tridento missae sunt, in quo etsi oratio erat *Padorni* [1]), de fide publica et de retexendis articulis seu readsumendis, ut nominant, ad Synodum, tamen tantum de fide publica responsum est. Longum est scriptum, in quo promittitur fides publica, et exspectari nos a Consiliariis Saxonicis intelligo. Simul missae sunt plures pagina *περὶ λειτουργίας*. Scribit autem *Franciscus Cramius*, qui hunc fasciculum accepit Augustae, et iubet nos mandata Ducis Saxonici expectare. „Scis in tota vita usitatum esse, *πλείω εἶναι πάρεργα τῶν ἔργων*. Ita de parergis † respondent" nostri, qui sunt *ἐν τῇ τριαίνῃ*. De retexendis articulis, quod est *κορυφαιότατον*, silentium est. Iam scribo ad *Cramium*. Vesperi ad coenam. Si libet videre quid scribant, optarim te ad nos venire. Bene vale. die 7. Febr. [2])

† Philipp. Melanthon."

No. 5049. 9. Febr. (Norinb.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camer. p. 659. (ed. Lond. lib. IV. ep. 798.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Quae fuerint initio tua et aliorum bene sentientium consilia, de legatione ad Synodum, si qua mittenda esset, meministi. Postea *ἀτόπως ὥσπερ μῦς ἐν πίσσῃ*. Sed oro filium Dei, et ut Ecclesiam suam servet, et ut nos omnes gubernet. Historia est *ὁ σὸς ὄνειρος, ἔχομεν γὰρ ὀλίγα ἐφόδια*. Sed aliae curae magis me cruciant. Expectamus litteras a Principe de nostro itinere.

Nunc assunt fratres *Stibari*, multa igitur heri de te, et de publicis negociis collocuti sumus, cuius sermonis quod argumentum fuerit, facile ratiocinari potes. Nisi fatalis mutatio rerum impendet, non arbitrantur Thrasybuli Attici similes fore illos, qui iam videri volunt libertatis assertores. *Erasmus Ebnerus* pro tua *κατηχήσει* mittit tibi historiam Indicam. *Franciscus Cramius* nos hic expectare mandata principis de itinere iussit. Quaeso ut nobis scribas.

*Micalus* adstabat cum haec scriberem, qui tibi et Ecclesiae tuae domesticae salutem optat: multa mihi cum eo philosophica certamina sunt. Bene vale. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus servet te et Ecclesiam tuam domesticam et publicam. IX. Febr.

Philip. Mel.

No. 5050. 9. Febr.

## *C. Peucero.*

Epist. lib. II. p. 408. (ed. Lond. II. ep. 424.). Hic ex autographo in Biblioth. Norinberg., a Clariss. *Rannero* mihi descripta

*Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti, D. Casp. Peucero, genero suo carissimo Philippus.*

S. D. Charissime fili, Tuae filiae desiderio mirifice adficior. Quoties placidissimum eius vultum et ocellos mente intueor, doleo me isthinc abesse. Deinde et aliae causae animo obversantur [1]), propter quas vobiscum esse malim. Sed oro Filium Dei, ut vos et nos custodiat et regat. De tuo reditu, de Academia et de familia scribito ad nos quamprimum. Nos nondum *Noriberga* discedimus; adfuit enim *Cramins*, qui nos Principis literas expectare iussit. Brevi autem sciemus, an progrediendum sit. Salutem opto vobis omnibus, ac praecipue dulcissimis fillabus nostris, et matri et *Iohanni*. Scribam et nostris convictoribus *Iacobo* et aliis antequam hinc discedam. † Vidisti,

1) Spanh. mendose: *Badornii.*

2) Alia manus adscripsit: an. 1552. (in libro VI. exhibitum).

1) Ed. Lond. *observantur.*

quam parum mihi temporis concedant interpellationes amicorum." [2]) Die 9. Februarii.

---

No. 5051. 9. Febr.

## *P. Ebero.*

Epist. lib. II. p. 167. (ed. Lond. lib. II. ep. 155.).

*D. Paulo Ebero*

S. D. Charissime frater, Etsi in magna parte vitae humanae plura faciunt homines *πάρεργα,* quam *ἔργα* tamen in aulis id fit crebrius. De fide publica impetrarunt nostri prolixas promissiones. De retexendis articulis, quae pars erat potior, silentium est. Id certamen nobis primum erit si progrediemur, de quo prius nos audivisse Synodi responsionem utilius erat. Nondum autem discedimus *Noriberga*, sed a Principe literas expectamus. De Repub. nihil habeo quod narrare possim. Die beneficio in his regionibus tranquillitas est. Utinam non *Μυσῶν λεῖαν,* ut veteres dicebant, istic videamus. Te autem valde oro ut *ἀξιόλογα πάντα* de Academia et de familiis nostris nobis significes. Bene et feliciter vale. Die 9. Februarii.

---

No. 5052. 10. Febr. (Norinb.)

## *Cph. Tettelbachio.*

Epist. lib. II. p. 383. (ed. Lond. lib. II. ep. 397.). Etiam in Mel. Consil. lat. P. II. p. 168.

*Magnifico Domino Cancellario inclyti Principis Marchionis Georgii Friderici etc. Christophoro Tettelbach, Doctori Iuris, eruditione et virtute praestanti, patrono suo colendo,*

S. D. Magnifice Domine Cancellarie. Etsi adhuc a Duce *Saxoniae* Electore literas expectamus: tamen consiliarii qui sunt *Tridenti*, significant nobis, se ita sentire, nobis progrediendum esse, et velle Imperatorem ut nos, et aliarum nostrarum Ecclesiarum legati veniant ad Synodum, et ab ipsa synodo et ab Imperatore dari securitatem satis perspicue. Et forma decreti de securitate nobis missa est. Cum igitur existimemus nos post paucos dies ingressuros esse iter, duxi id vobis significandum esse, ut si voluerint gubernatores vestrae ditionis mittere legationem, nobis adiungatur, et sint hic intra dies VI. Commodius enim esset eos nobiscum iter facere. Et possent in domo *Aegidiana* nobiscum esse, etiamsi non mox iter susciperetur. Scribitur nobis ex *Tridento*, Imperatorem postulasse a *Wirtebergensibus*, et ab *Argentinensibus*, ut accersant suarum Ecclesiarum Doctores, qui responderunt se id facturos esse, cum nos venire intelligerent. Inde voluntas Imperatoris aestimari potest. Fortassis igitur prodest non praebere speciem contumaciae. Bene et feliciter valete. Die 10. Febr.

Quaeso ut mihi significetis an vestri legati ad nos venturi sint.

---

No. 5053. 13. Febr. (Norinb.)

## *Eidem.*

Epist. lib. II. p. 384. (ed. Lond. lib. II. ep. 398.). Etiam in Melanth. Consil. lat. P. II. p. 168.

*D. Christophoro Tettelbachio*

S. D. Magnifice Domine Cancellarie, Fuisset omnino utilius, et speciosius, si una communis legatio, nomine plurium Principum et civitatum amplectentium Evangelii puritatem, fuisset missa, et fuisset una vox pia plurium Ecclesiarum. Hoc in deliberationibus ante annum disputatum est, et monuerunt aliqui, ut communicato consilio cum aliis Principibus et civitatibus haec tanta res institueretur. Sed aliter acta res est. Prodest tamen adhuc aliquos qui proficiscuntur se coniungere. *Tridenti* expectant nos *Wirtebergenses*, et *Argentoratenses*. Fortassis et *Pomeranici* venient. Optamus igitur vestros nobis adesse, quorum adventum hic expectabimus. Heri audivi in aula Imp. deliberati, an propter bellum Synodo sit dandum intervallum. Id si fieret, nunc quidem Ecclesiae nostrae habiturae viderentur inducias aliquas, sed oremus Deum ut ipse nos gubernet. Audimus in *Anglia* protectorem avunculum Regis affectum esse capitali supplicio, coniugem etiam condemnatam esse, quae nunc gravida est. Haec

---

2) Haec Peucer. non edidit.

fiunt artificiis Episcoporum. Bene et feliciter valete. Die 13. Februarii.

---

No. 5054. 13. Febr.

## (*Testimon. de Meilero et Christoph. Camerario.*)

† E cod. Gotting. fol. 280. ab *Olshausenio* descriptum. Contuli apographon in cod. Monac. II. p. 195. quod totum convenit cum hoc testimonio, praeter quam quod non Meilero, sed Christophoro Camerario datum est. Quare utrumque testimonium eodem die datum, hic coniunxi.

(*Omnibus lecturis has literas* S. D.)

Lumen vitae hominum est doctrina a Deo tradita, qui quidem et severissime praecipit, ut eam discamus et propagemus. Ad id necessaria est litterarum linguae latinae, graecae et ebraicae [1]) et multarum artium cognitio. Quare cum sciamus voluntatem Dei et utilitatem doctrinae, amanda et colenda sunt literarum studia et adiungenda invocati Dei [2]), ac ardentibus votis petendum est, ut mentes nostras regat et suam lucem in nobis accendat, sicut propheta orat: *fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam et iustificationes tuas doce me.* Utiliter autem institutum est, ut initio cum adolescentes ad academias accessuri sunt, publice eorum eruditio exploretur, et ut commonefiant de dignitate artium et de gubernatione morum. Quod vero additum est spectaculum, quod significat exuendam esse priorem ruditatem [3]), hic mos nequaquam novus est. Recitat enim prorsus similem ritum Nazianzenus in vita Basilii. Huius eruditae antiquitatis exempla non contemnamus. Ego igitur testor, me in consessu honestorum et doctorum virorum, huius adolescentis *Iohannis Meileri*, (*Christophori Camerarii*, qui natus est in oppido Bavariae Neumark) eruditionem explorasse, et eum post usitatum ritum promisisset, diligentiam in studiis doctrinae Christi et aliarum honestarum artium et modestiam in moribus adiunxisse eum scholasticis, qui in academiis recte discunt, et pie et modeste vivunt. Ac filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου πατρός oro, ut hunc *Iohannem* (*Christophorum*) gubernet et eum in Ecclesia faciat σκεῦος ἐλέους et organum salutare suae animae et aliis. Datae Noribergae. Anno 1552.

Die Februarii 13. quo ante annos 1722 victus est Nicanor a Maccabeo et defensum est templum Hierosolymae et dextra impii ducis ante templum suspensa est. Ut autem tunc defendit Ecclesiam Deus, ita speremus nunc quoque defensurum esse, et ut defendat et regat nos eum precemur.

Philippus Melanthon.

1) Cod. Mon. *ebraeae.*
2) *invocat. Dei*] excidit e textu cod. Mon.
3) Loquitur de ritu *depositionis.*

---

No. 5055. 14. Febr. (Norimb.)

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 78. (ed. Lond. lib. II. ep. 62.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Oro Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, ut te et tuam Ecclesiam domesticam et publicam servet, et ut tuo *Eutichio* concedat vitam καὶ εὐτυχίαν. Saepe intuens, seu meos, seu aliorum natos, hac me sententia in tantis periculis consolor: Generi rectorum benedicetur. Quae sententia Graeci Poëtae numeris dulcissime reddita est, ac volo tibi versum familiarissime notum esse:

*Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὔ.*

Quod significasti eventum liberationis [1]) de adultero, utinam ipse mores emendet, et sit maritus pius. De aliis rebus optarim te planius scripsisse. Et fortassis priusquam haec Epistola ad te perveniet, moveri bella *Saxonica* audies. Nos adhuc *Noribergae* commoramur. Nam si *Saxonica* bella moverentur, intempestivum esset in Synodo disputare. Audimus, etiam propter bella deliberationes haberi, an Synodo intervallum tribuendum sit. Tuas literas valde requiro, quas etiam si progrediemur ad *Alpes*, mittere te *Noribergam* ad *Paulum* tuum velim, qui eas tradet *Hieronymo Baumgartnero*. In *Anglia* scis capitali supplicio affectum esse Principem Avunculum Regis, cui propter summam autoritatem titulus tribuebatur *Protectoris*. Quaecunque sunt causae, hoc quo-

1) Peuc. lib. II. *liberationis*, quod emendavit edit. Londin. in *deliberationis.*

que spectaculo commonefacti cogitemus de Diabolorum furoribus, qui horribiliter turbant genus humanum, et oremus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nobis adsit, nos gubernet et protegat. Bene vale. 14. Februarii *Noribergae.*

---

No 5056. 18 Febr.

## *Peucerus ad Melanth.*

Edita in *Strobelii* Miscellan. T. IV. p. 75.

*Philippo Melanthoni.*

S. D. Reverende et carissime pater. Etsi certo scimus et Ecclesias harum terrarum, et familiam nostram curae fore domino nostro Iesu Christo, tamen, ut sunt humani animi imbecilles et languidi, expavescimus et trepidamus ad ingruentium periculorum et ingravescentium in dies singulos publicarum calamitatum conspectum. Profecto misera est harum terrarum facies. Vagantur in agris milites gregatim et hostiliter grassantur; in urbibus cives a suis, quos suo sumptu fovent et sustentant, hospitibus tuti non sunt; in vicinis oppidulis aliquot petulanter interfecti a militibus certo confirmantur, quod postulantibus, quae non habuerunt, praebere ad turpem luxum recusarunt. Non fere extra moenia tuto quisquam egreditur. Et instare fatales mutationes, inusitata, quae quotidie accidunt, prodigia arguunt. Proxima die lunae, qui fuit 15. Februarii aliquot loca circa oppidum Belczk [*Belzig*] fulmine tacta feruntur. Mane ante solis exortum tonitrua nos Witebergae exaudivimus; conspeximus et fulgetra frequentia et terribilia eodem momento. Paulo ante 13. Februarii similis tempestas terruit incolas oppidi Oschatz, ubi, cum tonitrua desaeviissent, et fulgetra conquievissent, imbres effusi sunt impetuosissimi igneis permixti sparsim radiis, iisque confertis ac frequentibus. Haec quid designent nescio, frustra non fieri mihi persuasum est.

Nos operas scholasticas qua possumus sedulitate, dum conceditur, urgemus. Ego praeter Arithmeticen et sphaeram de consilio Academiae enarro commentarium de anima in maxima auditorum frequentia, cum nulla alioquin sit physica lectio.

Palaestinae *Tilemannus**) expressit exemplaria sexcenta, et pauca divendidit; emitur a paucis, etsi parvo aestimat, quod plerique etiam necessariis ad quotidianum victum subsidiis destituuntur. Suasimus, ut exemplum unum coloribus distinctum et expolitum Senatui donet Norico, quod si faciendum suaseris, iubebimus, ut ad te mittat; si dissuaseris, dehortabimur eum a proposito.

Familia nostra recte valet. Precor Deum et D. N. I. C., ut adsit tibi, et cum certum sit, non quaeri ab adversariis emendationem Ecclesiarum et restitutionem verae et salutaris doctrinae, te ab illorum colloquiis procul abducat, et his reddat scholis et Ecclesiis, in quibus vox tua plus navare potest atque efficere, quam in illo pollutissimorum hominum coetu prophanissimo, aut si meretur harum terrarum ingratitudo, ne te semel amotum rursus aspiciant, aut tantis fruantur beneficiis, quanta per te praestitit, eo saltem transferat, ubi tamen utiliter Ecclesiis diu servire possis. Vale, 18. Februarii. Salutat te domus tota. Filiae literas mittunt. Assidebat filiola exaranti mihi has literas ad lucernam, et hilariuscula erat. Meditatur esse affabilis, quare lenit nobis aliqua ex parte desiderium tui, quo profecto afficimur maximo.

Caspar Peucerus.

---

No. 5057. 19. Febr. (Norinb.)

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 581 sq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Etsi accepimus literas salvi conductus, ut nominant, tamen hactenus mansimus Noribergae propter belli rumores. Intempestivum enim esset moto bello nos in Synodo velle disputare. Scio, vos non ignorare Saxonicos adparatus, et magno in dolore esse propter Rempublicam. Sed adhortor et oro vos, ut erigatis animum iis consolationibus, quas Deus Ecclesiae suae tradidit. Etiam

*) Tilem. Stella.

inter ruinas Regnorum servat Filius Dei invocantes ipsum, et inter alas suas abscondet eos, sicut Danielem inter leones servavit. Hac spe leniamus dolores, praesertim cum conscientias habeamus non sauciatas seditiosis consiliis. Docentium in Ecclesiis per has regiones inde usque a Lipsia ad Noribergam et consensus et amicitia est. Et esset in Saxonia: si pauci quidam non canerent classica seditionum.

Vidi literas Imp. graviter scriptas, quarum vobis exemplum mittam. Nunc enim subito describi non poterant. Quod mihi viaticum offertis pro vestra summa erga me benevolentia, vobis gratias ago, sed non abutar liberalitate vestra. Nec a Senatu huius urbis accipere volui, qui me petere iussit, a quo tamen, si erit opus, petam. Duos equos mihi donavit Senatus, quia curru nolo uti.

De filiis vestris, quaeso, mihi scribatis. Ac Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, oro, ut vos et honestissimam coniugem vestram, et filios et filiam servet incolumes. Impendet fatalis mutatio generi humano, quam ut leniat Deus, oremus. Bene et feliciter valete. Die 19. Feb. Norib.

Philippus.

---

**No. 5058.** 19. Febr.

## *Ad. Cureo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Magistro Adamo Cureo, Reichstadiensi, in oppido Northusen.*

**S. D.** Carissime Adame. Dei beneficio in his regionibus per quas iter feci inde usque a Lipsia ad Norimbergam non solum consensus est docentium in Ecclesiis, sed etiam amicitia *). Haec tranquillitas *καὶ εὐφημία* Ecclesiarum mihi lenit dolores, quos circumfero ingentes. Et esset similis tranquillitas ad Albim, si pauci quidam non canerent seditionum classica. Sed oremus filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse vulneribus Ecclesiae suae medeatur, sicut expressit sese in typo Samaritani. De te et tuis discipulis quaeso ad me scribito. Literas herus ad me potest mittere. Bene et feliciter vale. Salutem opto *Casparo* et *Sidemanno.* Die 19. Febr.

*Φ.*

*) Camerarius in Vita Melanth. 5. 92.: „Venerunt igitur illi (Mel. et comites eius) Norimbergam, ubi pro singulari erga Philippum Mel. amore et studio purioris doctrinae accepti habitique fuerunt humanissime et benignissime. Publice eis aedes assignatae, procuratae res necessariae, et omnia summae benevolentiae praestita officia.".

---

**No. 5059.** 23. Febr. (Norinb.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 660 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 799.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

**S. D.** Et ipse saepe repeto dictum, et te scio saepe repetere, quod de Deo Paulus recitat: *ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν.* Ago gratias huic vero Deo patri Domini nostri Iesu Christi, vitae datori, qui te et Ecclesiam tuam domesticam servat, quique nunc tibi vires corporis restituit, et ut vos servet, eum oro. Scripsit gener meus epistolam de morbo tuo, quae mihi et solicitudines et dolores auxerat, sed tua melius me sperare iubet.

De nostro itinere adhuc expecto aulicas litteras, ac miror, cur nec *Cramius*, nec alii respondeant nobis. Quod istic narratur *τὸν ἡγεμόνα* 1) ad Alpes accessisse, hoc heri nunciatum est, eo profectum esse, quo tu scribis *τὸν ἐριχογώνιον* abiisse, *καὶ συλλεχθῆναι ἐκεῖ τῶν συμμάχων τινὰς, καὶ θέλειν πρῶτον παραστήσασθαι τὴν πόλιν ἔχουσαν ὄνομα ἀπὸ τῶν φράγκων πόρου* 2). *ἔπειτα δὲ τὴν ὅμορον χώραν ἐν ὄχθαις τοῦ ῥήνου,* ut prohibere transitu et transvectione quos volent possint. Fortassis exemplo prioris belli moveutur. Expectamus hodie iisdem de rebus litteras, in quibus si confirmabitur opinio de bello, decrevi Deo iuvante ad vos recta redire. Nam et te videre cupio, et a familia mea, ac ab amicis tali tempore abesse non possum, etiamsi multa ibi video, quae me non leviter excruciant, et secuturas esse maiores confusiones in Imperiis et Ecclesiis metuo. Sed te oro fili Dei Iesu Christe crucifixe pro nobis

1) Mauritium.
2) Francoford.

et resuscitate, ut poenas lenias, et furores diabolorum reprimas, et inter nos Ecclesiae tuae reliquias serves. Haec mihi scribenti lacrymae erumpebant, quare non multa addere potui. Intuebar etiam tuum pectus, et cogitabam ubique in magnis doloribus esse homines non feros. Quo die ὁ σεβαστός[3]) accepit capita a nostris scripta de pace, pharmacum sumturus fuerat, sed cum ista lectione nimium commotus esset, non sumsit, ac dixisse aiunt, ὅτι εὔχεται μᾶλλον ἀποθανεῖν ἢ θεατὴς εἶναι τοιαύτης ἀπειθείας καὶ συγχύσεως τῶν καθεστώτων.

Post mortem *Mencelii* quaeso ut amicis *Paceum*[4]) commendes, quam in lingua Ebraea scholae plus profuturum esse spero, quam alios, qui nunc quidem eum locum petunt. Bene et feliciter vale. Reverendo D. *Pastori* et aliis amicis salutem opto. VII. Cal. Martii.

Philippus.

---

No. 5060. 23. Febr.

## *P. Ebero.*

Epist. lib. II. p. 167. (ed. Lond. lib. II. ep. 156.).

### *D. Paulo Ebero*

S. D. Scimus utrumque praedictum esse voce divina, et in hac re delira mundi senecta maiores fore confusiones Imperiorum, quam fuerunt antea, et tamen Filium Dei collecturum esse et servaturum Ecclesiam, inter ipsas regnorum ruinas. Quare et praeparemus animos ad has aerumnas, quae sunt in conspectu, et erigamus nos invocatione Filii Dei. Instat ἐπίτασις *Saxonicorum* motuum, quibus utinam Deus det salutarem καταστροφήν. Rumoribus belli magis quam aliis causis retentus sum, quo minus ad *Alpes* hactenus accesserim. Ac ratiocinor nos brevi domum rediturus esse Deo iuvante. Quod tabularum *Palaestinae* exempla misistis, et mihi et amicis gratum fecistis. Quid desiderem in eis coram dicam. De Academia et de familiis nostris, imo et de Ecclesia et de posteritate, ac de studiis doctrinarum, etsi dolore et cura excrucior: tamen hac me consolatione sustento, quod Filius Dei inquit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Ipse scit, nos quaesivisse veritatem, et tu iam vides in multorum scriptorum collatione, quae sit simplicior doctrina. Bene vale. Plura scribam per *Andream.* Die 23. Febr.

3) Carolus Imperator. Vid. epp. d. 19. et d. 25. Mart. h. a.

4) Paceus, superbum et impeditum ingenium, apostata sit, et misere moritur.

---

No. 5061. 24. Febr. (Norinb.)

## *Fuggeris.*

Praemissa libro: Io. Regiomontani tabulae directionum. (Vid. annot. *Lunzii*, qui eam descripsit.)

*Magnificis viris, nobilitate generis et virtute praestantibus, Georgio et Huldricho Fuggeris, fratribus germanis, Dominis in Kirchberg et Weissenhorn, Philippus Melanthon* S. P. D.

Sapienter et vere dictum est: Exemplumque Dei quisque est in imagine parva. Etsi enim multa illustria vestigia Deus conditor mundi passim huic machinae impressit, quae ostendunt, eam non casu confluxisse, nec ex Democriti atomis temere concurrentibus natam esse, sed vere esse mentem architectatricem, sapientem et beneficam: tamen in homine lucent testimonia de Deo et de providentia multo illustriora: impossibile est enim, naturam intelligentem a non intelligente ortam esse. Est ergo numen intelligens, a quo orti sumus. Deinde quale sit, ostendunt notitiae lucentes in humanis mentibus aeternae et immotae, numeri, intellectus ordinis, distinctio rerum, boni et mali figurarum, caussarum, effectuum, ratiocinatio, notitiae discernentes honesta et turpia, dolor, vindex scelerum in cordibus hominum. Hanc totam sapientiam, tanquam radios suae lucis sparsit Deus in hominum mentes, et sparsit ideo, ut agnoscamus et esse Deum, et esse eum mentem sapientem, veracem, beneficam, iustam, castam, discernentem honesta et turpia, intuentem et servantem genus humanum et vindicem scelerum.

Haec cum sint verissima, dolendum est, multos ne adspicere quidem haec testimonia, aut cum cernunt, tamen ea furenter contemnere, nec venerari conditorem, qui vult ad suam normam congruere nostra iudicia et actiones, et in toto genere humano atrocia delicta poenis atrocibus etiam in

hac vita punit. Praecipue vero execrandi sunt Epicurei et similes, qui horribili furore prorsus delere vestigia Dei in natura conantur. Vituperandi et alii, qui eas artes negligunt, in quibus illustrantur testimonia de Deo, videlicet, doctrinas de numeris, de figuris, de corporum coelestium motibus, de viribus rerum nascentium, de legum fontibus. Vere enim a Platone dictum est: Gratam de Deo famam in artibus sparsam esse.

Ac ad harum artium studia et conservationem excitare homines debebat primum voluntas Dei, qui haec vestigia sua vult adspici, deinde magnitudo utilitatum. Quales enim tenebrae sunt, ubi haec sapientia negligitur. Sed quamquam magni sunt multorum hominum furores, tamen Deus immensa bonitate aliquorum saniorum animos ad doctrinas honestas flectit, ne suae lucis scintillae inter homines extinguantur; ut, cum sapientia de motibus coelestibus fere in tota Europa ignota esset, sapientissimi regis *Alfonsi* animus haud dubie divinitus accensus est, ut ex peregrinis linguis transferri eam in sermonem usitatum, et enarrationibus ac tabulis instrui discentes curaverit. Etsi autem illa exordia renascentis doctrinae minus limpida fuerunt, quam Graeci fontes, quia ex coenosis rivulis ducta sunt: tamen aditum multis ingeniosis et discendi cupidis ad perfectionem huius doctrinae patefecerunt, quorum aliqui, ut *Purbachius*, *Blanchinus*, *Cusanus*, *Regiomontanus*, *Copernicus*, postea ingeniorum acie et sua solertia, adiuti etiam cognitione Graecae linguae, totum hunc orbem artium illustrarunt.

Itaque non simus adeo seu ferrei, seu Cyclopici, ut nec artem in opificio Dei, nec radios divinae sapientiae in humanis mentibus adspicere velimus, nec cogitemus, disciplinas esse dona Dei, tradita nobis, et ut ipsum agnoscamus, et ut ordinem vitae regant ac tueantur: sed consideremus haec tanta bona, et Deum fontem sapientiae celebremus, et ei gratias agamus, quod et sese patefecit, et in humanas mentes lucem suam sparsit, et vitam tantis bonis ornat.

Has admonitiones eruditi saepe repetere debent, ut multorum iudicia in hoc genere formentur, et aliqui ad discendum impellantur.

Hortandi sunt etiam gubernatores reipublicae, ut suo exemplo declarent, se hanc sapientiam probare et liberalitate sua conservationem et propagationem harum artium, quibus carere hominum vita non potest, adiuvent. Manifesta est enim utilitas Arithmetices et rationis metiendi. Deinde cum partes duae sint doctrinae de coelitibus orbibus et stellis, altera de motuum legibus, altera de effectionibus, evidens utilitas est scientiae motuum, quia et propter Ecclesiae antiquitatem, et propter Historias, et propter quotidianos contractus necesse est nosse annorum seriem. Vult Deus, sciri in Ecclesia mundi primordia et ordinem patefactionum suarum; vult sciri, quando, in quibus locis, et quibus testibus tradita sit vox divina, ubi et quando filius, Dominus noster Iesus Christus concionatus sit et ex morte revixerit. Et annorum observationem praecipit, cum ait: Erunt in signa menses, dies et anni. Nec enim sine metis et distinctione annorum intervalla sciri possent. Et mirum est, in sola Ecclesia perpetuam annorum seriem inde usque ab initio mundi conservatam esse. Ceterae gentes, ignarae vetustatis, finxerunt fabulosas origines; ut Arcades dixerunt, se ante Lunam natos esse: Athenienses gloriabantur, se αὐτοχθονας esse, et falso putabant, se antiquiores esse gente Ionica, quae a filio Iapheth orta est, cui nomen fuit Ion, qui Graecae gentis stirps est. Sed omitto hanc commemorationem. Norunt omnes sani, prorsus necessariam esse doctrinam, quae anni metas et ordinem ostendit. Quam ob caussam et sapiens antiquitas hanc curam publice doctissimis hominibus, qui custodes erant religionis, commendavit, ut solis circuitus et intervalla, aequinoctia et solstitia observarentur, et mensium spatia ad solis iter accommodarentur. Hanc officii sui partem ille summus ordo adeo iam negligit, ut nec in collegiis suis possessionem huius sapientiae retineat, nec aliis discentibus opem ferat, cum tamen sine principum munificentia machinae et tabulae fieri non possint.

Alteram partem, quae divinatrix seu μαντικη nominatur, multi acerbe vituperant, de qua alibi copiosius dixi. Quamquam autem nequaquam omnium eventuum humanorum caussae sunt stellarum positus, et sapienter caussae discernendae sunt et vitandae praestigiae falsarum divinationum: tamen certum est, multas in elementis mutationes ab astris oriri, et in crasi humanorum corporum et ingeniorum inclinationibus lumen coeleste magnam vim habere. Prodest autem ad valetudinem tuendam nosse corporum crasin et moribus prodest cernere inclinationes, et eas arte regere aut frenare, sicut Pegasum Bellerophon

ita demum recte gubernavit, cum Pallas aureum ei frenum iniecit.

Sed hoc loco non disputabo prolixius de utilitatibus, ac potius gratias agam hoc publico scripto omnibus prudentibus, qui conservationem optimarum artium adiuvant, ac praesertim huius philosophiae, quae paucissimos habet patronos. Quo magis laudandum est consilium vestrum, viri praestantes nobilitate generis et virtute, quod exemplo summorum virorum et ipsi hanc doctrinam investigatis, et conservationem eius munificentia vestra adiuvatis.

Addite hoc decus inclitae familiae vestrae, ut posteritas adspiciens stellas grata commemoratione vos quoque adiungat iis, qui hanc sapientiam illustrarunt, Atlanti, Orioni, regi Antigono, regi Alfonso. Nulla profecto sunt pulchriora monumenta, quam haec in coelo fulgentia lumina: nisi quis putat, ullas pyramides, aut ulla trophaea maiore cum admiratione et voluptate unquam spectata esse, quam adspicimus integris hybernis noctibus alterum coeli latus pervagantem Oriona. Erit autem sapientiae vestrae fovere excellens ingenium *Cypriani*, qui editione tabularum*) illustre specimen praebet eruditionis et industriae, et iuvare huius doctrinae studia plurimum poterit. Bene et feliciter valete. Noribergae in natali Imp. Caroli V. Augusti. Anno 1552.

---

**No. 5062.** 24. Febr.

## *Testim. Semero datum.*

† E cod. Gotting. fol. 303. [*Olsb.*]

*Testimonium Leonarti Semeri.*

S. D. omnibus lecturis has literas. Utrumque praedixit vox divina et fore in hac delira mundi senecta maiores confusiones, quam fuerunt antea, et tamen filium Dei etiam inter has ruinas imperiorum collecturum esse aeternam Ecclesiam et velle, ut hac spe doctrinam discamus et propagemus. Laudanda est igitur virtus et discentium et honestorum hominum, qui opem ferunt pauperibus scholasticis. Huic autem *Leonarto Semero*, nato in oppido Franciae Uffenheim, pauperi et modesto homini aliquandiu vir clarissimus *Hieronymus Bomgartnerus*, senator Noribergensis, et alii quidam cives praebuerunt sumtus in schola Noribergensi et in Academia Witebergensi. Nunc quaerit alicubi munus docendi vel in schola vel in templo. Quare cum in docendo servire Ecclesiae et adolescentiae possit, commendo eum omnibus honestis viris, et oro ut ei locum vel in schola vel in templo tribuant. Summam doctrinae christianae recte tenet, et amplectitur Evangelii puritatem, quam et nostra Ecclesia cum Noribergensi et Anspachensi, una voce et uno spiritu profitetur. Et recte invocat Deum Leonartus et mores honeste regit. Exercuit se mediocriter in Latina et Graeca lingua et didicit elementa ebreae linguae. Nec rudis est musices. Cum igitur mores sint honesti et doctrina mediocriter instructus sit, spero utiliter Ecclesiae serviturum esse, et filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oro, ut faciat eum σκεῦος ἐλέους et organum salutare suae animae et aliis. Bene vale lector. In die natali Imperatoris Caroli Quinti Augusti Anno 1552.

Philippus Melanthon.

*) „*Io. Regiomontani tabulae directionum et profectionum; Ej. tabula sinuum; acc. brevis et succincta methodus procedendi in directionibus; tabulae positionum* „*numero* 54.; *praeterea tabulae ascensionum obliquarum* „etc. *per Cyprianum Leavitium a Leonicia, c.* „*praef. Phil. Melanthonis. Cum gratia et privilegio Caesareae ac Regiae Romanor. Maiestatis.* In fine Vol. II. „*Exc. Augustae Vindelycorum in Platea templaria diui* „*Huldarici Philippus Ulhardus* 1551. *Mense Oct.* ; 4to. „(Bibl. Sen. Lips.) Mel. praef. huic libro praemissa legitur „etiam *Declam.* T. IV. pag. m. 850 sq." [*Lanzius*, qui hanc praef. ex archetypo descripsit.]

---

**No. 5063.** 26. Febr. (Norimb.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 661 sqq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 800.).

*Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Ergo prodigia Argeliae*) conspecta denunciarunt et conventum et ea quae secutura sunt, quibus in rebus, ut iustas poenas leniat gementibus Ecclesiis, filium Dei oramus. Nihil enim a nobis aliud agi iam potest. Iam Francica nobilitas in hanc urbem misit custodienda κειμήλια. Et conveniunt equitum et peditum copiae. Quare et

*) Torgae.

nos regredi decrevimus. Quid enim stultius esset, quam disputare verbis περὶ ἀρχιερατικῆς πολιτείας, si alibi armis evertitur. Quas misisti epistolas Noribergam, dum hic sumus, accepisse me omnes ex earum argumentis ratiocinor, tibique gratiam habeo, de hac assiduitate. *Brentius* ad nos scripsit, et comes esset futurus itineris ad Alpes, si eo proficisceremur. Bene vale, filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oro, ut Ecclesiam tuam domesticam servet incolumem. IIII. Cal. Martii.

Phil. Melanth.

---

No. 5064. 27. Febr.

## *Ulr. Mordisio.*

† Ex Phil. Mel. autogr. transscripta in cod. Goth. 188. ep. 44.

*Magnifico viro, sapientia et virtute praestanti, D. Ulrico Mordisio, Doctori iuris, Cancellario inclyti Ducis Saxoniae, Electoris, Domino Patrono suo, vel alicui ex secretariis.*

Magnifice D. Cancellarie et Patrone Colende. Et propter vestrum dolorem, et propter nostram moestitiam brevius scribo. Ante dies quindecim petivimus, literis ad illustriss. Electorem scriptis, nobis significari, An velit, nos progredi ad Synodum, quia videretur intempestivum disputare verbis, si bellum in Germania moveretur. Scripsi eodem argumento ad vos, cum existimaremus, Vos ad Alpes accessisse. Nunc rursus scribo, et ad aulam, et ad Vos. Nec movemur periculo nostro, sed absurditate, quia inter arma silent et leges, et hae disputationes. Quaeso igitur, ut significetis, an regredi aut progredi nos velitis. Nos momenta negotiorum ignoramus, nec scire cupimus. Et, ubicunque erimus, non deerunt pericula. Tantum de nostro itinere sciscitamur. Bene et feliciter valete. d. 27. Februarii Norimbergae.

Philippus Melanthon.

No. 5065. 29. Febr. (Norinb.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 662 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 801.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Cam. Bam. fratri suo carissimo,*

S. D. Saepe iam veteres Ecclesiae aerumnas mente intueor, ut olim certabant impiis armis utrique in Iudaea, οἵ τε ἀρχιερεῖς, καὶ ὁ ἀντιπάτρου υἱὸς, illi de Ecclesiae libertate, iste de regno: Et tamen interea filius Dei servabat agmen, quod vere colebat Deum: ita spero nunc quoque inter regnorum ruinas servaturum esse coetus ipsum invocantes, et doctrinae studia pie colentes. Hac nos spe sustentemus. Omnino enim circumacta videtur Platonica periodus Imperii Germanici. Nos ex aula adhuc expectamus mandata de itinere. Nolui enim properare propter belli rumores. ἄτοπον γὰρ εἴη ἄν, ἡμᾶς μὲν πλάττειν λόγους περὶ ἀρχιερατικῆς πολιτείας, ἐκείνους δὲ τὰ ἐδάφη πόλεων αὐτῶν ἀμαυροῦν. Fortassis ex Argelianis decretis statuere poterimus de itinere, εἰμὴ καὶ αὐτὰ ὅμοια ἔσονται τοῖς ἐν Θήβαις αἰνίγμασι. Tuam patriam sperant iam tranquillam fore, sed vicinia ad Rhenum appetitur, quanquam qualis sit futura tranquillitas, si vicinia ardere bello ceperit, ratiocinari facile est.

De tuis muneribus tibi gratias agimus, videlicet de Psalmis *Nigri.* Nihil habeo quod nunc mittam, nisi hos tristes versus hac nocte factos, cum somniis ingratis excitatus essem. Bene et feliciter vale. Prid. Cal. Martii.

Philippus.

### *Precatio.*

Numen ut aeterni sapiens, et dextra parentis,
  Protexit thalamos Elisabeta tuos,
In quibus infantem longaeva puerpera alebas,
  Miscebas curis et pia vota tuis:
Quanquam grassantes tota Iordanis in ora
  Undique saevirent Parthus Arabsque truces,
Et quanquam fratrum membris, pascique cruore
  Iussissent Lamyri millia capta minae,
Tu secura tamen divini numinis umbra
  Figebas nati basia multa genis:
Sic modo cum poenis urgentur regna superba,
  Iuxta aras, coetus protege, Christe, tuos.
Iuxta illas etiam *Ioachimi* respice vota,
  Et castam ipsius quaeso tuere domum.

No. 5066. 29. Febr.

## *P. Ebero.*

Epist. lib. II. p. 168. (ed. Lond. lib. II. ep. 157.).

### *D. Paulo Ebero*

S. D. Saepe iam veteris Ecclesiae aerumnas intueor. Ut olim certabant impiis armis, *οἵ τε ἀρχιερεῖς καὶ ὁ ἀντιπάτρου υἱὸς*, illi de Ecclesiae libertate, iste de regno, et tamen interea Filius Dei suos coetus servavit qui eum recte colebant: ita nunc speremus servaturum esse aliqua agmina recte invocantia ipsum, et doctrinam propagantia. Hactenus fuisse apud nos mediocria doctrinae studia, res ostendit. Pro eo beneficio agamus gratias Filio Dei, et petamus ut hanc nostram *μυρμηκίαν* et nostros nidulos protegat. Hac nocte excitatus, hoc argumento versiculos faciebam, quos mitto qualescunque sunt *). De assiduitate tua in scribendo tibi gratias ago. De itinere nostro adhuc expectamus aulica mandata. Sed fortassis ex *Argelianis* decretis statuere poterimus. *εἴη γὰρ ἄτοπον, ἡμᾶς μὲν ἐν συλλόγῳ πλάττειν λόγους περὶ ἀρχιερατικῆς πολιτείας, ἐκείνους αὐτὰς τὰς πόλεις ἐρείπια ποιεῖν.* Deo iuvante brevi redibo. Quicquid erit periculorum, a vobis non velim seiungere meam fortunam. Oro autem Filium Dei, ut pueritiae has calamitates leniat. De *Tilemanni* laboribus coram loquar. Poterit opinor istic commorari tantisper donec scietis meum iter. Bene et feliciter vale. Salutem reverendo domino *Pastori* et caeteris collegis omnibus reverenter opto. Pridie Cal. Martii.

---

No. 5067. (hoc mense)

## *Guilielmo Pr. Henneb.*

† E cod. Potting. Fol. 282. [*Olsh.*]

(„*Scriptum Domini Philippi in causa excommunicationis.*")

An Fürst Wilhelm zu Hennebergk des Jahres 1552. Noribergk. **)

Ich und andere haben zur Verhütung solcher Spaltung der Prediger aus vielen andern Ursachen gerathen, daß man ein Consistorium ordnen soll, dem der Bann mit ordentlichen Processen befohlen sey.

Darnach so ist es auch nicht recht, daß ein jeder Prädicant ohne Erkenntniß in criminibus non notoriis den Bann fulminiren wollte, und was daraus folgen würde, können alle Verständige leichtlich erachten. Denn ohne Erkundigung zu sprechen in non notoriis ist wider öffentlich Gottes Gebot, Deuter. 14. Verum sit et etc.

So viel aber dieses Buch belanget, find ich diese Weitläuftigkeit darin, daß es indistincte redet, und hält nicht Unterschied zwischen notoriis criminibus et non notoriis. Dieser Unterschied ist noth zu halten; denn so einer notorie in Ehebruch lebet, oder dergleichen, soll ihn der Pastor nicht zur Communion des Sacraments zugehen lassen. Also mag ihn auch der Prediger öffentlich bannen. Doch soll er ihn dennoch zuvor vermahnen. So es aber nicht notorium ist, soll die Inquisition vorgehen. Dieß, achte ich, sey auch die Meinung in dem zugeschickten Buch, die nicht . . . . . Doch wäre es klarer, so es den Unterschied hielte inter notoria et non notoria.

Endlich . . . . . . . . . . mag an ein Consistorium nicht gerathen werden. Denn die Inquisition kann nicht durch die Privatpersonen geschehen aus vielen wichtigen Ursachen.

---

No. 5068. 1. Mart. (Norinb.)

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stigel. ep. 49. Cod. Goth. 188. ep. 122.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carrissimo*, S. D.

Cariss. frater. Ne possunt quidem tempore vera iudicia mutari. Est enim veritas eadem omnibus temporibus. Ideo semper idem sensi et dixi, ingens decus esse Ecclesiae, non tantum huius temporis, venam et pietatem tuam; mores etiam honestissimos et candidissimos, amore omnium bonorum dignos esse. Nunc quoque Noribergae saepe tuos dulcissimos versus in pub. praelectionibus recito. Vicissim etiam me abs te diligi comperi tunc, cum in me undique impetus fieret. Etsi autem in hac perturbatione Reipub. meam benevolentiam non possum illustribus officiis declarare,

*) Habes eos in ep. antecedente ad Camerar.

**) Vid. epist. ad Senat. Noriberg. d. 14. Nov. 1554.

tamen semper idem sentiam et grata commemoratione tuam virtutem praedicabo. Fruemur etiam amicitia nostra in coelesti consuetudine. Interea etiam nostram amicitiam referamus ad communem Ecclesiae utilitatem. Tuas literas amantissime scriptas meus gener mihi misit. Feci, quod petivisti, non sum progressus ad Alpes. Nec periculi metu retineor. Nam domi non minus laceror a vicinis ardelionibus. Sed habui alias causas, quas, ut spero, coram exponam. Brevi enim Deo iuvante domum rediturus, istac iter faciam. Mitto tibi *Amanti* epistolam, quam heri accepi. Tibi, tuae honestissimae coniugi, et filio, et filiae, mitto xenia, ut horum versuum, quibus inclusi, sententiam melius reddas. Feci mentionem Lamyri, videlicet Ptolemaei, quem alii Lathyrum non recte vocant, cum sit *λαμυρὸς*, id est fabulator. Is cum triginta millia Iudaeorum trucidasset, captos coegit vesci interfectorum carnibus. In tantis regni Iudaici calamitatibus, tamen Deus suos coetus servavit. Reverendo D. *Sneppio* dicas, me salutem optare coniugio filii ipsius, et filiae *Brentii*, de quibus *Brentius* ad me scripsit. Salutem dices et D. *Victorino* et collegis ceteris. De D. *Victorino* coniuge fui sollicitus propter mea somnia. Bene vale Cal. Martii Noribergae.

Philippus Melanthon.

Versus in lecto facti, inter cruciatus calculi et alios. *)

Numen ut aeterni sapiens et dextra parentis
Protexit thalamos Elisabetha tuos,
In quibus infantem longaeva puerpera alebas,
Miscebas curis et pia vota tuis:
Quanquam grassantes tota Iordanis in ora,
Undique saevirent Parthus Arabsque truces.
Et quanquam fratrum membris pascique cruore
Iussissent Lamyri millia capta minae,
Tu secura tamen divini Numinis umbra,
Figebas nati basia multa genis.
Sic modo cum poenis urgentur regna superba,
Iuxta aras coetus protege Christe tuos.
Ut quia *Stigelius* supplex etiam adstat ad illas
Ipsius castam quaeso tuere domum.

*) Id carmen scripsit Camerario, ep. d. 29. Febr. et Baumgartnero ep. d. 10. Mart.

No. 5069. (in Martio.)

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 187 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 172. Autographon est parva scheda.

*Clarissimo viro D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori.*

S. D. Ante aliquot dies in somnio visus sum colloqui cum Rege Danico. Is dicebat *πρὸ τριῶν μηνῶν μεγάλη δυστυχία καταλήψει τὸν Σεβαστόν.* Sed oremus Deum ut mitiget poenas propter filium, et in ira misericordiae suae recordetur: Et tuam Ecclesiam domesticam vere invocantem ipsum et alios fide et invocatione coniunctos protegat. Humana consilia nulla video. Sed quod suades diutius manendum esse, fortassis commodius erit properare, priusquam viae ubique plenae sint militum. Bene vale. Tuam chartam statim concerpsi. † Noster in Salinis Saxonicis fecit *ἐξέτασιν* equitum."

Philippus.

No. 5070. (10. Mart.)

## *Eidem.*

Epist. lib. VI. p. 186. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 170., quod incriptione caret, cuius autem tergo Baumgartnerus inscripsit haec: „Philippus hinc discessurus 1552. mense Martio sic mihi precatus est." — (Vid. ep. ad Camer. d. d. 29. Febr.)

*Precatio, qua Philippus discessurus valedixit Baumgartnero, Mense Martio, anno* 1552.*)

Numen ut aeterni sapiens et dextra Parentis
Protexit Thalamos Elisabeta tuos,
In quibus infantem longaeva puerpera alebas,
Miscebas curis et pia vota tuis.
Quanquam grassantes tota Iordanis in ora,
Undique saevirent Parthus Arabsque truces.
Et quanquam fratrum membris pascique cruore
Iussissent Lamyri millia capta minae,
Tu secura tamen divini numinis umbra
Figebas nati basia multa genis.

*) Haec inscriptio aliena (Spanhemii) manu praemissa est autographo.

Sic modo cum poenis urgentur regna superba,
Iuxta Aras coetus protege Χριστὲ tuos.
Iuxta illas etiam supplex *Hieronymus* astat,
Ipsius castam quaeso tuere domum.
† Philippus."

No. 5071. 12. Mart. (Egrae.)

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 189 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 174. — Autographon a Melanthone conscriptum, eique a Melanthone et eius comitibus in itinere, Sarcerio et Paceo subscriptum est. Folium inscriptionis periit.

*Hieronymo Bomgartnero*

S. D. Clariss. vir et amice cariss. Dei beneficio venimus incolumes ad oppidum, quod a flumine *Egra* nomen habet, quod veteri Heneta lingua animal *Castorem*, quod Plinio et Germanis est *Piber*, significare didici. In itinere horum dierum vix viginti homines extra vidimus. Accessit ad tranquillitatem hoc quoque, quod in his iugis et saltibus de bello Saxonico nullos sermones audivimus. Tantum hodie ad Castorem audivimus nondum esse finem *Torgiaci* conventus. Ego me hac una consolatione sustento, quod scio filio Dei curae esse suam Ecclesiam in his regionibus et alibi, et exaudiri nostros gemitus non dubito. Heri etiam legens in Siracide hoc dictum, μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν προσευχῇ, acquievi nonnihil. Et hanc vocem adscripsi, quia tibi quoque gratam fore non dubitabam. Iubet et petere auxilium a Deo et constanter expectare et non frangi animis.

Scribam ad te mox, postquam domum rediero. Nunc accedemus ad *vallem Ioachimicam* Deo iuvante. Eques vester fuit modestus et officiosus: Dedimus viaticum redeunti quinque Ioachimicos. Agimus autem Amplissimo Senatui vestro gratias pro omnibus beneficiis, et Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut vos omnes et urbem vestram et Ecclesiam protegat et servet. Datum in oppido Egra, die Gregorii. 1552.

Salutem vobis omnibus optamus nos omnes
Philippus Melanthon,
Erasmus Sarcerius,
Val. Paceus.

Inclusi epistolam *Sabini* scriptam ad *Foelicem Fidlerum*, qui notus est familiae Atrebatensis*), quam ut mittas per occasionem ad aulam Imp. valde te oro. Scribit enim referre multum utriusque ut ad eum perferatur.

*) Spanh. mendose: *Arelatensis*.

No. 5072. 16. Mart. (Annabergae.)

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 79. (ed. Lond. lib. II. ep. 63.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Equitem vestrum remittimus, et senatui ac civibus vestris et vobis omnibus pro eximia benevolentia vestra erga nos, et pro multis beneficiis gratiam habemus. Et Deo iuvante gratitudinem perpetuo praestabimus, ac Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum oramus, ut Ecclesias harum regionum, et nos in ipsis clementer protegat ac servet, et copulet animos docentium, ut unum simus in ipso. Utinam non distractae essent voluntates ταῖς βλαχικαῖς διαβολαῖς, quae quales motus excitarint, iam res offendit. Sed oremus Filium Dei, qui *Samaritani* typo suam medicationem pingit, ut nostris vulneribus omnibus medeatur. Electorem *Saxonicum* audimus profectum esse ad *Cattos*. Sed certiora scribam cum domum rediero. In equo sedens addidi carmini nostro versus aliquot de *Philippis* et de *Sarepta*. Mitto igitur exemplum, fortassis cum domum rediero edam. Etsi scio deesse meis versibus splendorem: tamen hoc labore excutio alias molestas cogitationes. Et plus discunt Iuniores ex his exemplis, quam ex βλαχικοῖς scriptis. Tabulam χωρογραφικὴν tibi mittam. Valde te oro, ut saepe ad nos scribas. Bene vale. Die 16. Martii in oppido *Annaemontano*. Salutem optamus ego et collegae vobis omnibus.

No. 5073. 19. Mart. (Lipsiae.)

## H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 186 sq. — Hic ex autogr. in cod. Monac. I., cuius tergo inscripsit Baumgartnerus: „27. Martii 1552."

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.*

S. D. Clariss. Vir et amice chariss. Hanc epistolam scribo Lipsiae die 19. Martii, quo signi-

ficaverat ὁ ἐν τριαίνῃ σύλλογος futuram esse ultimam sessionem, ut nominant. Acta conventus Argeliani [1]) existimo ad vos perscripta esse. Etsi autem audio τὸν σεβαστὸν concedere *Maximiliano* [2]), ut pacis leges dicat, et noster non recusat hos exercitus in Pannonias ducere, tamen illas furias metuo, quae incitarunt caeteros, haec consilia salutaria turbaturas esse. *Ταῦτα δὲ ἐν γούνασι θεοῦ*, ac oremus filium Dei, ut nobis adsit, qui et nominatur Emmanuel, et vere induit naturam humanam, ut testaretur se nobis adfuturum esse. Literas aulicas accipies, quibus revocamur, quas leges, ac in universum quidquid accipies literarum, quae mihi inscriptae sunt, legere poteris.

Commendo tibi hunc adolescentem *Matthiam Schillerum* [3]), recte eruditum et natura modestum, quam Ecclesiis ac Scholis usui ac ornamento futurum esse spero. Sumptus ei dederunt duo vestri cives *Gabriel Kolb* et *Iohannes Ieger*, quibus et autoritate tua, et Divinis oraculis commendari eum velim. Est enim adolescens orphanus. Et nota sit omnibus Siracidae sententia, *γίνου ὀρφάνῳ πατὴρ καὶ μᾶλλον ἀγαπήσει σε ὁ θεὸς ἢ μητήρ σου.* Bene et feliciter vale. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus custodiat te et Ecclesiam tuam domesticam et publicam. Die 19. Martii, Lipsiae [4]).

† Philippus Melanthon."

---

**No. 5074.** 19. Mart. (Lips.)

## *H. Besoldo.*

† E codice Zittaviensi ep. 48.

*Reverendo viro eruditione et virtute praestanti, Domino Hieronymo Besolt, docenti Evangelium fideliter in Ecclesia Dei in inclyta urbe Noriberga, fratri suo carissimo,*

**S. D.** Reverende vir, et carissime frater. Delectari te quoque hac dulcissima sententia Siracidae scio: *γίνου ὀρφάνῳ πατὴρ, καὶ ὁ θεὸς μᾶλλον ἀγαπήσει σε ἢ μητήρ σου.* Foveamus orphanos, etiam propter communem Ecclesiae fortunam quae vere est orphana. Commendes igitur et hoc ipso argumento hunc *Matthiam Schilterum* *) suis patronis, *Gabrieli Kolb*, et *Ioachimo Ieger*; praesertim cum indoles sit doctrinae capax et ad virtutem egregia, et recte didicerit doctrinam Ecclesiae, et in philosophia et latina et graeca lingua praeclare profecerit. Quaeso, ut meum testimonium etiam exponas eius patronis. Tibi et *Micaelo* gratias ago, qui erga nos officiosi fuistis. Hanc epistolam scripsi Lipsiae, die 19. Martii, quo significatum fuerat, postremam sessionem τοῦ συλλόγου ἐν τῇ τριαίνῃ fore. *Brentii* literas legito, et cum poteris ad nos mitte. Vicinae Academiae propter belli metum sunt in magna sollicitudine. Sed Deus servare nos potest ut in babylonico camino Israëlitas. Bene vale, et scribito ad nos quam primum. Lipsiae d. 19. Martii.

Phil. Melanthon.

Filius Dei, Dominus noster I. C. protegat Ecclesiam tuam domesticam et publicam. Salutem opto R. D. Abbati *) hospiti nostro et vobis omnibus.

---

(*Melanthon Witebergam rediit.*)

---

**No. 5075.** 21. Mart.

## *Georgio Princ. Anhaltino.*

Epist. lib. II. p. 247. (ed. Lond. lib. II. ep. 245.).

### *D. Georgio Principi in Ankalt*

**S. D.** Illustrissime et Reverendissime Princeps, Fuisset honestum mitti a multis Ecclesiis communem legationem ad Synodum, sicut initio et C. V. visum est. Sed haec nostra consilia postea, ut scit C. V. spreta sunt. Cum igitur nulli Principes, et nullae civitates miserint legatos, nec nobis mandata dederint ulli, praeter Ducem *Saxoniae* Electorem, abhorrui a profectione, et cum ne curru quidem progredi potuerimus, libenter regressus sum, ac Deo iuvante redii *Witebergam*, etsi multi suadebant ut in patria manerem. De toto itinere nostro loquar cum C. V., si diem mihi constituet, quo istuc velit me venire. Iam mitto Siclum argenteum vero pondere Sicli, videlicet τετράδραχ-

---

1) Lib. VI. mendose: *Argelicani.*
2) Vid. epist. ad Regem Dan. d. 25. Mart. h. a.
3) Lib. VI.: *Schilterum.*
4) Alia manus addidit: 1552. (in libro VI. exhibitum).
*) *Schilherum* habet cod. Zitt., sed legendum est *Schilterum.* Vid. etiam testimonium Schiltero datum d. 25. Iulii 1552.

*) Friderico, Abbati Aegydiano, hospiti Melanthonis quum Norinbergae esset. Vid. epist. d. 6. Apr. h. a.

*μον* cum inscriptione, sicut pingitur in libro Postelli. Addidi et versiculos, qui interpretantur virgam *Aharon* et calicem thuris. Literas a Cels. V. expecto. Deus servet Cels. V. incolumem. Die 21. Martii.

*De veteri nomismate gentis Iudaicae* *).

Iusta sacerdotum demonstrat munera *Siclus*,
 Cuius in *Ebraeis* urbibus usus erat.
Ut sint doctrinae custodes, virga *Aharonis*,
 Utque regant mores cum pietate, monet.
Significantque preces calicis fragrantia thura,
 Praecipuum munus sunt pia vota Deo.
Filius aeterno Genitori hos praestat honores,
 *Emmanuel* casta virgine natus homo.
Hic est doctrinae custos quam sparsit in orbe,
 Hic *Aharonei* florida virga chori est.
Hic et pro nobis offert gemitusque precesque,
 Fiat ut offensi mitior ira Patris.
Adiungit sibi nos socios, tamen iste Sacerdos,
 Agminis et partem nos facit esse sui.
Custodes igitur fidos nos esse necesse est
 Doctrinae, gnatus quam dedit ipse Dei.
Huius et addamus votis suspiria nostra,
 Quae simul ad Patrem perferat ipse suum.

---

No. 5076. 23. Mart.

## P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Petro Vincentio (gubernanti Scholam Lubecensem).*

S. D. Carissime frater. Ex itinere ad synodum suscepto me quaedam necessariae causae retraxerunt. *Paulus* reverso ostendit tuam epistolam, in qua extant illustria testimonia tuae erga me perpetuae benevolentiae, quae mihi gratissima est, et vicissim te a me vere diligi propter multas tuas virtutes, intelligere te non dubito. Nam excellens virtus non potest non diligi a naturis mediocribus. Mitto tibi et *Valentino* tabulas Palaestinae, in quibus quaedam vocabulorum interpretationes fortassis magis concinnae essent, si domi fuissem, et inchoatam explicationem pertexere potuissem. Vidisse vos meam responsionem simplicissimam de *Osiandri ὑψηληγορίᾳ* [1]) existimo. Vestrum etiam iudicium mihi significari velim; prodest enim audire Ecclesiam. Oro autem filium Dei *λόγον ἀϊδίου πατρὸς*, ut sua luce nos omnes regat, et flectat multorum voluntates ad amorem tuendae in Ecclesiis concordiae. Vides, quale sit seculum. Vere, ut Homerus inquit, *οὐχ ὁσίη γενεὴ κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισι* [2]). Maiore igitur cura consensum aliqui moderatiores tueantur. A te literas avide expecto, et pro nostra amicitia flagito. De bello nihil libet scribere; sed filium Dei oremus, ut custodiat Ecclesias et earum hospitia. Audio collocuturos esse Regem *Ferdinandum*, filium *Maxaemilianum* et Electorem Saxoniae die 4. Apr. Sed tota res est *ἐν γούνασι θεοῦ*. Vale. Die 23. Martii.

Phil. Mel.

---

No. 5077. (23. Mart.)

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 614 sq.

*Mich. Meienburgio, Consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Fuisset honestum ad Synodum mitti legationem communem, quae multarum Ecclesiarum quasi una vox fuisset. Idque placuit initio etiam sanioribus in Aula. Sed haec consilia postea vel spreta sunt vel relicta. Cum igitur soli nos ad Synodum missi essemus, libenter regressus sum propter calumniosa iudicia, quae nunc amat mundus. Existimant etiam, intempestivum esse disputare in Synodo de autoritate Episcoporum, si in Germania armis everteretur. Quanquam consilia Ducum belli prorsus ignoro, audio autem, die quarto Aprilis Regem *Ferdinandum*, et Filium *Maximilianum* et Electorem *Saxonicum* in urbe *Lyncia* ad Danubium collocuturos esse. Oremus Deum, ut det pacem, ac nos sustentemus hac consolatione vera, quod Filius Dei etiam inter hos tumultus tamen Ecclesiam suam servaturus est. Ego

---

*) Hoc carmen sed valde diversum legitur etiam in epigramm. Mel.

1) Mendose; fortasse ὑψηλολογίᾳ vel ὑψηλαγυρίᾳ.
2) Homer. Odyss. π'. v. 423.

etiam eo tranquilliorem habeo animum, quia conscius mihi sum, me et antea moderationem amasse, et nunc fuisse dissuasorem horum motuum. Quaeso, ut mihi scribatis. Bene valete. Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, vos protegat et confirmet vobis vires corporis et animi, et servet vos et honestissimam coniugem, et filios et filiam dulcissimam.

Philippus.

---

No. 5078. 25. Mart.

## *Christiano, Regi D.*

Schumacher's Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II. ep. 15. [Etiam in der Dänisch. Biblioth. T. VIII. p. 314. curante *Mollero* excusa, sed sine pagella adiecta. Dz.] Pagella, quae *huic* epistolae inclusa fuit, nescio quo casu postea adiecta est epistolae ad Regem Daniae d. 1. Maii 1556. scriptae, cum qua etiam, ex errore, illam dedit *Schumacher*. Sed res ipsa docet, eam pertinere ad hanc epistolam.

(*Christiano III., Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor. Allerdurchlauchtister, großmächtigster, gnädigster König und Herr. Ewr. Königlichen Majestet sende ich ein kurze Vorzeichnung [1]) von den fürnehmisten Sachen, davon jetzund zu schreiben gewesen.

Und dabei sende ich meine und eines andern Antwort auf Osiandri Schrift, und sind von vielen Gottfürchtigen und Verständigen von dieser Sach christliche Bericht gestellt, daß ich hoffe, die Wahrheit in diesem Artikel und die Ehre des Herrn Christi, und der fürnehmist Trost werde durch Gottes Gnad klärer erkannt, wer beider Theils Schriften gegen einander halten will. Denn obgleich wahr ist und gewißlich also ist, daß Gott in den Bekehrten und Glaubigen wohnet, so muß doch diese Wahrheit und dieser Trost bleiben, daß wir für und für Vergebung der Sünden haben und Gott gefällig sind aus Gnaden, das ist, aus Barmherzigkeit, durch den Verdienst des Herrn Christi, Gottes und Menschen; und kann ein jeder Verständiger richten, daß Osiander den Verdienst Christi verdunkelt. Davon haben ohne Zweifel E. K. M. der löblichen Universität zu Coppenhagen Bedenken [2]) auch angehört.

Unser Heiland, der Sohn Gottes, Jesus Christus, der für uns gekreuziget ist, und wiederum erstanden, wolle gnädiglich E. K. M. und E. K. M. Königin und junge Herrschaft allezeit gnädiglich bewahren. Dat. Witeberg Anno 1552., die annunciationis, daran vor 5514 Jahren Adam erschaffen ist.

Ewr. Königl. Majestet

unterthänigster Diener

Philippus Melanthon.

(*Pagella inclusa.*)

Wie dieser jetzige Hessische Krieg practicirt ist, und mit welchen Practiken Herzog Moritz dazu getrieben, davon hat E. K. M. vielleicht sonst Bericht, und lassen sich solche Sachen nit schreiben. Die Hessen aber sind lang damit umgangen, dieß Feuer anzuzünden. Gott wolle gnädigen Frieden und selige Regiment geben.

Der Kaiser ist noch in Insbruck, hat gewilliget, daß König Maximilian [3]) Händler sey von wegen dieses Kriegs, und sollen darum zusammenkommen auf den vierten Tag Aprilis zu Linz am Danubio König *Ferdinandus*, König *Maximilianus*, die Churfürsten Sachsen und Brandenburg [4]).

In Teutschland ist noch kein Angriff geschehen, ohne daß man sagt, die Hessen haben einen Flecken eingenommen St. Giiar [Goar] am Rhein, gehört in die Herrschaft Catthen Elnbogen.

Der König in Frankreich ist neulich noch zu Troia [Troyes] gelegen, und hat die Zeit noch nicht angriffen.

In Hungarn hat jetzt König *Ferdinandus* Sieg; hat neulich eine Stadt Segedin erobert, und viel türkisches Kriegsvolk darin umbracht. Aber man sagt, daß der türkische Kaiser in großer Rüstung sey.

Wie der Mönch in Hungarn, Frater *Georgius*, erstochen ist, das ist ohne Zweifel vor dieser Zeit E. K. M. zugeschrieben, und werden hie gedruckt die Schriften, darin des Mönchs langer Zeit Historien und Practiken narrirt sind.

In Florentia ist der Cardinal Farnesin auch neulich erstochen.

Vom Concilio zu Trident ist geschrieben, es solle die letzte Sessio gehalten werden auf den neunzehnten Tag Martii. Etliche schreiben, man wolle es eine Zeit lang suspendiren von wegen des Kriegs.

---

1) Dän. Bibl. Verzeichniß.

2) Vid. Dänische Biblioth. VII. 149 ff. [Danz.]

3) Filius Ferdinandi, regis.

4) Vid. Sleidan. p. 762.

Des Herzogen zu Wirteberg Gesandten sind etliche Monat zu Trident gelegen; aber niemand hatte sie hören wollen. Haben entlich eine Confessio überantwortet und sind zu Haus gezogen.

Der Churfürst zu Sachsen hat zum Concilio gesandt zween Räthe [5]), und durch diese suchen lassen, die Seinen mit Geleit zu sichern; item die vorigen Artikel wieder zu reassumiren. Das Geleit ist geben worden, aber von der Readsumption ist keine Antwort gefolgt. Also sind *Sarcerius*, *Paceus* und ich wiederum zurückgezogen, besonder auch, weil die Kriegsrüstung vor Augen gewesen.

Der Bischoff von Trier ist auch aus dem Concilio heim gezogen. Der Bischoff von Mentz ist zu Insbruck; wollt auch heim, aber er wird durch den Kaiser da aufgehalten.

---

No. 5079. 26. Mart.

## M. Polero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54*.

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti, Matthaeo Polero, gubernanti studia literarum in monte Mariano, amico suo,*

S. D. Scio te, et bonitate naturae et optima doctrina assuefactum, cum caeteras virtutes studiose colere, tum vero maxime praestare pietatem erga senes parentes, fratres et sorores. Hac igitur tua στοργῇ, divinitus accensa in pectore tuo, fratrem amanter complecteris et iuvabis, praesertim cum et mores eius sint honesti et eruditione instructus sit, et aetas iam sit idonea publicis laboribus. Nec mihi voluntas eum iuvandi deest, ac detuleram ei munus docendi adolescentes nobiles, sed abhorret ab equitum consuetudine, nec utilem hanc esse arbitror. Cum autem in Ecclesiis servire malit, circumspiceret *) ubi locus ei tribui possit, ad te confugit. Nunc vero hic debet aliquantum, quod ut numeret tua ei liberalitate opus est. Qua in re ut fraterni vim amoris ei declares, valde te oro. Talis est vita, ut aliena ope saepe indigeamus omnes. Hac igitur in re fratri στοργὴν ostendito. Bene vale, et interdum ad me scribito. 26. Martii 1552. P. M.

5) *Wolfium Colerum* et *Leonhardum Badehornum.*

*) Fortasse: *circumspiciens.*

No. 5080. 27. Mart.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 60. (ed. Lond. lib. II. ep. 64.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater: vir honestissimus et praeclare eruditus *Wolfgangus Mylius* [1]) exhibebit tibi et *Casparo* tabulas *Palaestinae* quas vobis promisi, quarum vobis considerationem voluptati fore spero. Etsi autem scio *Mylium* a te diligi: tamen te oro, ut nunc praesertim, cum istuc propter domestica negotia proficiscitur, benevolentiam erga eum tuam maiore studio declares. Autoritas enim tua apud Senatum prodesse poterit, ac nominatim eum Domino *Angelo* commendabis, cui etiam Tabulam *Palaestinae* mitto. Quoties erit occasio, quaeso ut nobis scribas. De bello tantum haec audio. Die 4. Aprilis *Lynciae* conventuros esse Regem *Ferdinandum*, filium *Maximilianum*, Electorem *Saxonicum.* Id petivit legatio tunc a Rege missa ad Electorem *Saxonicum* cum istic essem. Bene et feliciter vale. Die [2]) 27. qui fuit dies gloriosae resurrectionis Christi ante annos 1518. Salutem opto clarissimo viro Domino *Angelo* et *Casparo*, et toti Ecclesiae vestrae.

---

No. 5081. 27. Mart.

## Cranmerus ad Melanth.

Edita in *Strobelii* Beyträgen zur Literat. Vol. II. p. 484.

*Doctissimo viro et amico suo singulari D. Philippo Melanchthoni dentur hae literae.*

S. D. Legimus in Actis Apostolorum cum orta esset controversia, an hi, qui ex gentibus conversi fuerant ad Deum, adigendi essent ad circumcisionem et observationem legis Mosaicae, convenisse Apostolos et Presbyteros, ut dispicerent de hoc negotio, et collatis inter se sententiis decretum concilii sui epistola scripta edidisse. Hoc exemplum utinam et nos imitaremur, in quorum Ecclesiis Evangelii doctrina restituta et repurgata est.

1) De eo vid. responsum Matthesii d. 1. Maii.

2) Excidit: *Martii.*

Etsi autem omnes controversiae in hoc mundo non possunt dirimi (quia pars inimica veritati non adsentitur iudicio Ecclesiae): tamen optandum est, ut verae Ecclesiae membra de praecipuis ecclesiasticae doctrinae capitibus inter se consentirent. Quantum autem Ecclesiam dilacerarint dissensiones religionis, maxime in causa sacramentaria, prudentiam tuam latere non potest. Quae si antea compositae fuissent, nunquam [opinor] Caesar bellum vobis intulisset. Et dolendum sane est, Sacramentum unitatis invidia Diaboli factum esse escam dissidii et veluti μῆλον ἔριδος. Quare optarem, ut hi, qui alios antecellunt eruditione et iudicio, exemplo Apostolorum congregarentur et sententiam tum de aliis capitibus controversis, tum de hac controversia mutuum exponerent, et consensum edito in publicum scripto testarentur. Sed fortasse dices: idem et ego saepissime optavi. Verum haec res sine Principum ope ad effectum deduci non potest. Egi igitur hac de re cum regia maiestate, quae Angliam suam vobis apertam esse vult, et ad hos pios conatus non solum locum tutum et quietum, verum etiam operam et auxilium suum benignissime pollicetur. Scripsi etiam ad D. *Calvinum* et ad *Bullingerum*, eosque hortatus sum, ne operi tam necessario adeoque utili reipublicae christianae deesse vellent. In proximis ad me literis scripsisti areopagitas concilii Tridentini περὶ τῆς ἀρτολατρίας decreta condere. Quare cum adversarii Evangelii tanto studio conveniunt ad errores stabiliendos, non est nobis committendum, ut illi sint diligentiores ad confirmandam impietatem, quam nos ad piam doctrinam propagandam et illustrandam. Amori meo erga D. *Ge. Maiorem*, quem merita illius apud me pepererunt, magnam accessionem attulit commendatio tua, cui, si qua in re gratificari potero, citius facultatem quam voluntatem mihi deesse experietur. Bene et feliciter vale. Lambethi 27. Martii 1552.

Tui aliquando videndi cupidissimus

Cantuariensis.

[Thom. Cranmerus.]

---

**No. 5082.** **29. Mart.**

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 664 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 803.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,*

S. D. Non humano errore tantum hi motus exorti sunt, ἀλλὰ δαιμόνιόν τι ἐλαύνει τὰ πράγματα. Sed sustentemus nos hac vera consolatione, quam filius Dei proponit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Hanc ancoram teneamus. Non dubito et gemitus Ecclesiae tuae domesticae exaudiri a Deo, et eam curae esse Deo. Vidi picturas *) magno cum dolore quae omine etiam displicent. Verum non solum picturis et scriptis illis mihi dolor augetur, sed etiam quotidianis populi lacrimis, qui initio affligitur sine misericordia. Mitto tibi genesin τοῦ κελτικοῦ βασιλέως et filii ipsius. Plura scribam cum ibit nuncius Noribergensis. Apud *Anhaltinum* fui, ubi recitavi quaedam grammatica de locis aliquot Propheticorum librorum, ut ipsum a cogitationibus tristioribus abducerem. Bene et feliciter vale, die XXIX. Martii.

Phil. Melanth.

---

**No. 5083.** **29. Mart.**

## *M. Gallo.*

Ex Iuterboc. Farrag. manus transcripta in cod. Goth. 188. ep. 46. Edita in *Eckhardi* Vindiciis p. 167.

*Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, M. Gallo, pastori Ecclesiae Dei in suburbio Iuterbocensi, amico suo.* S. D.

Venerande vir.

Unicus hic portus et unica ancora est nobis omnibus, quod certo scimus; filium Dei, D. N. I. C. servaturum esse Ecclesiam suam, qualescunque sunt imperiorum 1) tumultus, sicut dixit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Hac nos consolatione in tanta confusione regnorum, et tanta moestitia Germaniae, sustentemus, et singuli nostro loco iuvemus Ecclesias et Ministros, Pastores Ecclesiarum. Ideo hunc tibi senem, *Baldasarum*, commendo, qui vicinam vobis Ecclesiam gubernat. Tueamur in hac vicinia et consensum

---

*) Pileos et pugiones Bruti C. W. Conf. ep. ad Baumgartn. d. d. 6. April. 1552.

1) Eckh. *iurgiorum*, quod haud dubie mendum est.

et concordiam in Ecclesiis, nec dubito, filium Dei nobis affuturum esse, quia certum est, in his Ecclesiis sonare incorruptam Evangelii vocem. Sunt igitur in his locis agmina, vere invocantia Deum. Cum huc expatiaris, velim, te ad me quoque venire, ut colloqui possemus. Dono tibi tabulam Palaestinae [2]), recens hic in tua patria editam, ut habeas testimonium meae erga te benevolentiae. Bene vale et rescribe, an tabulam acceperis. Witebergae, die 29. Martii.

Philippus Melanthon.

---

No. 5084. 1. Apr.

## *Senatui Esslingensi.*

Denkwürdigkeiten der Würtenb. und Schwäbisch. Reformationsgeschichte — von J. L. Schmid und J. L. Pfister. 1. Heft. Beilage 6.

### An den Stadtrath zu Eßlingen.

Ew. Ehrbarkeit bitt ich ganz fleißig, kein ungünstig Mißfallen an meinem oft schreiben zu haben, dazu diese schwere Zeit und der Jugend Nothdurft mich verursacht. Ew. Ehrbarkeit hab ich vor dieser Zeit berichtet, daß Georgius Roner mit natürlichen Gaben ingenii wohl gezieret ist, und nunmehr das studium iuris vorgenommen, darin er einen guten Anfang hat, und zu hoffen, er werde durch Gottes Gnad auch ehrlich und nützlich mit der Zeit dienen. Und wiewohl ihm Dienst angezeigt, so wird er doch durch Schuld alhie aufgehalten, und ist alhie alles schwerer jetzund von wegen der Kriegsbeschwerungen, wie Ew. Ehrbark. selb, als die Verständigen, betrachten können. Derhalben bittet er unterthäniglich, dergleichen ich neben ihm, denn ich auch mit Bürgschaft verhaftet bin, Ew. Ehrbarkeit wollen ihm auf dießmal väterlich aushelfen, damit er förderlich zu Dienst kommen möge. Und nachdem er nun länger als ein Jahr nichts empfangen hat, laufen seine Schulden auf die sechzig Floren. Er erbeut sich gegen sein Vaterland zu aller Unterthänigkeit und Dankbarkeit, so ihm in dieser seiner fürnehmsten Noth aufgeholfen wird, und hoffet auch, zu solchen Diensten zu kommen, daß er Ew. Ehrbarkeit hernach verschonen könne und wolle. Ich bitt ganz fleißig, Ew. Ehrb. wolle nochmals das beste thun. Ich will gedachtem Georgio auch zu diesem Förderung thun, soviel nur möglich ist. Der allmächtige Gott wolle Ewr. Stadt und Euch und die Euern gnädiglich bewahren. Datum Wittenberg prima die Aprilis 1552.

Ew. Ehrb.

williger

Ph. Mel.

2) Vid. epist. d. 10. Maii et d. 12. Iul. h. a.

---

No. 5085. 4. Apr.

## *Cph. Libio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Tangermunda.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Hodie huc allata est fama, Tridentum a Gallico et Helvetico exercitu occupatam esse; sed nondum habeo certos autores. Si autem vera est haec fama, satis me eventus excusat, cur ei non accesserim. Sed habui alias graviores causas, quas aliquando coram exponam. Magistrum *Stanislaum* senatui commendavi hoc etiam argumento, quod sperem, eum senatui et pastori obtemperaturum esse; idque ut faciat, eum hortatus sum. Quod audita pia confessione Illustrissimi Principis Marchionis Electoris non seiunxisti [te] a caeteris pastoribus Ecclesiarum, nec deseris Ecclesiam tuam, credo te pie facere, etsi scio qualia sint hoc tempore iudicia quorundam, qui sunt tubae maximorum motuum. Pastores harum regionum concordes esse et unum in Deo, maxime opto. Et quam necessaria sit nobis concordia propter alios, qui graviores controversias movent, res ostendit. Hodie accepi literas, in quibus mihi scribitur, dixisse Prussiacum Gorgiam: er wolle mir ein Ader schlagen, daß das Blut in ganz Deutschland springen soll *). Cogita carissime Christophore, quam atrox haec vox sit: sed oro filium Dei, ut nos regat. Scio me miserum hominem his maximis causis, in quibus versor, non esse parem; sed fideliter in docendo quaesivi veritatem, cum magnae essent opinionum dissimilitudines. Sed Deo et Ecclesiam et me et omnes pios doctores et auditores commendo. Bene vale. 4. Avril. 1551.

Philippus Melanthon.

*) Edidit hoc tempore Osiander libellum: Aderlassen Herrn Philippi.

No. 5086. 5. Apr.

### *W. Meienburgio.*

Epist. lib. V, p. 550 sq.

*Mich. Meienburgio, Consuli Northusano.*

Honestissime vir, et amice charissime. Multae fuerunt causae, quae me monuerunt, ne pergerem Tridentum: sed hae duae fuerunt praecipuae. Belli fama, et quod videbam, secuturas esse novas calumnias de meis actionibus in Synodo. Nunc fama huc allata est, Tridentum peti a Gallico et Helvetico exercitu. Haec si vera est, meum consilium minus reprehendetur. Sed commendemus Deo Ecclesiam, et nos in ea.

Placuit mihi et Doct. *Schneidewin*, ut filius *Christophorus* ad Matrem et ad fratrem, ac ad sororem expatiaretur, praesertim cum in his feriis intermittantur Iurisconsultorum lectiones. Ac Deum oro, ut vos et vestros servet incolumes. De filio *Michaële* meum consilium est, ut Ienae aliquantisper adhuc maneat, quia certe hic pestilentiam, metuo, grassaturam esse, etsi adhuc aëris salubritas est. Bellum etiam studia nondum impedit. Mihi novum bellum infert *Osiander*, qui spargit atroces minas. Sed Deus aderit nobis. Bene valete, et saepe ad nos scribite. Die 5. Aprilis 1552.

Philippus.

---

No. 5087. 6. Apr.

### *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 190 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 175.

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori Norib.*

S. D. Nulla vox in coelo et in terra unquam ardentior audita est precatione filii Dei in Agone recitata, qua petit, ut et servetur Ecclesia et ut unum simus in Deo. Haec precatio cum non sit irrita, speremus Ecclesiam non interituram esse, et ut vos et vestras familias et urbem protegat Filius Dei, toto eum pectore vobiscum oro. Saepe enim et de vestris periculis cogitamus. De bello tantum hic gemitus populi audimus [1]). Quid alibi fiat, prorsus ignoro. Picturas etiam vidimus ex Bruti historia translatas pileum et pugiones. Miror autores talium ineptiarum oblitos esse exempla proximi belli. Sed unde haec oriantur facile est ratiocinari. Etiam horridi flatus a Baltico litore nos feriunt. Iam liber contra me [2]) editur, ac dicitur *ὅτι ταμεῖ φλέβα μοι ὁ δημήγορος, ὅθεν αἷμα ἐς ὅλην Γερμανίαν ἀναβράξει* [3]). Sed oro filium Dei ut ipse nos gubernet, et non sinat extingui veritatem.

Filio tuo carmen mitto etiamsi exemplum antea dedi. Equum adhuc ad subitum iter retineo, et Reip. vestrae gratiam habeo pro multis beneficiis, ac Deum oro ut vos protegat.

*Michaëlis Rottingi* filio reverenter peto diutius tribui stipendium, ut vocatis, quia bona cum spe in studiis versatur. Et si iudicabis profuturum esse, aut opus esse, etiam ad Senatum vestrum ea de re scribam. Commendo hoc negotium tuae et prudentiae et humanitati. Bene et feliciter vale. Die Natali Socratis, videlicet 6. Aprilis [4]).

Philippus Melanthon.

---

No. 5088. 6. Apr.

### *H. Besoldo.*

Epist. lib. V. p. 225 sq.

*Hieronymo Besoldo (concionatori Noriberg.)*

S. D. Charissime frater. Quod Filius Dei orat, ut faciat aeternus Pater, ut unum simus in ipso, idem et te et alios multos cum hoc summo sacerdote nostro petere non dubito. Et ad huius summi sacerdotis nostri precationem meos gemitus et vota adiungo. Vestra benevolentia et omnium officiis valde delectatus sum, et opto, ut Deus tueatur consensum totius Ecclesiae vestrae, et protegat hospitium vestrum. Certamina hyperborea crescent. † Iam enim liber contra me grandis scri-

---

1) Spanh. mendose: *auditur.*

2) Spanh. mendose: *nos.*

3) Libellus contumeliosus in Melanthonem: „Aderlassen Philippi."

4) Alia manus adscripsit: 1552.

bitur, et dici audio, φλέβα μοὶ ταμεῖσθαι [1]), ὡς τὸ αἷμα εἰς ὅλην Γερμανίαν ἀποβράσσειν. Sane terribilis vox est. *Brentii* conciliatione [2]) praegravamur, quae tamen qualis sit nondum scio" [3]). Sed Deo me et caussam meam commendo. Nec vinci aegre feram, si vincet veritas, ac Filium Dei oro, ut ipse veritati patrocinetur.

Mitto Reverendo Dn. Abbati Aegidiano, hospiti nostro valde officioso, duos libellos περὶ δικαιοσύνης, quorum alter ab *Illyrico*, quem fortasse vidisti, alter a *Pastore Leucopetraeo* scriptus est, quem nondum ad vos pervenisse arbitror, cuius perspicuitas mihi valde placuit. Inspicies igitur, si nondum vidisti. Bene vale. Die natali Socratis.

*Michaëli* salutem opto, de cuius filio scripsi ad Clarissimum virum *Hieronymum Bomgartnerum*, et scribam ad Senatum, si volueritis. Quaeso, ut scribas ad nos, quoties erit occasio mittendi literas. Hic ferebatur, Imper. Ulmam accessisse, sed certi nihil habeo.

Philippus Melanthon.

---

No. 5089. 6. Apr.

## Friderico Abbati.

Epist. lib. VI. p. 316 sq. Hic ex autographo, senili Melanthonis manu exarato, in cod. Monac. I. p. 290.

*Reverendo viro, eximia pietate praedito, Dom. Friderico, Abbati Aegidiano, in inclyta urbe Noriberga, amico suo colendo,*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Duarum maximarum virtutum officia praecipit Deus, quoties postulat ut grati simus, videlicet veritatis et iustitiae. Fatetur veritas, a quo sit acceptum beneficium, et meminit ac praedicat. Haec semper praestari possunt. Iustitia obligat ad mutua officia, sed quae praestari possunt. Ac veritatem semper erga Deum in praedicatione beneficiorum ipsius praestare necesse est. Reddere autem Deo alia munera quae possumus? Ita veritatem vobis praestabo, nec obliviscar beneficentiae Senatus et vestrae, et praedicabo perpetuo. Reddam et hoc officium, debere me vobis sentiam, et Deum orabo, qui vult nos intelligere et praestare gratitudinem, ut vicissim vobis benefaciat, protegat urbem et Ecclesiam et vos. Meis verbis dicetis etiam honestissimae matronae coniugi vestrae, me vera gratitudine et agnoscere multis beneficiis ab ipsa nos affectos esse, et Deum orare, ut ipsi vicissim benefaciat. Mitto vobis libellos, quia hoc tempore alia magis convenientia munera mittere non potui. Bene valete, die 6. Aprilis.

Philippus Melanthon.

1) Intelligit librum Osiandri: Abberlassen Philippi.

2) *conciliatione*] edidi pro *conciliationem*, quod mendum est.

3) Addit haec A. D.

---

No. 5090. 8. Apr.

## G. Cummerstadio.

Epist. lib. II. p. 363. (ed. Lond. lib. II. ep. 359.).

*Magnifico viro, sapientia, virtute, et Nobilitate generis praestanti, D. Georgio Cummerstat, Doctori Iuris, Consiliario Inclyti Ducis Saxoniae Electoris etc. Patrono suo colendo,*

S. D. Magnifice vir et patrone colende, Etsi in tanto luctu vestro privato [1]) et publico, non libenter vos interpello; tamen talis est vita, ut necesse sit ad eos, qui sunt in gubernatione, multa referre. Doctor *Benedictus* [2]), honestus senex, decessit ex hac vita, et parvas filias duas et filiolum annorum quinque reliquit. His opus est educatione apud sororem nuptam viro docto, Doctori *Michaëli Tubero*, qui si discederet, hoc maternum officium soror praestare non posset. Est autem recte doctus in Iure, ut saepe audivi de eo adfirmantes Doctores alios. Oro igitur, ut ipsi lectio, quam socer habuit, tribuatur. Vox divina dicit: *Sis orphano pater, tunc Deus te plus diliget, quam mater tua.* Et collocavit vos Deus in hoc officio, ubi multorum orphanorum pater estis. Vicissim igitur vos servabit, et ut servet eum oro. Bene et feliciter valete. Die 8. Aprilis.

1) Uxor Cummerstadii morte abrepta fuerat, vid. ep. d. 5. Febr. h. a.

2) Benedictus Paulus, Doct. Iuris. Vid. Scripta publ. T. I. p. 402.

No. 5091. 9. Apr.

## M. Meienburgio.

Epp. lib. V. p. 682 sq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Spero, filium *Christophorum* Islebiam venisse salvum et incolumem, quo expatiari et malebat ipse, et D. *Schneidewein* et mihi magis placebat. Studia hic, Dei beneficio, adhuc mediocria sunt, ut ex ipso *Christophoro* iam vos intellexisse arbitror. Quod autem de hospitio nobis istic praebendo cogitatis, et gratitudinem debeo vobis pro hoc beneficio et multis aliis, et gratiam habeo, ac Deum oro, ut vicissim vobis benefaciat.

Ego nondum hinc discedam, nec possum discedere propter parvam filiolam. Priore bello retinebar in his Regionibus morbo filiae *Sabini*, nunc retineor morbo filiae alterius generi. Antea etiam movebar Collegarum exiliis, et cura conservandi hanc formam studiorum. Haec cogitatio adhuc me retinet, et Deo Ecclesiam, et vos, commendo. Scitis, me alienum esse a consiliis horum bellorum. Si non nimis occupatus essem, colloquii causa vellem ad vos expatiari: sed spero, nos Lipsiae conventuros esse. Filium *Michaëlem* adhuc aliquamtisper Ienae manere commodius est, ac magis moveor metu morborum, quam belli. In hac hora literas M. *Adami* accepi, quas mitto. Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, servet vos et vestros incolumes. Bene valete. Die 9. Aprilis Anno 1552. Aiunt, Moguntiam occupatam esse ab Hessiaco exercitu. A Noribergensibus petitum est, ut respondeant de similibus Articulis, sicut Francophordianis proposita sunt. Bene vale.

Philippus.

---

No. 5092. 9. Apr.

## G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 407.

Sum Pater, et, ut ego existimo, nec ἄστοργος, nec ferreus, quare de coniugio et nostris familiis necesse est, me multa et saepe cogitare. Cum igitur audivissem, te sponsum esse, et gratulatus sum tibi hanc piam voluntatem, et Deum, Conditorem generis humani, et dulcissimi foederis coniugalis autorem precari coepi, ut tribuat tibi placidum et felix coniugium, et efficiat, ut privata etiam tua domus sit Ecclesia, ut et coetus tuorum auditorum vere est DEI Ecclesia. Hanc epistolam scripsi *Lipsiae*, cum de te interroganti amici haec narrarent, quae scripsi. Sed certiora ex tuis literis cognoscemus. Exhibebit autem epistolam, vir excellens ingenio, eruditione et integritate morum, Doctor Medicus, *Crato* Vratislaviensis, qui tuam amicitiam valde expetit. Scis autem, me optare, ut quamplurimi in Deo unum simus. Et saepe recito dulcissimum versum tuum; *Sint unum, doceant unum, fateantur et unum.* Bene vale, et rescribe. Die 12. Maii.

---

No. 5123. 13. Maii

## P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54².

*Petro Vincentio, gubernanti literarum studia in inclyta urbe Lubeca.*

S. D. Carissime frater. Ita sensi verum dolorem ac paternum in morte *Hieronymi* nostri, ac si ex me natus esset. Sed obtemperandum est voluntati divinae, nec dubito, quin iam sit in illa Academia coelesti, ubi fontes sapientiae haurit non dilutos aut exiguos rivulos. Quoties cogito de nostra caligine, evolare in lucem illam cupio. Te quoque scio magno dolore adfici. Sed teneamus consolationes divinitus traditas. Corpus tabe attenuatum est, unde coniecturam facio, fuisse naturam imbecillem. Et tempus natalis ipsius scire cupio. Medicatio fidelis fuit, sed optarim me citius scivisse ipsum aegrotare. Tui fecit amanter mentionem ante mortem.

Balthicus Gorgias iam edit ingens volumen contra me. Vidi paginas aliquot plenas atrocium conviciorum; sed brevi totam Gorgonem videbo, adversus quam me tueatur non Orci galea, ut Perseum, sed, ut inquit Paulus, *ἡ περικεφαλαία τοῦ σωτηρίου χριστοῦ.* Mitto tibi Siracidem, libellum a *Camerario* editum, si nondum vidisti. Scio iucundum munus fore. Existimo, te et *Valentinum* tabulas Palaestinae a nobis missas accepisse. Commendo tibi *Henricum Thassonium*, honestum virum et eruditum, quem spero usui fore Ecclesiae, et assiduitatem iam in morbo praestitit Hieronymo. Hortare cives aliquos, ut ipsi opem ferant sua liberalitate. Bene vale, die 13. Maii, et rescribe. Salutem opto *Valentino.*

Philippus.

De aere alieno, quod Hieronymi nomine debetur, quaeso, ut patronos eius horteris, ut hoc postremum officium praestent optimo adolescenti, ut debita solvantur.

---

No. 5124. 18. Maii.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 81. (ed. Lond. lib. II. ep. 65.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Scimus in hac ultima, languida et delira mundi senecta magnas futuras esse Imperiorum confusiones, et sancti viri praedixerunt nominatim *Turcicam*

---

*) Danz. *moerore mei*, cod. Goth. 188. *moerore meo*, utrumque ex mendo. Erasmi Salveldensis coniux mortua fuerat ultimo Aprilis a. 1552. Cf. Scripta publ. T. I. p. 409.

Tyrannidem in tota *Europa* late grassaturam esse. Fuit Isenaci *Iohannes Hilten* Franciscanus, cuius vidi enarrationem *Danielis* scriptam ipsius manu. Ibi vaticinatus est anno M. D. XVI. initium fore inclinationis Pontificiae potentiae, et deinceps paulatim magis ruituram esse, nec futuram esse restitutionem Pontificiae autoritatis. Idem praedixit *Turcos* in *Italia* et *Germania* regnaturos esse circiter annum M. D. C. Extat *χειρόγραφον* eius viri. Et terrae motibus significari *Turcica* bella existimo: Sed tamen spero Filium Dei et servaturum esse reliquias Ecclesiae suae, et praesentes aerumnas mitigaturum esse. Hodie audivi *Eustathium Slibenium* scripsisse Marchioni Electori, pacem fore inter Imperatorem, Regem *Ferdinandum* et Principes *Germanicos*, Ducem *Mauricium* et alios: Deus gubernet haec consilia, et Ecclesiis piam tranquillitatem concedat. Iam apud nos editur forma Ecclesiarum *Megalburgensium*, eamque ob causam adest *Iohannes Aurifaber* Doctor Theologiae et lector Rostochianus. Huic dedi nomisma alterum ex his siclis a te missis. Tuum officium in cudendo laudo, et mitto precium pro duobus siclis, sed Ebreae literae in Epigrapha non sunt venuste expressae. Vellem plures nobis pro precio cudi, et arbitror vos posse curare, ut figura literarum rectius effingatur. Bene vale. Die 18. Maii, 1552.

---

No. 5125. 18. Maii.

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 511. (ed. Lond. lib. II. ep. 537 sq.).

### *D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Certum est et Ducem *Saxoniae* Electorem, et fratrem *Augustum* scripsisse ad quosdam, spem esse pacis in *Germania*, et quidem profuturae orbi *Christiano*, et ducendos esse exercitus in *Pannoniam*, ubi recens accepta est clades mediocris. Etsi quid agatur in hoc bello, non scio, tamen saepe cogito *στρατήγημα* esse, ac longe aliud agi, quam ostenditur. Nos a Filio Dei petamus et expectemus defensionem, et suo quisque loco, communi utilitati serviamus. Studia vicinarum Academiarum, Dei beneficio, adhuc mediocria sunt. Fratres, Dei beneficio, recte valent et discunt. In *Poloniam* vocantur homines idonei ad docendum Evangelii doctrinam, permittente Rege. Praeter haec nihil habebam dignum literis. Bene vale et rescribe, quoties est occasio. Nec meum in hoc genere officium tibi deerit. Die 18. Maii. Salutem opto viro clarissimo socero tuo et vobis omnibus.

---

No. 5126. 25. Maii.

## *B. Mithobio.*

Epist. lib. II. p. 348. (ed. Lond. II. ep. 854.). — Autographon asservat proles Mithobii, *Iustus Fridericus Mithoff*, Senator Hannoveran., quod mihi descripsit D. *Luthmer*, Pastor Hannov.

### *D. Burcardo Mithobio*

S. D. Charissime vir et amice integerrime, Cum vaticinia tua de hoc anno legerem, in quibus hortaris, ut se quisque intra sui muneris metas contineat, nec moveat Rempub. sine vocatione, sciebam iam instrui eas res, quae nunc motae sunt. Tuam vero adhortationem et tunc probabam et adhuc probo. Vides quanta sit sociorum dissimilitudo. Sed nos Filium Dei oremus, ut suam Ecclesiam et nos in ea servet, et gubernet. Studia doctrinarum adhuc mediocria sunt in his vicinis Academiis, quae utinam non dissipentur novo bello. Meo scripto moderatissimo *Prussiacus Gorgias* *) respondet atrocissime. Sed oro Deum ut illustret veritatem. Bene vale, et interdum ad nos scribe. Die 25. Maii.

Philippus Melanthon.

---

No. 5127. 1. Iun.

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 695 sq.

### *Mich. Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Integerrime vir, amice charissime. Meum consilium de filiis meministis. Nunc videmus, latius vagari contagia luis. Et deliberamus ipsi

---

*) Osiander in libro: Widerlegung der ungegründeten, undienstlichen Antwort Melanthons samt D. J. Pomerani unbedachten und D. Jo. Försters Lästergezeugniß wider mein Bekenntniß zu Wittenberg ausgangen. Königsb. 1552. 4.

de secessu, ac multis suademus, ut iam discedant. Quare iterum suadeo, ut filios hoc tempore non mittatis in aërem hunc insalubrem. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut vos et vestros omnes servet incolumes.

De bello non libet scribere. Hoc certum est, Comes *Volrad* irrupit in oppidum *Ratzeberg* prope Lubecam, et diripuit ea, quae apud Canonicos invenit. Bene et feliciter valete. Die prima Iunii 1552 *).

Philippus.

---

No. 5128. 1. Iun.

## G. Maiori.

Epist. lib. V. p. 340 sq.

*Georgio Maiori* (*Superintend. Islebiae*).

S. D. Reverende vir, et charissime frater. Etsi adhuc, Dei beneficio, mediocris frequentia est Academiae, tamen vagari latius contagia luis incipiunt: quae eo magis metuimus, quia siderum positus significat insalubritatem huic loco. In Autumno Saturnus, in Aquario erit oppositus Marti in Leone. Quare de secessu nos quoque deliberamus. Ut exulat in mundo Ecclesia, sic nostrae familiae incertis sedibus vagantur: quas ut Filius Dei custodiat, toto eum pectore oro. Ipse perspicit pectora nostra, et scit, nos pio studio quaesivisse veritatem. *Balticus Gorgias* rabiosissime scripsit contra nos. Sed Deo iuvante graviter respondebo; utrius cursus ex Deo sit, ostendet eventus: et Ecclesiarum iudicia non contemno.

De bello nihil certi scribere possum. Oro autem Filium Dei vobiscum: ut restituat piam et salutarem pacem. Et coniecturis quibusdam moveor, ut pacem sperem. Bene et feliciter vale. Cal. Iunii. 1552.

Philippus.

---

No. 5129. 2. Iun.

## D. Chytraeo.

Ex David. Chytraei epistolis p. 1228.

*) Saub. mendose: 1522.



*Davidi Chytraeo.*

S. D. Mediocrem mihi dolorum levationem attulit consuetudo dulcissima viri doctissimi et integerrimi D. *Iohannis* [1]), qua et in huius Academiae militia satis difficili, frui perpetuo optarim. Nam postea in vita coelesti perpetuam fore non dubito. Tu in tanta confusione temporum, et sociorum κακοηθείαις gratuleris tibi hunc παραστάτην, intelligentem, candidum et eruditum. Vidi *Gorgonem Balthicam* adversus me editam, contra quam me defendat non Orci galea, ut olim de Perseo dictum est, sed ἡ περικεφαλαία σωτηρίου χριστοῦ, ut Esaias et Paulus loquuntur. Ego et Christi et Ecclesiae iudicio me subiicio. Certe perfidiose nihil feci in hac tanta causa, ut me criminatur ista Gorgo. Respondebo latine, nec possim etiamsi vellem convitiis certare. Utinam Academiae pium consensum tueantur. De patria tantum haec scio. Die Maii octavo Rex Gallicus ipse cum magno exercitu ad *Hagonoam* accessit [2]). *Argentina* parat se ad defensionem. *Noribergam* nunc obsidet *Marchio Albertus.* Circa *Ullmam* [3]) et *Noribergam* pagi plures quam septuaginta, ab istis liberatoribus patriae accensi sunt. Oremus filium Dei ut leniat poenas, et servet Ecclesiae reliquias. Bene vale, et saepe ad nos scribito. 2. Iunii.

Philippus.

---

No. 5130. 3. Iun.

## G. Maiori.

Epist. lib. V. p. 339 sq.

*Georgio Maiori.*

S. D. Reverende vir, et charissime frater. Ut in Iudaea, cum passim vagarentur exercitus ex pessimis gentib. collecti, ex Syriacis, Arabibus, Parthis, Romanis et aliis: tamen Deus protexit familias piorum in tota regione sparsas: et in his matronas et virgines praestantes forma et ingeniis, celebratas etiam propter sapientiam: ita nunc quoque, spero, protecturum esse nostras familias. Et hoc exemplum saepe mihi in magnis doloribus

1) Aurifabri, Witebergae versati.
2) Factum id est d. 7. Maii 1552. Vid. Sleidan. p. 764.
3) Vid. Sleidan. p. 762.

proposui: cum simul intueretur mens in ea dicta: quae affirmant, Deum custodem et conservatorem esse et Ecclesiae suae et hospitiorum Ecclesiae. Sicut de Ecclesia inquit: Omnes capilli capitis tui numerati sunt. Et: Ero murus igneus in circuitu eorum. Hac erecti consolatione speremus Deum filiis et filiabus nostris daturum esse aliquos mediocres nidulos.

Tuae filiae gratulor honestum coniugium, et Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, Conditorem humani generis, et autorem dulcissimi foederis, oro, faciat, ut coniugium et sponsae et sponso sit faustum et felix, et Parentibus utriusque iucundum. Ac, ut significatio voti mei apud vos extet, mitto sponsae *γαμήλιον*, quod ei a te exhiberi volo. Inscriptio commonefacit nos de Filio Dei, custode Ecclesiae. Bene et feliciter vale. 3. die Iunii 1552.

Philippus Melanthon.

---

No. 5131. 6. Iun.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 79 sqq. Repetita in Mel. Consil. lat. P. II. p. 118., ubi a Pezelio minus recte ad ann. 1549. relata est.

*Reverendo viro, eruditione et pietate praestanti, domino Georgio Buchholzer, Praeposito Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, amico suo colendo.*

Venerande vir, et amice charissime: Multi boni et prudentes iudicare possunt, mediocre meum studium fuisse, ut cum ab aliis controversiae multae et magnae, in quibus multa indistincte dicebantur, motae essent, explicatio extaret proprio genere sermonis, necessaria iunioribus, et paci utilis. Quid ambiguitas semper gignit discordias. Spero etiam ad consensum Ecclesiarum in multis locis, profuisse illam propriam loquendi formam. Neque nunc genus doctrinae mutabo, neque curam proprie et recte loquendi deponam. Sed saepe ex aula vestra insuaves reprehensiones audio, quas publicae tranquillitatis causa dissimulo. Retineo exclusivam: et sicut antea plerumque usus sum particula *Gratis*, quae minus habet ambiguitatis, et a Paulo usurpatur, qui, ut artifex, recte loqui voluit, ita adhuc ea particula utor. Cito etiam in ipsa refutatione, quam misi, dictum: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, sic Prophetae exclusivam expresserunt. Sed de particula *Sola*, perpetua est haec adversariorum cavillatio, Fidem non esse solam. Quod verissimum est, de ea praesertim fide, de qua loquuntur Ecclesiae nostrae, cum Evangelii propriam vocem repetunt, Fide iustificamur. Vitandae igitur ambiguitatis causa dico, me hic non litigare de particula *Sola*. Et scitis quam multi flagitiose intelligunt particulam *Sola*. Iam vero in refutatione quam misi, pugno cum illis qui dicunt, hominem dilectione iustum esse: item, dilectionem esse iusticiam inhaerentem: et prorsus omittunt fidem, quia cogitant fidem tantum noticiam esse. Hic pugno, ne fides prorsus omittatur, cum virtutes in nobis recensentur. Existimo autem; illam meam refutationem ita firmam et perspicuam esse, ut dextre iudicantibus sine calumnia; satisfactura sit. Et declarationem continet conscientiis utilem. Mitto pagellas et illustrissimo principi *Friderico*, et eius magistro et filiis vestris exhibendas. Iam accepi literas, in quibus scriptum est, Argentorati cives nolle Hispanicas copias in urbem intromittere. Bene vale, die 6. Iunii.

---

No. 5132. 7. Iun.

## A. Lauterbachio.

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 135.

*Reverendo viro eximia doctrina et pietate ornato, D. Antonio Lauterbach, Pastori Eccles. Dei in Birna, fratri suo carissimo.*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Scimus utrunque voce divina praedictum esse, in hac languida et delirante mundi senecta maiores fore generis humani confusiones, quam fuerunt antea, et tamen filium Dei collecturum esse aeternam Ecclesiam etiam inter imperiorum ruinas. Hac nos consolatione sustentemus. Nec profecto ullam aliam consolationem firmam videre possumus. Principum tumultus sunt varii. Quo die captivo principi, Duci *Iohanni Friderico* indicata est liberatio, imo qua hora, videlicet die 19. Maii hora quarta, in hoc oppido ante portam repagulum fulmine ictum est. *Carolus* Imperator et Rex postea ex *Oeniponte* discesserunt, et ratiocinantur aliqui, Bohemiam vobis vicinam fore belli sedem. Id si

ita erit, terrae motus hanc tantam rerum mutationem significarunt. Nos filium Dei, dominum nostrum I. C., oremus ut nobis adsit, et servet horum regionum Ecclesias et earum hospitia, et leniat poenas.

Pro piscibus tibi gratias ago, sed gratior est benivolentia tua. Bene vale. Die 7. Iunii 1552.

Ph. Melanthon.

---

No. 5133. 7. Iun.

## *P. Vincentio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ¹.

*D. Petro Vincentio, gubernanti studia literarum in inclyta urbe Lubeca.*

S. D. Tuas literas et desidero et flagito; quare dabis epistolam huic nuncio. Die vicesimo Maii expugnata est arx in faucibus Alpium, quae novem milliaribus distat ab oppido, cui nomen est ab Oeni ponte, in quo oppido usque ad id tempus fuit Imperator *Carolus*. Ea arce occupata Hessiacus exercitus properavit ad *Oenipontem*. Vespere duo fratres, Imperator et Rex, cognito hostium adventu discedunt ex oppido, et nocte arduum montem superant. Potest hoc quoque numerari inter insignia exempla inconstantiae rerum humanarum, etsi nondum huius confusissimae tragoediae finis est. Nos hic et bellum et luem timemus. Oramus *) autem filium Dei, ut mitiget publicas et privatas miserias. Bene vale et rescribe. 7. Iunii.

Philippus.

---

No. 5134. 8. Iun.

## *L. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 510. (ed. Lond. lib. II. ep. 536.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Opto faustum et felicem reditum charissimis fratribus tuis. In *Henrico*, Dei beneficio, excellens virtus et prudentia est, quare eius tibi consuetudinem

*) *Oremus?*

voluptati fore spero. Fui suasor, ut hinc discederet, quia lues grassari coepit. Et siderum positus denunciat saevam pestilentiam, quia compertum est hic, cum sunt oppositi *Saturnus* et *Mars* in *Aquario* et *Leone*, grassari luem. Deus adsit nobis. Postquam Imperator et Rex, et Dux *Iohannes Fridericus* ex *Oeniponte* discesserunt, opinio est *Bohemiam* belli arcem fore. Inde igitur inferetur bellum viciniae. Oro Filium Dei, ut poenas mitiget. Bene vale. Die 8. Iunii.

---

No. 5135. 10. Iun.

## *G. Cummerstadio.*

Epist. lib. II. p. 854. (ed. Lond. lib. II. ep. 860.).

*D. Georgio Cumerstadio*

S. D. Magnifice vir et patrone colende, Praedixit ipsa vox divina ruinas Imperiorum, et vult nos non frangi dolore, sed petere et expectare mitigationem publicarum et privatarum calamitatum. Hanc vos consolationem saepe intueri existimo. Nobis ad caeteras miserias accedit hoc periculum, quod vagari lues in hoc oppido coepit. Et hic annus ordinarius est, et siderum positus, qui solet adferre luem. Propterea de secessu Academiae deliberatum est. Et senatus *Torgensis* obtulit hospitium, praesertim cum non magna multitudo nos hoc belli tempore sequi possit. Accedit autem Rector ad vos, ut consilium et sententiam vestram sequatur. Bene et feliciter valete, Die 10. Iunii.

---

No. 5136. 23. Iun.

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 701 sq.

*Mich. Meienburgio, Consuli Northusano.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Certum est, Deo curae esse Ecclesiam suam, in qua nos quoque sumus, nec sinet eam prorsus dissipari: Petamus igitur ab eo, et expectemus auxilium, sicut saepe praecepit. Et hac nos consolatione sustentemus.

Filius *Christophorus Torgam* profectus est cum Doctore *Schneidewein*, cui dedi Ioachimicos 18, duos dedi huic *Andreae Fabricio*, quem ad vos mitto, quia iudicio eius industriam Michaëli filio profuturam esse. Frater est *Georgius Fabricius*, qui gubernat scholam Misnensem, quem vidistis, cum apud eum essemus proxima hyeme *). Et hic *Andreas* fratrem in docendo adiuvit. Homo valde modestus est, et scribit erudite solutam orationem, et carmen. Est pauciloquus, sed hoc melius est, quam si in alteram partem peccaret. Quanquam vestra comitate poterit excitari. Bene et feliciter valete. Die 23. Iunii.

Philippus.

---

No. 5137. 29. Iun.

## Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 64. Cod. Goth. 188. ep. 128.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio,* φιλτάτῳ καὶ τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις καὶ ἐμοί S. D.

Cariss. *Stigeli.* Etsi aerumnosus est asinus, quem descripsisti, tamen multo est beatior, quam ille, qui dicitur ὄνος ἐν πιθήκοις, quales et fuimus et sumus inter aulicos. Sed Deo nos commendemus, qui respicit humilia in coelo et in terra. Mitto tibi exempla Elegiae de asino, mox editurus et *Ioannis Baptistae* historiam. *Paulus Eberus* mittit tibi pagellas, quae continent quaedam recitata in enarratione sylvulae περὶ ψυχῆς. Mittam autem per alios nuntios aliorum descriptiones, qui emendarunt quaedam σφάλματα in Anatomia accuratius. Nondum erat editum *Wesalii* opus, cum ego haec initia colligerem ex *Galeno* et *Carpo.* Et confusior est *Carpi* doctrina. Etsi igitur mediocri diligentia excerpsi praecipua, tamen postea vidi, opus esse emendatione. Et si vivam, retexam totum libellum. Necesse est enim in Ecclesia exstare mediocriter explicatam doctrinam de discrimine potentiarum animae. Et quanquam haec sylvula profuit multis, tamen δευτέραι φροντίδες aliquid lucis adferent. Bene et feliciter vale. *Paulus Eberus* optat tibi et tuis omnia fausta. *Francisco Burcardo* gratiam habeo, quod ad nos accessit, qui quidem et amanter et honorifice de te locutus est. Scripsi haec in aedibus *Pauli* subito, alias plura scribam. die Petri et Pauli.

Philippus Melanthon.

---

No. 5138. 30. Iun.

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 241. (ed. Lond. lib. II. ep. 239.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Memini dolores vestros, quos gravissima oratione et crebris gemitibus significastis, cum de belli initiis colloqueremur, et meminisse vos scio meam moesticiam. Nunc postquam haec seu errore seu fato mota sunt, quid aliud possumus, quam ut Filium Dei oremus, ut sedatis tantis fluctibus cymbam suam servet. Et multorum gemitus et vota hoc petere non dubito, quae certe Filius Dei exaudiet. Credo sapienter et fideliter consuluisse ipsi Principi dissuasores belli. De conventu in *Passaw,* de *Noriberga* et de *Carolo* Imperatore scripsi in pagella quam addidi, ea quae recens audivimus. Concionum C. V. exempla aliquot dedi aliis, ubi etiam prodesse Ecclesiis iudicabam. Liber *Mekelburgensis* nondum est finitus, sed pauca restant, mitto igitur medias paginas, de Ordinationis ritu et de Visitatione. Mitto et carmen de promotione Magistrorum. Plura nunc non habebam. De secessu ad *Torgam,* scribam cum eo venero. Nam hic me adhuc multa negotia retinent. Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oro, ut C. V. et Illustrissimum Principem *Ioachimum* et has regiones protegat, et nos omnes regat. De scripto concionatorum *Marchionis Iohannis* ago gratias C. V. Sunt autem huc allata multa exempla et publice venduntur. Bene valeat C. V. Die 30. Iunii.

---

No. 5139. 30. Iun.

## (Testimon. Herespachio datum.)

(Ex Io. Mart. Schamelii Numburgo literato, (Lips. 1727. 4.) p. 125. et ex autographo iterum edita in *C. G. Bergeri,* kurze Beschreibung der Merkwürdigkeiten die sich in Eisleben etc. p. 72.)

---

*) mense Decb. 1551.

*Omnibus lecturis has literas*
S. D.

Utrumque voce divina praedictum est, in hac languida mundi senecta et futuras esse maiores generis humani confusiones, quam fuerunt antea, et tamen Filium Dei collecturum esse aeternam Ecclesiam, etiam inter imperiorum ruinas, et quidem in iis populis, inter quos Evangelii vox sonat incorrupta. Hac nos consolatione vera sustentemus; speremus etiam, Ecclesiae hospitia aliqua futura esse. Laudanda est igitur virtus eorum, qui doctrinae studia colunt aut adiuvant. Quare et hunc *Thomam Herspachium*, natum in oppido Gottha, in familia honesta, omnibus bonis viris commendo, qui, cum natura ipsius sit doctrinae avida et capax, et ad virtutem incitata, studiose didicit latinam et graecam linguam, initia Philosophiae et doctrinam Ecclesiae Dei. Et animi pietatem honesta morum gubernatione declarat, et vera Dei invocatione. Amplius triennio audivit virum doctissimum, *Martinum Sidemannum*, in inclyta Academia Erfordiana. Postea in Academia nostra amplius anno commoratus didicit exordia dulcissimae doctrinae de motibus coelestibus, et decrevit in inchoatis studiis doctrinae Christianae et Philosophicae commorari, et Deo iuvando reipublicae [1]) servire. Est omnino sua cuique virtus praecipua commendatio. Quare honestorum et prudentum virorum benevolentia et officia huic Thomae non deerunt, ubi ingenium eius, studia et modestiam consideraverint. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum I. C. crucifixum pro nobis et resuscitatum [2]), ut hunc Thomam servet incolumem et gubernet, et faciat eum *σκεῦος ἐλέους* et organum salutare Ecclesiae et suae animae. Bene vale, Candide Lector. Datum An. 1552. die Iunii 30. quo ante annos 49 natus est Princeps optimus, Dux *Iohannes Fridericus*, quem ut Deus protegat precamur.

Philippus Melanchthon
manu propria.

---

**No. 5140.** **30. Iun.**

## *M. Collino.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [b].

1) Schamel. edidit *Ecclesiae.*

2) *et resuscitatum*] non edidit Berger.

*Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.*

S. D. Carissime frater. Nuper cum forte aliud quaererem, in Plutarchi Alcibiade pag. 69. inveni haec verba: *καὶ τὰ μυστικὰ συμπλεκόντων ὡς ἀπὸ μιᾶς ἐπὶ νεωτερισμῷ συνομοσιάς πεπραγμένα.* Venit mihi in mentem haec verba legenti figurae *ἀπὸ μιᾶς* apud Lucam. Etsi autem his additum est substantivum, tamen id quoque ad Lucam congruit. *Iacobus* [1]) ornatus est publico gradus testimonio, quod ei libenter tribuimus propter ipsius virtutem et eruditionem. Mitto carmen de renunciatione testimonii. Orationem de *Capnione* mittam quam primum potero. Nunc enim a typographis nondum edita erat. Teque oro, ut saepe nobis scribas. Etsi enim in Ecclesia coelesti magis fruemur amicitia nostra, tamen nunc quoque, donec possumus, colloquamur, praesertim cum nova exilia expectemus. Scis autem illud: *ἡδύ γε φίλον λόγος ἐστὶ λυπουμένοις.* Bene vale. Die natali Ducis Iohannis Friderici [2]), 1552.

---

**No. 5141.** **1. Iul.**

## (*Testimon. Iacobo Camenic. datum.*)

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [a].

*Testimonium Ph. M. de M. Iacobo Cameniceno.*

S. D. omnibus lecturis has literas. Habuit graves causas reverendus vir, Dominus *Iacobus Camenicenus* Boiemus, qui pastor fuit Ecclesiae Satzensis, propter quas testimonium publicum doctrinae petivit. Cum enim quidam ipsius inimici doctrinam, quam pie et fideliter docuit, calumniati sint, cognosci eam a toto collegio nostro voluit, et iudicium nostrum audire. Itaque postquam eum diligenter audivimus de omnibus articulis doctrinae christianae, affirmo, eum recte sentire et amplecti consensum catholicae Ecclesiae Dei, quem et nos uno spiritu et una voce cum Ecclesia catholica Dei profitemur, et a falsis et super-

1) *Iacobus Camenicenus*, Pastor in oppido Saatz, liberalium artium magister et Philosophiae doctor creatus d. 28. Iunii 1552. Quaestiones, de quibus disputavit, quasque ei praescripsit Melanthon dabimus in quaestionibus Academicis. Is erat illo tempore exul. Vid. scriptum d. 1. Iul. 1552.

2) nati d. 30. Iun. 1503.

stitiosis opinionibus Monachorum et ab aliis fanaticis furoribus, qui recto iudicio in Ecclesiis nostris improbantur, abhorrere. Hanc animi pietatem vera invocatione Dei et optimis moribus exprimit, et ostendit eam ante confessionis constantia in carcere. Itaque ut sinceritatem doctrinae et caeteras eius virtutes probare nos ostenderemus, de collegii sententia publice in Academia nostra gradu magisterii philosophici ornatus est. Cumque propter contagia luis, quae vagari in oppido et vicinia coeperat, postea discederemus, dedi abeunti hoc iudicii nostri et honoris ipsius testimonium. Ac viros honestos ubique oro, ut eum complectantur ac tueantur. Ego eo etiam libentius semper Boiemos complexus sum, quia iudico, singularem in ea gente gravitatem esse, quam quidem olim in veritatis confessione declaravit. Oro autem filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut faciat hunc Iacobum σκεῦος ἐλέους et ὄργανον salutare Ecclesiae et suae animae. Bene vale candide lector. Calendis Iulii anno 1552. Vitebergae.

P. M.

---

No. 5142. 3. Iul.

## *A. Hardenbergio.*

Epp. ad Hardenberg. ep. 42.

*D. Alberto Hardebergio.*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Aliquanto minus deformis est Ecclesia, donec multi nostri ordinis inter se et sententiis et voluntatibus congruunt. Tueri igitur nostram amicitiam studebo. Et cum maxime avidus sim tui colloquii, quam primum nova mihi exilia suscipienda erunt, ad te accedam. Nam isti novi liberatores [1]) orbis terrarum ita liberant Germaniam, ut maior sit metuenda vastitas. Nec obscurum est, qui fuerint tubae horum tumultuum. Sed Deo Ecclesiam et vos commendo. *Osiandro* latine respondeo. Quod velles me περὶ ἀρτολατρείας scribere [2]), tecum prius deliberare volo. Scis autem, a quibus explicatio impediatur. Et dat poenas totum genus humanum prophanationis. Sed dolore impedior, quo minus prolixe de hac re scribere possim. Bene vale et rescribe. *Medmanno* mitte Epistolam ad ipsum scriptam, cui nuper nihil literarum misi, quia cogitabam eum in castris esse. 3. Iulii.

Philippus.

1) Loquitur de Alberto Marchione. Vid. epist. d. 12. Iul. h. a.
2) Moverat hanc rem Cranmerus; vid. eius epist. ad Mel. d. 27. Mart. 1552.

---

No. 5143. 4. Iul.

## *P. Ebero.*

† Ex autographo Melanth. in bibl. Norinb. descripta a Cl. *Rannero.*

*Clariss. viro D. Paulo Ebero*

S. D. Carissime frater. Adest d. *Caspar a Nidbruk*, qui te et alios quosdam ad coenam in diversorium publicum vocaturus erat. Dixi, me non iturum in diversorium. Te igitur oro, ut iam ad *Casparum* ac nos venias ipse. Cras etiam te venire velim cum duodus *Austriacis* Baronibus, quibus mandabis, ut scribant parentibus. Nam *Caspar* hinc ad *Iohannem*, dein in *Belgicum* ad *Andream* veniet. Quaeso, ut ad nos iam venias. Bene vale, die 4. Iulii.

Philippus.

---

No. 5144. 4. Iul.

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 80. (ed. Lond. lib. II. ep. 18.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, De bello non libet scribere. Nam ut *Simonides* inquit: ἀπὸ ἔργων οὐ καλῶν οὐκ ἔστιν ἔπη καλά. Nos hanc consolationem teneamus, quod scimus Flium Dei custodem esse suae Ecclesiae, qui dixit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Siclus quem misisti [1]), placuit nobis, teque oro, ut pro duobus aut tribus *Ioachimicis*, quos reddam, cudi similes mihi cures. Nunc mitto vobis pagellas. Commendo etiam tibi hunc *Bremensem* Consulis [2]) Filium *Edelartum*, vere generoso ingenio,

1) Vid. ep. d. 1. Maii 1552.
2) *Vasmanni.*

qui expatiaturus in aërem salubriorem videre miracula naturae in vestra *Sarepta* voluit. Quaeso ut eum amicis commendes, ne desint ei hospitalia officia. Ipse vicissim iustitiam, fidem et modestiam hospiti convenientem praestabit. Bene et feliciter vale, die 4. Iulii.

---

**No. 5145.** 6. Iul.

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 89 sq. Hic ex autographo Mel. in cod. Mon. I. p. 65. cuius scriptura docet, Melanthonem has literas non anno 1535. sed senili aetate scripsisse. Caeterum quod argumentum attinet conf. ep. ad Regem Daniae d. d. 12. Iulii h. a.

*Clarissimo viro, eruditione, prudentia et virtute praestanti, Dom. Hieronymo Bomgartnero, Senatori urbis inclytae Noribergae, amico suo carissimo*

**S. D.** Ut tota rerum natura gemit cum Ecclesia, praesertim in hac ultima et languida mundi senecta, ita civitas vestra nunc communium Ecclesiae miseriarum et dolorum partem experta est. Sed misericordiae Domini, quod non consumpti estis; ac vobiscum et lugemus et precamur filium Dei, ut has calamitates leniat. Haec sunt initia vastitatis quae proxime antecedet finem mundi, et de qua praedictiones et consolationes voce divina traditae sunt, quas te meminisse scio. Valde te oro, ut de te, et de tuis aliquid mihi significes.

Auditores nostros dimittimus propter luem, quae hic grassari coepit. *Michaëlem Rottingi* filium, honestum et eruditum adolescentem, tibi commendo. Bene et foeliciter vale. 6. Iulii. Filio tuo mittit meus gener libellum.

Philippus Melanthon.

---

**No. 5146.** 6. Iul.

## *Guilielmo et Georgio Ernesto Comit. Henneberg.*

† Ex autograph. Mel. in Tabulario Henneberg. descripta a Clar. *Schoeppachio*, Doct. Gymnas. Meining.

An die Grafen Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jhesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchte, hochgeborne gnädige Fürsten und Herrn. Ew. Fürstl. Gnaden gnädige Schrift hab ich empfangen, und E. F. G. Gesandten in Unterthänikeit gehört. Wiewohl nu, besonder zu dieser Zeit viel große Betrübniß fürfallen, so hat mir doch das unnöthig Gezänk zwischen den Prädicanten in E. F. G. Kirchen noch besondere Smerzen gebracht. Denn wir wissen, daß Einikeit zu halten in den Kirchen, die rechte Lehr haben, hoch nöthig und von Gott gebothen, und daß der Sohn Gottes vor seinem Blutschweis darumb gebethen, und uns derselbige gebothen hat. Von Personen aber hab ich mich mit dem Ehrnwirdigen Herrn Doctor Johann Forstero unterredt, und sind zum Diaconat bei uns durch Gottes Gnaden noch tüchtige Personen zu finden, die wohlgelahrt, christlicher Sitten, vernünftig und friedliebend sind. Ich hab auch neulich einen zu mir gefordert, Magistrum Laurentium Rulich, von dem E. F. G. Gesandter Bericht thun wird. Ob nu dieser zur Superattendentia zu gebrauchen wäre, wird bei E. F. G. Bedenken stehen. Ich hab auch auf einen andern zur Superattendentia gedacht, der älter ist, und nu etlich Jahr in der Pfarre genug gewesen zu Calb bei Meideburg, an den ich schreiben, und will also E. F. G. Wiederschreiben gewärtig seyn. Der Sohn Gottes wolle E. F. G. beide in Gesundheit lang erhalten, zu seinem Lob und vielen zur Selikeit. Dat. Witeberg 6. Julii anno 1552.

Ew. Fürst. Gnaden
unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

---

**No. 5147.** 7. Iul.

## *Testimonium de Pulzio.*

Editum a *Strobelio* in Melanchthonianis p. 118. Contuli apographon in cod. Goth. 127. in fol. p. 197., quod Paulus Eberus (ut in margine adscripsit) descripsit d. 25. Sept. 1552.).

*Omnibus lecturis has literas* S. D.

Ut tota rerum natura gemit cum Ecclesia onerata ingentibus aerumnis: ita et inclyta et honestissima civitas Norimberga, cum sit domicilium Ecclesiae

et civilis disciplinae, multis annis magna pericula sustinuit. Nunc vero et obsidionem duobus mensibus et magnas iniurias pertulit, et vastatis agris in vicinia, consumptis incendio fere ducentis pagis et direptis facultatibus multorum in oppidis, magnis detrimentis adfecta est. Sed misericordia Domini, quod tamen urbs non venit in hostium potestatem. Ac filium Dei Dominum nostrum I. C. orant omnes in hac Ecclesia, ut et illi civitati calamitatem leniat, quae et Ecclesias et doctrinae studia magna pietate fovit. Liberaliter autem et huic *Nicolao Pulz* [1]), nato ex honestis parentibus in urbe Noriberga sumtus ad studia [2]) praebuit, qui cum in Academia nostra circiter novem annos vixerit, comperimus naturam eius avidam et rapacem esse omnium honestarum artium. Itaque et latinam linguam et graecam praeclare didicit: et ingressus in philosophica studia non contentus fuit rivulis, sed fontes expetivit; studiose didicit Mathemata et dulcissimam doctrinam de coelestibus motibus. Et cum domestica disciplina ad agnitionem veram Dei in patria adsuefactus sit, postea universam Ecclesiae doctrinam diligenter cognovit. Et animi pietatem vera invocatione Dei et honesta morum gubernatione exprimit. Eo etiam philosophiam magis ornat, quia monstrat vestigia Dei impressa naturae, et quia, ut Plato dicit, grata de Deo fama in ipsis artibus sparsa est. Itaque propter eruditionem et optimos mores publico Academiae testimonio, gradu videlicet Magisterii Philosophici ornatus est. Cum igitur spes sit, Deo iuvante eruditionem eius profuturam esse Ecclesiae Dei, commendo eum Amplissimo Senatui patriae, et oro filium Dei, Dominum nostrum I. C. crucifixum pro nobis et resuscitatum [3]), ut et Noribergam protegat et hunc Nicolaum gubernet et faciat eum *σκεῦος ἐλέους* et organum salutare Ecclesiae et animae suae. Bene vale candide lector. Wittebergae Anno 1552. die 7. Iulii, quo die ante annos 1889 a Philippo Macedone Athenienses ad Cheroneam sunt victi [4]), quod proelium magnae mutationes imperiorum secutae sunt, in quibus exemplis causae humanarum miseriarum cogitandae sunt, ut invocatio filii Dei accendatur.

Philippus Melan.

1) Strobelius eum praematura morte obiisse d. 23. Apr. 1553. monuit. Vid. Nürnberg. Gelehrten-Lexicon. p. 250. — Caeterum hic Pulz, sive *Politius*, videtur in scholam Misnensem venisse, ut intelligitur ex epist. Mel. ad Fabricium d. 10. Ian. 1554. Etenim non anno 1553. mortuus esse potest, cum in epistolis Mel. ad Fabricium, anno 1554. scriptis de illo Nicolao plus uno loco sermo sit. Vid. ep. d. 17. Oct. 1554. et ep. ep. ad Baumgartner. d. 25. Nov. 1554., quam Baumgartnerus sibi per Nicolaum Pulzium traditam esse, ipse adscripsit autographo Mel.

2) *studia*] edidi cum Ebero; Strobel. *discendum*.

3) *crucifixum* etc.] Strobel. praetermisit.

---

No. 5148. 7. Iul.

## *Iac. Milichio.*

Epist. lib. II. p. 449. (ed. Lond. lib. II. ep. 473.).

*D. Iacobo Milichio*

S. D. Clarissime vir et charissime frater, *οὐδὲν τῆς πατρίδος, γλύκιον*, quod nos exules magis scimus, quam hi, quorum ea est felicitas, ut in suis nidulis consenescant. Itaque cum scirem te de patria solicitum esse, et *Andreas* nuncius iam iturus esset *Argentoratum*, fui hortator ut a te literas peteret. Scribam et ego ad meum fratrem et ad *Franciscum Hispanum*. Ex his cognoscemus aliquid *περὶ κελτικῆς στρατίας*. Heri sermones hic sparsi sunt, *Birnae* milites dimitti, spem pacis esse. Sed ita luditur Sophismatibus, simulationibus, occultationibus, ut quid agatur ratiocinari non possim. Nec me excrucio, quia et Ecclesiam et nos in ea scio curae esse Filio Dei. Hodie accepi literas *Rostochianas*, quae flagitant editionem scripti *Megalburgensis*. Huic tribuam hos dies tres aut quatuor, deinde istuc accedam cum *Paulo*, ut aulicis mandatis obtemperem de audiendis rixis *Mori* et collegarum: Nam sedari a nobis non posse arbitror. Quanquam enim arbitror stulta certamina esse, tamen experimur quotidie *Sophocleum* illud nimis verum esse:

*— — ἡ δὲ μωρία*
*Μάλιστ᾽ ἀδελφὴ τῆς πονηρίας ἔφυ.*

Sed oremus Filium Dei ut nos regat. Bene vale. Deus servet incolumes te et honestiss. coniugem tuam et dulciss. filios et filiam. Die 7. Iulii, quae est dies pugnae ad *Chaeroneam*, factae ante annos 1889. Salutem opto D. Doctori *χριστοφόρῳ* et *Ioachimo*.

4) Haec pugna fuit a. 337. ante Christum natum.

No. 5149. 12. Iul.

## Christiano Regi Dan.

Schumacher's Briefe an d. Könige in Dänem. Vol. II. ep. 16.

(*Christiano III., Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor. Durchleuchtister, großmächtiger, gnädigster König und Herr. Zeiger dieser Schriften, *Tilemannus Stella*, von Sigen, in der Grafschaft Nassau gelegen, hat ein sehr nützlich Werk allhie gemacht, nämlich ein schöne Tafel des Lands Israel, unser aller Vaterlands, darin Adam geschaffen ist, und hernach die Kirch etlich tausend Jahr Herberg gehabt, und darin sich Gott vielfältig geoffenbaret hat. Und ist diese Arbeit nützlich, der Propheten und Aposteln Schrift klärer zu verstehen. Nu ist gewöhnlich, bei solcher Arbeit der großen König und Fürsten Gedächtniß einzuleiben. Denn erstlich haben dieselbigen großen Herren selb die Land erkundigen und abmahlen lassen, wie in Aegypten solche Tafeln vor zwei tausend Jahren gewesen sind: so können auch, ohne Hülf der großen König, diese Künsten nicht erhalten werden. Also ist bei dieser Tafel E. K. M. Gedächtniß mit gefasset.

Und bittet dieser *Tilemannus* in Unterthänigkeit, E. K. M. wolle diese seiner Arbeit gnädiglich annehmen, und wollen sein gnädigster Herr seyn, und gnädiglich betrachten, daß auf solche Arbeit Kosten gehet, und daß dieses Werk zu Erklärung göttlicher Schrift dienet bei Gelehrten und bei den Laien. Ew. Königl. Maj. wird selb Freud daran haben, so sie, in Anschauung der Tafel, betrachten wird, wo jedes Mirakel und göttliche Offenbarung geschehen ist. etc.

Was wir Zeitung jetzund haben, ist in beigelegten Zettel verzeichnet. Der allmächtig ewige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, wolle E. K. M. und E. K. M. Königin und junge Herrschaft allezeit gnädiglich bewahren. Dat. Witeberg, auf den 12. Tag July Anno 1552.

E. K. M.

unterthänigster Diener
Philippus Melanthon.

(*Pagella I. huic epistolae inclusa.*)

Anno 1552., Iulii die 12.

Dieses ist gewißlich wahr, daß Hertzog Johann Fridrich nicht mehr ein gefangener Herr ist, sondern ist ledig; ist aber noch bei dem Kaiser zu Villach in Kernten, und schreibet diesen Titel: Johann Fridrich, gebohrner Churfürst zu Sachsen und Burggraf zu Meideburg. In die Ascensionis hat Hertzog Johann Fridrichs Prädicant öffentlich zu Villach geprediget und also hernach andere Fest.

Der Kaiser ist ziemlicher Gesundheit, und rüstet sich zu Krieg und soll einen großen Ernst fürhaben.

Markgrave Albert hat sehr großen Schaden um Noriberg gethan, hundert und achtzig Dörfer verbrannt, welche alle allein der Stadt Noriberg und etlicher Bürger in Noriberg gewesen sind. Ueberdieses hat er von der Stadt Noriberg zwo Tonnen Gold gefordert, und Pulver und Büchsen; hat auch die Bischoff Bamberg und Würzburg berupft, ist also gegen Frankfort am Main gezogen.

Von den Friedhandlungen zu Passau ist noch nichts gewiß ankommen, und ist wenig Hoffnung dazu.

In Hungarn sind zween türkische Bassa, die rauben und plündern. Aber die türkische große Macht, die in Hungarn hat ziehen sollen, ist wiederum zurück gefordert und ist in Asien wider die Persen gesandt. Davon sind auf diesen Tag Schriften aus Wien anher kommen. 12. July.

(*Pagella II. huic epistolae inclusa.*)

*Tilemannus Stella.*

Ex omnibus geographicis operibus maxime utiles et necessarios esse putavit auctor has quinque descriptiones scilicet duodecim tribuum exitus ex Aegypto, peregrinationis Pauli, Europae totius et Germaniae, quarum primam et secundam una charta complexurus erat auctor, nisi terrae Iudaeae angustia et nudi plerorumque locorum defectus obstitissent, praeceptorum igitur consilio dedit operam, ut diversis tabellis, utrumque quam rite fieri posset, proponentur, quorum alteram per voluntatem et gratiam domini iam est ad calcem perductum, alterum scil. transitus per desertum adhuc in auctoris manibus versatur, in quo non tantum inserta erit uberrima descriptio Aegypti, Arabiae, Petreae praesertim, et partis Syriae, verum etiam singulis mansionibus, suae, quam venuste fieri poterit, appingentur historiae, idque totius operis habita iusta proportione. Quemadmodum autem illud opus ad utriusque testamenti, novi tamen maxime, intelligentiam maximam fert lucem, ita hoc ad 4 posteriores libros Moisis percipiendos utilissimum est. Quod testabuntur

omnes eruditi viri. Typus peregrinationis Paulinae ita necessarius est, ut quis sine eius idea in novo testamento et praesertim in actis apostolicis versetur tanquam coecus in ignota regione.

Europa multum conducit his temporibus propter Graecas et Romanas itemque harum aetatum historias, et quicquid residuum est miserrimae Ecclesiae, hoc in Europa praesertim conspicitur. Huius etiam limitibus circumscribitur Romanum imperium.

Maxime etiam culta nobis debebat esse Germania nostra, scilicet quia nos omnes produxerit et educavit, sed aliorum firmamus regiones, patriam nostram turpiter negligimus. Qua propter et haec erit elaboranda; sed longe alia diligentia, quam qua hactenus edita est.

Quia autem ad horum operum perfectionem nullam diligentiam, nullos labores nullosque sudores praetermissurus est auctor, et tantum sumtus, qui ad haec necessarii sunt, eum destituunt, petit Regiae Maiest. in hac re studium et operam, dedicaturus ipsi haec omnia, vel quae regia maiestas maxime probaverit, neque et suam operam Regiae Maiestati quam subditissime offert.

---

No. 5150. 13. Iul.

## *Io. Stigelio.*

Dans. epp. ad Stigel. ep. 66. Cod. Goth. 188. ep. 188.

*Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo cariss.* S. D.

Cariss. frater. Utramque epistolam legi, primum eam, quae ad me scripta est, in qua sunt illustria testimonia et candoris tui, et benevolentiae erga me perpetuae, de qua tibi gratitudinem me debere fateor; deinde et scriptam ad *Paulum* legi, qui abest, ut hospitium Argeliae quaerat, quo secedimus propter contagia luis. De *Stephani* negotio existimo tibi et animum meum erga Stephanum et in hoc praesertim genere gratificandi studium, notum esse. Sed editio hactenus non solum meis peregrinationibus impedita est, sed ipsi Bibliopolae, qui praebent sumtus typographis, parum officiosi sunt. Nunc etiam absunt omnes Bibliopolae. Ac ut meam voluntatem cognoscat *Stephanus*, in Ethica lectione definitionum volumen institui, quod arbitror et utile discentibus et vendibile fore; id ipsi donabo vendendum, cui velit. Exspecto hymnum de Spiritu Sancto, quem eo celebrari a te decet, quia utrumque in te sit ipso pectus accendente, ut et hac venae felicitate possis invenire et illustrare res dignas cognitione, et ut potissimum laudes Dei celebres, et ipsum vera pietate colas. De bello non libet scribere. Verum est enim illud Simonidis: *Αἰσχρῶν ἀπ' ἔργων ἔστιν οὐκ ἔπη καλά.* Etsi autem magnae rerum mutationes impendent, tamen spero, Deum his regionibus mitigaturum esse poenas; et ut mitiget, toto eum pectore oro. Pertexes aliquando Factos insertis his ipsis historiis. Mitto vobis pagellas, in quibus est *Capnionis* historia *). Bene et feliciter vale. 13. Iulii.

---

No. 5151. (h. t.)

## *Meienburgio, filio.*

Epist. lib. V. p. 785 sq.

*Michaëli Meienburgio iuniori.*

Valde abs te peto, ut totam scholam vestram mibi describas, ut iudicare possim, qualia sint studia vestra **). Iussi vobis proponi Ciceronis Epistolas, quarum lectionem, volo, tibi familiarissimam esse, et ut inde formam Orationis sumas, et imiteris in Exordiis commemorationes et lumina alia, quae in scribente prudentiam significant. Mitto tibi historiam Capnionis, quam diligenter legito. Bene vale.

Philippus.

---

No. 5152. 14. Iul.

## *Ad. Koenig.*

*Theod. Sinceri* N. Nachrichten von lauter alten Büchern. (Frkf. und Lpz. 1748. 4.) p. 186. [Dz.]

---

*) Oratio de vita Capnionis, quae legitur in Mel. Declamationibus T. III. p. 280. et anno 1552. prodiit.

**) Aberat illo tempore Michaël a schola Melanthonis; vid. ep. ad Meienb. patrem d. 27. Aug. et d. 9. Apr. h. a.

An Adam König, Bürger zu Nürnberg.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Erbarer, fürnehmer, günstiger Herr und Freund. Wiewohl ich nit [1]) zweifle, Ew. Erbarkeit wissen sich selb in dieser Betrübniß, die ihr habt, von wegen der löblichen Stadt Noriberg, euer Vaterlands, und der Landschaft und Euer selb Schaden [2]) christlich zu trösten, so hab ich doch Euern Sohn Joachim König diese Schrift mitgeben, erstlich mein herzlich Mitleiden mit der ganzen Stadt, Landschaft und mit euch anzuzeigen, und bitt Gott, er wolle euch alle gnädiglich trösten und für diese Schaden und unbillige Frevel, der an die armen Leuten geübet ist, auch wiederum seine Gaben geben, und der löblichen Stadt und Landschaft wiederum aufhelfen.

Zum Andern wolle euch trösten, daß ihr alle in einer rechten und ehrlichen Sache leidet, und andre Exempel bewahren (?); denn dieses Leben hat allerlei Trübsal, das dennoch Gott diesen, die ihn anrufen, gnädiglich lindern will. Und nachdem von wegen der ungesunden [3]) Luft das junge Volk aus Witteberg wegziehet, und Euer Sohn am liebsten jetzund bei euch seyn will, bitt ich, ihr wollet euch dieses ein Linderung Eures Betrübniß seyn lassen, daß euch Gott Kinder geben hat, die Verstand und Tugend haben. Denn Joachim ist durch Gottes Gnad mit Vernunft und Tugend wohl gezieret. Gott wolle ihm fürohin auch Gnad und Leben geben, daß er ein nützlich Person werde, und euch ein Freund sey, und ihm und andern seliglich diene. Gott wolle auch euch und eure tugendsame Hausmutter und die Euren gnädiglich bewahren, trösten und regiren. Datum Witteberg 14. Iulii 1552.

Ew. williger
Philippus Melanthon.

No. 5153. 15. Iul.

*P. Vincentio.*

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54 a.

*Dom. Petro Vincentio, gubernanti studia literarum in urbe Lubeca.*

S. D. Carissime frater. Mitto vobis *historiam Capnionis*, brevi et squalida oratione recitatam, quam tu quidem propter res cognitione dignas et mei amore leges avide. Sed me profecto pudet, tibi, viro eloquenti, tam ieiunas pagellas mittere. Nec eo me excuso, quod in his nostris occupationibus subito haec effundo, seu quod his miseris temporibus moestitia alias cogitationes impedit, sed agnosco meae naturae imbecillitatem. *Invida me spaciis natura coërcuit arctis, Ingenii vires exiguasque dedit.* Postquam autem fato fortassis in hoc scholasticum ergastulum tanquam in λατομίας inclusus sum, semper oravi Deum, ut me faciat σκεῦος ἐλέους, et voluntas semper haec fuit, ut prodesset meus labor discentibus. Non regna non plausus appetivi. Sed quo delabor? Coepit hic vagari lues, quae nondum valde saeva est. Sed autumnum metuo propter siderum positus. Et Academia Rostochiana vincit nostram legentium ingeniis et eruditione; quare multos eo misimus. De bello non libet scribere, et nunc, postquam exercitus a Noriberga abductus est, quid agatur nescio. Bene vale et rescribe. Salutem opto *Valentino.* 15. Iulii.

Philippus.

No. 5154. 15. Iul.

*Testimon. de Semlero.*

Edita in *Strobel.* N. Beyträg. III. p. 202. Apogr. in cod. Goth. 212. p. 85 b. et in cod. Goth. 127. in fol. p. 196. ab Eberi manu descripta.

*Salutem omnibus lecturis has literas.*

Ne quid suspicionis cuiquam adferat hoc tristi tempore iter huius honesti viri *Iohannis Semleri* *) nati in oppido *Winsheim*, dedi discedenti ex Academia nostra hoc testimonium. Fuit hic *Iohannes Semler* in familia viri clarissimi Dom. *Hieronymi Baumgartneri*, cuius erudiit filium. Ac probat D. Hieronymus modestiam et fidem huius Semleri. Apud nos etiam in Academia honestissime vixit. Nunc propter contagia luis [quum] dimittantur auditores, ipse quoque in Franconiam redire decrevit. Quare oro, ut, cum honestus homo sit, et habeat causam peregrinandi honestam, officia ei hospitalia praestentur, sicut Deus

1) nic] edidit Sinc., mendose.
2) Vid. epist. d. 12. Iul.
3) Sinc. umgehenden, ex mendo.

*) Strobelius l. l. monuit, Semlerum anno 1560. electum esse Pastorem Norinb. Buschendorfii, et an. 1567. Veitsbrunni et Michelbachii, et obiisse an. 1573.

praecepit, ne innocentes iniuria adficiantur, ac praecipue ne hospites iniuste laedantur. Commendo autem hunc Semlerum et magnifico viro *Davidi Baumgartner*, et oro, ut propter benevolentiam ergo Dom. Hieronymum huic Semlero benefaciat. Leniamus tam tristi tempore modestis hominibus calamitates, quibus officiis suo quisque loco potest. Oro autem filium Dei, dominum nostrum I. C., crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, et ut protegat Ecclesias, et ut salutarem pacem restituat. Bene vale candide lector. Wittenbergae die XV. Iulii 1552.

Philippus Melanthon manu propria.

---

No. 5155. 17. Iul.

## *Scholasticis.*

Scripta publ. T. I. p. 418. Melanthonem hanc schedam scripsisse, et Lindemanno tradidisse Torgam perferendam, non dubito.

*Rector Academiae Witebergensis, Laurentius Lindemann, Doctor.*

Scitis utrunque voce divina praedictum esse in hac languida et delira mundi senecta, et futuros esse maiores generis humani confusiones, quam fuerunt antea, et tamen filium Dei etiam inter imperiorum ruinas collecturum esse aeternam Ecclesiam, qui quidem hac spe nos erigi vult, et doctrinae studia colere ac tueri. Quanquam igitur et propter aëris insalubritatem iuventus ex oppido Witeberga dimittenda fuit, et bella metuimus, tamen quia scimus Ecclesiam Dei non interituram esse, nec studia in his difficultatibus abiicere voluimus, nec procul in alias terras fugere. Oramus autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Chr., crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut nos gubernet et protegat, nec sinat in his regionibus fieri barbaricas vastationes, quales nunc, proh dolor, in Pannonia Turci faciunt.

Secessimus autem hic in oppidum Torgam et Illustriss. Principis voluntate, et civibus amanter officia sua offerentibus. Et quia secuti sunt nos auditores aliqui, faciemus operas scholasticas, et ne illi frustra venerint, et ut nobis dolores hac occupatione leniamus, sicut Philoctetes in Lemno insula iaculando.

Mandamus autem omnibus scholasticis, ut hospitalia officia praestent, videlicet, iustitiam et modestiam in hospitiis. Et quia videmus, quanta sit moesticia omnium mediocrium hominum, simus nos quoque diligentiores in frenandis omnibus cupiditatibus, et animos ad precationem exuscitemus, ut publicae poenae mitigentur, sicut filius Dei praecipit. Res ostendit, Ecclesiam non humanis praesidiis defendi; quare confugiamus ad filium Dei, qui dixit: nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Huic curae erunt haec imbecilla agmina nostrarum familiarum et iuventutis deditae studiis, in qua sunt Ecclesiae seminaria. Sed vult ipse filius Dei in nobis tamen etiam curam et precationem accendi, vult agnosci, non casu nos servari, sed divinitus. Et ut sint mentes compositae ad precationem, necessariae sunt temperantia et modestia.

Severe igitur prohibemus nocturnas discursationes et vociferationes. Si qui autem petulantiam in turbanda communi civium tranquillitate exercebunt, hi sciant, se poenam et animadversionem nostram non evasuros esse. Iam etiam propter belli metum tranquillitatem oppidi maiore cura tuendum esse cogitate.

Lectionum initia et ordinem singuli professores, cum advenerint, significabunt. Ego interea lectionem meam prosequar. Torgae 17. Iulii.

---

No. 5156. 18. Iul.

## *C. Peucero.*

Epist. lib. II. p. 410. (ed. Lond. lib. II. ep. 428.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Typographus hodie, quod faustum et felix sit, librum de Ecclesiis *Megapolitanis* edit, intra biduum iturus *Rostochium*. Postea et ego ad vos *) statim expatiabor, magis desiderio filiarum nostrarum, quam quod sperem nos diu ibi commorari posse. Nam literae huc à *Danubii* ripa missae, non ostendunt spem pacis. Oremus autem Filium Dei, ut ipse nostra agmina tenera et deserta protegat. Credo Senatum *Argelianum*

---

*) Torgaviam.

satis officiosum esse, sed κουφολογίας tamen multorum metuo. Etsi autem ea lues ubique vagatur, tamen usitata facilius ferimus, ut vos Medici dicitis. Et πόλλα καινὰ πολέμου plus sermonum adferent. *Henricum* tibi commendo. Bene vale, die natali tuae coniugis.

---

No. 5157. 19. Iul.

## B. Mithobio.

Epist. lib. II. p. 349. (ed. Lond. lib. II. ep. 355.).

*D. Burcardo Mithobio*

S. D. Doctissime vir et amice chariss. Utinam salutari admonitioni tuae Principes obtemperassent, nec bellum patriae et ipsis periculosum movissent. Postquam de conditionibus pacis diu in confluente *Danubii* et *Oeni* *) disputatum est, Rex *Ferdinandus* ipse celeriter ad fratrem profectus est, ut flectat eum ad pacem. Sed aiunt placare eum non posse. Oremus autem Filium Dei, ut ipse has poenas leniat. In oppido nostro contagia luis vagari coeperunt. Ideo et *Dedekindus* in *Saxoniam* discessit. Etsi autem exiguae reliquiae Academiae secedunt *Torgam*, tamen suasi filio *Hectori*, ut recta ad te proficisceretur, ac Deum oro ut eum custodiat et regat. Valet ingenio et instructus est mediocriter eruditione, et, ut spero aetas et reverentia tui, moderationem animi adferent. Hic honeste vixit. Iussi, ut solveret pro mensa, et haberet viaticum, dari ei sex Ioachimicos a Bibliopola, quod spero te boni consulturum esse. Mitto tibi orationem de *Capnione*, Illustrissimae Principi librum de Ecclesiis Ducatus *Mechelbergensis*. Bene et feliciter vale. Die 19. Iulii.

---

No. 5158. 20. Iul.

## D. Chytraeo.

Ex Dav. Chytraei epistolis p. 1229.

*Davidi Chytraeo.*

S. D. Doctissime et carissime David. Cum existimarem D. Doctorem *Iohannem*[1]) iam abesse ab Academia, vocatum ad ecclesiarum inspectionem, Typographo isthuc adferenti libros dixi, ut ad te accedat, ac tecum deliberet, quo deinde proficiscendum sit, ad aulamne, an ad D. *Iohannem*. Praestabis igitur hospiti haec communia officia Argonautis praestat, Triton, οἷά τε πολλὰ ἄνθρωποι χατέουσιν ἐπ' ἀλλοδαπῇ περόωντες, ἐξερέω, etc.[2]) Librum diligenter relegite, et mihi iudicium vestrum significate. Non gigno nova dogmata, sed sententiam Ecclesiarum nostrarum cupio verbis maxime perspicuis et illustribus recitare, et inculco maxime necessaria. Agnosco enim, me tantis rebus non esse parem, et opto, ut amanter conferamus iudicia, sicut praecipit vox divina, ut in Ecclesia sint iudicia et piae commonefactiones. Flagito igitur a vobis hanc sententiarum collationem. Audio *Carolum* Imp. non posse flecti ad pacem. Et nunc Francofordia ab exercitu *Marchionis Alberti* cincta est. Vastatur vicinia, ut alibi factum est. Atticus Thrasybulus in liberanda patria mitior fuit. Sed oremus filium Dei ut restituat piam et salutarem pacem. Expecto quotidie a fratre meo literas. Missus est enim tabellarius Argentoratum. Tibi significabo quicquid scribit ἀξιόλογον. Bene vale et rescribe. die 20. Iulii.

Philippus.

---

No. 5159. 20. Iul.

## Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Ioanni Aurifabro*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Primum te oro, ut editionis moram boni consulas, quae tamen non longa fuit. Existimo autem adfuturum apud vos typographum, qui libros adfert, statim post initia inspectionis Ecclesiarum. Deinde a te, et a *Davide* ac aliis amicis magnopere

---

*) Peuc. habet *Rheni*; mendose. Nam sermo est de transactione Passaviense.

1) Io. Aurifabrum.

2) Apoll. Argon. IV. 1556. Vid. eadem verba in epp. d. 15. Apr. 1549, d. 10. Sept. 1558.

peto, ut libro relecto mihi significetis iudicium vestrum. Nam in amicitia nullum officium magis necessarium est mutua commonefactione, praesertim in explicatione doctrinae de Deo, et scis, me non libenter ἰδιοβουλεύειν. Scripsi, nos velle, ut una et eadem κατηχήσει omnes scholae utantur; nullam nominavi, quia, etsi multae extant, tamen formam in scholis aliam requiro. Academia *Marpurgensis* ante biennium ad me scripsit, ut formam componerem; sed impedierunt me non tantum occupationes, sed etiam huius temporis calumniosa iudicia. Te et *Davidem* cogitare de forma velim, in qua primae aetati fontes doctrinae proponuntur propriis et illustribus verbis recitati. Nec ego recuso partem laboris suscipere. Scripsi etiam uno et eodem libro grammatico utendum esse. Credo meam formam pueritiae utilem esse, sed syntaxis nimium aucta est, qua de re velim vos cum *Arnoldo Burenio* deliberare. Tuas literas et de his deliberationibus et de aliis rebus flagito et expecto. Imperatorem *Carolum* audio non flecti posse ad pacem, quanquam frater ad eum accessit, qui serio dat operam, ut, his tumultibus sedatis, Turci pellantur ex Pannonia. Nunc Francofordia ad Moenum obsidione cincta est. Oremus filium Dei, ut pacem restituat. Bene vale. 20. Iulii.

Philippus.

---

No. 5160. 20. Iul.

## *Io. Stigelio.*

Dans. epp. ad Stigel. ep. 72. Cod. Goth. 188. ep. 127.

*Clarissimo viro, ingenii felicitate, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ, fratri suo carissimo*, S. D.

Cariss. frater. Memini dulcissimos secessus superiorum annorum, cum propter contagia luis ad Albim vagantia, tecum et cum aliis amicis ad Salam proficiscebamur. Nunc dissimilis peregrinatio est. Moesti distrahimur, et fortassis aliquanto post propter bellum nova exilia suscipiemus. Feliciores sunt, qui ad vos secedunt. *Ortolphum*, spero, iam tecum esse. Commendo tibi et hunc *Simonem Myricium*, et tui amantem. Ego hic non tam negotiis quam moerore adhuc retineor, cum collegae plerique Argeliam profecti sint. Mitto exemplum libri de Ecclesiis Megapolitanis, quem velim te exhibere Reverendo viro D. *Sneppio*, quem oro, ut inspiciat τὰ δογματικὰ, et mihi iudicium suum significet. Bene et feliciter vale, die 20. Iulii.

Philippus Melanthon.

---

No. 5161. 22. Iul.

## *P. Vincentio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ².

*Petro Vincentio, gubernanti studia literarum in urbe Lubeca.*

S. D. Carissime frater. Cum necesse sit, me saepe amicis commendare peregrinos, recito nonnunquam Tritonis exemplum, quod est in Argonautico, qui ad Principes in solitudine Lybica venit, eisque sua officia defert, inquiens: οἷά τε πολλὰ ἄνθρωποι χατέουσιν ἐν ἀλλοδαπῇ περόωντες ἐξερέω.[1]) Cum autem sciam, te virum intelligentem et praestantem omnia virtutis officia et iam erga hospites eruditos officiosum esse, tibi praecipue commendare volui hunc honestum et doctum virum, *Tilemannum Stellam*, qui hic edidit tabulam χωρογραφικὴν regionis, quam tenuerunt Israelitae; qui cum ad Regem Danicum navigaturus sit, istic etiam Senatui tabulam donare decrevit ad ornandam scholam vestram. Ut igitur sciat, quomodo et cui exhibenda sit, te oro, ut eum consilio regas. Scis, ut Triton inquit, peregrinis opus esse civium officiis. Et fortasse brevi me ipsum excipies; nam nostri libertatis vindices ita nos defendent, ut rursus diversa exilia et diversas sedes quaerere cogamur. Nosti gravissimum versum: κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν[2]). Inspicere te et *Valentinum* velim librum de Ecclesiis Megapolitanis. Bene et feliciter vale. Die Magdalenae.

Philippus Melanthon.

1) Apoll. Argon. IV. 1556.
2) Verba Eurip. ad Stob. IV. (T. III. p. 415. ed. Beck.)

No. 5162. 23. Iul.

## *H. Mollero.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

*Magistro Henrico Mollero Hamburgensi, fratri suo carissimo.*

Carissime Henrice. Etsi dubitabam, an in patria esses, misi tamen istuc epistolam, a te ut literas flagitarem. Magnopere te oro, ut a Reverendo viro D. *Aepino* petas, ut aut scriptum mihi mittat, quo respondeat de Balthico dogmate, aut certe summam responsionis mihi significet. Maxime opto, ut Ecclesiae nostrae sint ὁμόψηφοι, de re tanta praesertim. Et videbitis in libro de Megapolitanis Ecclesiis, me nominatim καὶ διαῤῥήδην scripsisse, tuendum esse consensum vestrae Ecclesiae et Luneburgensis et Lubecanae. Dabis igitur literas huic civi Witebergensi, quam existimo tibi notum esse, et petes a d. *Aepino.* De bello non libet scribere. Metuo futurum quod in veteri versu dicitur: κακῆς ἀπ᾽ ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν.[1]) Oro autem filium Dei, ut poenas mitiget et servet Ecclesiae reliquias. *Carolus* Imperator in oppido *Villaco*[2]), cui ab Hyllo, Herculis filio, nomen esse putatur, exercitum colligit. Sed omitto haec. Salutem opto viro optimo tuo patri et vobis omnibus. Bene vale et rescribe. Die 23. Iulii.

Philippus.

No. 5163. 24. Iul.

## *P. Ebero.*

† Ex autographo Mel. in bibl. Norimb. descripta a Clar. *Ronnero.*

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Paulo Ebero, fratri suo cariss.*

S. D. Carissime frater. Hodie *Bremensis* scholasticus ex valle Ioachimica reversus, *Matthesii* literas mihi exhibuit, quem mirabar nihil adferre a te literarum. Nos eam consolationem teneamus, quam filius dei nobis tradidit, inquiens: *nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Cras rediturum esse spero famulum, qui equi nostri custos est. Huic ut literas ad me des, magnopere peto. Nam initia vestrarum praelectionum scire cupio. Scimus, non solis humanis consiliis regi vitam, sicut inquit Ieremias: *scio, domine, non est hominis via ipsius.* Sed petenda et expectanda nobis est gubernatio vitae a filio Dei, qui invocantes ipsum exaudiet. Bene vale et rescribe. Pridie Iacobi.

Philippus.

1) Est locus Eurip. apud Stob. IV. (Tom. III. p. 415. Beck.) ubi habes γίγνεται pro γίνεται.

2) *Villach.* Post fugam suam Carolus Imperator sese recepit Villacum in Carinthia ibique diutius versatus est. Vid. Sleidan. p. 767. et p. 779.

No. 5164. 25. Iul.

## (*Commendatio Poli.*)

† Ex apographo in cod. Zittaviensi et apogr. in cod. Goth. 212. fol. 68., cum quibus contuli apogr. in cod. Guelph. in fol. num. 11. 10. p. 272.

*Omnibus Lecturis has literas*

S. D. Usitata sunt exilia, praesertim Ecclesiae Dei, propter has causas, ut nos de primo exilio commonefaciant, in quo patriam coelestem amisimus lapsu primorum parentum, et ut vere doleamus, nos a Deo avulsos fuisse, et mersos in peccatum et horrendas poenas, deinde et de exilio filii Dei, qui factus est exul, ut nos in patriam coelestem reducat. Ac narrant historiae crebra exilia. Fugit in Aegyptum *Maria* cum filio Christo. *Elisabeth* anus secessit trans Iordanem et in specu montis Libani filium *Iohannem* abditum diu aluit. Saepe et agmina magna ex civitatibus pulsa sunt, et equites missi[1]), qui tardius euntes senes, matronas, pueros, puellas conculcarunt et interfecerunt. Haec exempla intuentes sciamus nobis nostra exilia propter communem Ecclesiae calamitatem patienter toleranda esse, ac simul statuamus, certo nobis adesse filium Dei, qui etiam comitabatur exulantes Israelitas in deserto. Et adfuit cum in Aegypto antecederent[2]) agmini expulsi ex urbe quadam senex Episcopus *Chaeremon* et eius coniunx, qui cum propter aetatatis imbecillitatem non possent procul ire, spectante reliqua multitudine, in coelum sublati sunt cincti[3]) candida an-

1) Cod. Goth. 212. *immissi.*

2) Cod. Goth. 212. *antecederet.*

3) *cincti*] excidit e cod. Zittav.

gelorum luce. His cogitationibus exulantes sibi leniant dolores, et alii sciant, voluntatem Dei esse benefacere piis exulibus, praesertim sacerdotibus.

Fuit autem hic venerandus senex, *Iohannes Polus*, natus in oppido Francico *Beirreut*, Pastor in oppido *Poppenreut*, quod in hoc tristi bello in vicinia Noribergae direptum et deinde combustum est. Nunc cum honesta coniuge et quatuor natis quaerit alicubi nidulum. Quaeso igitur, ut honesti viri commendent ei [4]) alicubi Ecclesiam, ubi erit occasio. Interea etiam opem fuerant ei iis officiis, quae praestari possunt. Haec pietas Deo grata est, qui vicissim mitigat iis, qui in hoc genere sunt officiosi publicas et privatas calamitates, sicut scriptum est: *beati misericordes, quia vicissim eorum Deus miserabitur.* Bene vale, pie lector. Die Iacobi apostoli, filii Salomes. Witebergae, 1552. [5])

Philipp. Melanthon.

---

No. 5165. 25. Iul.

## (Testimon. de Z. Ursino.)

Editum in Joh. Jac. Füldener's Schlesischer Bibliothek (Lauban 1731. 4.) S. 464—466. ohne Angabe der Quelle. (Descripsit Cl. *Foerstem.*) De Ursino vid. alterum test. dat. Cal. Oct. 1557.

*S. D. omnibus lecturis has literas.*

Sua cuique virtus praecipua et vera commendatio est. Cum igitur extent latina et graeca carmina *Zachariae Ursini* Wratislaviensis erudite scripta: prudentes et docti viri, lectis illis, suo indicio probabunt ingenium, studia et voluntatem eius. Nam et genus versuum splendidum est, et res ex fontibus doctrinarum sumtae sunt; et sonant eius Musae veram de Deo doctrinam et virtutum laudes. Propter has virtutes et vir clarissimus *Quirinus Slaher* studia eius sua liberalitate adiuvit. Ostendit et Senatus inclytae Urbis Vratislaviae, se de ipsius ingenio bene sentire. Quanquam autem habet Zacharias haec testimonia virtutis illustria: tamen et a me literas petivit, ut amicitiae nostrae signum in hac migratione secum auferret. Dedi igitur ei hoc et iudicii et benevolentiae testimonium. Spero Zachariam Ursinum, Deo iuvante, usui et ornamento fore Reipubl. quia natura eius est avida et capax optimarum artium. Didicit igitur linguam latinam et graecam, initia Philosophiae, et incorruptam doctrinam Ecclesiae Dei. Et animi pietatem vera invocatione Dei et honesta morum gubernatione exprimit. Ac specimen ingenii, studiorum et voluntatis edidit, ita scriptis carminibus, ut eruditis et propter versuum elegantiam, et rerum gravitatem placeant. Estque virtus digna laude, quod cum vena ingenii singulare Dei donum sit, ut hanc Autori significationem gratitudinis reddat, suo eum dono celebret. Etsi autem in his publicis periculis, et metu vastationum, quas Turcica arma minitantur, multorum voluntas erga literas sit languidior: tamen sciamus, voce divina utrumque praedictum esse, in hac senecta mundi et futuras esse maiores generis humani confusiones, quam fuerunt antea; et tamen filium Dei collecturum esse Ecclesiam aeternam etiam inter Imperiorum ruinas, et hospitia ei servaturum. Hac vera consolatione se quoque confirmet honestissima Civitas Vratislavia, et petat ac speret a filio Dei protestationem adversus barbariem Turcicam, nec deterreatur, quo minus Ecclesiam ornet, et bonis ingeniis opem ferat, sicut diu iam facit. Magna fuit laus veteris Massiliae, quod mores civium honeste rexit, et fovit artes. Haec officia sunt civitatis necessaria: Sed accedere hoc debet, ut sit Urbs hospitium Ecclesiae Dei. Quare Vratislavia et disciplinam civium honeste regit et tuetur artes, et praebet hospitium Ecclesiae, eamque omnibus officiis ornat. Ideo Senatui patriae hunc Zachariam praecipue commendo. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut gubernet Zachariam, et faciat eum σκεῦος ἐλέους, et organum salutare Ecclesiae, et suae animae. Datae Wittebergae, Anno 1552. die Iocobi Apostoli, filii Salomes.

Philippus Melanchthon,
manu propria.

---

No. 5166. 25. Iul.

## (Testimon. de Schillero.)

*Th. Sinceri* N. Nachrichten von lauter alten Büchern. Frkf. u. Lpz. 1748. 4. p. 184 sqq. [Dz.]

---

4) Verba: *alicubi nidulum — commendent ei*, exciderunt e cod. Goth. 212.

5) Cod. Zittav. 1554.; sed anno 1552. vicinia Norinbergae vastabatur ab Alberto Marchione.

*Omnibus lecturis has literas S. D.*

Scriptum est: *Esto pater orphano, tunc magis diliget te Deus, quam mater tua.* Scimus autem in materno pectore στοργὴν esse ardentissimam, ad hanc cum conferatur amor in Deo erga eos, qui iuvant orphanos, intelligi potest, dulcissimam promissionem propositam esse. Erit igitur et inclyta urbs Noriberga Deo curae, quae et hunc orphanum *Matthiam Schiller*, natum in oppido Kehlheim ex honestis parentibus, aluit, ac optima doctrina erudiri curavit, et simili beneficentia erga multos orphanos utitur, quae cum nunc quoque ipsa fuerit orphana, non defensa humanis praesidiis in obsidione crudeli duorum mensium et magnis detrimentis adfecta, tamen a Deo servata est, et ut deinceps eam protegat Deus, toto eum pectore oro. Dum autem hic *Matthias Schiller* in Academia nostra amplius triennio fuerit, comperimus eius naturam avidam et capacem esse omnium honestarum artium studiose didicit linguam latinam et graecam, et erudite scribit latinum carmen et solutam orationem. Ad haec studia initia Philosophiae, Mathemata et dulcissimam doctrinam de motibus coelestibus*), quae et monstrat vestigia Dei impressa mundi opificio, et est ipsa illustre testimonium de Deo, ostendens hanc naturam non casu ex Democriti Atomis confluxisse, sed vere mentem architectatricem esse mundi, quae radios suae sapientiae in humanas mentes sparsit. Quare Plato dixit, Gratam de Deo famam in artibus sparsam esse. Cum autem sciat veram et salutarem sapientiam esse agnitionem Dei, et doctrinam de eo in Ecclesia quaerendam esse, magna cum universam doctrinam Ecclesiae Christi cognovit, et eam puro pectore amplectitur sine corruptelis. Et animi pietatem vera invocatione Dei in agnitione et fiducia D. n. I. Chr., et honesta morum gubernatione exprimit. Spero igitur, ingenium eius Ecclesiae Dei profuturum esse. Quare eum et amplissimo Senatui Noribergensi et nominatim duobus honestis viris, *Iohanni Laeger* et *Gabriel Colb*, civibus Noribergensibus, quorum benignitate hactenus adiutus est, commendo, et eos oro, ut deinceps quoque ii opitulentur, ut alere eruditionem et confirmare iudicium possit, donec aetas erit idonea publico muneri docendi. Cum enim sit in eo eximia rectitudo et dexteritas iudicii, proderit ei in inchoatis optimarum artium studiis progredi. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut gubernet hunc Matthiam et faciat eum σκεῦος ἐλέους et organum salutare Ecclesiae et animae suae. Bene vale candide lector. Witebergae Anno 1552. die festo Iacobi Apostoli, Filii Salomes.

Philippus Melanthon.

*) Excidit hic verbum: *addidit*, vel simile.

---

No. 5167. 25. Iul.

## A. Moibano.

Edita in Chph. Gottl. von Murr Anmerkungen über Lessings Laokoon, nebst einigen Nachrichten die deutsche Literatur betreffend. (Erlang. 1769. 8.) p. 61.

*Reverendo viro, eruditione et virtute*) praestanti D. Ambrosii Moibano, Doctori Theologiae, gubernanti Ecclesiam Dei in inclyta urbe Vratislavia, fratri suo cariss.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Servabit filius Dei dominus noster Iesus Christus Ecclesiam suam, et in ea pias familias et earum hospitia, etiam si fatalibus causis ruunt imperia. Diu iam a *Iohanne* filio nihil accepi literarum, quarum iter bellis impediri existimo; quare te oro, ut si quid habes, de eo mihi scribas. *Zachariae* filii tui convictor in Academia Ienensi fuit hic Magister *Adamus Cureus* Freistadiensis, doctus et honestus vir, qui istuc proficiscitur, quia in patria servire Ecclesiae mavult, quam alibi. Et commendatus est viro honestissimo, domino *Morenberger*. Vir modestus et recte eruditus est, et mores sunt honesti, et scio studiosum fore communis concordiae. Quare te oro, ut eum complectaris, et tua auctoritate iuves. De bello germanico non libet scribere. Vestrae urbi et tibi tranquillitatem gratulor, et Deum oro, ut vos protegat.

Mitto tibi orationem D. *Capnionis*, cuius lectionem spero tibi non insuavem fore. Bene vale. Die Iacobi Apostoli, filii Salomes.

Philippus Melanthon.

*) Murr mendose: *viritate*.

No. 5168. (ex. Iulio.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 666 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 806.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

**S. D.** Etsi magno cum dolore legi necessarii[1]) tui amici mei epistolam, tamen recte et amanter abs te factum est quod cognoscendam misisti. Prodest enim praecipue amicorum nos iudicia et voluntates scire. Ac vehementiae quidem illius demus veniam, cum nota sit nobis eius natura. Est enim ex illo genere de quo dicitur, *δεινὸς ἀνὴρ τάχα κὲν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.* Arrogantiam in iudicando miror, cum sciam eum fontes controversiae non nosse, nec legisse omnia illius *Periclis*[2]) scripta. Sed feramus hos furores seculi, et filium Dei oremus, ut nos regat et servet Ecclesiae reliquias. Tuque intuens Ecclesiam tuam domesticam, quam et ego saepe mente intueor, erigito animum hac vera consolatione, quod filius Dei affirmat, sibi haec parva agmina curae esse. Fateamur servari et Ecclesiam et societatem hominum, non Principum sapientia, non nostris cogitationibus, sed miranda guberatione divina. Petamus igitur et expectemus a Deo auxilium, ut in versu tuo dicitur, *Nostra tuamque fides solius orat opem.* De bello in tantis tenebris, etsi multa mihi in mentem veniunt, et communib. aerumnis excrucior, tamen eo nihil scribo, ne tuum dolorem augeam. Et saepe usurpo dictum Simonidis: *αἰσχρὸν ἀπ' ἔργων ἐστὶν οὐκ ἔπη καλά.*

Hic noster civis homo modestus ibit Argentoratum: siquid igitur eo litterarum missurus es, poteris ei tradere. Mea familia Torgam missa est. Inde ad te expatiabor. Nunc mitto exempla historiae *Capnionis* satis tenuiter scriptae. Nec utar excusatione moesticiae aut brevitatis temporis. *Invida me spaciis natura coërcuit arctis.* Dabis Pastori, *Alesio*, *Baldasaro*, *Wolfgango.* Misi hodie et Genero tuo.

Cum legerem in illa epistola dictum de *καθαρτικῷ*, etsi alia multa mihi in mentem venerunt, *ἄλλων ἰατρὸς* etc., tamen hoc quoque cogitavi, quod nescio an audieris. Cum Medicus quem nosti, *ἀγκῶνος ἐπώνυμος*[3]), Cauterium in Germaniam attulisset, quo cerebro mederi conabatur, et matrem vestri praefecti proximi non leviter afflixisset, in aula Ducis *Georgii* deliberatum est de filio *Friderico.* Existimo Doctorem *Sebastianum* haec meminisse. Forte inquit ad Ducem Fridericum ille Medicus, nosti enim eius naturam. *ἐξορύξω ὑμῖν τὸν μῶρον*, agnoscis germanicam phrasin. Tum ille *εὐήθως*: Tibi ipsi prius effodito, cum sis magis fatuus, quam ego. Caeteri Doctores postea severe obiurgant istum impudentem. Si narraret patri inquiunt, optimo seni dolorem augeremus. Ita illi nostro responderi posset, ipse ut *καθαρτικῷ* etiam utatur. Interroga Doctorem *Sebastianum* de hac historia. Bene vale. Deus vos omnes servet, et restituat *Francisco* corporis et animi vires.

Philippus.

1) Andr. Aurifabri, medici Dantiscani. C. W.

2) Osiandri. C. W.

3) D. Ellenberger. C. W.

---

No. 5169. (ex. Iulio.)

## *P. Ebero.*

† Ex autogr. in bibl. Norinb. descripta a Clar. *Rannero.*

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Paulo Ebero*), fratri et collegae suo cariss.*

**S. D.** Carissime frater. Mitto nuntium ad vos meo sumptu, et ut significem meum iter, et literas Francofordianas cito accipiatis. Hodie enim advenit *Samuel*, minister *Cunradi.* Exhibui Rectori Academiae librum a te missum, *καὶ τὴν σφραγῖδα.* *Sebastiano* dedi claves et alteram *σφραγῖδα.* Narrat Rector, se vocatum esse in aulam, fortassis ut ad conventum Augustanum proficiscatur. Omnino iam apud *Carolum***) est *Aeacides*, velut apud Alexandrum *κρατερός.*

In tua vicinia scito vivere et *σχοινοποιόν* et coniugem. *Illo* mandatum est ut domi maneret, quod nisi faceret, carcere ei senatus minitatus est. Nam leviora mandata minus curasse eum aiunt. Mitto tibi pro pomis Ioachimicum inclusum huic epistolae. Bene vale et rescribe.

*) Qui iam Torgae erat, Melanthone adhuc Vitebergae haerente, qui d. 8. Aug. venit Torgam.

**) Imperator tunc ad Rhenum accesserat cum exercitu, ut regi Gallorum bellum inferret.

No. 5170. fere d. 2. Aug.

## Eidem.

† Ex autographo in bibl. Norinb. descripta a cl. *Rannero.*

*Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti, Paulo Ebero, fratri suo carissimo*

S. D. Carissime frater. Petivi a doctore *Sneidewin*, ut secum duceret eum, cui tu mandata dedisti de pecunia. Ego etiam *Menio* adfero sarcinulam. Adolescens Noribergensis a *Bomgartnero* mihi commendatus est, ut ex eius literis cognosces, quem ut consilio iuves in quaerenda habitatione te oro. Nos imus ad patrem tuum propter *Sabinum.* Exempla versuum nostrorum vobis mitto. Sed plura nunc non habebam. Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου πατρός, qui ait, se delectari consuetudine hominum, oro, ut semper adsit nobis. Bene vale.

Philippus.

---

No. 5171. 3. Aug.

## L. a Klitzing.

Edita a Pezelio in Melanthons christlichen Bedenken, p. 370.

An Junker Leuppolt von Klitzing, Hauptmann zu Jüterbock und zur Dam ꝛc.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Ehrenvester, gestrenger Herr Hauptmann, nachdem die Verordneten zum Consistorio, jetzund nicht hie sind, habe ich die Brief gelesen, und mein Bedenken verzeichnet, wie durch den Pastor zur Dam, oder wo der Flüchtling sein Wohnung gehabt hat, dieser Sach entlich können abgeholfen werden, und die Frau ledig gesprochen. Denn diese zwei Stück sind nöthig, daß man ein citatio anschlage an dem Ort, da der Flüchtige gewohnet hat, und daß hernach die Frau etliche Zeugen fürstelle, so er nicht erscheinet, daß von ihr kein bös Gerücht sey. Damit nun solches ausgericht werde, ohne der Leut Hin- und -wiederziehen und ohne Kosten, ist mein Bedenken, daß die Sache durch den Pastor also gehandelt werde, laut der beigelegten Verzeichniß. Gott bewahre E. Ehrenveste allezeit. Datum Wittenberg 1552. am 3. Tag Augusti, eilend.

### Ordnung des Proceß.

Der Pastor am selbigen Ort, da der flüchtig Mann gewohnet hat, soll ein Citation schreiben oder schreiben lassen, und dieselbige an der Kirchen Thür anschlagen, daß der Flüchtig in zweien Monaten erscheinen wölle, wo nicht, soll gleichwohl geschehen, was recht ist. Darauf so er erscheinet, soll er gehört werden. So er aber nicht erscheint, so soll der Pastor auf den bestimmten Tag die Frawe fürfordern, und ihre Bitt anhören, und so sie begehrt, daß sie vom flüchtigen Mann, der sie untreulich ohn Ursach verlassen hat, soll ledig gesprochen werden, soll der Pfarrer etliche ehrliche Personen fürfordern, die Zeugniß geben, daß die Frau züchtiglich und ohne böse Gerücht gelebet hat, und noch kein böser Argwohn von ihr sey. Nach diesem Zeugniß soll der Pastor sampt etlichen ehrlichen Personen, die er neben sich zu dieser Sach ziehen soll, dieses Urtheil sprechen: daß er als Seelsorger nach der Lehre des Evangelii diese Frau ledig sprech von dem flüchtigen Mann, der sie unrecht verlassen hat, und daß er hiermit der Frawen erläube und zulasse, wiederum christlich zu freyen, und soll der flüchtig Mann fürohin von der weltlichen Obrigkeit nicht geduldet werden an diesem Ort zu wohnen ꝛc.

---

No. 5172. 3. Aug.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 65. (ed. Lond. lib. II. ep. 48.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Si istuc veniet, vir excellens eruditione et virtute, Doctor *Iacobus Milichius*, te magnopere oro, et ut amanter eum excipias et venarum vestrarum miracula varia ei ostendas, quae vir doctus in consideratione universae naturae libenter cernet. Nec vero quicquam dulcius est, quam de variis naturae miraculis inter se disserere homines eruditos, et non solum mutua benevolentia coniunctos, sed etiam simili mentis iudicio quaerentes testimonia providentiae Dei in ipsis naturae operibus. Nam *Milichius* ad eruditionem *Physicam*, etiam agnitionem Dei opificis et verae pietatis officia adiungit. Quare eum amplecti te volo amanter. Scriptum de ministris Evangelii publico ritu commendandis Ecclesiae post paucos dies edam. Bene vale, die 3. Augusti.

No. 5173. 4. Aug. (Torgae.)

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 257. (ed. Lond. lib. II. ep. 255.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Cum heri *Torgam* venissem, intellexi, nuncium ad C. V. mitti. Hanc igitur epistolam scripsi, tantum ut significarem C. V., me ad nostros collegas accessisse, quorum consuetudine et colloquiis aliquantulum praesentes dolores interdum leniuntur. Librum de Ecclesiis *Megalburgensibus* curabo C. V. integrum mitti. Etsi doloribus et itineribus multum impediuntur operae scholasticae: tamen non prorsus eas abiicimus, quia Filius Dei iubet nos etiam inter ruinas Imperiorum sperare Ecclesiae conservationem. Expecto iam quotidie literas ex iis locis quae vicina sunt *Gallicis* castris; harum exempla C. V. mittam. Bene et feliciter valeat C. V. Die 4. Augusti.

No. 5174. 5. Aug. (Torg.)

## Erh. a Kunheim.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1].

*Clarissimo viro, nobilitate generis, eruditione et virtute praestanti, D. Erhardo a Kunheim, amico suo in Academia Francofurdiana.*

Saepe cogito hanc dulcissimam sententiam, scriptam a duobus summis viris, Platone et Xenophonte: nullum animal recte regi posse nisi a superiore natura, ut equi non reguntur ab equis, sed ab hominibus: ita et homines a superiori natura regendos esse, videlicet ab heroica, quod ego quidem ita corrigo: a Deo, aut per excellentes homines, instructos a Deo. Quare non solum distinxit Deus hominum gradus, et multitudini praefecit paucos, sed etiam ornat felices gubernatores consilio et virtutibus supra caeteros. Amemus igitur hunc ordinem a Deo institutum, in quo cum video natos in familiis nobilibus excellere ingeniis et virtutibus, mirifice laetor et gratulor reipublicae talia seminaria. Quare cum naturae tuae bonitatem, studia et mores saepe consideraverim, teque natura duci ad iustitiam, veritatem, fidem, candorem et modestiam animadverterim, et has virtutes doctrina confirmari: semper te dilexi, etiamsi propter meas occupationes minor fuit familiaritas inter nos quam volebamus. Iam vero, cum etiam ad me scripseris, et testem habeam tuae erga me benevolentiae epistolam candidissime scriptam, vicissim ad te literas misi, tibique perpetuam benevolentiam polliceor, ac filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis crucifixum et resuscitatum, oro, ut te servet incolumem, et gubernet totum cursum vitae tuae. Quid docuerim, et qualis sit vita mea, tibi et aliis hominibus iudicandum relinquo. In tanta opinionum confusione magno labore quaesivi de toto doctrinae corpore explicationes veras et simplices; ac in tanta mole rerum, etiamsi quid alicubi desideraretur, monendus fueram. Nunc vides quam crudeliter in me saeviatur. Sed Deo me commendo, quem oro, ut nos regat sua luce, et ut Ecclesias sibi copulet, ut sint unum in ipso. Bene vale, et rescribe an hanc epistolam acceperis, quam subito Torgae scripsi. Die 5. Augusti, 1552.

Phil. Mel.

No. 5175. 5. Aug. (Torgae.)

## Iohanni ministro.

Epist. lib. II. p. 588. (ed. Lond. lib. II. ep. 618.).

*Iohanni Ministro suo*

S. D. Charissime *Iohannes*, Dei beneficio filioli recte valent. Ego ubi negotium egero, quod cum senatu agi necesse est, ad vos redibo. Nam typographicae officinae requirunt, ut veniam. Te oro ut solitudinem istam patienter feras. Nostram domum et supellectilem Deo primum commendo, deinde et tuae fidei. Si quid literarum acceperis priusquam redeo, servato donec istuc venio. Bene vale. Die 5. Augusti. *Torgae.*

No. 5176. 5. Aug.

## Scholasticis.

Scripta publ. Witteb. I. p. 413.

*Philippus Melanthon* (*Studiosis*).

Usitata sunt Ecclesiae exilia, ut nos de primorum parentum exilio, et de filio Dei, qui factus est exul propter nos, ut nos in patriam reducat, commonefaciant. Et tamen in ipsis etiam exiliis doctrinae vox et vera invocatio sonent. Ideo nos quoque has operas scholasticas, Deo iuvante, faciemus in hoc secessu donec Deus concedet. Itaque iam hora nona tertium caput ad Romanos interpretari incipiam; nam eo usque interpretatio deducta est. 5. Augusti (ann. 1552.).

---

No. 5177. 8. Aug.

## G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 409 sq.

*Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misnensem.*

*— — — Pax optima rerum,*
*Quas homini novisse datum est; Pax una triumphis*
*Innumeris potior.*

Praesertim si, ut fieri debet, refertur ad disciplinae, legum et religionis conservationem. Ac in literis, quas scripserat Magnificus D. *Cummerstadius*, heri nobis spes est ostensa pacis, de qua magnopere te oro, ut nobis scribas, quamprimum certiora audieritis. Diu iam nihil literarum a te accepi, nec, ubi esses, audieram. Bene vale. VIII. Augusti.

---

No. 5178. 9. Aug. (Witebergae.)

## P. Ebero.

† Ex autographo in bibl. Norimb. descripta a Clar. *Rannero.*

*Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti, D. Paulo Ebero, fratri suo,*

S. D. Cariss. frater. Heri ante meum adventum, cum praefecto quaestor narrasset, sermonem de pace facta, sparsum esse *Argeliae*, respondet ille: quia sibi nihil de ea re significatum esset, nondum se huic sermoni credere. Postea sero misit ad me quaestor, adsidente D. *Pastore*, literas praefecti, quibus ei significat, certo pacem factam esse[1]), et ducem *Saxoniae Electorem* ducturum esse partem exercitus in *Pannoniam*. Haec *εὐαγγέλια* significanda vobis esse quam primum censui. Etsi enim scio, multas inanes fabulas spargi, tamen haec narratio gravem auctorem habet; ac oremus filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut agmina imbecilla puerorum nostrorum et matrum clementer protegat, et nos regat. Leges haec caeteris amicis, et scribes mihi, quidquid habetis ἀξιόλογον. Hoc etiam peto. Reliqui istic paginas scripti *περὶ ψυχῆς*: *semper enim errat aegrotus animus*, ut Ennius inquit. Invenies autem positas in ea mensa, ubi caeterae meae chartae sitae sunt. Inde sumptas tradito huic adolescenti, quem meo sumptu ad vos misi, ut eas huc adferat. Bene vale et rescribe. Pridie Laurentii. Salutem vobis omnibus opto.

Philippus.

---

No. 5179. 18. Aug. (Torgae.)

## C. Orthmanno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*M. Casparo Orthmanno, gubernanti studia doctrinae literarum et optimarum artium in urbe Leoberga.*

Carissime Caspare. Scio tibi notas esse divinas sententias et sapientum dicta de concordia tuenda. Saepe etiam recito versus, quos ex veteri poëmate sumpsit Plato:

*οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς οὐδ᾽ ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει*
*πρὸς ὄψιν, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νοήσις.* *)

Sed dici maius nihil potest hoc dicto Iohannis: *ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστί· καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ θεῷ μένει καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ.* Itaque propter voluntatem Dei et Ecclesiae utilitatem tueamur amicitiam nostram. De Academia scito, propter contagia luis, quae vagari Witebergae coeperant, secesserunt lectores in vicinam Argeliam.

---

1) Facta est d. 31. Iulii. — Scripsit Mel. hanc epistolam Vitebergae, quo redierat typographorum causa (vid. ep. d. 5. Aug.) Ebero suo, qui Torgae ob pestem cum aliis doctoribus erat.

*) Plat. Epist. p. 310. A. Steph.: *οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς σπανιώτατος ἐν θνατῶν δυςελπίστῳ βίῳ, οὐδ᾽ ἀδάμας, οὐδ᾽ ἀργύρου κλίναι πρὸς ἄνθρωπον δοκιμαζόμενον ἀστράπτει πρὸς ὄψεις* etc.

Speramus autem, nos brevi Witebergam redituros esse, praesertim cum iam in his regionibus aliquantisper pacem seu halcyonia fore speremus. Nam Dux Saxoniae Elector exercitus sui partem ducit in Pannoniam. Mitto tibi pagellas, quarum lectionem non insuavem fore tibi et caeteris arbitror; brevi mittam libellos alios. Bene vale. Salutem opto viro honestissimo patri tuo. 13. Augusti. Argeliae.

---

No. 5180. 15. Aug. (Torgae.)

## *Iohanni ministro.*

† Ex autogr. in bibl. Norinb. descripta a Clar. *Runnero.*

*Iohanni, ministro Philippi Melanthonis fidelissimo*

*Philippus*

S. D. Cariss. Iohannes. Nondum egi negotium cum Senatu *Torgensi*, de quo aulica mandata habeo. Id me remoratur, quo minus iam redeam, ac propter officinas typographicas abesse diu non potero. Nunc mitto quantum satis est ad unam pagellam in locorum theologicorum editione. Plura me hic impediunt scribentem quam domi. Te oro, ut solitudinem tuam patienter feras. Filiola*) iam sine ducente sola ire potest. Bene vale. die 15. Augusti.

Philippus.

---

No. 5181. 15. Aug.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 258. (ed. Lond. lib. II. ep. 256.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Magnopere colloqui cum C. V. cupio, non de bello, cuius neque causas neque initia novimus, sed de doctrina Ecclesiae. *Balticus* orator cogit nos de personarum divinarum discrimine dicere, et id pie illustrari valde utile est. Decrevi autem eam ipsam ob causam interpretari in hoc secessu *Iustini* librum de tribus personis divininatis, et de duabus naturis in Christo nato ex virgine, ac ipsum Filium Dei oro ut nos regat, et has Ecclesias protegat, quem quidem spero hanc ipsam ob causam daturum esse his regionibus *Halcyonia*, ut possint aliquando senes aliqui amanter colloqui. Gratias ago C. V. quod cum contagia luis vagantur in *Dessa*, hospitium dat *Bergiis Iohanni* et *Volcmaro*, in domo *Parthenopea*, quae mihi quoque ante quinquennium gratum hospitium praebuit. Orat hic *Cervestensis Caspar Iungerman*, se adiungi *Bergiis*. Modestum hominem esse scio. Et si ibi erunt Iurisconsultus, Mathematicus, et Poëta, qui omnes tamen Deum recte invocant, et Theologi sunt, Domus C. V. erit Academia *Parthenopea*. Adiungo ad hos *Copum* Medicum, nec alios ibi esse existimo qui eruditione antecellant. Bene et feliciter valeat C. V. Die 15. Augusti.

*) Peuceri.

---

No. 5182. 18. Aug. (Torgae.)

## *Iohanni ministro.*

Epist. lib. II. p. 588. (ed. Lond. lib. II. ep. 617.).

*Iohanni Ministro suo*

S. D. Charissime *Iohannes*, Rediit ex *Argentorato* nuncius *Andreas*. Scribit frater nostrum oppidum et Ducatum *Wirtebergensem* non vidisse hostiles exercitus. Sed ditio Episcopi *Spirensis* dedit *Marchioni Alberto* centum millia aureorum et viginti millia. Direptum est et oppidum *Oppenheim*, quo multi ex ditione *Moguntina* res suas transvexerant. *Sigismundus**) nominatim tibi salutem iubet dici. Nunc auditor est *Nicolai* in Academia *Heidelbergensi*. Doctor *Sicinger* et uxor recte valent, et Principis erga ipsum benevolentiam audio eximiam esse. *Sebaldus* quoque ibi in aula locum habet. Bene vale. Die 18. Augusti. *Osiander* quaerit locum in *Anglia*.

---

No. 5183. 20. Aug. (Torgae.)

## *G. Maiori.*

Epist. lib. V. p. 348 sq.

*) Filius fratris Melanth. Vid. ep. 13. Ian. h. a.

*Georgio Maiori (Superintend. Islebiensi)*

**S. D.** Reverende vir, et charissime frater. Si quid esset ἀξιόλογον in literis Anglicis, non reliquissem eas Witebergae: Sed *Lascius* misit scriptum περὶ δείπνου Κυριακοῦ, nec aliud quicquam est in literis. Mihi vero scribitur, *Osiandrum* quaerere locum in Anglia, sed adversantur nonnulli, quorum iudicia ibi non arbitror contemni. Curabo tamen, ut huc mihi mittatur libellus ille cum literis, et ut ad te perferatur. †Si, ut aliquando futurum existimo, de Ecclesiis deliberatio communis in Germania instituetur, et non erit fucoso animo, optarim et illos prodire, qui nunc adversus nos debacchantur in conviviis. Sed Deo commendemus has nostras aerumnas, et recta doceamus" [1]).

Nuncium vestrum dimisimus, quia Doctor *Laurentius*, ad quem literas attulit, non aderat. Ego ei, cum redierit, literas exhibebo. Aderit enim ante *Dresdensem* Conventum: ad quem ipse quoque profecturus est. Has literas scripsi, cum iam *praefationem in Haggaeum* in manibus haberem, et disputarem cum *Paulo* περὶ χρονολογίας. *Funccius* Darium intelligit, filium Hystaspis, nos Artaxerxem Longimanum esse hunc Darium existimamus; cuius fit mentio in Haggaeo: quia iam aedificatio inchoata erat. Sed haec coram. Bene vale. Die 20. Augusti, quo Alexander Thebas coepit ante annos 1888 [2]).

Philippus.

---

No. 5184. 21. Aug.

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 242. (ed. Lond. lib. II. ep. 240.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

**S. D.** Illustrissime et Reverendissime Princeps, Etsi in tantis Imperiorum confusionibus, sperari ne quidem *Germanicorum* Principum et Episcoporum communis deliberatio potest, seu ut nominant, Synodus Nationalis: tamen optandum est, ut hae vicinae Ecclesiae aliquando conveniant, ac saepe cogito Deum hanc ipsam ob causam his regionibus aliqua daturum esse Halcyonia, ut hi qui praesunt Ecclesiis convenire possint. Nunc in his tumultibus animi docentium ita sunt exulcerati suspicionibus, odiis, studiis factionum, ut convenire multi non possint. Nos igitur maiore cura coniunctionem tueamur. Scriptum est ad me *Osiandrum* quaerere locum in *Anglia*. Est enim ei adfinis *Cantuariensis*, cui in conventu *Noribergensi* cognatam dedit uxorem. Sed audio quosdam doctos et praecipuae autoritatis viros hortatores esse, ne in *Angliam* accersatur, cum tantum chaos novarum opinionum spargere in Ecclesiis coeperit. Cras Deo iuvante *Lipsiam* profecturus sum ad D. *Ioachimum*, ut inde adveham *Iustinum*. Bene et feliciter valeat C. Vestrae frater. Die 21. Augusti.

---

No. 5185. 22. Aug.

## M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 657 sq.

*Michaëli Meienburgio, Consuli Northus.*

**S. D.** Honestissime vir, et amice charissime. Cum sciamus utrumque et imperia in hac senecta mundi fore inquietiora, et tamen Filium Dei servaturum esse certo Ecclesiam suam, praeparemus animos ad ferendas rerum mutationes: et tamen speremus, Deo curae fore familias piorum; et in his ipsis locis servaturum esse Ecclesiam, ubi vox Evangelii sonat.

De rebus Hungaricis heri literas accepi, quae significant, a quibusdam locis feliciter repulsos esse Turcas.

Si sperarem, Torgam fore liberam a contagiis, vellem, et *Michaëlem*, filium, apud nos esse. Nunc plura scribere non potui, quia *Lipsiam* iturus iam iter ingredi volebam, filio scribam per proximorum tabellarium.

De publicis Germaniae negociis multa mihi narravit vir nobilis et integerrimus, Pomeranicus Cancellarius D. *Zizewitz*; quae coram, ut spero, Lipsiae recitabo. Bene et feliciter valete. Die 22. Augusti Torgae.

Philippus.

---

1) In hoc anno (vid. supra epp. d. 25. Iul.) error est; nam scripta esset epist. 1554, quum tamen, ut ex commemoratione Osiandri et tota serie epist. intelligatur, scripta sit anno 1552.

2) Addit A. D.

No. 5186. 23. Aug. (Lipsiae.)

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 259. (ed. Lond. lib. II. ep. 257.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, *Lipsiam* cum venissem die 22. Augusti, audivi *Marchionem Albertum* a *Francofordia* discessisse *), regem *Gallicum* vero regredi ex Ducatu *Lucelbergensi*, *Germanis* iratum, quem optarim procul in *Asia Palestinam* armis repetere, ut fecerunt ipsius maiores, sapientes et magnanimi Reges. Ex *Vratislavia* literas accepi die 21. Augusti, in quibus haec erant verba: *Indies ex Hungaria nunciantur laetiora, Triglam et alias munitiones Turci antea occupatas relinquerunt. Temeswar mirabiliter obsidione soluta est. Sperant posse reprimi Turcas Deo iuvante, si Rex Ferdinandus miserit eo mediocres copias. Gallus* quidam *Dresdae* fuit, qui ex *Constantinopoli* venit, qui narrat *Turcicum* Imperatorem aegrotare, et non esse opiuionem, fore, ut nunc maiores exercitus in *Pannoniam* veniant. Bene et feliciter valeat C. V. Die 23. Augusti.

---

No. 5187. (h. mense.)

## Paulo.

† Ex apographo in cod. Goth. 191. p. 44. — Inscribitur in apographo: „*M. Paulo Παύλῳ.*" (*Paulo Ebero?*)

*M. Paulo.*

Totam hanc lucubrationem consumpsi in quodam scripto de admirabili illa divinae et humanae naturae copulatione[1]). Quod filius Dei assumpsit humanam naturam testimonium est evidens, nos curae esse Deo, nos inquam, qui filium venientem non aspernamur, sed audimus, et, ut Psalmus inquit, osculamur. Hunc filium Dei fratrem nostrum et ex ossibus nostris Iesum Christum oro, ut servet te et coniugem tuam et filios tuos, vosque gubernet, et non dubito, adfuturum esse Ecclesiis vestris.

*) Discessit d. 9. Aug. 1552. Vid. Sleidan. lib. XXIV. p. 785.

1) Mylius in chronolog. scriptorum Melanth. ad ann. 1552. haec habet: „Dictavit ibidem (Torgae) librum de unione personali, qui nondum est editus. Conf. etiam ep. d. d. 15. Aug. et d. 31. Aug. h. a.

---

No. 5188. 30. Aug.

## Iohanni ministro.

Epist. lib. II. p. 604. (ed. Lond. lib. II. ep. 610.).

*Iohanni Ministro suo*

S. D. Charissime *Iohannes*, Ante duodecim dies misi ad vos cursorem nostrum, et scripsi, ut chartas quae continent enarrationem *Lutheri* in *Genesin*, positas in mea arca iuxta mensam, mihi mitteretis *). Cum autem non redierit ad me cursor noster, miror quae morae causa sit, et de chartis solicitus sum. Mitto igitur iam hunc tabellarium, civem *Witebergensem*, fidum hominem, ac vobis notum, si adhuc habetis illas chartas, huic meo tabellario tradi eas volo, ut ad nos adferat. Nam nuncius *Noribergensis* hic eas expectat. Fasciculus continens illam *Lutheri* enarrationem in arcam iuxta mensam a me positus est, ubi invenies iuxta *Ptolomaei* codicem, fasciculum quadrangulum membrana tectum, quem si nondum misistis, nunc mittite. Moleste fero ad caeteros meos dolores hunc addi, quod mihi nihil scribitis. Quaeso ut respondeas. Meam familiam Deo, et domino *Michaëli*, et tibi commendo. Bene vale. Pridie Calend. Septembris.

---

No. 5189. 31. Aug.

## V. Strigelio.

Epist. lib. II. p. 125. (ed. Lond. lib. II. ep. 111.).

*Domino Victorino Strigelio*

S. D. Doctissime *Victorine*, et tuo et soceri viri optimi dolore adficior, ac vobiscum doleo, Deumque oro, ut privatas et publicas calamitates leniat, et in ira misericordiae suae recordetur. Notae sunt autem tibi consolationes divinitus pro-

*) Habetur supra d. 18. Aug. epist. ad *Iohannem* ann. 1545., sed de hac re nihil scripserat Melanthon.

positae, quarum te cogitatione confirmato. Sed hoc etiam praeceptum trado: Abducitur animus et a dolore et ab aliis cogitationibus, inquisitione doctrinae, in qua desideratur explicatio diligentior. Fuit autem negligentia valde vituperanda scriptorum, qui non tradunt, cur Filius Dei λόγος nominetur, et quae sit propria actio in mentibus humanis τοῦ λόγου, quae τοῦ πνεύματος. De hac tanta re cum D. *Erhardo* et tecum loqui cupio, et colloquar Deo iuvante. Nunc mitto has quaestiones, de quibus et D. *Erhardi*, et tuas responsiones flagito. Bene vale et rescribe. Salutem opto clariss. et optimo viro D. *Stigelio* et caeteris amicis. Pridie Cal. Septemb.

### *Quaestio.*

Usitate dicunt de tribus Personis scriptores, quia Spiritus sanctus habitat in cordibus, simul sunt caeterae Personae, quia personae divelli non possunt. Hoc non satis est dictum, non enim discernuntur Personae, nec ordo actionum traditur.

*Augustinus* IV. De *Trinitate* inquit: *Quotidie mitti Filium in corda sanctorum.* Et ait: *Aliter mittitur ut sit homo, aliter ut sit cum homine.*

*Athanasius* expresse dicit: *Quandocunque dicitur in aliquo esse Spiritu, intelligitur in eo esse Verbum dans Spiritum.* Quo ordine? Sic sentio per Verbum vocale. Vere Filius dicit verbum in corde. Et ita ostendit Patrem, et simul tunc perfunditur cor Spiritu sancto, qui est causa laetitiae in Deo. Haec in experientia intelligi possunt. Nominatur igitur λόγος, et quia est imago aeterni Patris, et quia est Verbum in cordibus nostris ostendens voluntatem Patris. Et ad hanc sententiam multa vetera dicta congruunt. Et sic *Nazianzenus* inquit: *Ἐκ φωτὸς Πατρὸς καταλαμβάνομεν φῶς τὸν υἱὸν φωτὶ ἁγίῳ πνεύματι.* Nihil haec ad *Baltici* Oratoris contentiones, quia aliud est quaerere de actionibus in homine, aliud de acceptatione. Nos confidere debemus obedientia Filii Dei, quam Patri praestitit, et hanc anteferre actionibus in nobis. Respondete.

No. 5190. 1. Sept.

## *H. Langueto.*

Mel. select. Epist. p. 386. Epist. lib. II. p. 549 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 572.). Repetita in Mel. Consil. lat. P. II. p. 117.

### *D. Huberto Langueto*

S. D. Etsi sunt interdum Physicae causae furorum seu παραφροσύνης seu μανίας, tamen certissimum est, Diabolos in aliquorum hominum corpora[1]) ingredi, et efficere furores et cruciatus in eis, vel cum Physicis causis, vel sine eis, quia manifestum est, tales homines interdum etiam sine Physicis remediis liberari. Et saepe[2]) haec Diabolica spectacula sunt prodigia, et significationes rerum futurarum. Ante annos XII erat mulier in *Saxonia*, quae nullas literas didicerat, tamen cum agitaretur a Diabolo, post cruciatus loquebatur *Graece* et *Latine* de futuro bello *Saxonico.* Erit angustia magna in terra, et ira in hoc populo: ἔσται ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ.

Ante annos 16 erat in *Marchia* puella, cui rapienti pilos a vestibus, vertebantur illi pili in nummos *Marchicos*, quos devorabat puella longo fragore dentium. Et figurae illae nummorum interdum ex manibus eius subito extortae, erant veri nummi qui adhuc a nonnullis servantur[3]). Ac subinde magnos cruciatus puella sentiebat. Sed liberata est a toto illo morbo post menses aliquot, et adhuc vivit sana. Sunt autem crebrae piorum precationes pro ea factae. Et consulto omissae sunt aliae ceremoniae.

In *Italia* audio fuisse mulierem, quae etiam nullas literas didicerat, quae cum agitaretur a Diabolo, interrogata, qui versus *Virgilii* sit optimus, respondit:

Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos.

Possem et alia multa exempla commemorare, quae testantur furores a diabolis oriri etiam sine physicis causis. Sic et de illis miseris virginibus,

---

1) Mst. *corda*.

2) *saepe*] abest a mst.

3) Vid. de ista puella Lutheri epist. ad Ebertum d. 5. Aug. 1536. Errat igitur Pezel., qui in Consil. lat. hanc epist. refert ad annum 1549.

quas *Romae* in furore cruciari audio, iudico cruciari eas a Diabolis. Et significantur poenae *Italiae* et aliarum gentium. Nec vero dubito vera piorum precatione tolli id malum, et expelli Diabolos posse. Recte etiam facient, si qui homines non *Epicurei*, sed vere invocantes Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, serio praecipient Diabolis, ut discedant ab illis miseris, et de venturo iudicio Filii Dei, in quo malitia Diabolorum ostendetur palam universae Ecclesiae, dicent, et de poenis Diabolorum. Sed haec fieri oportet serio et omittendae sunt Ceremoniae τῆς ἀρτολατρείας et lustralis aquae, et falsarum invocationum, *Cornelii* et similium. Scio plura exempla, in quibus profuisse piorum precationem certum est. *Witebergae*. Calendis Septembris.

No. 5191. 5 Sept. (Witeb.)

## C. Peucero.

Epist. lib. II. p. 412. (ed. Lond. lib. II. ep. 431.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissime fili, Nuncius *Noribergensis* attulit tibi Epistolam brevem ex urbe *Noriberga*, ab amico *Fabricio*, flagitante volumen τῶν γενέσεων. Vellem extare multa exempla, propterea quod vetustas talia multa volumina habuit, et aliquorum accenderent studia. Ego ad vos, Deo iuvante, redibo vel hac septimana, vel proxima. Prius enim absolvere cupio emendationem scripti *Megapolitani*, praefationem in *Haggeum* et τὰ περὶ ψυχῆς, etsi interpellationibus impedior. Vellem transvecta esse quae volebamus, et propter eam causam citius istuc redibo, ut mea coniux huc accedat. Filius Dei servet vos omnes. Bene vale et rescribe. Die 5. Septembris. τῇ θυγατρὶ φίλημα meis verbis, quam Deus servet. Hic nuncius ait se rediturum esse, dabis igitur ei literas.

No. 5192. 5. Sept.

## P. Ebero.

† Ex autographo in bibl. Norinb. descripta a Clar. *Rannero*.

(*Paulo Ebero.*)

S. D. Carissime frater. Paginas τῶν ὑπομνημάτων περὶ ψυχῆς, quas post meum iter *) misisti, accepi, ac hodie partem typographo tradidi, qui processit ad literam N. Etsi autem propter typographicas operas huc accessi, tamen interpellatores me impediunt. Heri etiam funus comitatus sum honestissimae coniugis *Ionae Matthaei* magno cum dolore, cuius multae fuerunt causae, sed de patris honestissimi senis vulnere cogitabam plurimum. Oro autem filium Dei, ut leniat publicas et privatas calamitates. In his tantis miseriis ludunt adhuc huius temporis βωμολοχικοὶ λογοδαίδαλοι. Magnopere te oro, ut significes mihi, quid responderint amici ex Lipsia. Credo *Cunradum* bibliopolam posse literas mittere. Hic in solitudine de republica nihil audio. Fimetum cinerum et funera video. Pannonica clades tamen hic prolixius narratur, quam istic. Huc enim iter fecit *Slaberdorfius*, qui evasit. Ait, hoc stratagemate deceptos esse. Turci in proelio leviter dimicantes fugam simularunt. Nostri alacres sequuntur donec praetereunt oppidum quoddam. Id cum praetervecti essent, ex oppido alius Turcicus exercitus erumpit et terga nostrorum caedere incipit. Ita in medio utrinque caesi perierunt. Ego et clade et omine moveor; sed filio Dei nos commendemus, qui dixit: *nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Valde te oro, ut mihi τὰ ἀξιόλογα quam primum scribas. Bene et feliciter vale. Die 5. Septembr.

Philippus.

Salutem opto vobis omnibus d. doctori *Milichio*, d. doctori *Vito*, d. *Sebastiano*.

No. 5193. 6. Sept. (Witeb.)

## Eidem.

† Ex autographo in bibl. Norinb. descripta a Cl. *Rannero*.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Paulo Ebero, fratri suo cariss.*

S. D. Carissime frater. Heri tabellario Noribergensi literas dedi vobis adferendas, qui spem

*) Profectus erat Mel. d. 28. Aug. Lipsiam, et inde Vitebergam, ubi commorabatur d. 1 — 13. Septb.

mihi reditus ad nos sui fecit. Iam igitur tuas literas expecto. Hodie ad me *Brenzelia* venit, expostulans etiam nobiscum, quod negligentius agatur ipsius negotium, quam fert inopia ipsius. Et filia die Septbr. 12. ad nuptias profectura est. Quaeso ut quam primum hoc negotium perficias, et vel meo sumtu pecuniam mittas. Quantum detur nescio. Sed audio, tres menses nihil solutum esse. Molestum est, suscipere talia negotia. Sed talis est vita hominum, ut hoc Pauli praeceptum meminisse nos necesse sit: *ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε.* Iam annunciatur funus sororis *Blumin.* Deus mitiget publicas et privatas miserias.

*Laurentium Rulichium* hortatus sum, ut munus docendi istic in templo suscipiat. Sed adhuc deliberat. Heri advenit *Georgius Maior,* qui pugnat tanquam pro aris de sua sententia[1]) et vult edi conciones quasdam seu apologias. Quod si fit addimus *πῦρ ἐπὶ πῦρ.* Nec dissidia tantum sed etiam odia talibus certaminibus augentur. *Περὶ τῶν ἡγεμόνων Σαξονίας* audio, ita convenisse, ne alteruter bellum moveat, sed in proximo conventu controversiae diiudicentur [2]). Bene vale. die 6. Septemb.

Philippus.

Salutem vobis opto omnibus.

---

**No. 5194.** 7. Sept. (Witteb.)

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 513. (ed. Lond. lib. II. ep. 539.).

### *D. Ioachimo Mollero*

**S. D.** Clarissime vir, et charissime frater, Hodie ad fratrem tuum *Henricum*, virum excellentem ingenio et gravitate, scripsi et de Academia et de pace seu Halcyoniis, si ita voles nominare. Lectores Academiae secesserunt *Torgam*, et contagia luis in oppido *Witeberga* adhuc impediunt reditum nostrum, etsi ego haec *Witebergae* iam scribo. Nunc in aedibus Reverendi D. *Pastoris*, filiola filiae ipsius aegrotare ex his contagiis coepit. Ac siderum positus magis minitatur nobis in Octobri et Novembri. Post brumam spero aërem salubriorem fore. *Περὶ εἰρήνης δὲ*, etsi dissimilia sunt hominum iudicia et dissimiles voluntates: tamen gaudeo in his regionibus mediocria Halcyonia esse, et expectatur *Wimariae* reditus Ducis *Iohannis Friderici.* Rectius etiam existimo nostrum Electorem *Saxoniae* bellum gerere in *Pannonia*, quam in patria. Ac profecto omnes viros fortes ad reprimendam impiam barbariem *Turcicam* concurrere oportebat. Res enim ostendit verum esse illud *Euripidaeum, μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μαχή.* Recens enim trucidatus est non exiguus numerus *Germanicorum* equitum in Pannonia, quos duxit *Fabianus Schoneich*, vir ingeniosus, qui tamen arte a Turcis deceptus est. Pars Turcici exercitus principium pugnae fecit, et simulatione fugae traxit nostrum exercitum ad oppidum, in quo pars alia latebat; cum nostri oppidum praetervecti essent, erumpunt hostes ex oppido; ita circumventi nostri utrinque caesi sunt. Nunc Dux *Mauricius*, quod faustum et foelix sit, in Pannoniam profectus est. Legi formulam pacis, et mihi totam illam pacificationem recitavit vir sapiens et integer *Ziceldicius* *) *Pomeranus*, qui deliberationibus illis interfuit. Promissa est liberatio *Landgravii Hessiaci.* De Ecclesiis nostris adsentiuntur Imper. et frater, ut nulla contra eas edicta proponantur, nec cogantur recipere *τὴν σφίγγα*, quam nominant *Interim.* Volunt autem deliberari in proximo conventu de nationali Synodo. Postea sunt additi articuli de iudicio *Camerae*, et de quibusdam Principibus, et equitibus proscriptis, qui restituuntur. Haec fere praecipua capita sunt. Ita pax est inter Imperat. Regem *Ferdinandum*, Ducem *Mauricium*, Ducem *Megalburgensem*, *Ioh. Albertum* et *Hessiacos*. *Marchio Albertus* adsentiri illi formulae pacis noluit. Is postea diripuit *Moguntiam*, et duxit exercitum in ditionem Episcopi *Treverici*. *Gallicus* exercitus hactenus in *Lucelburgensi* regione commoratus est, et nihil *ἀξιόλογον* egit. Ubi nunc sit non scio. Sed initio iudicavi mirabilem *χιμαῖραν* esse horum dissimillimorum coniunctionem. Oremus Filium Dei, ut servet reliquias Ecclesiae suae, et leniat calamitates publicas, et privatas. Mitto tibi pagellas,

---

1) Erat Maior Superintendens in oppido Eisleben, quo vocatus fuerat mortuo Spangenbergio, et proposuerat doctrinam de necessitate bonorum operum ad salutem, quam in publica concione die conversionis Pauli a. 1552. acriter defenderat, contradicentibus reliquis concionatoribus. Vid. Salig's Historie der Augsb. Confess. I. p. 638 sq.

2) Vid. epist. ad Mollerum d. 7. Septb. h. a.

*) Citzevicius?

quarum lectionem tibi et socero spero non insuavem fore. Bene vale. 7. Die Septembris. *Witebergae.* Salutem vobis omnibus opto.

---

No. 5195. 7. Sept.

## *Henr. Mollero.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Magistro Henrico Mollero, Hamburgensi.*

**S.** D. Carissime Henrice. Semper et ingenium tuum et integritatem amavi, et filium Dei oro, custodem Ecclesiae suae, ut studia tua ad communem salutem gubernet, et te faciat σκεῦος ἐλέους. Vulnera Ecclesiae vides, quae utinam sanet civis ille vetus Samariae, filius Dei, conspectus a Iacob in scala. Sed est etiam nostrae diligentiae, sicubi occasio est, lenire aliquas aerumnas. Quare, quod facis, amicitiam nostram tuearis, et istic nos veteribus amicis commendes. Quum Academia rursus convenerit, optarim te ad nos redire. Nunc contagia luis et in hoc oppido et passim in vicinia vagantur. Quibus conditionibus pax facta sit inter Imperatorem et quosdam Principes, qui bellum moverant, scire vos existimo. Etsi autem magna iudiciorum et voluntatum dissimilitudo est, tamen halcyonia in his regionibus esse gaudeo. Et reditus Ducis *Ioannis Friderici* ad coniugem et filios expectatur. Rectius est etiam ducem Electorem Saxoniae in Pannonia bellum gerere quam in patria. Turci recens in Pannonia magnum numerum Equitum Germanicorum trucidarunt, inter quos dux erat *Fabianus a Schöneich*, quem tibi notum esse existimo. Nunc quod faustum et felix sit, noster Elector in Pannoniam profectus est, quo et partem exercitus praemisit, quem habuit in faucibus Alpium, quem duxit praefectus nostrae viciniae in Schweinitz *Robelius*, quem novisti; et existimo virum fortem esse. Oro autem Deum, ut dextras eorum regat et armet contra barbariem impiam Turcorum. Pagellas tibi meo more mitto. Salutem opto vobis omnibus, honesto viro patri tuo, dulcissimis fratribus, R. Domino *Aepino*, *Delio*, *Martino*, *Ricebergio* et aliis amicis. Bene vale et rescribe. Flagites et a D. *Aepino* literas. Witebergae, die 7. Septb.

Philippus.

No. 5196. 8. Sept.

## *Principibus Henneberg.*

† Ex autogr. Mel. in Tabulario Hennebergico, descripta a Clar. *Schoeppachio*, doctore Gymnasii Meiningensis.

An die Grafen Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

**G**ottes Gnad ꝛc. — E. F. G. gnädige Schriften habe ich in Unterthänikeit gelesen, und dabei die Bericht angehört, und ist wahr, so E. F. G. den Ernwirdigen Justum Menium hätten zur Superintendentia gen Schmalcalden oder Sleusingen haben mögen, wären die Kirchen mit Gottes Hülf sehr wohl versorgt gewesen. Aber ich kann aus vielen Ursachen bedenken, daß die Hochgebornen Fürsten und Herrn, die Herzoge zu Sachsen, ihn gern in ihren Kirchen wissen und behalten. Daß ich nu ein Person ihm gleich anzeigen sollt, ist nicht wohl möglich. Ich habe aber uff etlich gedacht, die ich uff einen Zettel verzeichnet habe. Vielleicht wäre auch die Superintendentia Magistro *Philippo Herman* zu befehlen, den ich zu solchem Ampt tüchtig achte, so viel ich ihn kenne. Und so die Zeit kommt, bitt ich, E. F. G. wollen alsdenn einen Boten anher senden mit E. F. G. Schriften. Dabei bitt ich auch, E. F. G. wollen nochmals daruff arbeiten, daß die zween Magister *Bartolemeus* und Eichhorn in E. F. G. Land versorgt werden. Denn, wie ich in ihren Schriften, an E. F. G. gestellet, gesehen, klagen sie große Noth und Armuth. Der eine sollt ja zur Pfarr zu Smalcalden zu gebrauchen seyn. Der ewige Sohn Gottes Jhesus Christus wolle E. F. G. an Leib und Seel stärken und gnädiglich bewahren und regiren allezeit. Datum Witeberg am Tag natalis Mariae virginis matris. 1552.

E. F. G.

unterthäniger Diener

Philippus Melanthon.

(Inliegender Zettel.)

Christophorus *Piscator* von Joachimsthal, jetzund Pastor zu Bensen, ist Pastor und Superintendens gewesen zu Juterbog, ist dem Herrn Canzler domino Sebastiano [1]) bekannt, denn er ist gener Pauli Knot; ist tüchtig zur Superintendentia.

---

1) Adscripsit Cancellarius (Sebast. Glaser): „Dieser Christofforus ist ungefährlich in meinem Alter, und eigentlich nit viel älter; hab Gorg, er sey zu jung." [Hunc Piscatorem, Fischer, comites vocaverunt.]

Ich will auch reden mit dem Pastor von Hänichen, der auch dem Herrn Canzler bekannt ist [2]).

Zur Pfarr Magister Matthias *Elbing* Prutenus, ist auch dem Herrn Canzler bekannt [3]).

Zur Pfarr, *Forstius* von Coburg, jetzund Diaconus zu Lucca, ist eine ansehnliche Person und möchte wohl zur Superintendentia gebraucht werden.

Zum Diaconat Laurentius *Rubosius.*

Die Forma will ich E. F. G. geschrieben oder gedruckt zuschicken.

---

**No. 5197.** (fere h. t.)

## P. Ebero.

† Fragmentum epist. ex autogr. in bibl. Norinberg. descriptae a Clar. *Rannero.*

*Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti, D. Paulo Ebero, fratri et collegae cariss.* In des Ehrbaren Michael Schirmers Haus.

— — — in Asina per vicos *Moguntiae* circumvectam esse. Etsi mulieri vellem pepercisse milites, tamen τὸν φοίνικα *) retineri iustum fuisset, qui nunc redit in viciniam Lipsiae, unde antea fugerat. Sed si illa μυομαχία comitis *Volradi* procedit **), fortassis iterum fugiendum erit. Tua familia dei beneficio recte valet. Caetera coram.

Ich bitt auch, wollet mir zwey Hänlein kauffen lassen ad dolia vinaria, προχόους puto dici posse.

Philippus.

---

**No. 5198.** 9. Sept. (Witeb.)

## C. Peucero.

Epist. lib. II. p. 413. (ed. Lond. lib. II. ep. 432.).

*D. Casparo Peucero*

**S. D.** Charissime fili, Recte a vobis factum est, quod literas *Noribergenses* legistis, etsi nihil continent ἀξιόλογον, quod non antea audierimus. Plura mihi hic etiam narravit *Hennebergensis* secretarius. Oremus Filium Dei, ut Ecclesiae suae reliquias servet, et respiciat illa imbecillia agmina matrum et infantum. Non enim sine gemitu aspicio tuam coniugem et filiam, et similes. Has ut protegat filius Dei inter has tantas ruinas Imperiorum, precemur. Dimicant eodem tempore in Germania, *Hispani*, *Itali*, *Galli*, *Germani*, de inani umbra Imperii. Aliquanto post *Turci* etiam infusi in hanc regionem facient maiorem vastationem, nec profecto terrae motus, diluvium in tua patria, et alia prodigia ἄσημα sunt. Aiunt fuisse in pugna Pannonica *Marchionem Iohannem*, καὶ ἀποροῦσι τινὲς περὶ βίου αὐτοῦ. Genesis est σφαλερὰ, ut scitis. Ego, Deo iuvante, ad vos redibo Idibus Septembris. Nam hic me negotium Ecclesiae *Smidbergensis* detinet. Propero autem ad vos, quia matrem huc accedere necesse est. Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Die 9. Septembris.

---

**No. 5199.** 10. Sept.

## Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Iohanni Aurifabro (in Acad. Rostoch.)*

**S. D.** Reverende vir et carissime frater. Usitata sunt Ecclesiae exilia et ut de primo exilio cogitemus, in quo coelestem patriam amiserunt primi parentes, et ut commonefaciant nos de filio Dei, qui nostra causa factus est exul, ut nos in patriam coelestem reduceret. Nec tibi ignota est Ecclesiae historia. Vult autem Deus, nos piis praesertim benefacere, qui propterea ex suis nidulis pulsi sunt, quia a viciosis cultibus aut opinionibus malis abhorruerunt. Hunc vero *Andream Weslingum* *), doctum et honestum senem, sacrificuli

---

2) Adscripsit Cancellar.: „Wenn ich den Namen höret, möcht ich ihn kennen, sonst weiß ich nicht wer er ist."

3) Cancellar. adscripsit: „weiß mich nicht zu berichten, daß ich ihn kenne."

*) i. e. Sidonium, Archiep. Moguntinum.

**) Vid. Sleidan. lib. XXIV. p. 790.

*) De eo vid. ep. d. 12. Mart. 1553. Wesselingus, ut ex Scriptis publ. Acad. Witt. T. II. ad ann. 1553. intelligitur, mense Iulio 1553. incepit grammaticam hebraicam in Acad. Rostochiana docere.

in Groningen suam εἰδωλομανίαν retinentes, cum ostenderet, se verae doctrinae studiosum esse, pepulerunt. Postea ut fontes doctrinae propius agnosceret (?), linguam Ebraeam didicit, ac deinde in Academia nostra et Regiomontana multos recte docuit. Discessit autem ex Prussia propter atrocia dissidia ibi orta, et nunc solitudo nostrae Academiae causa est, cur alibi hospitium quaerat. Etsi autem apud vos vir celeberrimus, clarissimus *Draconites*, sermonem prophetarum Ebraeum interpretatur, tamen non arbitror, eum Grammaticen aut docere aut repetere. Cum igitur grammatico lectore eius linguae vobis opus sit, quaeso, ut hortator sis in aula, ut huic grammatica lectio eius linguae commendetur. Homo fidelis est ac candidus et pacis amans. Totam hanc rem prudentiae et fidei tuae commendo. Scripsi de eo et ad illustrissimum principem. Si spes non erit constituendae lectionis, curabis ut in Ecclesia aliqua docendi locum habeat. Liber Ecclesiarum vestrarum nunc recuditur, in quo etsi de sententia nihil mutatum est, tamen quaedam recitare explicatius conatus sum, ut videbis. Mitto et tibi et *Davidi* quaestiones in hac pagella inserta huic epistolae, de quibus cogitare vos velim et mihi rescribere. Utinam saepe colloqui plures pii et virtutem quaerentes possent. Ac praecipit talia colloquia Deus, quae non exulceratis animis sed veritatis amore instituuntur, ut scriptum est in Siracide: *μετὰ σοφῶν συμβουλεύου, καὶ μετὰ συνετῶν ἔστω ὁ διαλογισμός σου, καὶ πᾶσα διήγησίς σου ἐν νόμῳ ὑψίστου.* Bene vale et rescribe. Salutem vobis omnibus opto. Die X. Septembr.

Philippus.

---

No. 5200. 10. Sept.

## *Aurifabro et Chytraeo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1]. Vid. epist. antecedentem, cui haec pagella sine dubio inclusa fuit.

*Ioanni Aurifabro et Davidi Chytraeo propos. ζήτημα.*

Usitate dicitur: dato spiritu sancto simul in homine sunt tres personae: pater aeternus, filius et spiritus sanctus, quia personae sunt indivulsae, et pater ac filius spirant spiritum sanctum; et removendae sunt ab hac spiratione vel processione imaginationes de locali et physica distantia. Haec etsi vere dicuntur, tamen non satis explicate dicuntur. Quaerendum est enim, quo ordine ibi sint, et an sit aliqua sua actio filii? et sua spiritus sancti? Athanasius aliquoties dicit: in quocunque dicitur esse spiritus sanctus, in eo est per verbum. Et loquitur de persona filii Dei secundum divinitatem. Augustinus inquit 4. de trinitate: quotidie mittitur sapientia in corda credentium. Et loquitur *περὶ λόγου,* qui est persona seu *ὑφιστάμενον.* Sed aliter mittitur ut sit homo, aliter ut sit cum homine. Videte ibi Augustinum. Et recitantur haec dist. quinta decima primi sententiarum. Et Nazianzenus inquit: *ἐκ φωτὸς πατρὸς καταλαμβάνομεν φῶς, τὸν υἱὸν φωτὶ ἁγίῳ πνεύματι.* Recte igitur hic ordo cogitatur: cum verbo vocali simul persona, *λόγος*, mentem illuminat et effundit spiritum sanctum, qui addidit motus et laetitiam. Ut, cum loqueretur in Paradiso filius, foris audiebatur verbum vocale, intus autem mens movebatur *τῷ λόγῳ,* et cogitabat, Deum patrem dicere hanc consolationem per illum loquentem, et deinde sentiebant laetitiam et motus novos. Ita filius ostendit patrem, et lux quaedam praecedit laetitiam seu motus: quod etiam experientia ostendit. In mente mulieris conversae *λόγος* dicit: Deus pater remittit tibi peccata. Hic *λόγος* deinde effundit spiritum sanctum, qui laetitiam et novos motus efficit. Ita hoc ordine simul sunt personae. Per *λόγον* ostenditur pater et datur spiritus sanctus, qui facit et laetari cor in tota divinitate, et impellit ad invocationem. Cum igitur describimus *τὸν λόγον,* etsi rectissimum est, eum esse *εἰκόνα* totius patris, tamen addendum est, esse imaginem nobis patefactam, quo ad hoc beneficium de reconciliatione, monstrantem hanc voluntatem patris de reconciliatione et dicentem in nobis quoque hanc reconciliationis notitiam.

Quaeso, cogitate de hac tanta re. Nec sunt haec Osiandrica, quia aliud est de actione, aliud de acceptatione loqui. Nec ipse personas discernit. Et necesse est, hanc fidem praelucere, quod placeat persona propter mediatorem, Deum et hominem. Et quod fides sit fiducia misericordiae propter hunc mediatorem promissae. Et pluris facienda est obedientia, quam filius patri praestat, quam actio in nobis. Quaeso cogitate et rescribite. Bene valete. 1552.

Philippus Melanthon.

No. 5201. 10. Sept.

## *Io. Draconitae.*

Epist. lib. II. p. 268. (ed. Lond. lib. II. ep. 269.).

*Reverendo viro, eruditione, et virtute praestanti, D. Iohanni Draconitae, Doctori Theologiae in inclyta Academia Rostochiana, amico veteri et colendo,*

S. D. Reverende vir, Semper te propter eruditionem et virtutem veneratus sum. Nec enim potest aliter iudicare mens donec sana est, quam res esse optimas eruditionem et virtutem. Et in sermonibus saepe haec tua ornamenta praedicavi. Quod autem diu nihil literarum ad te misi, eo factum est, quia ne possum quidem in hac mole occupationum et miseriarum scribere ad omnes, quorum colloquiis delector. Oro igitur ne de meo silentio secus suspiceris. Nunc autem cum hic honestus vir, et in lingua *Ebraea* eruditus *Andreas*, istuc iturus peteret ad te epistolam, ut aditum ad te haberet faciliorem, dedi libenter, et mea et ipsius causa. Scit te excellere cognitione linguae Ebraeae, quam cum ipse et didicerit, et in Academia nostra docuerit, te quoque audire, et interdum te consulere cupit. In bonis naturis studiorum similitudo voluntates coniungit. Quare te oro, ut hunc de te praeclare sentientem amanter complectaris. Experieris virum honestum, rectum, et candidum esse. Si istic desideratur Grammaticae Ebraeae lector, quaeso ut sis hortator, ut hanc laboris partem huic honesto viro mandent hi, qui haec consilia gubernant. Non dubito eius operam iuventuti profuturam esse. Bene et feliciter vale. *Witebergae* die 10. Septemb. 1552.

---

No. 5202. 10. Sept.

## *Iohanni Alberto D. M.*

† Ex autographo Melanthonis in Tabular. secret. Suerinensi, descripta a Clariss. *Evers*, tabularii illius praefecto.

*Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Iohanni Alberto Duci in Mekelnburg, Principi Henetorum, Comiti in Sucrin, et Domino in Stargard et Rostoch etc. Principi suo clementissimo.*

S. D. Illustrissime Princeps et Domine clementissime. Etsi dissimilitudo quaedam est iudiciorum de bello, quod in germania motum est hoc anno, tamen rectius esse iudico, mediocribus conditionibus sine scelere, pacem esse factam, quam in patria facere vastitatem et ἀναρχίαν. ac deo gratias ago, quod et pacem his regionibus mediocrem restituit, et Celsitudinem vestram reduxit incolumem, et oro deum, ut deinceps et servet Celsitudinem vestram et gubernet mentes omnium docentium et gubernatorum ad salutem publicam. Nunc autem commendo Celsitudini vestrae hunc *Andream Weslingum* doctum et honestum virum, qui et apud nos, et in Academia Regiomontana linguam Ebream fideliter docuit. Existimo autem in Academia Rostochiana desiderari professorem qui grammaticen Ebream adsidue doceat. Etsi enim vir doctissimus *Iohannes Draconites* Theologiae Doctor interpretatur prophetas, tamen grammaticen praelegere et repetere eum non arbitror. Praecipue vero opus est adsidua repetitione grammatices. Quare Celsitudinem vestram reverenter oro, ut hoc etiam beneficio Academiam ornet, quae nunc inter eas, quae in nostris Ecclesiis sunt, unica floret, omnium artium et linguarum studiis, et sepe iudicavi domicilium doctrinarum durabilius fore *Rostochii*, quam in aliis regionibus, ubi studia literarum vel bellis, vel bellorum metu impediuntur. Nec vero dubito profuturam esse *Weslingi* operam iuventuti, quia et recte doctus est et fidelis et candidus. Oro autem filium dei dominum nostrum Iesum Christum, ut servet Celsitudinem vestram incolumem, et pias Ecclesias ubique protegat. Bene et foeliciter valeat Celsitudo vestra. Witebergae Anno 1552. die X. Septembris, quo ante annos 96 *Iohannes Huniades* vir fortissimus, cum ingenti prelio Mahometum Turcicum Tyrannum tertio anno post captam Constantinopolin, foeliciter vicisset, postea victor statim mortuus est.

Celsitudini vestrae

Reverenter addictus

Philippus Melanthon.

---

No. 5203. 11. Sept. (Witeb.)

## *C. Peucero.*

Epist. lib. II. p. 412. (edit. Lond. lib. II. ep. 430.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissime fili, Deo iuvante istuc intra triduum veniam. Postea mater huc accedat et transvehat quae volet. Puerorum et puerperae causa necesse est nos et labores hos et sumptus sustinere. Ac Deum oro ut ipse haec infirma agmina servet, et publicas ac privatas calamitates leniat. Misit mihi *Crato* literas *Vratislavia*, quae continent tristissimas narrationes de Pannonicis cladibus. Impendet omnino *Europae* fatalis mutatio, quam Deus mitiget. Bene vale. Die 11. Septemb. Salutem vobis omnibus opto.

---

No. 5204. de aequin.

## Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 516. (ed. Lond. lib. II. ep. 540.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir, et charissime frater, Etsi tabellario vestro cum *Dresdam* iret, epistolam ad te scriptam dedi: tamen postea cum in reditu rursus meus hospes esset, addidi et has literas, quia iam in reditu Ducis *Iohannis Friderici* certiora scribere poteram, tametsi literas gratulatio publica passim antevertet. Scias igitur Dei beneficio Ducem Saxoniae *Iohannem Fridericum* in *Turingia* apud coniugem et filios esse. Hic reditus sine armis, gloriosior est cruento Triumpho. Etiam posteritas hoc exemplum inter testimonia recitabit, quae ostendunt Deum exaudire gemitus piorum, et mitigare calamitates etiam in hac vita. Itinera eius, et gratulationes urbium, per quas iter fecit, nondum scio. *Pannonicae* historicae etiam prolixius scriptae, postea ad me missae sunt ex ipsa *Vienna*. Oppidum est *Thirna*, pene in finibus *Moraviae*, in eius oppidi vicinia clades illa accepta est, in qua sexcenti equites *Saxonici* ex *Marchicis* et *Slesiacis*, quos duxit *Schoneich*, ita profligati sunt, cum quidem fortiter dimicaverint, ut tantum octodecim superstites evaserint. Trucidati et pedites *Italici* ac *Germanici*, ac tota res scelere et proditione *Harpiarum* (sic nomino, quos usitate nuncupant *Hussernos*) acta scribitur. Ita paulatim propius accedent *Turci* ad *Germaniam*, dum nostri heroes conducti a *Gallis*, impediunt defensionem. Sed oremus Filium Dei, ut servet Ecclesiae reliquias. Cum habebis tabellarios, ad nos scribito. Bene vale. Ipso die Aequinoctii autumnalis. *Witebergae.*

Heri venit huc quispiam, qui narrabat Ducem *de Alba* occupare Marchionis *Alberti* oppida. Sed brevi certiora audiemus.

---

No. 5205. d. aequin.

## P. Ebero.

† Ex autographo in bibl. Norinberg. descripta a Clariss. *Rannero.*

*Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti Paulo Ebero, fratri suo carissimo,*

S. D. Cariss. frater. Heri aurigam conduxi, et decreveram hodie iter ingredi. Sed cum vesperi venisset mea coniunx, hodie retineor. Colligit enim filiae *) puerperio *τὰ σπάργανα*, cui deus adsit. Nihilo plus nostra consilia et certamina ad defensionem nostrarum familiarum, Ecclesiae et politiarum faciunt, quam ista sollicitudo colligendi tales fasciolas ad partum. Sed tamen haec ipsa necessaria est. Utinam non lacerarentur humanis furoribus *τὰ σπάργανα* Ecclesiae et imperiorum. Cras, Deo iuvante, iter ingrediar. Quotidie mane aspiciens Iovem et Martem de tua domo cogito. Existimo, eam coeli partem late conspici, in qua mane cernuntur hae stellae. Heri cum esset coniunctio Lunae et Martis, admodum recta linea erat Martis ad Lunam. Bene et feliciter vale. Salutem vobis omnibus opto. Die aequinoctii.

Philippus.

---

No. 5206. 14. Sept.

## Iohanni Friderico Electori.

† Ex apographo in bibl. Guelpherb., et apographo in cod. Galli II. p. 215. — In apogr. Guelphb. inscripta est: der Theologen zu Wittenberg Schreiben an Herzog Johann Friedrich, Churfürsten. — Pomeranum primo loco nomen suum subscripsisse docet responsum Electoris infra d. 17. Octobr. h. a. — Forma epistolae prodit Melanthonem auctorem. Argumentum eius e codice narravit *Saligius* in hist. Aug. Conf. I. p. 680.

---

*) Magdalenae cum marito, Peucero Torgae degente.

Dem Durchleuchtigsten, hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Johansfriederichen, Herzogen zu Sachsen, gebornen Churfürsten, Landgrafen in Duringen und Marggrafen in Meißen rc. unserm gnädigsten Herrn.

Gottes Gnade durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, zuvor. Durchleuchtigster, hochgeborner, gnädigster Fürst und Herr.

Nachdem wir in E. F. G. langwierigen Trübsalen mit E. F. G. und der hochlöblichen christlichen Fürstin, E. F. G. Gemahel, und der jungen Herrschaft ein unterthänigst und christliches Mitleiden allezeit getragen, zudem daß wir sonst viel mehr großer Betrübniß haben, und haben allezeit Gott in Kirchen öffentlich und in Sonderheit angerufen, daß er E. F. G. Beschwerung gnädiglich lindern wollt, wie wir auch keine Zeit gezweifelt haben, Gott würde auch noch in diesem zeitlichen [1]) Leben Linderung geben: als [2]) sind wir wiederum herzlich erfreuet, daß E. F. G. in Freuden wiederum zu E. F. G. hochlöblichem Gemahel und zur jungen Herrschaft kommen sind, und danken Gott von wegen vieler großen Gaben und Wohlthaten hierin erzeigt. Erstlich, daß er E. F. G. vor dieser Zeit in dem Trübsal in Stärke des Leibes und der Seele, in christlichem Trost und Beständigkeit erhalten, und mit vielen Tugenden gezieret hat, wie Daniel bei den Leuen erhalten ist. Darnach für die löbliche und fröhliche [3]) Erledigung. Nämlich zum Ersten sind wir erfreuet und danken von wegen göttlicher Ehre, daß er mit allen diesen Gaben beweiset, daß wahrhaftiglich ein Gott sey [4]), der ihm eine Kirche sammeln und bei derselbigen seyn wolle, und erhören derselbigen Bitten und Seufzen, bewahr sie, und gebe damit Zeugniß von seiner Lehre, wie er das arme Volk im rothen Meer erledigt und [5]) bewahrt hat. Darnach auch danken wir von wegen E. F. G. Person, daß sie von der langwierigen Beschwerung erledigt ist, daß auch die durchleuchtigste hochgeborne Fürstin und Herzogin, E. F. G. Gemahel, die junge Herrschaft Land und Leut wiederum erfreuet sind. Weiter von wegen gemeiner Christenheit in vielen Landen, welchen diese Erledigung fröhlich und nützlich ist erstlich zur Stärkung des Glaubens in der Lehre, dieweil sie sehen, daß Gott öffentlich anzeigt, daß er diese Lehre, die durch E. F. G. Erbeit in Kirchen [6]) gepflanzet ist, und die E. F. G. bekennen, nicht will vertilgen lassen. Zum Andern werden Trost, Hoffnung und Anrufung gestärkt durch dieses Exempel, welches anzeigt, daß Gott auch in diesem Leben vielen Personen Hülfe thue, die andern dienen sollen, wie durch die Exempel Josephs, Davids, Jonä, und vieler andern bezeugt wird [7]). Und David spricht: rufet [8]) zum Herrn rc. Da dieser Elender zum Herrn schrie, da hat er ihn erhöret. Also werden viel Menschen diese Erledigung anschauen als ein besonder Zeugniß, daß Gott auch in diesem Leben vielen ihr Elend lindern wolle, die ihn anrufen; wie er spricht Joel am andern: der Herr ist gütig und barmherzig, und ihn gereuet der Strafe; er wird Sünde vergeben und wiederum Segen geben. Item: sucht erstlichen [9]) das Reich Gottes und seine Gerechtigkeit, so werden euch andre Güter auch [10]) gegeben. Denn weil er eine Kirchen in diesem Leben sammeln und erhalten will, und gewißlich wahr ist, daß allein also durch den Anfang in diesem leiblichen und sterblichen Leben eine ewige Kirche gesammelt wird und nicht anders. So will er auch Herberge und etliche treue Herrschaft, Lehrer und andre Diener dazu geben, ihnen das leibliche Leben erstrecken rc., und wird Gott also gepreiset in solcher leiblichen Hülf. Zudem kommt sie auch der Kirchen und vielen Menschen zu gut.

Aus diesen hochwichtigen Ursachen [11]) sind wir herzlich [12]) erfreut, und danken Gott für diese [13]) Werk, und bitten ihn, er wolle fortan E. F. G. und E. F. G. hochlöbliche Gemahel und junge Herrschaft gnädiglich bewahren, stärken und regieren, und wolle in diesen Landen und Kirchen friedliche und selige Regiment geben. Wir bitten auch in Unterthänikeit, E. F. G. wolle unser gnädigster Herr seyn und bleiben. Denn unser Gemüth ist allzeit gewesen und noch, mit Gottes Gnaden Einikeit in christlicher Lehre mit den Kirchen dieser Lande zu halten, wiewohl wir mancherlei Anfechtung gehabt, und Gewirr vorgefallen, davon uns doch Gott auch errettet

1) zeitlichem] abest ab apogr. Guelph.
2) Apogr. Guelph. also.
3) Apogr. Guelph. friedliche.
4) Apogr. Guelph. Gott Gott sey.
5) erledigt und] desiderantur in apogr. Guelph.
6) in Kirchen] non habet apogr. Guelph.
7) bezeugt wird] non habet apogr. Guelph.
8) Apogr. Guelph. laufet.
9) Cod. Galli: erst suchet.
10) auch] abest ab apogr. Guelph.
11) Apogr. Guelph. Sorgen.
12) Apogr. Guelph. gänzlich.
13) Apogr. Guelph. dieses.

hat, und stecken [14]) noch in großen, schweren [15]), hochwichtigen Sachen [16]).

Der allmächtige Gott, Vater unsers Herrn und Heilands Jesu Christi wolle E. F. G. gnädiglich bewahren, stärken und regieren. Dat. Wittenberg am Tag exaltationis crucis, daran [17]) wir auch Gott gedankt haben, daß er E. F. G. Creutz wiederum geehret [18]) hat. Anno MDLII.

---

No. 5207. 16. Sept. (Torgae.)

## *Erh. a Kunheim.*

Epist. lib. V. p. 493 sqq. — Conf. ep. ad eundem d. 5. Aug.

*Erhardo a Kunheim (Francofordiae ad Viadrum)*

S. D. Cum haberem certum tabellarium, etsi dubitabam, an adhuc Francophordiae esses, tamen hanc ad te epistolam scripsi, ut si istic esses, in hoc genere meam assiduitatem cognosceres, praesertim cum et argumenta haberem ἀξιόλογα. Fortassis iam audivisti, Ducem Saxoniae, *Iohannem Fridericum*, rediisse Coburgum, clementer ab Imperatore *Carolo* et Rege *Ferdinando* dimissum. Haec ego certa esse tibi significabo, ac addo ipsius Ducis sermonem. Cuidam in hac regione Norinbergae eum salutanti inquit: Vade, et nuncia in Patria me redire sine armis, nec me bella civilia moturum esse, ac potius etiam cariturum ea parte, quam habeo reliquam, quam vastationem in Patria facturum esse. Talis reditus gloriosior est Iulii Caesaris triumphis.

*Hessorum* Princeps ex itinere retractus est in carcerem. Imperator Ulmae fuit, et dicitur, exercitum ducturus ad urbem Metensem. Inde in Galliam. Galli quo consilio susceperint hoc bellum, eventus ostendet. Sed Deum oremus, ut his regionibus et Ecclesiae pacem concedat. Significa, an has literas acceperis. Hunc auditorem nostrum, *Iacobum Francum* tibi commendo. Bene vale. Die 16. Septembris 1552.

---

14) Cod. Galli stehen.
15) Pro schweren, cod. Galli Streiten und.
16) Apogr. Guelph. Sorgen.
17) Cod. Galli darin.
18) Apogr. Guelph. gewehret.

---

No. 5208. 21. Sept. (Torgae.)

## *H. Besoldo.*

Epist. lib. V. p. 239 sq.

*Hieronymo Besoldo (concionatori Norinbergae)*

S. D. Reverende vir, et charissime frater. Scis me saepe recitare dictum Siracidae: Sis orphano Pater, tunc Deus magis diligit te, quam Mater tua. Ac profecto hanc sententiam omnibus familiarissime notam esse velim, praesertim cum nos omnes fateri res ipsa cogat, Ecclesiam vere orphanam esse, id quod in calamitate urbis vestrae experti estis. Hic Orphanus *Taschius* didicit operas sartorias, a me quidem adiutus. Et mores sunt tolerabiles. Nam domi meae fideliter meis servivit. Nunc istic aut in vicinis regionibus quaerit, ubi artificii operas exerceat. Si ei locus in vestra urbe esse potest, quaeso, ut alicui sartori eum commendes. Dedi ei et publicum testimonium.

Libellum recens editum tibi mitto. Rectius esset, communi scripto unicam edi refutationem, et nos omnes, quantum fieri posset, iisdem verbis loqui, et res easdem explicare, qualis explicatio conscientiae utilis est. Nollem excerpi πάρεργα, quae praetermitti possent. Metuo enim maiora περὶ προσώπων τῆς τριάδος certamina secutura esse. Bene vale, et significa nobis aliquid de Imperatoris itineribus. Torgae die Matthaei. Salutem opto vobis omnibus.

Philippus Melanthon.

---

No. 5209. 24. Sept. (Torgae.)

## *G. Maiori.*

Epist. lib. V. p. 344 sq.

*Georgio Maiori (Superintend. Islebiae)*

S. D. Saepe hoc usurpo: σύμβουλος οὐδεὶς ἐστὶ βελτίων χρόνου, post Deum videlicet. Te igitur

amanter et fideliter adhortor, ut tempus in consilium adhibeas. Misimus literas, quibus te revocamus. Sed quo, aut quando? Vagamur ipsi exulantes, nec scimus, quando redituri simus. Dubitamus etiam, an rursus conventura sit Academia. Nam si nova bella orirentur, ut quidam ratiocinantur, quaerenda erunt alia hospitia parvis pueris et puerperis. Cum igitur Inclyti Comites petant, ut unum adiicias annum huic tuae legationi *), faceres rectius, si eis promitteres. Nam etiamsi desinent luis contagia, tamen ante vernum aequinoctium non desinent. Quare deliberabis. Et Filium Dei oro, ut consilia tua regat. Librum mittam alias.

Miratus sum adhuc N. uti similitudine ista, Sol non debet lucere. Sed sua natura lucet: Ita renatus non debet obedientiam. Quasi vero debitum sit tantum coactione extortum. Sed haec coram. Bene vale. Die 24. Septembris.

Philippus.

*) Mansfeldiae tunc ad tempus erat, ut gubernaret ecclesias.

---

No. 5210. 29. Sept. (Torgae.)

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad *Stigel.* ep. 67. Cod. Goth. 188. ep. 130.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo cariss.*

S. D.

Cariss. frater. Saepe hunc dulciss. versum et in meis quibusdam doloribus cogitavi:

βάρδισται μακάρων ὧραι φίλαι ἀλλὰ ποθειναί.

Etsi enim Deus aliquantisper exercet nos, tamen exaudit tandem gemitus nostros et vota, et lacrymis flectitur. Id ostendit etiam in hoc laetissimo reditu illustriss. Principis. Legimus multorum bonorum Principum exilia et reditus, *Camilli*, *Thrasybuli*, *Arati*, *Dionis*, *Iohannis* Ducis Burgundiae, capti a *Baiaseto* ante annos 157. Venit in mentem huius historia, quia hic scribebam de eius pugna. Memini ipse *Ludovicum* duodecimum cum e carcere vestitu muliebri evasisset, postea ad regnum revocatum esse. Paulo ante Neapolitanus *Ferdinandus* regno pulsus, post biennium magna cum gloria restitutus est. Sed huius principis optimi reditus ad gloriam Dei, et ad Ecclesiam pertinet. Quare et nos vobiscum laetamur, et Dei beneficia grati celebramus, quae quidem hac in re multa concurrunt, ac filium Dei oramus, ut his regionibus salutarem gubernationem tribuat. Dedicavi *Lutheri* tomum, qui nunc editur, illustriss. Principi, ubi in praefatione scripsi gratulationem; etsi scio, istic quosdam calumniose hanc quoque interpretaturos esse. Sed didici iam haec ferre. Tuum Eucharisticon avide exspecto, quod si mittes, apud nos excudi curabo. *Ioachimus Camerarius* scribit, sibi officia tua in hoc nostro exilio valde grata esse, qui, si adhuc est in vicinia, quaeso, ut literas nostras ei mittas. Bene vale. In Festo castorum Angelorum.

Philippus Melanthon.

(Vito *) filius hic mortuus est, nescio quo morbo, quare luctum eius lenire studebis. Salutem opto vobis omnibus.)

---

No. 5211. 29. Sept.

## *Iohanni Friderico Elect.*

Epistola nuncupat. praemissa Tomo IV. opp. latinor. Lutheri, Witteb. Etiam in Declamatt. T. IV. (ann. 1558.) p. 588.

*Illustrissimo Principi et Domino, Domino Iohanni Friderico Seniori, Nato Electori, Duci Saxon. Landgravio Thuringiae, et Marchioni Misniae etc. Domino suo clementiss.*

S. D.

Vetustas gradus testimoniorum recenset, quibus confirmantur piae mentes, ut agnoscant ac statuant solam hanc doctrinam de deo et de salute hominum veram esse, quam deus ipse in Ecclesia patefecit ac in propheticis et apostolicis scriptis comprehendi voluit, ceteras vero sectas et opiniones, quae dissentiunt a scriptis propheticis et apostolicis, praestigias esse a diabolis ortas et per eorum organa sparsas, ut deus contumelia adficia-

*) Hoc postscriptum apud *Danzium* legitur in fine epistolae d. d. 13. Nov. De obitu filii Viti Winshemii vid. nuncium publicum Rectoris Academiae in festo angelorum 1552. in Scriptis publicis T. I. p. 129.

tur et ut multi homines, fascinati erroribus, in aeternas blasphemias et in aeternum exitium ruant. Ac utile est, hos testimoniorum gradus saepe considerari, de quibus omnibus et lectio prophetarum praecipue nos admonet, ut postea dicemus.

Primus gradus, qui maxime incurrit in oculos, est, quod factis inusitatis extra ordinem naturae, quae miracula nominantur, deus se patefecit, et voluit his signis testificari, hanc legem et has promissiones, quas tradidit, vere esse dei vocem et decreta. Etsi enim et naturae ordo testimonium de deo est, ostendit enim architectatricem esse mentem aeternam, ordinis intelligentem et boni causam, tamen extra hunc ordinem nova quaedam facit, ut intelligamus, aliud esse deum praeter hanc visibilem machinam, et esse eum conditorem liberrimum, qui et hunc ordinem instituerit, et servet naturam, et alia facere, et extra naturae ordinem nobis opem ferre possit. Sunt igitur in Ecclesia miracula, quae diaboli imitari non possunt, ut resuscitatio mortuorum, repressi solis cursus, partus mulierum, quae et natura steriles et senecta effoetae fuerunt, partus virginis, conservatio hominum in mediis flammis, praedictio monarchiarum, et alia. Cum igitur deus haec facta velit esse testimonia de sese, ut dominus inquit: Testimonium perhibet de me pater, certe aspicienda et consideranda sunt, ut assensio in animis nostris confirmetur.

Ac singuli prophetae ita missi sunt, ut addiderit eis deus illustria quaedam testimonia, ut Esaiae ostenditur solis regressio, praedicitur ab eo defensio Ierosolymae contra regem Assyriae Senacherib, praedicitur et regnum Babylonicum venturum in Persarum potestatem, ac nominatim fit Cyri mentio, qui primum post centum annos natus est. Danielis miracula multa sunt.

Secundus gradus testimoniorum est doctrinae antiquitas. Cum enim genus humanum ad hunc finem praecipue conditum sit, ut ei deus suam sapientiam et bonitatem communicet, et vicissim homines agnoscant et celebrent deum, ut toties affirmat [1]) vox divina, semper aliquam fuisse et fore Ecclesiam dei, alias magis, alias minus frequentem, quaerant animi initia. Ac vere dictum est a Tertulliano, primum quodque verissimum esse. Manifestum est autem omnes graecos scriptores multo posteriores esse Mose [2]). Nec ulla gens in toto genere humano retinuit memoriam initii a primis hominibus et continuam seriem annorum, praeter Ecclesiam.

Cumque huic narrationi deus testimonia dederit, veram et antiquissimam esse non dubitemus. Magna autem confirmatio est assensionis, scire hanc doctrinam, quam amplecteris, eandem semper in vera Ecclesia fuisse et eodem modo te [3]) invocare verum deum fiducia filii, sicut invocarunt Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, sicut inquit dominus: Abraham vidit diem meum, et laetatus est, etc.

Tertius gradus est testimoniorum, collatio doctrinarum. Ethnici utcunque legis particulam retinuerunt. Et tamen horribiliter discesserunt a primo praecepto, conficta multitudine deorum et invocatione hominum mortuorum. Item, a quinto praecepto, mactatione humanarum hostiarum. Item a sexto praecepto [4]) horrenda confusione, quas ita approbaverunt [5]), ut etiam religionibus eas miscuerint. Impossibile est autem placere deo doctrinam aut cultus, qui dissentiunt ab ipsius mente, sicut inquit psalmus: deus non volens impietatem tu es. Item, haec sunt, quae odi, inquit deus. Lex ergo nusquam integra mansit, nisi in libris propheticis et apostolicis. Ac dolendum est, ethnico more etiam in ea multitudine, quae nomen habuit Ecclesiae, similes invocationes ethnicis receptas esse et defendi et vagas libidines stabiliri.

Deinde manifestum est in ethnica doctrina prorsus ignotam fuisse promissionem de remissione peccatorum et reconciliatione, ignotum etiam fuisse mediatorem. Praeterea sapientes omnes fatentur, humanam sapientiam seu philosophiam nescire causas ingentium calamitatum generis humani et mirari; unde sint haec pugnantia in hominum natura. Manet aliqua legis cognitio et haec testatur, esse deum iudicem et vindicem. Hinc intelligimus, homines conditos esse ita, ut congruant cum deo. Unde igitur tantum dissidium est mentis et cordis, quod diversis affectibus

---

1) Opp. Luth. *et toties adfirmet.*

2) Opp. Luth. *Moise.*

3) *te*] abest a textu in opp.

4) *mactatione — sexto praecepto*] praetermissa in opp.

5) Opp. *adprobaverant.*

varie cietur, sicut contrariis ventis agitantur undae et arena in syrtibus? Unde tantae calamitates sunt hominum etiam, quorum mores sunt sine scelere, ut puerorum, honestarum matronarum, virorum honestorum, ut Palamedis, Socratis, Scipionis et aliorum? Mens fateri cogitur, esse providentiam. Et tamen illa eventuum confusio assensionem turbat. Haec pugnantia explicare nec Aegyptiorum, nec Graecorum philosophia potest. Multo minus remedia cernit, sed deus harum maximarum rerum doctrinam voce filii sui patefecit, et per prophetas scribi eum voluit, et in Ecclesia servat haec monumenta inter tantas imperiorum ruinas, urbium et gentium vastationes. Misit etiam admirando consilio filium, dominum nostrum Iesum Christum, ut, causis miseriarum abolitis, servet et restituat genus humanum, ut haec ipsa doctrina de filio et de restitutione generis humani splendidissime in prophetis recitatur, ut in Hosea dicitur: O mors, ero mors tua. O inferne, ero pestis tua.

Quartus gradus testimoniorum est spiritus sanctus in cordibus eorum, qui veram consolationem experiuntur, de qua Paulus inquit, Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus abba pater. Hic spiritus dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii dei. Haec ita fieri sentimus in veris doloribus, audita voce Evangelii, filius dei mentibus nostris ostendit voluntatem aeterni patris ac dicit consolationem, quam sonat vox Evangelii, et assensionem confirmat ac simul effundit in corda spiritum sanctum, quo sentimus laetitiam, qua corda acquiescunt in deo, non iam fugiunt deum, sed accedunt, invocant, petunt et exspectant ab eo auxilium, et habent initia vitae aeternae. Haec lux in sua cuiusque mente et laetitia in corde praesentiam dei ostendunt. Confirmatur ergo assensio et vere est fides in mentibus, ut nominat epistola ad Ebraeos, *ἔλεγχος οὐ βλεπομένων*.

Quintus gradus congruit cum proximo, videlicet in suppliciis laetitia eorum, qui propter confessionem cruciantur. Haec magnitudo animi victrix mortis existere non potest, nisi prius assensio firma sit, ut luceant in mente testimonia dei.

Sextus gradus, conservatio perpetua Ecclesiae inter tantas ruinas imperiorum et vastationes, ut Nohae doctrinam et cultus placere deo certum est, quia ceterae opiniones et sectae omnes deletae sunt, sola Nohae familia servata est, et quidem manifesta dei ope. Etsi autem et multi semper [6]) admixti fuerunt Ecclesiae, contagiis malarum opinionum infecti, ut Zachariae et Simeonis collegae erant Pharisaei et Saducaei, tamen ut scopulis allisae spumae rursus defluunt, cum quidem scopuli stent immoti, ita vicit et mansit veritas in coetu apostolorum, postea funditus deletis Pharisaeis et Saducaeis. Ita deinceps etsi corruptelas diaboli spargunt, tamen exstinguit eas veritas rursus illucescens, quae quidem ita emergit, ut eventus ipsi iudicium dei ostendant.

Ad hunc gradum et septimus adiungitur, de poenas hostium Evangelii. Etsi tunc, cum filius dei palam rursus se generi humano ostendet [7]), verae et manifestae poenae omnium imperiorum [8]) conspicientur, tamen et in hac vita proponuntur exempla. Sinit deus aliquamdiu saevire tyrannos, fanaticos doctores et eorum satellites in Ecclesiam, ac interea confessio multorum et alia signa testificantur de Evangelio. Postea vero illustribus exemplis puniuntur furores imperiorum [9]), ut deleti sunt Pharao, Cananaei, Iudaei, Ethnici, quorum insignis fuit saevitia.

Quamquam autem homines perversi rident hos gradus testimoniorum, tamen bonis mentibus consideratio utilis est. Et quidem in prophetarum lectione et historiis singulorum graduum insignia exempla se offerunt, quae lectores aspicere valde utile est. In singulis prophetis etiam doctrina consideretur et quae sint in quolibet sententiae praecipuae. Etsi enim communia haec sunt omnibus, conciones de poenitentia et consolationes, repetita et illustrata pro missione de Messia, tamen alii alios articulos symboli magis illustrant, ut Esaias expresse de partu virginis, de passione Messiae, de resuscitatione mortuorum, de aeterna salute et aeternis poenis concionatur, Ieremias de duabus naturis in Messia [10]) et de legis abrogatione. Daniel tempus praedicationis et passionis Messiae praedicit, Micheas locum nativitatis. Sed quae sint in quolibet praecipuae materiae, monent interpretes, et nullius esse enarrationes magis con-

6) *semper*] in Declam. non habetur.
7) Decl. *ostendit.*
8) Opp. *impiorum.*
9) Opp. *impiorum.*
10) *in Messia*] non habent Declam.

cinnas et propius exprimentes prophetarum sententias, quam *Lutheri*, ostendet collatio.

Cum autem haec editio incidisset iam in tempus laeti et fausti reditus tui, Princeps illustrissime, potissimum Celsitudini tuae haec pars operum Lutheri dedicata est, ut et nostri gaudii significatio extaret. Laetamur enim hoc tuo reditu propter gloriam dei, propter Ecclesias, propter tuam Celsitudinem et nobilissimam principem coniugem tuam, et nobilissimos filios, et propter populi laetitiam. Ostendit enim deus hoc ipso exemplo, se et adesse his Ecclesiis et vere exaudire earum gemitus et vota et, ne prorsus dissipentur, lenire etiam eis aerumnas huius vitae. Et multi hac liberatione moti aut confirmati, doctrinam tuae confessionis magis cognoscent et amplectentur. Itaque beneficia dei, quae hac in re multa concurrunt, grati celebramus et filium dei, dominum nostrum Iesum Christum crucifixum et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, supplices oramus, ut in his regionibus perpetuo sibi colligat aeternam Ecclesiam incorrupta Evangelii voce, [et ut colligi possit, leniat aerumnas vitae, et det ministerio Evangelii et piis studiis hospitia honesta et tranquilla. Extare memoriam confessionis tuae, aerumnarum et liberationis, Ecclesiae utile est, et nunc et ad posteritatem. Ut Israëlitarum in fornace ignea, aut Danielis inter leones, ac multis modis tuum exemplum aliis ad veram dei agnitionem et invocationem proderit. Quid potest autem tribui homini maius, quam hoc bonum, ut vitae cursus prosit ad gloriam dei et ad multorum hominum salutem. Hoc decus longe anteferendum est cruentis victoriis et triumphis. Bene et feliciter valeat Celsitudo tua. Witebergae in die festo, in quo beneficia dei celebrantur, quae per castos angelos tribuuntur Ecclesiae, quae et tua Celsitudo experta est, sicut scriptum est: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Celsit. T.

reverenter colens
Philippus Melanthon.

---

No. 5212. 29. Sept.

## *Seb. Glasero.*

Epist. lib. V. p. 523 sq.

*D. Sebastiano Glasero, Cancellario Inclytor. Principum Hennebergensium, amico suo veteri et chariss.*

S. D. Fuit excellens virtus et prudentia in sene *Paulo Knod*, ut meminisse te existimo. Huius generum hunc *Christophorum Piscatorem* *), natum in valle Ioachimica, etiam tibi notum esse arbitror: quem cum antea inclytis Principib. Hennebergiis commendaverim, literas ei ad te quoque dedi, teque oro, ut hospitem ignotum in aula vestra consiliis tuis regas. Fuit eius gubernatio in Ecclesiis, quas docuit, tranquilla, et spero, salutarem vestris Ecclesiis fore. Est enim recte eruditus, et mores sunt honesti, nec amat tribunitios clamores. Quare te oro, ut eum complectaris. Scribam ad te de caeteris quoque, ubi literas vestras accepero. Nos iterum hic exulamus propter contagia luis, fortassis ut aerumnis tot exiliorum moneamur, ut coelestem Patriam magis adpetamus, in quam utinam cito abducar. Bene et feliciter vale, et rescribe. In die festo Angelorum 1552.

Philippus Melanthon.

---

No. 5213. 29. Sept.

## *Principibus Henneberg.*

† Ex autogr. Mel. in Tabulario Henneberg. descripta a Clar. *Schoeppachio*, doctore Meiningensi.

An Wilhelm und Georg Ernst, Grafen von Henneberg.

Gottes Gnad ꝛc. — — E. F. G. füg ich in Unterthänikeit zu wissen, daß Zeiger dieser Schriften, der wirdig und wohlgelehrt Magister Christophorus Fischer aus dem Joachimsthal, gewesener Pastor zu Juterbog, und hernach zu Bensen, ist der Personen eine, die ich E. F. G. zuvor angezeigt habe, und ist mir und vielen andern in dieser Universität wohl bekannt. Derhalben bericht ich mit Wahrheit, daß er reine christliche Lehr allezeit recht und treulich geprediget hat. Auch sind davon seine Schriften ausgangen. So ist er verständig, gottforchtig, christlicher ehrlicher Sitten und hat eine züchtige, tugendsame eheliche Hausfrau, welcher Vater,

---

*) Vid. ep. d. d. 31. Oct. et d. d. 2. Nov. h. a.

Paulus *Knot*, ist ein ehrlicher Mann gewesen in Herzog Friedrichs Churfürsten Canzelley, und hat hernach dieser Kirchen Visitation fürnehmlich in Schrifft und Ordnung gebracht, und sind gedachter Paul Knot und dieser Christophorus dem achtbarn und hochgelahrten Herrn Sebastian Glaser, E. F. G. Canzler wohl bekannt gewesen. Nu mögen ihn E. F. G. hören, und alsdenn bedenken und schließen. Er hat diese Reise also im Namen Gottes fürgenommen, unerwartet andrer Schriften E. F. G., denn er hat nicht davon gewußt, daß ich noch uff andre E. F. G. Schreiben warten wollt. Der andern Personen halben gedenk ich uff E. F. G. noch zu warten, und bitt also, E. F. G. wollen ihnen diesen Christophorus gnädiglich lassen befohlen seyn, der zur Superattendentia oder zur Pfarr zu gebrauchen seyn wird. Der allmächtig Gott Vatter unsers Heilands Jesu Christi wolle E. F. G. gnädiglich allezeit bewahren, regirn und stärken, zu seinem Lob, und E. F. G. und vieler Menschen Selikeit. Dat. Torga uff das Fest der heiligen Engeln 1552.

---

No. 5214. 1. Oct. (Torgae)

## *Io. Calvino.*

Edita in Io. Calvini epistolis et responsis, Genev. 1617. fol. p. 107. Opp. Tom. VI. part. II.

*Ioanni Calvino.*

Reverende vir et carissime frater. Saepe ad te scriberem, si tabellarios certos haberem. Colloqui etiam mallem de rebus gravissimis multis, quia et iudicium tuum magnifacio, et scio integritatem animi, et candorem in te summum esse. Nunc ita vivo *ὥςπερ ὄνος ἐν σφηκιαῖς*. Sed fortassis ex hac mortali vita ad collegium in coelo candidius brevi accedam.

Audio *Franciscum Dryandrum* hac aestate apud te fuisse. Mihi, si vivam, nova exilia expectanda sunt. Quare si cedendum erit ex his locis, colloqui tecum decrevi. Studia doctrinarum in his regionibus mediocria fuerunt. Nunc lue et bellis impediuntur, ac saepe gemens deploro causas horum furorum in gubernatoribus. Oro etiam filium Dei, ut has calamitates leniat, et auferat causas. Si voles mihi saepius scribere, poteris literas *Francisco Dryandro* mittere. In pagella quam inclusi breviter scripsi historica huius autumni. Bene vale. Calend. Oct. 1552.

Iam respondeo ad Gorgonem *Osiandri*.

(*Pagella inclusa.*)

In *Pannonia* Turcici Bassae tres sunt, qui habent duos exercitus et recens occuparunt quaedam oppida insignia, et trucidarunt exercitum regis *Ferdinandi*. Nunc profectus est in Austriam Dux Saxoniae *Mauritius*, ut ducat exercitum contra Turcas. Interea *Marchio Albertus* vastata vicinia circa *Noribergam*, et vexata *Francofordia*, diripit oppida in dioecesibus *Moguntina* et *Trevirensi*. *Gallici* regis exercitus accessit ad Leodiensem dioecesim. Imperator *Carolus Spirae* exercitum colligit, ut Gallicum regem et Marchionem reprimat. In Saxonia filius *) Comitis *Alberti* Mansfeldensis colligit exercitum circa *Bremam*, et nunc ad haec loca nobis vicina accedit, recuperaturus suam patriam et turbaturus totam regionem. Ita sunt in Germania passim vastastiones. Ecclesiae sunt in luctu et moerore, et doctrinarum studia conticescunt. Crescit robur seditiose clamantium de libertate. Vobis tranquillitatem gratulor, et Deum oro, ut nobis quoque nostras miserias leniat.

Philippus.

---

No. 5215. 3. Oct. (Torgae.)

## *Ioachimo Electori.*

Edita a *Pezelio* in Melanth. Christl. Bedenk. p. 347., et in *Schluess. lburgii* epistolar. Theologor. Volumine p. 98. — Etiam ex mst. edita in libro: Preußische Zehenden, Vol. I. p. 274., quem contulit *Foerstemann*.

An Marggraf Joachim zu Brandenburg, Churfürsten ꝛc.

Gottes Gnade durch seinen eingebornen Sohn, Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtigster, Hochgeborner, gnädigster Churfürst und Herr. Ew. Churf. Gnaden Schrift habe ich zu Torga empfangen auf den andern Tag Octobris, da ich auch zugleich [1]) eine Schrift vom Rath zu Augsburg empfangen, welcher Copia ich Ew. Chf. G. hier mitschicke [2]); denn E. Ch. G. ohne Zweifel [3]) gern vernehmen werden, daß Kaiserl. Majestät gnädiglich gewilliget, daß die Kirchen zu Augsburg christlich bestellt

---

*) Volrad.

1) Pez. gleich.

2) Pez. sende; Schl. non habet hier.

3) ohn Zweifel] non habet Schl.

werden. Nun fordert die Nothdurft, daß ich mich zu Leipzig mit dem ehrwürdigen Herrn *Sarcerio* [4]) von etlichen Personen unterrede, darum ich zu dieser Zeit auf den ernannten Tag zu Berlin nicht ankommen kann. Weiter bitt ich, Ew. Chf. G. wollen gnädiglich bedenken, wie fährlich dieses seyn will, so [5]) beide D. *Stancarus* und Doct. *Musculus* gegen einander gehört werden, und zu besorgen, wie nun [6]) oft in solchen Colloquiis geschehen, daß größer [7]) Unruhe daraus erfolge. Und achte viel möglicher [8]), daß man keinen Vorbescheid mache, denn Einigkeit ist nicht zu hoffen zwischen ihnen, sondern daß Ew. Chf. Gn. selbst, als ein hochlöblicher, christlicher Churfürst, der selbst in christlicher Lehre [9]) einen hohen Verstand hat, beider Schriften erwägen wollen; wollen auch darnach etlicher anderer, als des achtbaren und hochgelahrten Herrn Doctoris *Hieronymi*, als eines alten, weisen und christlichen Mannes, und anderer Verständigen und Alten [10]) Bedenken anhören. Und so Ew. Ch. F. G. dieselbigen Schriften dem Ehrwürdigen Herrn Doct. *Pomerano* zuschicken, wollen wir sie mit Fleiß erwägen, und unsre schriftliche [11]) Antwort darauf stellen. Denn zu dieser Zeit kann D. Pomeranus, dieweil die Luft zu Wittenberg unrein ist, nicht zu Ew. Chf. Gn. reisen. Wo aber Ew. Chf. Gn. gleichwohl begehren werden, daß ich zu Ew. Ch. G. selbst kommen solle [12]), will ich in Unterthänigkeit gehorsam seyn. Ueber dieses alles, wiewohl ich noch [13]) nicht weiß, wovon D. *Stancarus* und Doct. *Musculus* [14]) streiten, so hab ich doch vor dieser Zeit in Doct. *Stancari* Buch diese Proposition gelesen, die er auch will schützen: der Herr Christus sey Mittler allein nach der Menschheit. Wo nun davon allein der Streit ist, so will ich Ew. Chf. G. jetzund unterthäniglich berichten, daß dieselbige Proposition unrecht und in keinem Wege zu billigen ist. Denn der Herr Christus ist und bleibt Mittler nach beiden Naturen. Denn zu des Mittlers Eigenschaft [15]) gehört nicht allein das Leiden, sondern auch der Sieg und die Fürbitte, dadurch der Herr Christus in der göttlichen Majestät heimlichen Rath gehet, ist der Hohepriester, stillet [16]) den göttlichen großen Zorn wider die Sünde, und bittet für uns. Alles [17]) dieses sind proprietates der göttlichen Natur, und ist klar [18]) gesagt von der göttlichen Natur: *qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo;* Item: *Exinanivit se* [19]); und ist davon viel zu reden, so wir Erklärung thun sollen. Dieses hab ich in Eil Ew. Chf. G. in Unterthänigkeit anzuzeigen bedacht [20]), und ist eigentlich die Wahrheit, daß ich durch den Augsburgischen [21]) Boten verhindert werde [22]), jetzund zu erscheinen, und bitte, Ew. Ch. Gn. wolle daran kein ungnädiges Mißfallen haben. Der Sohn Gottes, Jesus Christus wolle E. Ch. G. gnädiglich stärken und bewahren allezeit. Datum 3. Octbris 1552. zu Torgaw.

Ew. Chf. Gn. [23])

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

4) Pez. et Schl. *Sarcerio;* Preuß. Zehend. *Corvino.*
5) Pez. wird, daß.
6) nun] non habet Schl.
7) Pez. große, et Schl. Unrath pro Unruhe.
8) i. e. thunlicher; Pez. edidit: viel nützlicher; sed etiam Schl. möglicher.
9) Mel. scripsit Lahr, quod in Preuß. Zehend. mendose editum: That.
10) und Alten] Pez. non habet.
11) Schl. christliche.
12) Pez. wölle.
13) noch] desideratur in textu Pez.
14) Pez. addit: wird.
15) Schl. Amt.
16) Pez. sühnet.
17) Pez. für uns alle; Schl. bittet für uns allda.
18) Pez. recht.
19) *qui propter* etc.] non leguntur in d. Pr. Z.
20) Schl. Unterthänigkeit nicht verhalten wollen, quibus verbis apud Schl. epistola finitur.
21) Wittenbergischen] Pr. Z.
22) worden] Pr. Z.
23) Subscr. habent Schl. et Pr. Z.

No. 5216. 3. Oct.

## *Hier. Schurfio.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 51[3].

*Clarissimo viro, sapientia et virtute praestanti, D. Hieronymo Schurpff* *), *doctori iuris divini et civilis, Ordinario Academiae, et Consiliario inclyti Electoris Marchionis, tanquam patri colendo.*

S. D. Clarissime domine doctor, et mihi perpetua reverentia tanquam pater colende. Scripsi ad Illustriss. Principem Marchionem Electorem, me propter negotium Ecclesiae Augustanae iam necessario Lipsiam oportere proficisci. Nam senatus Augustanus scripsit mihi, Carolum Imp. conces-

*) Sic scripsi pro *Schnyrff*, quod apogr. habet.

sisse ipsis, ut Ecclesias constituant ad normam Augustanae confessionis, (sic nominant nostrarum Ecclesiarum formam). Petivit igitur, indicari viros idoneos ad ministerium Evangelicum. Deinde etiam reverenter suasi, ut tantum scripta D. Doctoris *Stancari* et D. *Musculi* diligenter relecta iudicentur, non ut ipsi vocentur, ut ibi coram principe [1]) rixa instituatur, cum uterque sit in certamine ferventior. Scripsi etiam, me non probare propositionem, in qua *Stancarus* dicit, Christum tantum secundum humanam naturam mediatorem esse, quia mediator est non tantum quia patitur, sed etiam quia pretium aequivalens est, et vincit mortem, et est sacerdos perpetuo pro nobis interpellans, vivificans et sanctificans spiritu suo sancto. Hae sunt proprietates divinae naturae [2]). Et mediatoris est, communicare utrique naturae, ut tota vetustas locuta est. Optarim, tu invocatione nos de rebus [3]) reverenter cogitare et populum explicate docere, non movere certamina plena odiorum et malorum affectuum. Offero, me etiam reverenter istuc venturum esse, si Illustrissimus Princeps hac mea responsione non contentus est, et oro filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse regat Ecclesiam suam, et nos et vestros servet incolumes. Bene valete. Torgae, 3. Octobris.

Phil. Mel.

---

**No. 5217.** 3. Oct.

## *Th. Matthiae.*

Manlii farrag. p. 276 sq. Repetita in Mel. Consil. lat. P. II. p. 169.

*Clarissimo viro, D. Thomae Matthiae, consiliario inclyti Principis Electoris Marchionis, etc. amico suo veteri et charissimo,*

S. D. Existimo te saepe audivisse me recitantem epistolam Nazianzeni, in qua se excusat, cur non accedat ad synodum: Quia, inquit, magis accendunt synodi dissidia, quam tollunt. Et ita saepe fit. Unde miror, quare convocaveritis dissidentes *Stancarum* et *Musculum*, tanquam ad certamen instituendum. Multo utilius esset, diligenter lectis eorum scriptis, et re pie et graviter iudicata, mandari silentium de falsis opinionibus. Ego vero non defugio congressum: sed hoc tempore senatus *Augustanus* nuncium ad me misit, ac significant *Carolum* Imperatorem concessisse, ut civitas constituat Ecclesias ad normam Augustanae confessionis: sic nostram nominat. Petunt igitur idoneos doctores indicari. Hac de re Lipsiae me cum *Sarcerio* et aliis colloqui oportet. Quare oro ut illustrissimus Princeps mihi veniam det, nunc non accedenti. Miror Lipsici mercatus tempore nos vocari, quo aurigas etiam difficulter invenire possumus. Ac si controversia est de propositione, An Christus sit mediator tantum secundum humanam naturam: iam dico meam sententiam plane, errorem esse, dicere Christum tantum secundum naturam humanam mediatorem esse. Quia ad Mediatoris proprietatem pertinent, non tantum mors, sed ut sit aequivalens precium, et sit victor mortis, item, ut sit sacerdos, ingrediens in sancta sanctorum: id est, in arcanum consilium divinitatis, item, ut sanctificet dato spiritu sancto. Hae sunt proprietates divinae naturae. Denique longa hac de re commemoratio institui potest. Nec recuso lectis utriusque scriptis, aut coram aut per literas meam sententiam confiteri. Alii etiam ante hoc tempus mecum de hac propositione locuti sunt, qui erudite de proprietatibus Mediatoris disputabant. Sed haec coram, vel in scriptis publicis copiosius. Bene vale, et me Illustrissimo Principi reverenter commendato. Die 3. Octobris.

---

**No. 5218.** 3. Oct.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 259. (ed. Lond. lib. II. ep. 258.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Principes *Hennebergii* indicare sibi virum petunt, cui commendent inspectionem praecipuam suarum Ecclesiarum. Difficile est autem invenire idoneos. Ego de Pastore in *Henichen* cogitavi, cuius ingenium, aetatem, prudentiam et integritatem probo. Sed rauca vox est. Id incommodum tamen sarciunt aliae dotes. Sed oro C. V., ut mihi significet, an alium possit indicare. Senatus *Augu-*

---

1) Apogr. *principi.*
2) *naturae*] scripsi pro *nostrae*, quod cod. Par. habet.
3) Excidisse videtur: *divinis* vel *sacris.*

*stanus* scribit ad me, concessisse *Carolum* Imperatorem, ut Ecclesias constituat civitas ad normam *Augustanae* Confessionis; sic nostram nominant. Ac petunt a nobis indicari idoneos pastores. *Carolum* Imperatorem venisse *Argentoratum* certum est. *Marchio Albertus* adhuc in *Trevirensi* ditione fuit ante paucos dies. De Comite *Volrado* istic certiora scitis, quam nos. Bene valeat C. V. et C. V. frater. Die 3. Octobris.

---

No. 5219. 3. Oct.

## G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 368. (ed. Lond. lib. II. ep. 381 a.).

*D. Georgio Cracovio*

S. D. Quod non respondeo prolixius, dabis veniam, quia hodie et Electori *Marchioni* περὶ θεολογικῶν τινῶν ζητήσεων respondeo, et senatui *Augustano* [1]), qui scribit mihi Imp. *Carolum* concessisse suae civitati, ut Ecclesias suas constituat ad normam *Augustanae* Confessionis, sic nostram vocant, et cum consensu tueatur, nec sinat alias opiniones spargi. Haec hodie significavi viro optimo socero tuo. De praelectionibus non sis solicitus. Hac septimana propter mercatum *Lipsicum*, ne hi quidem, qui adsunt, praelegunt; Postea tempus adhibebimus in consilium. De Republ. tantum haec habemus: *Carolum* Imp. certo *Argentoratum* venisse, ubi auget exercitum. *Alcibiades Francicus* adhuc est in *Trevirensi* ditione. Audi ridiculam fabellam: Circumfertur in *Belgico* praedictio meo nomine, sed nequaquam a me scripta, ut phrasis ostendit. Misit mihi D. *Albertus* exemplum et me obiurgat, quod non facio victores *Gallum* et socios eius. Risi ineptias, respondebo ei me non composuisse illud vaticinium, sed habere me certiores significationes ὄνειρόν τινα, quam astrologicas. Vidi a *Maximiliano* duriter pulsari illum *Alcibiadem*, sigillo. Eventus ostendet quomodo haec congruant, an *Maximilianus* significet Imperatorem, an vero locum pugnae: Nam ad urbem *Trevirorum* est monasterium locuples *Maximiliani*. Die 13. [2]) Octobris.

1) Vid. ep. d. 4. Oct. et ad Marchionem d. 3. Oct.
2) d. 3. Oct. scripta est, non d. 13.

No. 5220. 3. Oct.

## Principibus Henneberg.

† Ex autogr. Mel. in Tabular. Henneberg.; descripta a Cl. *Schoeppachio*, doctore Gymnas. Meining.

An die Grafen Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

Gottes Gnad ꝛc. — — Ich hoffe der wirdig und wohlgelart Magister Christophorus Fischer aus dem Joachimsthal sey nu bei E. F. G. ankommen. So nu E. F. G. ihn gehört haben, und ein Gefallen haben an seinem Predigen, werden E. F. G. selb weiter mit ihm geschlossen haben. Dweil aber sein Alter nicht so ansehnlich, als E. F. G. zur Superintendentia gern jemand eines größern Alters haben wollten, mögen E. F. G. diesen Christophorum zum Pfarramt gebrauchen.

Und nachdem E. F. G. auch an den durchleuchten hochgebornen Fürsten und Herrn, Georgen Fürsten zu Anhalt ꝛc. geschrieben, will ich seinen F. G. den Brief zusenden und dabei anzeigen, welche Person ich bedacht habe, nämlich den Pastor zum Heinchen, der Alter und Verstand hat. Ich acht auch nit, daß seine F. G. übrige Personen wissen oder haben, und dweil ich gern wollte, daß E. F. G. zeitlich mein Bedenken von Christophoro Fischer wüßten, hab ich den Bothen eilend wiederumb von mir zu E. F. G. ziehen lassen. Denn auch hochgedachter Fürst Georg nicht gewiß anzutreffen in dieser Unruge, dweil uff dieser Straßen im ganzen Stift Meideburg wiederumb viel Kriegsvolk läuft, und man uffgeboten hat wider Graf Volrad von Manßfeldt, welcher dem Stift Meideburg, Herzog Heinrichen von Braunschweig und den Grafen zu Manßfeldt öffentliche Fehd zugeschrieben.

So acht ich auch, der Superintendentia halben sey ein kleiner Verzug nicht schädlich. Ich will aber förderlich hochgedachten Fürsten Georgen E. F. G. Schrift zusenden, und Antwort von S. F. G. bitten. Gott bewahr E. F. G. allezeit gnädiglich. Torga, Montags nach der heiligen Engeln Fest*), 1552.

*) i. e. d. 3. Oct.

No. 5221. 3. Oct. (Torgae.)

## *G. Buchholzero.*

Manlii farrag. p. 148 sq. Repetita in Mel.' Cons. lat. P. II. p. 170. Item in *Schluesselburgii* Epistol. theol. etc. volumine p. 102.

*Reverendo viro, Georgio Buchholtzero, pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, amico suo.*

S. D. Reverende vir, et amice colende. Certe oportet in Ecclesia modum esse quaestionum et argutiarum. Cum apud me recito hoc dictum Domini nostri Iesu Christi, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: intelligo eum mediatorem esse secundum divinam et humanam naturam. Et reficit non solum quia patitur, sed etiam quia conculcat caput serpentis, vincit in passione, etc. Et tota vetustas sic loquitur: et ut obedientia [1]) huius mediatoris esset aequivalens precium, mediator est non tantum homo, sed etiam Deus. Huc pertinent dicta ad Philippenses: *Exinanivit se*, etc. Et Irenaeus: *Quievit divina natura* (inquit) *ut humana pati posset*, etc.

Quod autem opponitur [2]) argumentum: Si divina natura esset mediatrix, esset mediatrix respectu sui: miror videri hoc argute cogitatum esse. Discerni enim oportet missum filium a mittente tota divinitate. Filius, in quantum missus, est mediator. Interea tamen verum est, mitti eum decreto totius divinitatis. Haec planissima sunt piis. Si vellem et ego verbis exagitare contrarias cavillationes, non pauca mihi in mentem venirent. Sed reverenter de tantis rebus loquendum est. Est miranda sapientia, quam in tota aeternitate discemus: tota divinitas decretum facit, ut hoc modo redimatur genus humanum per Filium, et is subiicit se aeterno patri. Ita missus iam habet, ut ita dicam, functionem aliam, quam tunc habet, cum sedet in consilio, in quo tota divinitas mirando temperamento iusticiae et misericordiae decretum de redemptione facit.

Scribam alias plura de hac re, praesertim si scripta *Stancari* et *Musculi* videro. Hanc meam responsionem potestis legere illustrissimo principi Electori. Et quaeso, ut mihi rursus scribatis. Bene valete, die 4. Octobris [3]).

1) Schlüsselb. *Et, sicut tota vet. loq., ut obed.*

2) Schl. † *Stancarus.*

3) Schl. addit: „anno salutis 1552."

---

No. 5222. 4. Oct. (Torgae.)

## *Senatui Augustano.*

Edita in libro: Wahrhaffter kurtzer Bericht, Wie es mit Beruffung und Bestellung der Kirchendiener Augsburgischer Confession in der Statt Augsburg jeder zeyt gehalten worden. (Augsb.) M. D. LXXXV. 4. p. 5. (Descripta mihi a Clar. *Veesenmeyero.*)

Den Edlen, Ehrenvesten, Erbaren und Weisen Herrn, Pflegern, Burgermeistern und Rath der löblichen Kaiserlichen Stadt Augsburg, meinen günstigen Herren.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Edle, Ehrenveste, Weise, günstige Herren. E. E. Schrift hab ich in Torga empfangen am andern Tag Octobris, belangend eure Kirchen etc., und sind ich und viel andere hoch erfreuet, daß Kayserl. Majestät gnädiglich bewilliget, daß eure Kirchen christlich bestellt werden sollen, danken Gott für diese gnädige Gab, und bitten, er wölle Kay. Majest. gnädiglich regiren und bewahren.

Daß nun E. E. begehren Anzeigung richtiger [tüchtiger?] Personen, ist warlich mein Herz und Gemüth, daß ich euern Kirchen und löblicher Stadt in diesem Werk und sonst gern seliglich [? freundlich] dienen wollt. E. E. können aber selb bedenken, daß Herrn und Städte, die alte, geübte, vornehme Personen nicht gern von sich lassen. Gleichwohl wäre noch zu versuchen, ob der ehrwürdige D. Erhardus Schnep, oder der ehrwürdige Herr *Sarcerius* zur Superintendentia zu vermögen wäre. Zu Pfarrern und Diaconat hab ich auf etlich Personen gedacht, welcher Namen und Geschicklichkeit ich hierbei verzeichnet hab, deren etlich bald ankommen könnten.

In dieser Eil hab ich nicht mehr zu thun gewußt, besondern dieweil jetzund in beeden Universitäten von wegen der unreinen Luft nicht viel Personen beisammen seynd, und wir vielen Landen Personen zuschicken. Ich will mich aber mit etlichen weiter unterreden und E. E. förderlich davon Anzeigung thun.

Daß aber nöthig sey, daß nicht ungleiche Lehrer [Lehre?] eingeführt oder geduldet werde, das wissen E. E. selb, und wird noth seyn, daß die Prädicanten ein Aufsehen haben, und sich freundlich vergleichen mit Ceremonien, Ordnungen der Zeit und Materien, Uneinigkeit zu verhüten. Der Sohn Gottes Jesus Christus, der ihm gewißlich eine ewige Kirch durch das Evangelium samlet, wolle eure Kirchen, löbliche Stadt, E. E. und die Euern allezeit gnädiglich regiren und bewahren. Datum 4. Octobris 1552. zu Torga.

E. E. williger Diener

Philippus Melanchthon.

Zur Superintendentia seynd zuvor angezeigt Doct. *Erhardus Schnep*, und Herr *Erasmus Sarcerius*. Was sie die Zeit geantwort, weiß ich nicht, und werden die Herren des Raths bedenken, ob der einer wiederum zu berufen sey.

Darnach acht ich tüchtig den Herrn *Victorinum* [1]) zu Jhen [Jena], der auch zu Augsburg als im Vaterland zu dienen zu vermögen seyn sollt, darum ich ihm ietzund zugleich geschrieben hab. So ist er jetzund wieder ledig, hat nicht Weib und Kind.

Item Mag. *David Chytreus* jetzund zu Rostock, des Hrn. Victorini guter Freund, ist sehr wohlgelahrt und verständig, ist bei Heilprun, und ist gottfürchtig, und hat einen rechten gründlichen Verstand. Diesem will ich förderlich schreiben.

Item M. Petrus Ketzmann [2]), ist zu Nürnberg geboren, ein stiller wohlgelahrter Mann, hat ein Pfarr regirt nicht fern von Leipzig. Dieser kann alsbald ankommen, und ist jetzund durch Schrift zu mir erfordert, ist tüchtig zur Pfarregierung.

Item M. Wilhelmus [3]), dem der Herr Rehlinger Unterhaltung geben, ist jetzund zu Wütemberg [4]), ist tüchtig zum Diaconat.

Ich bedenk selb, daß hoch und merklich daran gelegen, daß vernünftige, gottfürchtige, einträchtige Prädicanten in euern Kirchen seyen, auch derhalben, damit Kay. Maj. nicht wiederum diesen Kirchen hätter werde, etc. Darum will ich gern neben andern auf Personen helfen gedenken.

1) *Strigelium.*

2) Non *Retzmann*, ut mendose editum est. Erat illo tempore Pastor Ecclesiae in Elsterwerda. Vid. ep. d. 28. Nov.

3) *Wilh. Hausmann.*

4) *Wuetemb.*] Vix sic scripsit unquam Melanthon; scriptum fuit *Wittenberg*. In epist. ad Hencelium scripta d. 18. Oct. quam Hausmanno dedit perferendam illum appellat *Diaconum*, nescio an Wittebergensem, an vero futurum Augustanum.

---

No. 5223. 5. Oct.

## V. Strigelio.

Epist. lib. III. p. 253. (ed. Lond. lib. III. ep. 169.). — Hic ex autographo in cod. Rhed. Vol. V., quod contulit S. V. *Schulzius.*

*Clarissimo viro — — D. Victorino [Strigelio] in Academia Ienensi Professori optimae doctrinae, amico suo carissimo,*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Scripsit ad me Senatus *Augustanus* Imperatorem *Carolum* concessisse, ut Ecclesias suas ad normam Confessionis *Augustanae* constituant. Sic nominant Confessionem Ecclesiarum huius regionis [1]). Hoc edictum pene simile est *Cyri* edicto, quo reditus exulantibus *Iudaeis* concedebatur. Petunt autem *Augustani* indicari viros idoneos ad ministerium Evangelicum. Ac eo plus refert idoneos viros et concordes eo mitti, ne, si nova dissidia ibi orirentur, Imperatorem suae concessionis poeniteat. Indicavi igitur antea Reverendum virum D. *Erhardum Sneppium*, cum tantum inspectorem peterent. Nunc plures petunt. Te igitur et *Davidem* [2]) indicavi, teque oro, ut cogites quantum referat illi urbi recte consuli, et piam in ea concordiam constitui. Nec vero dubito te patriam amare et desiderio amicorum tuorum, quos ibi habes non vulgares, adfici. Sed magis Ecclesiae necessitate moveamur, quae ita lacerata est in ea urbe, ut non sine magno dolore illam deformem dissipationem et scandala cogitare possim. Contra, si pia ibi concordia restitueretur, rursus et vicinia sanaretur, et *Italiae* exemplum prodesset. Quaeso igitur ut non recuses et Ecclesiae et patriae opem ferre. Scribam eadem ad *Davidem*, teque ut mihi respondeas oro. Bene vale. Die 5. Octobris.

Philippus.

1) Pez. *nostrarum* pro *huius regionis.*

2) *Chytraeum.*

No. 5224. 5 Oct.

## G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 367. (ed. Lond. lib. II. ep. 380.).

*D. Georgio Cracovio*

S. D. Etsi vobiscum propter amici luctum vere doleo: tamen quia talia funera semper me de sententia *Esaiae* commonefaciunt, quae ait: *Iusti colliguntur, ne videant secuturas calamitates:* Cohorrui etiam publica causa nunciata morte sanctae matronae. Cogito enim ea quae impendent, quae Deus mitigasset propter talium gemitus, qualis fuit haec matrona. Sed oremus Filium Dei custodem suae Ecclesiae, ut consolatione divina Rectorem et honestissimam eius coniugem erigat, et ut publicas calamitates mitiget. Vos etiam qui istuc adestis, lenire eis moerorem vestris officiis studete. Socer tuus et ego sumus vocati in aulam *Marchicam*, ad cognitionem controversiae de Mediatore. Contendit *Stancarus*, Christum tantum secundum humanam naturam esse Mediatorem, *καὶ χροτοθόρυβον παρὰ μαργίταις τισὶν* excitavit. Heri *) scripsi ea de re ad Principem ipsum. Hi furores significant et alia mala. Quare *ἐντενέστερον* precemur Filium Dei, ut nobis adsit. Bene vale et rescribe. Die 5. Octobr.

*) Epist. ad Marchionem scripta est d. 3. Oct.

---

No. 5225. 5. Oct.

## Hencelio.

Epist. lib. II. p. 305. (ed. Lond. lib. II. ep. 312.).

*Clarissimo viro, prudentia, eruditione, et virtute praestanti, Domino Iohanni Baptistae Hencelio, Consuli Augustano, Patrono suo colendo,*

S. D. Clarissime vir et amice colende, Utinam, ut *Cyri* edicto mandata est templi instauratio: ita *Deus* flectat animum *Caroli* Imperatoris, ut piis et veris consiliis, post tam tristes dilacerationes, colligat Ecclesiam. Certe quod apud vos concessit, significatio est voluntatis bonae. Ac Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ut ipse suam cymbam regat, et vestrae urbis Ecclesiam quoque restituat. Eo magis autem curandum est, ut ornetur vestra Ecclesia idoneis et pie consentientibus doctoribus; ne nova dissidia rursus irritent Imperatorem, ut poeniteat eum suae concessionis. Scripsi Senatui de *Schnepfio* et *Sarcerio* antea: Nunc et de *Victorino* et eius amico *Davide* ingenioso viro et de aliis quibusdam. Eruditos et non amantes tribunicios *χροτοθορύβους* quaero. Credo posse attrahi *Victorinum*, postquam ex hac mortali vita coniunx eius decessit. Et moveri eum patriae necessitate decet. Scripsi ad eum, ut voluntatem eius explorarem. Sed tuas literas plus valituras esse arbitror. Utinam possem Ecclesiae vestrae prodesse, voluntas certe mihi nequaquam deest. Etiam multis vicinis exemplum prodesset, si in vestra urbe vox Evangelii incorrupta sine dissidiis intestinis sonaret, et una consentiens invocatio ad Deum fieret. Quid in tota hominum vita tali Ecclesia pulchrius et melius est? Hanc ad rem profecto opus est Doctoribus piis, eruditis et modestis. Prodesset opinor de *Victorino* ad Ducem *Saxoniae* scribere. Ubicunque scies esse *Franciscum Dryandrum* *), quaeso ut ei meam Epistolam exhiberi cures. Vir est integerrimus, et tibi familiariter notum et commendatum esse optarim. Me quoque tibi commendo. De bello non libet scribere. Habeo significationes, ex quibus ratiocinor, non fore victorem *Albertum Marchionem*. Nunc in *Saxonia* *μυομαχίαν* inchoavit filius Comitis *Mansfeldensis*, sed utinam non fiat *Ἰλιάς*. Deum oro ut mitiget poenas publicas, et servet apud vos et alibi suae Ecclesiae semina. Bene vale. 5. Octob. Anno 1552.

*) Peuc. *Duranderum*, mendose.

---

No. 5226. 5. Oct.

## Fr. Dryandro.

Ex *Io. Fechtii* hist. eccl. sec. XVI. suppl. p. 59.

*Viro optimo, D. Francisco Dryandro, Fratri suo carissimo, Augustae vel Argentorati.*

S. D. Carissime Frater. Meministi dulcissimam vocem: „Circumvallat angelus Domini timentes

eum." Hic angelus Filius ipse Dei, aeterni Patris, et te et tuam domesticam Ecclesiam proteget, et texit hactenus. Saepe, adspiciens meas parvas filiolas, et gravidam filiam, cogito, ut vagantibus in Iudaea petulantissimis militibus, Syriacis, Aegyptiis, Arabicis, Parthicis, tamen Deus texit Mariam, sororem eius, et multas forma, sapientia, virtute praestantes, cum praesidia humana nulla haberent, ita et nunc Ecclesiae reliquias in his nostris exiliis et miseriis custodiri, cum quidem his turbulentis temporibus tueri nos leges politicae non possint. Tuas literas avide exspecto et flagito. Post *Baltici Gorgiae* ἀσέλγειαν καὶ σοφιστομανίαν nunc senex Italus, *Stancarus*, novos tumultus excitat. Contendit, Christum tantum humana natura Mediatorem esse, καὶ ἔχει ἄλλας τινας κουφολογίας. Heri de ipso ad *Electorem Marchicum* scripsimus. Sed me ab his rixis brevi mors liberabit. Prius tamen colloqui tecum cupio. Et non despero colloquium. Nunc retineor novi belli Saxonici initio, quod adhuc est μυομαχία. Sed metuo maiores motus. Comes Mansfeldensis, *Alberti* filius, indixit bellum Episcopo Magdeburgensi. Bene vale et rescribe. Die 5. Octobris, [Anno 1556. *]

Philippus.

---

**No. 5227.** 6. Oct.

## *G. Selneccero.*

Edita in *Chn. Gotth. Wilischii* arcanis bibliothecae Annaeberg. p. 118. (*Lunz.*)

*Clarissimo Viro, doctrina et virtute praestanti, D. Georgio Selneccero Iuris consulto reipub. Noribergensis, amico suo cariss.*

**S. D.** Clarissime vir. Locuti sumus ego et M. *Caspar* gener meus et M. *Sebastianus* cum filio tuo [1]), ut voluisti. Suasor fui, ut commendaretur alicui ex professoribus Iuris, praesertim Doctori *Schneidewino*, quem tibi notum esse existimo. Multi enim sunt in repub. vestra viri eruditione et virtute praestantes, qui cum illo familiarissime vixerunt. Et hortator sum filio, ut eum diligenter audiat. Promittit suam operam *Sebastianus Theodorus* [2]), vir eruditus, hospes filii tui, quod ideo significo, ne sis sollicitus de filio. Valde mihi placet ingenium filii, modestia et pietas. Dicebat se malle studio Theologico immorari. Haec enim erant ipsius verba. Sed exposui ei tuam voluntatem, et rationes addidi, quibus existimabam animum eius flecti posse ad tua studia continuanda, et spero eum in hoc consilio acquieturum esse. Pro munere debeo et habeo tibi gratiam. *Sebastianum Magnum*, qui tuum filium non minus, quam proprium amat, salutabis meo nomine diligenter. Scribere ei iam non potui, quia obruor negotiis. Bene et feliciter vale. Die 6. Octobris. Anno 1552.

Philippus Melanthon.

---

**No. 5228.** 8. Oct.

## *Cph. Stathmioni.*

Epist. lib. II. p. 423. (ed. Lond. lib. II. ep. 443.).

*D. Christophoro Stathmioni*

**S. D.** Etsi spero aliquos istic tibi pro medicatione gratos esse; tamen Oeconomia multis indiget. Ideo saepe de te cogito. In Academiis maior honos habetur et medicae arti et Mathematicae. Nec vocis contentio in his artibus requiritur. Cum autem in utroque genere studia multorum et iuvare et accendere possis, optarim te in Academia aliqua esse. De hac re velim te ad me scribere. Etsi enim nunc bella mota sunt: tamen Halcyonia alicubi Deus tribuet, ne doctrinae penitus extinguantur. Quod librum demonstrationum instituisti, iudico consilium utile esse, invitare adolescentes, ut quaerant demonstrationes. Nam et olim artes corruptae sunt, et nunc corrumpuntur licentia eorum, qui tam multa scribunt ἀσυλλόγιστα. περὶ κριτηρίων, video te sequi *Galeni* verba, qui πεῖραν καὶ λόγον nominat. Et in Ecclesia Dei recte addimus patefactiones divinas. Ego verbis *Plutarchi* utor, et nomino Experientiam universalem, Principia, et Intellectum consequentiae. De controversia *Platonis* et *Aristotelis* simpliciter amplector *Platonis* sententiam, qui insitas esse ali-

*) In anno manifestus error; nam Dryander mortuus est anno 1553. Imo est scripta anno 1552.

1) Nicolao Selneccero, postea Theologo Lipsiense?

2) Doctor in Academia Viteberg

quas notitias existimat, quod et *Paulus* significat. Sed haec, cum legam, tuum opus considerabo. Scriptum de pestilentiae medicatione, non potuerunt officinae me absente edere. Et deterrentur prolixitate, et minutis figuris literarum. Quare quae voles edi, describi curabis grandioribus figuris. Mitto tibi Nomisma Regis *Ferdinandi*, quem arbitror esse tuae patriae dominum, et credo honestum Principem esse, ac opto, ut Deus flectat animum eius ad salutem suam, et Ecclesiae, et non sinat a *Turcis* vastari *Austriam*, et tuam patriam. Doleo *Germanos* συμμαχίᾳ κελτικῇ impedire defensionem patriae. Et existimo *Francum* vicinum vestrum non fore victorem. Genesin eius si non habes, mittam. Bene et feliciter vale, et de *Franco Gallico* socio aliquid rescribe. Die 8. Octobris.

---

**No. 5229.** 9. Oct. (Torgae.)

## *H. Besoldo.*

Epist. lib. V. p. 227., ubi a Sauberto mutila edita est. Integra prodiit in Epist. lib. VI. p. 503. et quidem ex apographo in cod. Monac. II. p. 197., quod contuli.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Hieronymo Besoldo, Evangelium pure et fideliter docenti in Ecclesia Dei in inclyta urbe Noriberga, fratri suo carissimo,*

S. D. Cum Appenninum transivit Herulorum, id est, Rugianorum Dux *Ottocarus*, edita est vox terribilis ex specu: *Vade pellibus indute, Non enim redibis.* Nec vanum fuit id vaticinium. Nam Rugianus ille post paucos annos a Veronensi *Theodorico* victus periit. Ita spero non rediturum esse ad vos *Guelfum* [1]) illum seu *Catilinam*, cuius recitantur voces adeo immanes, ut non existimem Rugianum illum sic loqui ausum esse. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam in urbe vestra, et tuguriola cum parvis pueris, et puerperis protegat. Vidi ἐν ὀνείρῳ duriter pulsari illum Guelphum a *Maximiliano*. Et fortassis ad Maximini templum vicinum urbi Trevirorum pugnabitur.

De Balthicis disputationibus novi nihil habeo, etsi mecum fuit ante triduum homo prudens Academiae Regiomontanae minister missus huc a *Sabino*. Semper et fuerunt et erunt in Ecclesia certamina, sed eluctatur tandem veritas. *Brentius* inspergit [2]) σοφὰ φάρμακα, ac iam secundam conciliationem misit, qui quomodo illis dictis medeatur, quae sunt ita scripta, ut recitantur, nescio: peccata ante annos 1500, remissa esse. Item, eodem modo filium in humana natura, quam ipse sumpsit, habitasse, ut in caeteris sanctis. Ego quidem rectius sentire eum, quam loquitur, cogito. Sed sermo est horridus. Hoc sentit et loquitur, imputari credentibus divinitatem, non merita Christi. Nec satis est τὸν λόγον sic definire, decretum esse de restitutione humani generis. Etsi enim id decretum per eum patefecit, tamen fatendum est liberrime conditum et receptum esse genus humanum. Filium vero esse, et esse totius patris εἰκόνα simpliciter necessarium est. Vide quantae res moveantur, de quibus miror, quid dicat noster amicus *Brentius*. Novum certamen et *Stancarus* movet, contendit tantum τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει mediatorem esse Christum. Nos *Marchioni* Electori respondimus his diebus de ea quaestione, qui nos ad cognitionem eius controversiae vocaverat. Utinam tui Collegae considerarent, quam necessaria sit hoc praesertim tempore concordia nostris Ecclesiis. Bene vale et rescribe quamprimum poteris. Die 9. Octobris 1552. Argeliae.

---

**No. 5230.** 10. Oct. (Torgae.)

## *Hier. Baumgartnero.*

Epist. lib. VI. p. 196 sqq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 183., cuius titulo adscripsit Baumgartnerus: „1552. 23. Oct. per Enderle."

*Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noriberg.*

S. D. Scio te intuentem cogitatione in hanc terram confusionem gubernationum in Germania, saepe toto corpore cohorrescere. Sed talis cum esset ultimis temporibus confusio in Iudaea, tamen ibi Ecclesiam suam Deus rexit et servavit, Zachariam, Elisabetham, Mariam, sororem et

1) Henricus iunior Brunswic.

2) *Brentius* etc. non edidit Saub.

magnum agmen his adiunctum. Ita nunc quoque suos coetus servabit, ac saepe nobis haec dicta proponamus: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Item, *Circumvallat Angelus Domini*, Filius Dei, *timentes eum.* Hunc oro ut te et Ecclesiam tuam domesticam et urbem vestram protegat. Spero etiam non redlturum esse L. *Sergium* [1]). καὶ ἑώρακα αὐτὸν ἐν ὀνείρῳ δεινῶς πληχθῆναι ὑπὸ Μαξιμιλιάνου οὐ ξίφει ἀλλὰ ῥοπάλῳ.

Nobis ad contagia luis accedit novus metus, quia Comes *Volradus* iam bellum indixit Brunsvicensi, Episcopo Meideburgensi, cognatis Mansfeldensibus, ut cruore cognato [2]) terra polluatur. Ita subinde nova Gigantum bella videmus. Oro autem Filium Dei ut poenas mitiget. Interea in Marchia *Stancarus*, quasi non satis sit dissidiorum in Ecclesiis, contendit Christum tantum ἀνθρωπίνῃ φύσει mediatorem esse. Et his diebus in aula disputatio instituta est, ad quam Pastorem nostrum [3]) et me Princeps [4]) accersivit. Sed non accessi, retentus Augustanae Ecclesiae negotiis. Verum scripsi meam sententiam et Principem hortatus sum, ut prohibeat spargi talia semina dissidiorum. Miror non cogitare eos quantum antea mali fecerint, edita Sphynge quae primum nata est in ea aula. Sed omitto haec.

Pagellas a *Sabino* editas tibi mitto, ex quibus didici Etymologiam novam Marchiae. Ait esse νομαρχίαν, ut Nomi in Aegypto praefecturae dicebantur. Utinam vero non tantum regerent νόμους, sed etiam τοῖς νόμοις parerent. Bene et feliciter vale. Die 10. Octob. Argeliae [5]).

Philippus.

---

**No. 5231.** **11. Oct. (Torgae.)**

## *Io. Matthesio.*

Epist. lib. II. p. 83. (ed. Lond. lib. II. ep. 67.).

### *D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Quam sunt incertae res humanae, ac saepe instituta negotia, cum existimatur summa tranquillitas esse, subitis casibus impediuntur. Simus igitur modesti, et nil nisi necessaria faciamus, et regi nos a Filio Dei petamus. Ante octiduum Elector *Marchio* vocaverat D. *Pomeranum* et me ad cognitionem controversiae *Stancari*, qui contendit Christum Mediatorem esse tantum ἀνθρωπίνῃ φύσει. Statim intelleximus et filium Electoris Episcopum *Meidepurgensem* mortuum esse, et patrem aegrotare. Ita existimo cognitionem impeditam. Nos quidem non profecti sumus. Scripsi tamen meam asseverationem piam; quod Christus sit Mediator, sicut et Sacerdos est, secundum utramque naturam. Sic et *Ambrosius* loquutus est, ut ex utraque natura sit Mediator. Argumenta collecta mittam alio tempore. Nunc te oro, ut testimonia in lectione veterum observes de hac quaestione. Quod siclos mihi misisti quinque per *Rostochiensem* civem, habeo tibi gratiam. Et Ioachimicos tres numeravi mox Bibliopolae *Chiliano*, ut ipsae rationes ostendent, et exhibui ea quae misisti, iuxta vetus dictum: *Inter bonas bene agier.* Vellem mihi pro precio plures siclos mitti. Hunc adolescentem *Ioachimum Alceum* tibi commendo. Bene vale. Die 11. Octobris, *Argeliae.*

---

**No. 5232.** **12. Oct. (Torgae.)**

## *G. Hausmanno.*

Epist. lib. II. p. 295. (edit. Lond. lib. II. ep. 300.).

### *Guilielmo Hausmanno (Witteberg.)*

S. D. Charissime *Guilhelme*, Ut *Cyri* edicto mandata est instauratio templi ita nunc Imper. *Carolus* concessit, ut Ecclesia *Augustana* constituatur ad normam doctrinae confessionis Ecclesiarum nostrarum. Utinam hoc modo pius consensus in tota illa urbe constituatur. Pastores et Diaconos senatus a nobis petivit, et te indicavi inter Pastores aut Diaconos recipiendum *). Quare ut ad me venias, valde te oro, ut de tota re colloquamur, et si iam proficisci voles, mox tibi literas daturus sum. Valde optandum est, ut illa dilacerata Ecclesia sanetur. Id et ipsi Ecclesiae in urbe salu-

---

1) Henricum Brunsvicensem.
2) Edit. *cognati*, mendose.
3) Text. edit. mendose: *unum*.
4) Marchio Elector.
5) Alia manus adscripsit: an. 1552.

*) Vid. epist. d. d. 4. Oct. h. a.

tare esset, et exemplum profuturum esset vicinis. Quare annitendum est, ut habeat idoneos doctores, ac simul Filium Dei oremus, ut eis det sua dona, salutares pastores. Bene vale. 12. Octob.

---

**No. 5233.** 13. Oct.

## *Georgio Pr. Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 260. (ed. Lond. lib. II. ep. 259.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Misi proprium tabellarium, quem spero C. V. hodie videlicet, die 13. Octobr. pagellas meas exhibiturum esse. Postquam autem advenit tabellarius, C. V. iussi rursus exemplum describi, quod literarum figuras habet magis conspicuas, et distinctiones sententiarum. Materia, ut ego quidem iudico, tempori congruet, et arbitror C. V. easdem consolationes saepe animo repetere. Heri librum accepimus editum typis chalcographicis, in quibus *Osiander* damnat doctrinam nostram de Iustificatione, ac reipsa hoc vult, *Hominem esse iustum* *) *sua novitate*. Crescunt dissidia, et simul distrahuntur Ecclesiae et Imperia. Has calamitates ut mitiget Filius Dei, toto eum pectore oro. Decrevi in eodem scripto et vicinis sycophantis, et illi arrogantissimo homini *Osiandro* respondere. Neminem arbitror in Ecclesiis *Saxonicis* probaturum esse somnia *Osiandri*. Et clarissime refutantur a *Luthero* in summario Psalmi: *Beati quorum remissae sunt iniquitates*. Bene valeat Cels. V. Die 13. Octob.

De festo *Corporis Christi* tantum hoc audivi, Pontificem *Urbanum*, ante Pontificatum fuisse hospitem mulieris *Coloniensis*, quae nescio qua occasione petiverit, ut pompa certa ostenderet Sacramentum. Ibi dicitur ille promisisse, si fieret Papa, velle se solennem circuitum instituere.

---

**No. 5234.** 14. Oct. (Torgae.)

## *G. Hausmanno.*

Epist. lib. II. p. 300. (ed. Lond. lib. II. ep. 307.).

*D. Guilhelmo Hausmanno*

S. D. Etsi spero te meas literas accepisse de Ecclesia *Augustana*, teque iam expecto: tamen cum filius meus istuc proficisceretur, iterum ad te scribo. Ut *Cyrus* concessit instaurari templum: ita *Carolus* Imperator concessit *Augustanis* constituere Ecclesias iusta piam confessionem Ecclesiarum nostrarum. Senatus igitur Evangelii ministros a nobis indicari petit. Indicavi quosdam, et in his te. Velim igitur te ad me venire, aut certe mihi scribere. Sed coram multa rectius agi possunt. Quanquam autem ipse ad vos proficisci cogito: tamen remorantur me scribendo nova negotia, quae huc adferuntur, de quibus respondere cogor. Bene vale, et huc quamprimum venito, nam hac septimana viro honesto et docto, quem indicavi, *Augustanas* literas dabo. Iterum vale. 14. Octob.

---

**No. 5235.** 16. Oct. (Torgae.)

## *M. Collino.*

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54ᵃ.

*Matthaeo Collino, in Academia Pragensi,*

S. D. Carissime frater. Siderum positus huic orae in ripa Albis hoc tempore significat contagia luis, quae etsi late vagantur, tamen alibi magis alibi minus saeva sunt. Etsi in hac confusione imperiorum et in tantis docentium dissidiis pii libenter in aeternam et tranquillam Ecclesiam discedunt, tamen, donec Deus in hac vita colligit Ecclesiam, oremus eum, ut has aerumnas leniat, ut non prorsus dissipentur docentium et discentium coetus. Aliquot collegae nostri familias Torgam transtulerunt, ubi neminem habui, cui literas nostras darem ad te mittendas aut perferendas. Nunc flagitavit a me literas hic adolescens Glatoniensis, auditor *Balbini*, profecturus in Academiam vestram, ut te audiat. Quem etsi propter ipsius praeclaram eruditionem libenter tuo iudicio complecteris, tamen ut initio aditum ad te familiariorem haberet, commendandum esse tibi censui. Natura est generosa, doctrinae capax, et ad decus et virtutem incitata. Quare eum a te praecipue erudiri gaudeo, et Deum oro, ut eum

---

*) Textus Peuceri *iusta*, ex mendo.

gubernet, et te diu servet patriae incolumem. De bello Pannonico tuas literas expecto. Sed metuo multa vaticinia, quae narrant, Turcicam gentem etiam hanc Germaniae oram populaturam esse. Oremus filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, qui stat pro populo suo, ut inquit Daniel, in his postremae aetatis calamitatibus ut leniat poenas. Imperator *Carolus* accessit ad urbem Argentoratum, inde ut existimatur in Lotharingiam ducturus exercitum, ac spero repressurum esse Deo iuvante *τὴν κελτικὴν ἀλαζονείαν*. Cum Augusta discessit, Senatui concessit, ut Ecclesias ad normam nostrae confessionis constituat, quo exemplo bonam spem Ecclesiis ostendit. In Gallia renovatur saevitia contra recte sentientes. Valde te oro, ut saepius ad nos scribas. Bene et feliciter vale. Die 16. Octobris, quo ante annos mille octingentos septuaginta octo mortuus est Demosthenes, fractus inutilibus contentionibus. Nos gratias agamus Deo, quod vocavit nos ad utiliores labores. 1552.

No. 5236. 17. Oct. (Torgae.)

## G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 375. (ed. Lond. lib. II. ep. 390.).

### D. Georgio Cracovio

S. D. Clarissime vir, Hac me praecipue consolatione sustento in multis aerumnis huius temporis, et in illis nostrae *μυρμηκίας* difficultatibus, quod non casu volvuntur res humanae, sed quod scriptum est, *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.* Scit ipse Filius Dei *καρδιογνώστης* nos quaesivisse doctrinam incorruptam simplici studio. Hunc spero servaturum esse nostram *μυρμηκίαν*, Et ut servet eum oro cum socero tuo viro optimo. Hoc tempore vero expatiari te posse sine ulla reprehensione sentio. Expatiarer et ipse nisi statim famam spargerent homines malevoli *κακοηθεῖς*, me desperatione rerum nostrarum fugere aut novas res moliri. Ut igitur *Laconicae* mulieres dicebant viris et filiis, cum clypeum ituris in castra porrigebant, ἢ τὴν, ἢ ἐπὶ τὴν, id est, ut aut reportarent clypeum, aut in clypeo ipsi reportarentur mortui; Sic Deo iuvante redibo aut vivus aut mortuus in oppidum nostrum. Oro autem Filium Dei, ut studia suae doctrinae gubernet et conservet. Bene vale. *Argeliae* die 17. Octob. quo ante annos 3943 *) arca *Nohae* primum quievit; in qua ut Argonautas suos tunc servavit Filius Dei, ita eum oro, ut nunc quoque nos servet, qui in eadem Argo vehimur ipso duce.

No. 5237. 17. Oct.

## Ioannes Fridericus ad Theologos Witeb.

† Ex apographo vetustiss. in cod. Goth. II. p. 217. — Vid. epistol. Theologorum d. 14. Sptb. h. a. — Argumentum huius epist. (non dixit ex quonam fonte) breviter commemoravit *Saligius* in hist. Aug. Confess. I. p. 680 sq.

Den Ehrwürdigen, Würdigen und Hochgelehrten, unsern lieben andächtigen und getreuen Eren Johann Bugenhagen Doctor, Pfarrer, samt andern Dienern der Kirchen zu Wittenberg.

Von Gottes Gnaden Johansfriederich der Elter, Herzog zu Sachsen, geborner Churfürst, Landtgraf zu Duringen und Marggraf zu Meichsen ꝛc.

Unsern Gruß zuvor. Ehrwürdigen, Würdigen und Hochgelehrten, lieben andächtigen und getreuen. Wir haben Euer Schreiben, an uns gethan, mit Anzeigen, weß unterthänigs und christlichs Mitleidens Ihr in unserm langwierigen Trübsal mit uns und unserm freundlichen lieben Gemahel und Söhnen getragen, auch wie herzlich neben der Danksagung Gottes Ihr wiederum erfreut, daß wir nun unsrer Verhaftigung erledigt, und zu unserm Gemahel und Söhnen wieder kommen sind, Und was ihr für hochwichtige Sachen davon hättet, ferners Inhalts vernommen, und von euch auch zu gnädigem Gefallen vermerkt. Und ist an dem, daß der allmächtige Gott uns von wegen unsrer Sünden ein groß und langwierigs Creutz gnädiglich aufgelegt. Wie uns nun sein Allmächtigkeit darinnen wunderbarlich im rechten wahren Bekenntniß seines allein seligmachenden Worts durch Verleihung und Hülf des heil. Geistes geleitet und geführet, und daneben auch in ziemlicher Gesundheit erhalten: also hat auch seine Allmächtigkeit uns endlich mit Gnaden wiederum väterlich erledigt und anheim in unsre Lande geholfen; deß Allmächtigkeit wir auch dafür und um alle seine Gnade und Wohlthat von

*) In numero sine dubio error est.

Herzen in Ewigkeit Dank, Lob, Ehr und Preis sagen, der ungezweifelten Hoffnung und Zuversicht, seine Allmächtigkeit werde es fürder zu gemeiner Christenheit Wohlfahrt, auch zu Ausbreitung, Pflanzung und Verhaltung seines wahren Worts, dergleichen unsern lieben Söhnen und der Lande Besten gnädiglich auch schicken und fügen.

Daß Ihr auch in Euerm Schreiben meldet, daß Euer Gemüth allzeit gewesen und noch sey, mit Gottes Gnaden Einigkeit der christlichen Lehre mit den Kirchen dieser Lande zu halten; so hören wir solches gern. Daß Ihr aber mancherlei Anfechtung darin gehabt, und Gewirre vorgefallen, wie ihr auch noch in großen Streiten von hochwichtigen Sachen stehen sollt, davon ist gleichwohl die Zeit über unsrer währenden Verhaftung allerlei an uns gelangt, welchs uns nicht wenig bekümmert. Und haben derhalben oft von Herzen gewünscht, daß in Kirchen unsrer gewesenen und andern Landen, die sich darein auch gerichtet, in dem, wie es bei Leben Doctor Martin Luthers seligen, und unsrer Regierung gehalten, auch anno 37. zu Schmalkalden durch alle Pfarrherrn und Prediger, so den Ständen der Augsburgischen Confession zuständig, und dazumal des Orts versammelt sind gewesen, verglichen, keine Aenderung aus menschlicher Weisheit wäre vorgenommen noch gestattet worden. Denn wir tragen nicht Zweifel, wenn solches wäre geschehen, so würde die eingerissene Spaltung und Irrthum zwischen den Lehrern gemeldter Confession zusamt den beschwerlichen und schädlichen Aergernissen, so daraus erfolgt, mit Gottes Hülfe wohl seyn verblieben. Aber er wolle sein Wort und Kirchen, wie denn seine Allmächtigkeit bisher gethan, hinfürter auch gnädiglich erhalten. Das haben wir Euch hinwieder gnädiger Meinung nicht bergen wollen. Dat. Weimar Montags nach Galli anno 52.

---

**No. 5238.** 17. Oct.

## *Vito Winshemio.*

† Ex apogr. in Cod. Paris. D. L. 54[1].

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Vito Winshemio, Doctori artis medicae, collegae et fratri suo cariss.*

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Etsi dubitabam, quando has literas accepturus esses, scripsi tamen. Ante octiduum Augustano tabellario literas dedi ad d. *Snepium* et ad d. *Victorinum*, quibus adiunxi literas ad *Stigelium* et ad te scriptas. Postea multorum allatae sunt epistolae, quae adfirmant, *Osiandrum* mortuum esse. Scribunt, intumuisse eius corpus fortassis ex splene effusa atra bile, et accessit apoplexia. Habuit breve curriculum, ut vides, quo utinam felicius usus esset. Qua enim de re tam atrociter in nos incurrit, nisi quod dicimus, fidendum esse filii Dei meritis, non nostra novitate. Haec praecipua est *στάσις* nostrae controversiae. Reliquit, ut audio, librum alterum contra me scriptum. Et fortassis *ὥσπερ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ*. Sed oro filium Dei, ut nos regat et doceat, qui, cum sit *καρδιογνώστης*, scit voluntatem meam in colligenda doctrina simplicem et piam fuisse, etiamsi in tanta mole rerum alicubi minus intentus fui. Sed haec alias. *Erasmo Reinholdo* mitte epistolam hanc additam, ex Pannonia missam. Bene vale. Die 17. Novemb. Salutem opto vobis omnibus.

Philippus.

---

**No. 5239.** 18. Oct. (Torgae.)

## *B. Hencelio.*

Epist. lib. II. p. 306. (ed. Lond. lib. II. ep. 318.).

*Iohanni Baptistae Hencelio, Consuli Augustano,*

S. D. *Exemplumque Dei quisque est in imagine parva*, inquit Ethnicus Poeta, quia vox ipsa Naturae clamitat, nos ita conditos esse, ut et mens Deum recte agnoscat, et omnes motus nostri cum Deo congruant. Sed haec in patefactionibus divinis clarius tradita sunt, quae adfirmant velle Deum nos frui sua luce in aeterna consuetudine, et in hac misera vita tamen inchoari hanc sapientiam oportere, et conservare ipsum ac instaurare ministerium Evangelii, et velle eum ut suo quisque loco propagationem doctrinae adiuvet. Quod cum pie facias, vicissim tibi Deus benefaciet. Quidam honestus vir *Petrus Ketzman*, spem mihi fecit, se mox ad vos profecturum esse, et quotidie eius ad me adventum expecto, cum hoc iter facturi erant hi duo Diaconi, *Guilhelmus Hausman* et

*Iacobus Rulichius:* sed cum tardior esset *Petrus*, diutius hos retinere nolui. Nunc eos amplissimo Senatui et tibi commendo. Scio modestos et recte eruditos esse. Sed vos eos audietis, et iudicabitis an in vestris Ecclesiis usui esse possint. Mitto tibi librum de doctrina et ritibus in Ecclesiis *Megalburgensibus*, in quo doctrinam recitari recte iudico, quae ubique eadem esse debet. Sed ritus humanos non necesse est similes esse. De ea parte vobis deliberandum erit, et oro Deum, ut eam deliberationem regat. Bene vale. Die *Lucae.*

---

No. 5240. 18. Oct.

## *D. Chytraeo.*

(Ex David. Chytraei epistolis p. 1250.)

*Davidi Chytraeo* S. D.

Carissime David. Ut Cyri edicto Instauratio templi mandata est, ita, nunc quidem Augustae, *Carolus* Imp. concessit, Ecclesias in ea urbe ad normam Confessionis Augustanae, sic nominant, ut scis, Saxonicam, constitui. Scripsit igitur ad me Senatus, ut homines ad docendam Evangelii puritatem idoneos indicem. Indicavi praecipuos D. *Victorinum* et te *). Nondum mihi Victorinus respondit, sed quotidie literas ab eo expecto. Te quaeso, ut cogites quantum referat, etiam exempli causa, pium consensum in Ecclesia Aug. constitui. Hanc tantam rem adiuvare te velim. Et eris in Patria. Scribes igitur mihi quam primum de tua voluntate. Bene vale, Die Lucae 1552.

Philippus.

---

No. 5241. 18. Oct.

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 519. (ed. Lond. lib. II. ep. 548.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. Clarissime vir, et charissime frater, Scriberem saepius, si literis complecti possem eas materias, de quibus libentissime tecum et cum aliis bonis et doctis Viris colloquor, videlicet disputationes de doctrinis. Nam de stultissimis bellis Principum, et de rabiosa φιλονεικίᾳ rixantium in Ecclesiis non libet scribere. *Turci* recens urbem *Pannonici* regni, sed *Germanicam*, *Novum Solium* igni deleverunt, capta vicina arce. Interea Reges ludunt, et Principes movent domesticos tumultus. *Isenacensis* senex *Hiltenius* praedixit Turcos *Germaniae* et *Italiae* dominos fore anno 1600. Huius viri vaticiniis aliis quoque responderunt eventus. In Ecclesiis vero impeditur explicatio rerum necessariarum aliis inutilibus rixis. Impeditur et disciplina, et subinde fiunt maiores dilacerationes. Haec mala cogitans dolore contabesco. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis, et resuscitatum, ut reliquias Ecclesiae servet, et nos regat. Studia hic Dei beneficio mediocria sunt, ut ex pagellis, quas mitto, intelliges. Bene et feliciter vale. Die *Lucae.*

---

No. 5242. 19. Oct. (Torgae.)

## *M. Meienburgio.*

Epist. lib. V. p. 557 sq.

*Mich. Meienburgio, Consuli Northus.*

S. D. Honestissime vir, et amice charissime. Dei beneficio recte valet filius *Christophorus*, et vivit apud Doct. *Schneidewein* in vicino oppido Iessen, quo et alii quidam familias suas transtulerunt. Oro Filium Dei, ut custodiat et servet vos et vestros omnes. Scripsit ad me *Nicolaus Bromius*, vos expetere colloquium meum. Libenter ad vos Northusiam accedam, ut et filii studia inspiciam. Nec enim erunt aspera frigora ante Ianuarium. Bella adhuc in his regionibus hac hyeme metuo, cum tres magnae causae sint in conspectu, quarum unica satis esset ambitiosa contentio de Episcopi Meideburgensis exuviis. Oremus autem Filium Dei, ut publicas et privatas aerumnas leniat, propter Ecclesiam et institutionem iuventutis. Hoc tempore retineor Torgae propter Augustanae Ecclesiae negotia. Bene et feliciter valete. Die 19. Octobris.

Philippus.

---

*) Vid. Epist. d. d. 4. Oct.

No. 5243. 19. Oct.

## *F. Staphylo.*

† Ex autographo descripta a *Schellhornio* in usum Ballenst., qui apograph. Schellhornii habet in sua collectione Vol. I. p. 19 b.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Friderico Staphylo, fratri suo carissimo,*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Scripsi recens de tuis voluminibus. Edi ea curabimus quam primum accepero. Mittes igitur, si ita videbitur. Vocati eramus in aulam *Marchionis Electoris* ad cognitionem controversiae quam movit ὁ δύςοδμος *Stancarus*, qui contendit, τὸν χριστὸν κατὰ μόνην ἀνθρωπίνην φύσιν εἶναι μεσίτην. Sed retinuerunt [me] Ecclesiae *Augustanae* negotia; nostras tamen sententias edituri sumus. Metuo bella per *Albiacos* campos [1]) plus quam civilia de exuviis episcopi *Parthenopei* recens mortui [2]). De *Carolo* tantum haec sciebamus, *Argentoratum* cum venisse, et ducere exercitum non contemnendum. Scis etiam veteribus τὴν κελτικὴν ἀλαζονείαν non valde formidatam fuisse. Tuas literas expecto. Bene vale. XIX. Octobr.

Philippus.

---

No. 5244. (19. Oct.)

## *Ad. Cureo.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

*Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Adamo Cureo, docenti Evangelium Ecclesia Dei in inclyta urbe Vratislavia, fratri suo cariss.*

S. D. Venerande Adame et amice carissime. Toto pectore gratias ago filio Dei, domino nostro Iesu Christo, quod ita gubernavit Ecclesiam in inclyta urbe Vratislavia, ut dissidia dogmatum non turbaverint piorum invocationem annos iam triginta. Nec ulla Ecclesia in Germania fuit tranquillior. Id beneficium Dei agnoscite et deinceps tueri studeatis. Simul etiam petatis una cum filio Dei, summo sacerdote nostro, ut aeternus pater faciat, ut unum simus in ipso. Habetis senem doctorem *Moibanum*, virum optimum, qui haud dubie vobis assidue hortator est, ut concordiam tueamini. Nec ulla gravior oratio in hoc genere cogitari potest, quam illa est in epistola Iohannis: ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ. Gaudeo tibi locum in Ecclesia Vratislaviensi tributum esse, et filium Dei oro, qui sedet ad dextram aeterni patris, ut det dona hominibus, ut nos quoque gubernet. Amicitiae nostrae memor esto, et saepe ad nos scribito. Metuo bella per Albiacos plus quam civilia campos, praesertim mortuo adolescente Episcopo Parthenopeo, de cuius exuviis dimicabitur. Deus leniat poenas. Bene vale. Salutem opto reverendo doctori *Moibano*, Magistro *Baldasaro*, *Praetorio*, *Wincklero*, *Sagero*, et vobis omnibus.

Philippus.

1) *Campos* in apographo ex mendo legitur post *civilia*.

2) Friderici, filii Electoris Brandenburg., qui successerat Iohanni Alberto. Vid. Sleidan. p. 720.

---

No. 5245. 25. Oct. (h. a.?)

## *W. Fusio.*

Epist. lib. II. p. 575. (ed. Lond. lib. II. ep. 598.).

*D. Wolfgango Fusio, amico suo charissimo,*

S. D. Utinam tibi, mi *Wolfgange*, prodesse possem, Nam de ingenio tuo bene sentio, teque provehi cupio ad honestas functiones, ut praeparari ad maiora Ecclesiae munera possis, ad cuius utilitatem studia tua dirigere debes. Ac spero tibi Deum adfuturum, qui sese dixit fundum et patrimonium esse Sacerdotum, quia norat eos in mundo negligi. Tu igitur forti animo esto. Si impetrabis conditionem, quam petis, ornato tuam Spartam: sed si non impetrabis, Deus aliam offeret, eaque in re tibi meam operam polliceor, tu modo significes tuarum rerum statum. Durato, et temet rebus servato secundis. Bene vale. Die 25. Octob.

No. 5246. 26. Oct. (Torgae.)

## *Ioach. Mollero.*

Epist. lib. II. p. 523. (ed. Lond. lib. II. ep. 548.).

*D. Ioachimo Mollero*

S. D. In *Henrico* fratre tuo et natura recta est, et non solum eruditione mens exculta est, sed etiam luce Filii Dei regitur, eumque spero Ecclesiae usui atque ornamento fore. Quare et valde eum diligo, et ad Ecclesiae certamina, quae et nunc sunt magna, et impendent maiora, praeparari eum velim. Nobis hic aliquanto post opus erit aliis lectoribus. In ea deliberatione de ipso quoque cogitare decrevi, si vivam. Nunc offertur ei adolescentum *Nassaviensium* gubernatio, qui in *Galliam* mittentur. Nisi patrem senem *Guilhelmum* scirem virum integerrimum esse, dissuaderem *Henrico* hanc aulicam militiam, sed patrem et te adhibere in consilium voluimus. Quare nobis vestram sententiam significabis. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut consilia vestra et nostra gubernet.

*Συμβουλὴν ἀγαθὴν, καὶ ἀφορμὰς, εὐτυχίαν τε*
*Συμβουλευτὰ ἐμοὶ δὸς πατρὸς ἀϊδίου.*

Bene et feliciter vale, et rescribe. Die 26. Octob.

---

No. 5247. 26. Oct.

## *A. Hardenbergio.*

Epp. ad Hardenbergium, ep. 19.

*D. Alberto Hardebergio.*

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Utrumque vox divina praedixit, et fore in hac languida et delira mundi senecta maiores generis humani confusiones, quam fuerunt antea. Et tamen filium Dei certo etiam inter has Imperiorum ruinas sibi collecturum esse aeternam Ecclesiam. Itaque et praeparemus animos ad ferendas communes calamitates, et hac nos consolatione erigamus, quod filius Dei certo colligit Ecclesiam in his ipsis nostris coetibus sonantibus Evangelii vocem, etiamsi magna est infirmitas. In hac cogitatione magis etiam mihi leniuntur mei dolores, cum intueor passim familias pias, et in his adolescentes, in quibus et indoles bona est, et semina sunt virtutum a Deo mentibus eorum insita. Talis est *Elardus Hofmann* Bremensis, cuius et natura avida et capax est doctrinae, et mores adeo modesti sunt, ut esse eum domicilium Dei existimem. Quare et Parentibus talem filium, et tibi talem amicum gratulor. Oro autem te, ut etiam meo nomine parentibus sis hortator, ne desint filii studiis. Nondum despero colloquium nostrum. Ideo de dogmatum controversiis iam non scribo. De bellis ne libet quidem scribere. Sed tecum oro veris gemitibus filium Dei, ut Ecclesias et nos inter aras suas regat et servet. Responsionem ad *Balticam Gorgonem* editurus sum, cum redibo *Wittebergam*. Vides moveri magna certamina de personis Divinitatis, et singularum proprietatibus, de quibus mitto tibi quaestiones. Bene et feliciter vale et rescribe. Argeliae. Die 26. Octobr.

Philippus.

---

No. 5248. 25. Oct. (Torgae.)

## *Senatui Augustano.*

Edita in libro: wahrhaft kurtzer Bericht, wie es mit Berufung und Bestellung der Kirchendiener Augsburgischer Confession in der Statt Augsburg jeder zeyt gehalten worden. (Augsb. 1585. 4.) p. 10 b. (Mihi descripta a Cl. *Veesenmeyero.*)

Den Edlen, Ernvesten, Weisen und Fürnehmen Herrn Pflegern, Burgermeistern und Rath der löblichen Stadt Augsburg, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Edle Ernveste, Weise, fürnehme, günstige Herren. E. E.[hrbarkeiten] und E. W.[eisheit] füg ich zu wissen, daß Zeiger dieser Schriften ist Magister *Petrus Ketzmann* *) von Nürnberg, welchen ich in meinen vorigen Schriften angezeigt hab, daß er als ein Pastor in eurer Kirchen zu gebrauchen sey, denn er hat nun etlich Jahr ein Kirchen wohl regirt, und ist ziemlichs Al-

*) *Ketzmann*, non Retzmann, ut mendose editum est. Vid. de eo Wills Nürnberg. Gelehrten-Lexicon, II. p. 283. — Vid. etiam v. Stetten Gesch. der Stadt Augsb. I. p. 497. Bruckers Gesch. der Evangel. Pfarrkirche zum h. Kreuz zu Augsb. p. 69. Schellhorns Ergötzlichkeiten. II. p. 718 sq. (Nota *Veesenmeyeri.*)

ters, hat in christl. Lehr einen rechten Verstand, ist ehrlicher christlicher Sitten, friedliebend, nicht unruhig, nicht stolz, nicht zänkisch, sucht nicht fremde Sachen, hoff derwegen, er werd mit Gottes Hülff der Kirchen seliglich dienen, und steht zu E. E. und E. W., nach der Verhör von ihm zu schließen.

Ich bitt auch fleißig, E. E. und E. W. wöllen sich der Zehrung halben auf den Weg günstiglich erzeigen, dann E. E. und E. W. werden befinden, daß an dieser Person solches wohl angewandt ist.

Von dem ehrwürdigen Herrn *Erasmo Sarcerio* hab ich in der vorigen Schrift Anzeigung gethan, und acht, daß hochnöthig sey, ein christliche Kirchenordnung zu Einigkeit eurer Kirchen mit gutem Rath zu berathschlagen, und zu solchem Werk ist gedachter Herr *Sarcerius*, als ein bedächtiger geübter Mann, durch Gottes Gnad sehr wohl zu gebrauchen.

Der allmächtige Sohn Gottes, Jesus Christus, der ihm wahrhaftiglich ein ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durch das Evangelium sammelt, wölle euer Kirchen in einen seligen Stand und christliche Einigkeit bringen, und die löbliche Stadt, euer E. W. und die Euern allezeit gnädiglich bewaren und regiren. Datum zu Torga, die 27. Octobris 1552.

E. E. und E. W.

williger Diener

Philippus Melanchton (?)

---

No. 5249. 28. Oct.

## *Dan. Gresero.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 190. p. 136.

*D. Danieli Gresero (Past. Dresdens.)*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Ut Cyri edicto templum rursus aedificatum est, ita *Carolus* Ecclesiam *Augustae* constitui ad normam Ecclesiarum nostrarum concessit. Ac spero, exemplum hoc profuturum esse ad instaurationem Ecclesiae in multis locis. Et filium Dei oro, ut nos gubernet. Misi iam Augustam duos ex Academia nondum maritos, tertium vero maritum *Petrum Keizmann*, qui fuit pastor Ecclesiae in *Elsterwerda*, et literas Augustanorum expecto, ut sciam, qualia sint initia. Hortatus sum eos, ut deliberarent de forma rituum, ad urbis et Ecclesiarum concordiam. Doctrina extat in confessione, ac vellem eos uti consilio Dom *Sarcerii*. Si qua erit occasio, *Petreium* 1) collocandi in loco commodiore, habebo eius rationem. Tibi quoque eum commendo. Expectari adhuc, opinor, virum qui in *Schleusingen* deerat, a me istuc mittendum, et non habebam tunc talem, cum literas acciperem, qui eo proficisci vellet. Cum resciscam, an 2) adhuc locus vacuus, tibi significabo, carissime frater. Bene vale. Die 28. Octobris 1552.

Phil. Mel.

---

No. 5250. 28. Oct.

## *B. Hencelio.*

Epist. lib. II. p. 309 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 316.).

*D. Iohanni Baptistae Hencelio, consuli August.,*

S. D. Clarissime vir, Sic inquit *Syracides*, quem tibi inscriptum libenter te legere non dubito, *φοβοῦ τὸν κύριον, καὶ δόξασον ἱερέα.* Cum autem utrumque magna pietate facias, tibi tuendum hunc sacerdotem commendo virum honestum et eruditum *Petrum Ketzmanum* Noribergensem, *Camerarii* et auditorem et amicum. Meministi et amplissimum Senatum vestrum ad me scribere, ut indicarem et tales, qui Pastores Ecclesiarum essent, et alios, qui diaconorum munere fungerentur. Huic igitur viro optimo hortator fui, ut ad vos proficisceretur. Gemens aspexi eum cum coniuge et parvis liberis, hoc tempore, saevus ubi hybernis *Orion* conditur undis, iter facientem. Te oro ut lenire ei migrationis aerumnas studeas, et amplissimo Senatui eum commendes. Pastor Ecclesiae esse poterit, quia et aetas matura est gubernationi, et cum feliciter antea rexerit Ecclesiam, specimen eruditionis, pietatis et modestiae ita praebuit, ut et sua Ecclesia eum dilexerit, et probarint alii. Spero et apud vos eruditionem, gravitatem et modestiam eius Ecclesiae profuturam esse. Bene et feliciter vale. Die 28. Octob.

---

1) Vid. de eo etiam ep. ad Petreium d. 12. Febr. 1553.
2) *an*] rescripsi pro *ac*, quod est in cod.

No. 5251. 28. Oct.

## Georgio Pr. Anhalt.

Mel. select. Epistt. p. 289. Epist. lib. II. p. 262. (ed. Lond. lib. II. ep. 261.). Apographon in Mst. Manl. p. 49.

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Cum post reditum ex *Babylone* convenisset aerumnosa multitudo ad ruinas *Hierosolymae*, nec aut praesidiis aut moenibus se contra latrocinia defendere posset, Filius Dei consolatur *Zachariam* inquiens, *Ego ero murus igneus* etc. Item, *Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo dicit Dominus.* Ita nunc quoque proteget Ecclesiam suam Filius Dei. Hac consolatione nos sustenteinus, et speremus non prorsus interituras esse Ecclesias, etiamsi arma in utraque parte magnas vastationes minitantur. Fortassis eventus ostendet mitiora consilia non fuisse aspernanda. Sed oremus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos regat et leniat poenas. Scriptum *) *Osiandri* curabo describi C. V. etsi arbitror brevi longiorem librum de illis paradoxis editurum esse. Bene et feliciter valeat C. V. Die 28. Octobris.

No. 5252. 28. Oct.

## Principibus Henneberg.

† Ex autogr. Mel. in Tabular. Henneberg. descripta a Clar. *Carolo Schoeppachio*, doctore Meiningensi.

An die Grafen Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

Gottes Gnad 2c. — E. F. G. bitt ich in Unterthänigkeit gnädiglich Gedult zu haben, daß ich nicht zeitlicher E. F. G. Antwort zugeschrieben, denn ich durch die Augsburgschen Kirchensachen verhindert worden, wie E. F. G. Bericht anhören mögen von Zeigern dieser Schriften.

Und ist Zeiger dieser Schriften Pastor der Kirchen zu Heinchen, bei Witeberg gelegen, ein verständiger, gelerter, gottforchtiger Mann, der ohn Zweifel E. F. G. Canzlern bekannt ist, und ist bei zwanzig Jahrn bei uns gewesen, und hat mit etlichen, ehrlichen vernünftigen Leuten in besondrer Freundschaft gelebt. E. F. G. werden auch selb aus seinen Reden seinen Verstand merken. Er ist nicht fern von Söst geboren, und ist sein Name Christophorus Wusthofen, und wiewohl seine Stimme etwas dunkel ist, so sind doch andre seine Tugenden so groß, daß ich ihn zu einer ziemlichen Regirung mit Gottes Gnaden tüchtig acht. Doch stehet E. F. G. ganz frei, nach der Verhöre von ihm zu schließen. Er bedenkt selb, wie ein schwerer Last ist itzund eines vernünftigen gottfürchtigen Superindenz Ampt, und ist wohl zufrieden, was E. F. G. schließen werden. So er aber angenommen würde, bitten ich und Er, E. F. G. wollen Gott zu Lob und zu gutem Frieden in der Herrschaft ein christlich Consistorium verordnen. Das wird durch Gottes Gnad auch bei den Nachkommen ein großen Nutz wirken. Der allmächtige Sohn Gottes Jesus Christus, der ihm gewißlich ein ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durch das Evangelium sammlet, wolle E. F. G. gnädiglich bewahren, stärken und regirn. Datum Torga 28. Octobris 1552.

*) Mst. *scripta.*

No. 5253. 30. Oct.

## Principibus Henneberg.

† Ex autographo Mel. in Tabular. Henneberg. descripta a Clar. *Schoeppachio*, doctori in Gymn. Meining.

An Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

Gottes Gnad 2c. — Erstlich dank ich Gott, daß er gnädiglich E. F. G. und E. F. G. Landen und Kirchen in diesen unruhigen Zeiten gnädigen Frieden geben, und E. F. G. und E. F. G. Unterthan auch zu ewiger Seligkeit erleuchtet. Darnach dank ich E. F. G. daß sie den wohlgelarten Christophorus Fischer gnädiglich angenommen haben, und hoffe, er werde sich gebührlich halten. Bitt auch Gott, er wolle uns alle gnädiglich regirn.

Von dem Mann, den ich zur Superintendentia anzuzeigen bedacht, berichte ich in Unterthänikeit, daß derselbige Christophorus Wusthofen jetzund Pastor zum Heinchen, bei Witeberg gelegen, vor mehr Tagen bei mir allhie zu Torga gewesen, und Brief an E. F. G. von mir empfangen hat, dem ich auch des Durchleuchten hochgebornen Fürsten und Herrn Georgen Fürsten zu Anhalt 2c. Schrift an E. F. G. mitgeben, und hoffe ge-

dachter Christophorus Wusthofen werde in dieser Wochen zu Sleusingen ankommen. Ich will auch förderlich einen frommen, züchtigen, gottforchtigen jungen Mann Schrift an E. F. G. geben, der zur Kirchen zu Rossa zu gebrauchen. Der allmächtige Gott wolle E. F. G. und E. F. G. Land und Kirchen gnädiglich allezeit bewahren und regirn. Datum Torga am Abend omnium sanctorum; daran vor 35 Jahrn der Ehrnwürdige Herr Martinus Lutherus die propositiones von den Indulgentiis erstlich angeschlagen hat.

No. 5254. 31. Oct. (Torgae.)

## Seb. Glasero.

Epist. lib. V. p. 519 sqq.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Sebastiano Glasero, Cancellario Inclytorum Principum Hennenbergensium, amico suo veteri et charissimo.*

**S. D.** Clarissime vir et Patrone colende. Scio, te saepe, cogitantem de hominum natura, vere ita statuere, non casu volui hanc naturam rerum, sed vere esse Deum, Conditorem rerum, et indicem generis humani, et quidem hunc ipsum, qui misit Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum. Optimum igitur homini esse agnoscis, vocari ad huius veri Dei et Filii eius societatem. Deinde nihil melius esse hominibus honesta gubernatione et pace. Haec bona cum vobis Deus tribuerit, videlicet lucem suae doctrinae, et honestam gubernationem et pacem, gratis mentibus et linguis eum celebremus, praesertim cum passim tanti tumultus sint, et varia dogmatum dissidia. Oro autem Filium Dei, ut publicas et privatas calamitates leniat, et nos omnes guberniet.

De *Christophoro Piscatore* et Illustrissimis Principibus [1]) et tibi gratiam habeo. Spero, recte facturum esse officium, et modestiam eius gratam fore prudentibus. Ante quatriduum literas dedi viro erudito et prudenti, *Christophoro*, Pastori Ecclesiae *Heniochenae*, ad Illustrissimos Principes, et ad te. Arbitror, tibi notum esse, fuit enim minister senis *Valentini Mellerstadii*, et natus est in Westvalia: Huic, cum aetas eius matura sit gubernationi, et cum sit homo moderatus et circumspectus, existimo, posse inspectionem commendari, sed vobis iudicium et arbitrium permitto. Cogitavi etiam de viro idoneo ad docendam Ecclesiam Rossensem.

Heri huc allatae sunt literae ex *Isleben*, in quibus significatur, oppugnari a Comite *Volrado* Mansfeldensi arcem [2]) Wolfenbütel, et exercitum eius recens iterum iurasse Regi Gallico, Ducem ipsum, senem *Henricum*, esse in arce Wolfenbütel, pecuniam Hamburgam conferri numerandam, ut ipsi loquuntur, sociis Gallici Regis. Ego, ut scis, etiam ante hos annos abhorrui a Gallicis foederibus [3]). Nunc, qualis sit exitus, futurum tempus ostendet. Sed oro Filium Dei, ut poenas nobis leniat. B. et felic. vale. Pridie Calend. Novemb. quo primum ante annos 35 *Lutherus* edidit Propositiones de indulgentiis. Genesin filiolae edi curabo his diebus, cum rediero Witebergam.

Philippus.

No. 5255. (fere m. Oct.)

## N. N.

† Ex apographo in cod. Monac. 90. No. VII. p. 408.

*Epistola cuidam praescripta a Ph. M.*

Reverendissime domine et patrue charissime. Cum venisset ad me tabellarius vester nolui eum sine meis literis dimittere, praesertim cum res novae multae hic narrentur. Aiunt, Imperatorem *Carolum* in urbe Metensi hac hyeme mansurum esse, cum propter alia multa, tum ut sua praesentia prohibeat, ne in urbem invehatur Evangelii doctrina. Vult etiam non procul a Lotharingia abesse, quia nunc tutor est pupilli ducis mortuo duce, qui regebat Lotharingiam. Circa *Bremam* magna est multitudo militum, fere decem millia. Postquam desumpserunt frumentum in pagis, nunc quaerunt alia loca. Et fama est, Holsatios et civitatem Hamburgensem armis occursuros esse, ut

1) Hennebergicis, vid. epist. d. d. 29. Septb. h. a. coll. ep. ad Iunium d. d. 2. Nov.

2) A. D. addit *Lycaoniam*.

3) Sic A. D., sed Saub. *a talibus*.

illi praedones dissipentur. Dicitur etiam, legatos a civitatibus Germaniae ad Regem Gallicum et Anglicum missos esse, qui utrique regi sint hortatores faciendae pacis. Et deliberant de conditionibus pacis. In Gallia simul grassantur haec quatuor mala, fames, pestilentia, bellum, saevitia in homines innocentes et pios profitentes aliquem articulum verae doctrinae contra ipsos abusus. In Italia item magna fames; et annona in hac nostra regione coepit esse carior. Deus mitiget nobis poenas et regat nos. B. V.

---

No. 5256. 1. Nov.

## *Baumgartnero, filio.*

Praemissa libro: „Liber de anima, recognitus ab autore Phil. Melanth. Witebergae 1553. 8." Ex hac editione hausimus epistolam, quae scripta est antequam typographus opus perfecit. Vid. ep. ad Schnepfium d. 10. Nov. et ad N. N. d. 13. Nov. et ep. ad Moller. d. 16. Nov. — Librum Baumgartnero misit d. 11. Decb. 1552.

*Clarissimo viro, Hieronymi Bomgartneri, sapientia et virtute praestantis filio, Hieronymo Bomgartnero, Philippus Melanthon* S. D.

Utrumque praedixit vox divina, in hac languida et delira mundi senecta et fore maiores generis humani confusiones, quam fuerunt antea, et tamen Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum: aeternam Ecclesiam sibi etiam inter imperiorum ruinas collecturum esse: qui quidem hac spe vult nos doctrinae studia colere, et promittit Ecclesiis hospitia. Hac praedictione divina confirmati praeparemus animos, ut tristissimas imperiorum dilacerationes et crebros tumultus Panicos sapienter feramus et tamen speremus, Ecclesiam non interituram esse, et hac erecti consolatione studia doctrinae colamus, et suo quisque loco communi societati serviat. Haec cogitatio et senes retinet in gubernatione, ne desperatione in tam saevis tempestatibus tanquam remos abiiciant, et excitare iuniores debet, ut doctrinam Ecclesiae et communi vitae necessariam eo discant alacrius, quia vox divina pollicetur nobis, hos labores non fore irritos. Quare et Paulus inquit: *Non erit inanis labor vester in Domino*, id est Deo curae erit, ut et Ecclesias vobis ac nidos aliquos servet, et ut labores vestri in docendo, gubernando et discendo sint fausti et salutares vobis et aliis. His divinis commonefactionibus saepe iam confirmari patrem tuum in difficillimis laboribus audis, quas quidem te quoque cogitare decet, ut ad discendam doctrinam vitae necessariam te exuscites. Rursus autem congessi *doctrinam*, quam in Ecclesia *de distributione potentiarum animae* extare necesse est: quam cum antea ederem, ad patrem tuum misi, cui his libellis nihil opus erat; sed extare testimonium volui et ipsius erga me perpetuae benevolentiae, et mei erga ipsum amoris. Nunc ad te hoc munus transfero, quia ad illas priores caussas haec accedit, quod cum tua aetas iam idonea sit ad huius doctrinae initia discenda, quam hic complexus sum: et adhortari te volui hoc munere misso, ut ad Philosophiae initia procedas, et in hac parte viam tibi et aliis, quantum ego quidem possum, monstrare studeo.

Nec vero ignoro multos deridere totum hoc genus Physicae doctrinae, qui dicunt, titulos magnam sapientiam polliceri de Deo, de mundo, de anima, de caussis mutationum in omnibus corporibus, postea introspectis libris tantum inveniri puerilia initia. Fateor omnino, hanc doctrinam valde exiguam et angustam esse, et sapientiae divinae umbras tantum procul ostendere. Sed nos, qui divinis patefactionibus assentimur, et secuturam esse vitam perpetuam post hanc mortalem vitam credimus, cogitemus, duas nobis academias, et quidem hoc ordine conditas esse *), aeternam alteram, in qua Deus erit omnia in omnibus, et suam nobis sapientiam et iustitiam communicabit, ubi coram ipsum cernemus, et in filio λόγῳ conspiciemus non solum ideas et caussas opificii mundi, sed etiam admirandam copulationem divinae naturae et humanae, et consilium restitutionis generis humani. Ibi conditorem intuentes et caussas rerum considerantes, naturam penitus introspiciemus. Sed ita, et non aliter, patet aditus ad illam Dei consuetudinem, si prius in hac mortali vita eius doctrinae elementa inchoaverimus, quam nobis tradidit, in qua nobis quam multa proponit incomprehensibilia? quae tamen in hac nostra imbecillitate vult considerari. Quae angelorum aút hominum sapientia perspicit, quale sit

---

*) Videntur hic excidisse quaedam verba, alteras academias his in terris describentia. Sed in quatuor, quas contuli, editionibus eodem modo leguntur, ut hic dedimus haec verba, videl. in editt. ann. 1553. 1560. 1569 et 1584.

foedus, ut ita dicam, et qualis coniunctio naturae divinae et humanae in Mediatore? Et tamen de hac tanta re nobis saepissime concionatur vox divina. Imo in summis nostris doloribus vult nos cogitatione huius foederis praecipue erigi. Tota haec natura humana funditus periisset, nisi massam nostri generis Filius Dei sibi copulasset, in qua nos miseros, quasi de humeris suis pendentes gestat et servat. Ideo non extingueris, ideo non deletur totum genus humanum, quia Filius Dei massam illam sibi adiunxit. Norunt piae mentes, hanc veram et summam esse consolationem et caussas multas illius mirandi foederis cogitant, etiamsi neque caussas omnes consilii divini, neque modum comprehendunt, quo facta est haec miranda copulatio.

Quamquam igitur nec animae naturam introspicimus, nec mirandas eius actiones, formationem imaginum in cogitatione, ratiocinationes, memoriam, recordationes, electiones, impulsiones cordis, quae fiunt a cogitationibus, penitus in hac vita intelligimus: tamen inchoanda est haec doctrina. Et inchoatio ad intelligendam Ecclesiae doctrinam et ad vitae gubernationem necessaria est, ut postea saepe in toto libro ostendimus. Ac multa discuntur vitae necessaria, etiamsi ars tota, quam in fabricatione Deus adhibuit, pervestigari non potest. Erit alia Academia in coelesti consuetudine, ubi haec sapientia in omni aeternitate discenda erit. Nunc tamen inchoatio necessaria est. Nec ulla res est in hoc toto mundi opificio, in qua tam multa de Deo illustria testimonia, et tam perspicuae commonefactiones nobis propositae sint, sicut in anima hominis. In hac numeri, notitia ordinis, ratiocinatio, aeternum et immotum discrimen honestorum et turpium, ostendunt, hanc naturam rerum non casu ex Democriti Atomis confluxisse, sed ab aeterna mente architectatrice conditam esse. Docet igitur anima hominis, esse Deum conditorem rerum, et esse substantiam intelligentem. Et docet, qualis sit, videlicet, qualis est in nobis lex immota; et testatur, iustum et vindicem esse, quia sanxit ordinem in nobis, qui extingui non potest, ut saevi et horrendi cruciatus in corde comitentur scelera. Tam multiplex sapientia lucet in animae consideratione, quae quidem fit illustrior, cum potentiarum ordinem et actiones attentius adspicimus. Sed de utilitatibus saepe in libro dicitur, quamquam nulla tanta est eloquentia cuiusquam, quae magnitudinem utilitatum satis exponere possit, quas affert non dico perfecta animae cognitio, sed haec inchoatio, quae procul eam adspicit.

Recito autem doctrinam in Academiis usitatam et confero Ecclesiae sententias; non gigno paradoxa aut monstrosas opiniones, nec ita fremitu Baltici litoris, quamquam horribili, tremefactus et consternatus sum, ut turpe esse ducam, circumspicere, quae sint receptae a sanioribus sententiae, et considerare, qualis sit naturae perversitas in iis, qui vel ambitione, vel malitia corrumpunt recte tradita, et fingunt novas et monstrosas opiniones; et verecunde sequi consensum saniorum. Hunc vero ita sequi studeo, ut etiam velim honestos et doctos viros ubique censores et emendatores esse omnium meorum scriptorum; praecipue vero tuum patrem, et *Ioachimum Camerarium*. Quale fuerit opinionum chaos ante annos triginta, cum primum lerna Monachorum, ut ita dicam, purgata est, multi norunt. In tanta varietate voluisse me quaerere simplices et rectas sententias, optima conscientia affirmo: nec tamen mirum est, me, vel *) alios, in tanta caligine alicubi lapsos esse; praesertim cum, velut in incendio oppidi alicuius diversis locis simul plura aedificia inflammantur, de multis rebus maximis et gravissimis controversiae simul motae sunt. Et verissimum est, quod sapiens poëta dixit: *Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός*. Vult autem Deus in Ecclesia iudicia esse; quare nunquam Ecclesiarum nostrarum iudicia defugi, ac ne vivere quidem velim Timonico more, seiunctus, ab eruditis et Deum timentibus. Quare semper affirmavi, me sententias eruditorum libenter auditurum et secuturum esse, atque utinam cum pluribus saepe doctrina colloqui possem.

Memini quendam, qui se dicebat Stoicum esse velle, idque tantum *φιλονεικίᾳ* de se praedicabat, ut ostenderet, se philosophiam profiteri meae contrariam, ideoque sua quaedam, non paradoxa tantum, sed etiam absurda dicta sibi valde placens in aula quoque spargebat: qui etsi natura fatuus erat *καὶ μωρόκακος,* tamen aliquantisper excitavit, ut Graeci dicunt, *κροτοθόρυβον* satis turbulentum. Saepe autem iam comperi, verum

*) In edit. 1584. *ut.*

esse vetus illud dictum, quod ex *) Aeschylo citatur:

Ἡ δὲ μωρία
Μάλιστ' ἀδελφὴ τῆς πονηρίας ἔφυ.

Propter tales censores non iudicavi deserendos hos labores, quod existimabam discentibus honestas artes prodesse.

Ut autem de hoc libello dicam, existimo ad Academiarum consuetudinem recte constitutam esse formam huius operis et pleraque recte tradita esse non dubito. Intexui autem de praecipuis membris humani corporis descriptiones qualescunque. Nam discerni potentiae animae non possent quidem, nisi earum domicilia seu machinae in corpore hominis aliquo modo ostendantur. Quanta est enim insulsitas, si quis dicat de motu locali, nec discernat nervos a venis et arteriis? Denique cum in tota vita ad valetudinem tuendam, et ad multas actiones in corpore et in moribus iudicandas utile sit, humani corporis fabricationem aliquo modo nosse: haec initia statim primae aetati, praesertim in his Physicis elementis proponenda esse, etiam alii scriptores ante me iudicaverunt. Etsi igitur doctrina Anatomica in his libellis integra comprehendi non potest, nec subito adolescentia exilissimarum partium descriptionibus oneranda est: tamen praecipuas partes, et quidem grandiores, omnibus hominibus notas esse valde prodest. Secutus sum autem scriptores optimos, *Galenum*, *Vesalium* et *Leonardum Fuchsium*, et adhibui amicos interdum *Iacobum Milichium* et *Peucerum*, generum meum. Sed quia nec vacuo animo huic uni operi intentus fui, et peregrinationes nostrae saepe hanc telam, quam contexere malebam, interruperunt, alicubi desiderari diligentia poterit. Oro igitur eos, qui aliis haec initia enarrabunt, ut errata candide emendent, praesertim cum extent iam picturae *Vesalii*, et luculentae descriptiones, de quibus sic inquit Paulus Eberus:

Quantum nocte alias stellas, cum lumine fratris
Orbem complevit, vincere Luna solet:
*Vesalii* tantum reliquis liber anteit unus,
Corpora qui qua sint condita ab arte, docent.

Quamquam autem patris tui, *Hieronyme*, iudicio permitto, an hunc meum librum, aut alios tibi proponi velit: tamen de re ipsa scio iudicium eius cum meo congruere. Scit verissimum esse, quod scripsit sapiens Historicus Thucydides, κράτιστον εἶναι ἐν ἀναγκαιοτάτοις παιδεύεσθαι, hoc est, discenda esse maxime necessaria. Ut in tota vita praecipua est sapientia, necessaria facere: ita et in studiis prima sit cura, ut necessaria discantur. Ac vere statuit pater tuus, necessariam esse homini cognitionem doctrinae, quam Deus illustribus testimoniis Ecclesiae tradidit: et ad hanc iudicat has descriptiones potentiarum animae praeparationem quandam esse. Affert haec doctrina lucem et legibus, quibus mores hominum regendi sunt. Ostendit enim, quae partes quomodo frenari possint. Non sunt igitur haec in vita aut doctrinis πάρεργα, ἀλλὰ πρὸ ἔργου καὶ πρὸ ὁδοῦ ad intelligendam Ecclesiae doctrinam, et ad disciplinam ac morum gubernationem. Disces igitur, Hieronyme, de iudicio patris tui, viri sapientis et eruditi, tales aliquas descriptiones partium hominis. Ac non modo in his studiis, sed etiam in ceteris actionibus intuere patris exempla. Ut enim in mechanicis artibus nemo fit artifex, nisi exempla sui generis assidue aspiciens, imitari ea conetur: ita in formando iudicio de doctrinis, et in vitae regendae consiliis omnino multum prodest, eligere certa et probata exempla, quae sequi et effingere velis. Tibi vero Deus domestica exempla, digna laude, proposuit, patrem et patruum, quorum tibi praecipue similitudo expetenda est. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, qui vere est custos Ecclesiae suae et dixit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, ut te et totam Ecclesiam vestram domesticam protegat et gubernet. Bene vale. Witebergae, Calend. Novemb. Anni 1552.

*) Edit. 1584. *ab.*

---

No. 5257. 4. Nov.

## *P. Ebero.*

† Ex apographo in cod. Noriberg. ex autographo facto, descripta a Clar. *Rannero.*

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Paulo Ebero, fratri suo carissimo*

S. D. Carissime frater. Novisti et scholam *Neudorferi*, et ipsius naturam non modo ἠθικήν, sed etiam verae pietatis studio flagrantem, qui,

cum Noribergae essemus, de *Stifelio* interrogavit, ubi nunc viveret, cumque ei dixissem, rediisse eum in has regiones: tradidit mihi pagellas ipsi mittendas. Cogitabam, te et me ad ipsum accessuros esse, ac tunc exhibituros. Sed quia nostra itinera incerta sunt, iam ad te mitto paginas datas a viro vere philosopho et Dei cultore, *Neudorfero*, et te oro, ut scribas *Stifelio*, et tuum cognatum meo sumptu ad eum mittas. Scripsi ad eum et ego. Scis, me maxime optare, ut Ecclesiae harum regionum et recte doceant, et sint concordes.

Hodie accepi literas *Brentianas*, in quibus probat nostram sententiam, sed vult ἀντιδίκους excusari. Nos cogitamus edere scriptum nostrum. Scito, adesse *Stoium*, qui recens mense Septembri vidit *Carolum* imperatorem, et audivit loquentem cum legato *Polonico*. Caeteras historias ex ipso coram audies. Bene et feliciter valete. Salutem vobis omnibus opto. *Stifelio* ut scribas et exhiberi librum cures te valde oro. Die 4. μηνὸς כסלו, hoc est ὡριωνείου. Salutem opto vobis omnibus.

Philippus.

---

**No. 5258.** **6. Nov.**

## *Brentius ad Melanth.*

† Ex apographo in cod. Monac. 90. No. VII. p. 427.

### *Clariss. viro D. Philippo Melanthoni, Domino et Amico suo in Christo observando Iohannes Brentius*

**S.** in Christo. Gratum mihi officium fecit hic *Christophorus*, quod me inviserit, et significaverit, se ad vos adventurum esse. Etsi vix mecum prae rerum varietate constituo quid scribam, tamen hoc unum in praesentia te latere nolui, utut alii de me iudicent, [me] inter hyperboreas illas rixas non solum veterem nostram amicitiam, sed etiam veterem sensentiam περὶ δικαιοσύνης, quam divina clementia a vobis praeceptoribus didici, retinere. Coepi te semel animo meo, ut σκεῦος Christi, complecti, et doctrinam Ecclesiae a vobis traditam ut consentaneam sacrae scripturae agnoscere. Precor igitur patrem domini nostri Iesu Christi, ut spiritu sancto suo me in hac doctrina perpetuo conservet. Illud nec possum probare, quod isti inter se ita rixantur, ut tandem illi te huic [1]) obtrudant, [ut] hic toto impetu in te feratur. Mihi in hac rerum perturbatione non aliud relictum videtur, quam ut optem tibi animum excelsum, qui ista contemnat, ac non defatigetur sua officia Ecclesiae probare. Nos, cum princeps sententiam a nobis peteret maluimus reconciliationem quam damnationem dogmatis, a me certe nondum satis intellecti, nec animos exulceratos magis irritare et occasionem inveniendi novas execrationes dare; non quod multum speraremus nos ab istis sic affectis aliquid impetraturos, sed ut hac occasione, si quid monstri aleretur, erumperet. Nunc si isti nostro consilio abutuntur, dolemus. Existimo tamen, nos nostrum officium hac in parte non deseruisse. Bene ac foeliciter vale, et precor te, ut pergas nostram et Ecclesiarum nostrarum salutem filio Dei precibus tuis commendare. Die 6. Novembr. anno 1552.

Superioribus diebus Ecclesia Argentoratensis amisit morte optimum virum D. *Casparum Hedionem* [2]), quo casu iam Ecclesia grave vulnus accepit. Nos quoque non mediocriter dolemus ereptum nobis virum e praecipuis amicis. Sed vivit nunc ille foelicior cum filio Dei, quo et nos adspiramus.

---

**No. 5259.** **10. Nov. (Witeberg.)**

## *Georgio Pr. Anhaltino.*

Epist. lib. II. p. 261. (ed. Lond. lib. II. ep. 260.).

### *D. Georgio Principi in Anhalt*

**S. D.** Illustrissime et Reverendissime Princeps, Non dubito vos in his imperiorum tumultibus magno dolore adfici. Sed hac nos consolatione sustentemus, quod certo scimus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedere ad dextram aeterni Patris, et servare Ecclesiam, et dare dona hominibus. Hic summus sacerdos et vestrae Ecclesiae ostendit hunc *Simonem Widensem*. Gaudeo Ecclesiae vestrae causa, hunc *Simonem* ad *Mersburg* vocari, et spero organum salutare fore. Diu enim novi eum, et audivi in examinibus Magiste-

1) Osiandro.
2) d. 17. Oct. 1552.

rii, et Ecclesiasticae functionis, ac scio recte eruditum esse, ac in mente eius accensam esse lucem divinam, et timorem Dei. Mores sunt modesti et placidi. Quare iudico vos utiliter Ecclesiae *Mersburgensi* consulturos esse, si eum eo transferetis, et oro Filium Dei ut faciat eum *σκεῦος ἐλέους*, et organum salutare suae animae et aliis. Inchoavi in praelectione *Iustini* quasdam materias, quas curabo describi C. V. et iam repeto doctrinam de definitione Mediatoris. *Stancarum Francofordiae* ad *Oderam* scribit contra me et alios, et defendit hanc propositionem, *Christum tantum secundum humanum naturam esse Mediatorem*. Etsi in tertio libro sententiarum *Longobardi* distinctione 19. sic de Mediatore scriptum est: tamen in eo loco conceditur haec propositio, *quod Christus sit Redemptor secundum utramque naturam*. Ita interdum pugnantia consuuntur in illis rhapsodiis. De his et aliis multis negotiis coram cum C. V. colloqui decrevi, quam primum expatiari potero. Bene valeat C. V. Die natali *Lutheri*.

---

No. 5260. 10. Nov.

## (*N. N.*)

† Ex autogr. Mel. in cod. Basil. Vol. LXXVII. G². p. 20.

*N. N.* (Folium inscriptionis periit.)

S. D. Venerande vir. Non dubito inde usque ab initio Ecclesiae ab Adam fuisse morem et vocandi ministros Evangelii voce Ecclesiae, et deinde explorandi eorum eruditionem. Hanc consuetudinem et post apostolos Ecclesia imitata est, ut sepe in veteribus decretis dicitur, *παντός τε κλήρου καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης ἐκκλησίας*. Utinam vero hunc utilem morem tueri gubernatores politici studerent. Nos audimus, erudimus, retinemus etiam nostro sumptu homines vocatos ad ministerium evangelicum. Sed iustum erat, ipsos dominos praebere eis viaticum, et iuvare pia studia, et conservare piam consuetudinem erudiendi vocatos ad tantum munus; qua de re velim te interdum monere viros generosos apud quos vivis. Nostrum officium his non defuit, quos nobis commendasti. Sed tibi eos rursus commendo, ac te obtestor propter filium Dei, ut sis eis *ἐργοδιώκτης* ad discendum, et interdum ipse eos erudias.

Quod retines doctrinam Ecclesiae nostrae pie facis. Et oro Dei filium, ut faciat, ut quam plurimi unum simus in ipso. Passim plures Ecclesiae amplectuntur hanc veram doctrinam, quam audivisti in academia nostra. Et iam *Carolus* Imp. concessit *Augustanis*, ut Ecclesias in sua civitate ad Normam nostrae confessionis instituant.

Mitto tibi librum recens apud nos editum [1]), in quo recitata est doctrinae summa pure et breviter, cuius lectionem spero tibi gratam fore. Bene vale. Die natali Lutheri, decimo Novbr., quo ante annos 1483 [2]) Lutherus natus est.

Philippus Melanthon.

---

No. 5261. 12. Nov. (Torgae.)

## *G. Hausmanno.*

Epist. lib. II. p. 295. (ed. Lond. lib. II. ep. 301.).

*Guilhelmo Hausmanno, docenti Evangel. in inclyta urbe Augusta Rhetica.*

S. D. Charissime *Guilhelme*, Spero vos Deo iuvante et *Augustam* venisse, et vidisse gementes Ecclesiae orbitatem, et dissipationem. His magnis vulneribus ut medeatur Filius Dei *Samaritanus* civis, qui stetit in scala *Iacob*, toto eum pectore oro. Is in scala Ecclesiae vestrae etiam consistens vos gubernet, et faciat vos *σκευὴ ἐλέους*. Si existimas ullos meos labores prodesse discentibus, postulo ut vicissim hanc gratiam referatis, ut mihi significetis iter vestrum, et Ecclesiarum statum in urbe *Augusta*. Mitto vobis literas, quibus senatus vos accersit. Fui *Witebergae* ante biduum, et spero Deo iuvante nos eo redituros esse post brumam, cum *Saturnus* ex *Aquario* discesserit. Absolvi librum *De Anima*, et D. *Hencelio* et tibi exempla mittam. Nunc pertexo *Germanicos* Locos. Salutem opto vobis omnibus. D. *Henzelio*, *Ketzmanno*, *Iacobo*, et a vobis peto ut mihi scribatis. Bene vale. Die 11. Novemb. *) 1552.

---

1) Fortasse Examen Megalpurgensi.

2) Sic distincte scriptum est: „*ante annos* 1483." Voluit scribere: ante annos 69, anno 1483.

*) d. 12. Nov. scripta est, ut ex aliis epp. intelligitur.

**No. 5262.** 13. Nov. (Torgae.)

## *V. Strigelio.*

Epist. lib. III. p. 252. (ed. Lond. lib. III. ep. 167 sq.). Autographon in cod. Rhed. Vratislav. Vol. III. nobis contulit S. V. *Schulzius.*

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Victorino Strigelio, in Academia Ienensi Professori optimae doctrinae, amico suo carissimo*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, Orate, inquit Filius Dei, *ut in messem suam extrudat Deus* ἐργάτας *fideles et salutares.* Hoc ut ardentius petamus, passim Ecclesiarum orbitate moveamur, de qua magno cum dolore cogito. Vix iam mediocres doctores Urbi tantae *Augustae* invenire possumus, quae suis iam literis te vocat. Etsi autem accepi tuam responsioem, tamen necessarium esse censui, exhiberi tibi Senatus Epistolam. Meminimus et Reverendus D. *Sneppius* et ego, audire nos *Augustae* multorum civium disputationes de multis rebus, quae ostendebant initia doctrinae inerudite eis tradita esse. Iudex improbabat morem strangulandi fures, et strangulabat tamen. Et possem alia maiora recitare. Ideo valde opto, ut ad hanc instaurationem habeant doctores idoneos, Ut scis dici, ἀρχὴ ἥμισυ παντός. Non hoc mihi sumo, ut me vestris deliberationibus ingeram, tantum oro, ut si ipse proficisci in patriam non voles, viros idoneos nobis indices. Exempli causa plurimum refert, etiam Ecclesiam in ea Urbe recte constitui. Bene vale. Die 13. Novembris.

Philippus.

---

**No. 5263.** 13. Nov.

## *E. Schnepfio.*

Epist. lib. II. p. 117. (ed. Lond. lib. II. ep. 105.).

*Doctori Erhardo Schnepfio*

S. D. Reverende vir et amice charissime, Quod non scribo saepius, tantum tribuito meis vel occupationibus vel aerumnis. Nam profecto quotidie tecum colloqui cupio, non de populi fabellis, sed de gravissimis doctrinae Ecclesiasticae controversiis. Ac scripsi quaedam, quae tibi iudicanda mittam. *Stancarus*, quem vidisti *Ratisbonae*, valde contumeliose in multos debacchatur, ait non recte intelligi doctrinam de tribus Personis. Adferet, opinor, aliquid ex *Rabinis.* Nam alioqui nihil habet literarum. Contendit Christum esse Mediatorem tantum secundum naturam humanam. Etsi scis in tertio libro *Longobardi Dist.* 19. quaedam in eam sententiam dici: tamen ibidem dicitur Christum redemptorem dici secundum utramque naturam. Et sacerdos haud dubie est ingrediens in sanctum sanctorum, id est, in arcanum consilium divinitatis, non tantum φύσει ἀνθρωπίνῃ. Sacerdos autem Mediator est, ut docet Epistola ad *Ebraeos.* De talibus rebus prodesset multos saepe amanter colloqui. Sed, o rem miseram! accedit nobis ad caeteras calamitates haec quoque, quod congressus etiam temporum difficultatibus impediuntur. *Marchio Elector* vocaverat D. *Pomeranum* et me ad hanc *Stanckari* disputationem, sed iter nostrum graves causae impedierunt *). Te oro, ut mihi tuum iudicium significes, de illo *Longobardi* dicto de Mediatore, quod quidem *Bonaventura* quasi corrigit, qui dicit aliud esse medium, aliud Mediatorem. *Augustanus* tabellarius adfert ad vos literas. Etsi autem fortassis migrare istinc non voles: tamen optarim te aliquot mensibus *Augustae* esse, ut Ecclesia tuis consiliis initio constitueretur. Oro autem Filium Dei, ut et haec vestra consilia regat, et Ecclesiam sibi in *Germania* ubique colligat. Bene vale. Die 13. Novembris.

---

**No. 5264.** 13. Nov.

## *Io. Stigelio.*

Danz. epp. ad Stig. ep. 46. Cod. Goth. 188. ep. 120.

*Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, amico suo carissimo,* S. D.

Pastor Aristaeus divina gloria ruris
Sit salvus, patriis et paoem reddat in oris.

Hinc enim ordiri libet, ut intelligas, tuum mihi munus gratum esse. Etsi autem nostri libelli squalidi et sordidi sunt, tamen cum primum accepero exempla scripti περὶ ψυχῆς, quae iam eduntur, tibi mittam qualecunque ἀντίδωρον; prae-

---

*) Vid. epp. d. 8. Oct. 1552.

sertim cum vestibulum ibi tuis optimis versibus ornaverim [1]), quibus invitas iuventutem, ut discat initia descriptionum membrorum humani corporis. *Anglum* scito honorifice de vobis loqui; fortassis, cum vidit iam nostram paupertatem, minus aspernatur vestros apparatus, *Ἀκούω εἶναι δύνατον καὶ πλούσιον ἐπίσκοπον*, etsi mihi nondum sese aperuit. Has literas Augustano tabellario dedi, qui narrat, non procul a *Metensi* urbe et *Caroli*, et *Marchionis* exercitus esse. Sed nos fortassis certiora habetis. Bene vale et rescribe, die 18. Novemb. — Quaeso, ut *Vito* des epistolam tuae inclusam [2]).

Philippus Melanthon.

---

No. 5265. 18. Nov.

## (*N. N.*)

† Ex autographo Philippi in cod. Rehd. Vratisl. Vol. V.

*N. N.* (Folium, ubi inscriptio epist. erat, abscissum est in autographo.)

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Saepe in magnis doloribus de filia cogitavi, *στοργὰς* ideo nobis insitas esse, ut sint commonefactrices de deo, et haec ipsa mihi cogitatio dolorem leniit. Existimo, te similibus remediis in tuo luctu uti. Scio enim, tibi viro docto et sapienti hos fontes consolationum non inanium notos esse. Ideo hactenus in literis meis nihil de eis scripsi. Nunc tua epistola occasionem praebuit huic brevi commemorationi, quam spero tibi non ingratam fore. Mitto tibi carmen de *Marcello* *) nostro, quod, etsi versus non sunt nitidi, tamen adparet scriptum esse ab homine candido, ideo lectionem eius tibi non ingratam fore sperabam. Wittebergae ante biduum fui, ut *τὸ σύγγραμμα περὶ ψυχῆς* absolverem. Ibi etsi adhuc vagantur contagia luis, tamen minus crebra funera sunt, *Bernhardus* ille clamosus et lusciosus decessit placide post mortem coniugis et filii. Nunc aegrotant filius grandior et filia. Sumptus eis praeberi iussi. Quod epistolam nostram in aula exhiberi curasti, habeo tibi gratiam. Unica epistola communi responsum est, cui etsi aliquid salis adspersum est, tamen *στέργειν αἱ πάθαι καὶ ὁ χρόνος με διδάσκει*, ut Sophocles tuus inquit *). Sed hodierna lectio Evangelii me admonuit de dicto Nazianzeni:

> *εἰ οἶδας ὀφλεῖν καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον*
> *οἴκτῳ γὰρ οἶκτος καὶ θεῷ σταθμίζεται.*

Id optarim et alios cogitare. Deo noti sunt dolores nostri, cui nos commendo. Reverenter dices salutem clariss. D. *Pontano* et *Cunrado*. De reditu nondum deliberare possumus. Et ego adhuc filiae partum expecto, quam Deus adiuvet et servet et gubernet. Exempla *περὶ ψυχῆς* mittam vobis. Bene vale. 18. Novembr.

Philippus.

1) „Io. Stigelii Elegia de utilitate doctrinae de fabricatione humani corporis" legitur in editione libri de Anima, quae a. 1552. prodiit, statim post epistolam nuncupatoriam ad Baumgartnerum iuniorem.

2) Non anno 1548., ut Danz. putavit, sed anno 1552. scripta est haec ep. Caeterum Danz. huic epistolae addidit postscripta de morte filii Viti Winshemii, quae leguntur in ep. d. d. 29. Septb. h. a.

*) Legitur carmen Laurentii Span in obitum Io. Marcelli in Scriptis publ. T. I. p. 390. Mortuus est Marcellus d. 26. Dcb. 1551. Nescio igitur an non aliud carmen hic intelligendum sit, quum satis sit manifestum, epistolam non anno 1552. scriptam esse hoc tempore.

*) Sophocl. Oed. Col. 7.: *στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με, χὠ χρόνος ξυνὼν μακρὸς διδάσκει.*

---

No. 5266. 16. Nov. (Torgae.)

## *Laur. Mollero.*

Epist. lib. V. p. 465 sqq.

*Laurentio Mollero* (*Hildesiae docenti Evangelium*).

S. D. Doctissime vir, et charissime frater. Saepe laudo consilium Claudiani, qui inter multas Theodosii virtutes hanc quoque diserte recenset, quod non fuerit suspicax. Est omnino in Principe salutare, *οὐκ εἶναι καχύποπτον*. Sic enim Plato loquitur. Sed tamen et in privatis idem decus laude dignum est. Cumque sciam, tui pectoris candorem esse eximium, iudico, te quoque minime suspicacem esse. Quare etiam siquando non respondeo, quamvis aliam causam potius cogites, quam voluntatis mutationem. Erit inter nos, Deo iuvante, amicitia aeterna, qua in coelesti Ecclesia dulcius fruemur. Nunc enim in his et publicis et privatis aerumnis saepe impediuntur usitata amicorum officia. Senex ille *γραμματοφόρος*, qui ex haereditate quadam petebat *ῥᾴστα*

τινα, occupatus illo suo negotio, ad me non rediit. Nunc mense Novembri accipio epistolam tuam scriptam in Septembri. Post id tempus quae acciderint in Saxonia, non opus est, ad te scribi, Gallica potius recitabo.

*Carolus* Imperator cum exercitu suo non procul abest a *Metensi* urbe. Est et in vicino oppido Tullio *Marchio Albertus.* Leve praelium commissum est, in quo circiter duo millia Italicorum seu Hispanicorum militum interfecta sunt. Haec recens narravit mihi Augustanus tabellarius, qui huc literas attulit, quibus Senatus *Augustanus* accersit aliquot viros doctos, ut ibi Ecclesiam instaurent. Nam Carolus Imperator concessit, ut Ecclesiae ibi ad normam confessionis nostrarum Ecclesiarum constituantur. Spero, exemplum profuturum esse. Et utinam sit simile Cyri edicto, quo templi instauratio mandata fuit. In Pannonia aliquantisper repressi sunt Turcae. Nunc audio, redire Saxonicum Electorem, qui ibi non sine periculo dimicavit.

Mihi ad Baltica certamina accedit nova molestia. *Stancarus* ad Viadrum mihi et multis aliis bellum infert. Quales sint futurae ineptiae, videbimus, cum prolatae, fuerint, ἀλλὰ δοκεῖ ὄνος φέρων μυστήρια. Ego recens edidi τὸ σύγγραμμα περὶ ψυχῆς, aliquanto emendatius scriptum mittam exemplum alias. Nondum enim Typographi huc Argeliam miserunt. Nunc pertexo *germanicam editionem Locorum Theologicorum,* quam emendari oportuit, quia interpretatio germanica saepe deerraverat a sententia latina. Bene et feliciter vale, et rescribe. Die 16. Novemb. Argeliae.

Philippus.

---

No. 5267. 17. Nov.

## Io. Praetorio.

† Ex apogr. cod. Goth. 188. ep. 55.

*Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, Ioanni Praetorio, Docenti Evangelium in Ecclesia Dei in inclyta urbe Vratislavia, amico suo,* S. D.

Venerande vir et cariss. amice. Saepe hoc cogitavi, Deum in hac ultima senecta mundi, ruentibus regnis, collocasse Ecclesiam singulari consilio in urbes ἀριστοκρατικὰς, ubi et hospitia durabiliora et honestiora habitura videtur, quam sub principibus, quorum regiones Turcicis et civilibus bellis vastabuntur. Quare et te et tuos collegas propter filium Dei obtestor, ut eo maiore studio et pium consensum et concordiam tueamini. In his publicis miseriis saepe mihi lenitur dolor, cum urbes ἀριστοκρατικὰς, quae adhuc sunt disciplinae et doctrinae mediocria domicilia, aspicio. *Carolus* Imp. iam concessit Augustanis, ut Ecclesiam instaurent ad normam confessionis Ecclesiarum nostrarum. Spero exemplum profuturum multis urbibus et gentibus. Bene vale. Salutem opto reverendo D. *Moibano, Winklero, Adamo, Sagero,* et caeteris amicis. d. 17. Nov.

Philippus.

---

No. 5268. 18. Nov.

## Georgio Pr. Anhalt.

Epist. lib. II. p. 268. (ed. Lond. lib. II. ep. 262.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime et Reverendissime Princeps, Cum ante octiduum *Witebergae* essem, attulit ad me literas C. V. *Simon*, qui vocatus est ad Ecclesiam *Mersburgensem.* Hunc iam spero ad C. V. venisse cum meis literis. Vir honestus et eruditus est, et spero fore organum salutare Ecclesiae, ac Filium Dei oro, ut nos omnes gubernet. Quam primum rediero *Witebergam*, accedam ad Celsitudinem Vestram, ut de *Stancari* disputationibus et aliis colloquamur. Adferam etiam ea, quae de illis materiis in schola publice tradidi. Historica quae nunc habui scripsi in pagella. Bene valeat C. V. Die 18. Novemb.

---

No. 5269. 19. Nov.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 267 sqq.

*Georgio Buchholzero, Praeposito Berolin.*

S. D. Reverende vir, et amice charissime: Ideo Deus inseruit humano generi στοργὰς, id est amo-

rem erga sobolem, ut sint commonefactiones de amore in ipso erga filium, et erga nos. Ac saepe magnam mihi consolationem attulit haec cogitatio, consideranti: sic nos a Deo diligi, sicut nos ipsi sobolem diligimus. Quod igitur paterno dolore lugetis filium, praesertim ingeniosum [1]), pietas est. Sed vult Deus utrunque: et adfici nos dolore ac desiderio nostrorum, et tamen moderari hunc dolorem: praesertim cum pii non moriantur casu, et vocentur ad coelestem Ecclesiam. Obtemperate igitur Deo, et cogitate filium iam frui vera beatitudine coram sapientia Dei. Scio fuisse mentem in eo ardentem fide et luce agnoscente filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, et mores erant sine turpitudine. Quod autem visus est minus obsequens, aetatis et naturae haec erant, quae dedita poeticis studiis, nolebat haec impediri aliis negociis. Sed mihi saepe dixit, se Deo in scholis aut in ministerio Evangelii serviturum esse. Et ut videtis, ante mortem et in scholis, et in Ecclesia docuit. Rursus igitur eum complectemur in coelo, aliquanto post: et ipse vicissim tibi patri gratias aget, quod ad agnitionem et invocationem veri Dei, teneram ipsius mentem instituisti. Hac spe futurae consuetudinis leniamus dolorem. Amisi et ego hoc anno amicos aliquot, et discipulos, quorum fuit excellens virtus. Nec disputate vobiscum de commoratione filii, cum manserit ut Ecclesiam desertam doceret: manerem et ipse tali loco et tempore. In *Abrahamo* videtur mihi indoles mitior esse: hunc curate in studiis philosophicis et doctrina Ecclesiae diutius exerceri: quem spero vobis voluptati, et Ecclesiae usui fore. Et filium Dei oro, ut ipsum et totam vestram domesticam Ecclesiam servet incolumem.

Trado iam in praelectionibus considerationem de Mediatore, propter *Stancari* disputationem. De *Osiandro* etiam ex Vratislavia ad me scriptum est: utinam hoc brevi curriculo in littore Baltico foelicius usus esset [2]). Quid enim illustravit? Ac potius mentes abduxit a conspectu meriti ac obedientiae filii Dei, et fidem noluit esse fiduciam misericordiae. Sed haec alias.

Historica de bellis, notiora sunt vobis quam mihi. Ante triduum literas accepi, in quibus mihi significabatur, *Marchionem Albertum* reconciliatum esse Imperatori *Carolo* [3]), et ducere exercitus partem contra Gallos.

In *Ungaria* Turci propter pestilentiam iam quiescunt, quae inter ipsos etiam grassatur. Oremus Deum, ut ipse pro Ecclesiis Pannonicis et nostris pugnet: quia videtis qualia gerant bella nostri bellatores. Servabit filius Dei reliquias Ecclesiae suae: et ut servet, toto eum pectore oro. Bene et feliciter valete, Die Elizabetae, matronae Pannonicae, 1552.

1) Noham Buchholtzerum.

2) Mortuus est mense Oct. 1552.

3) Id evenit mense Oct. 1552. Vid. Sleid. p. 789.

---

No. 5270. 21. Nov.

## Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 47. Cod. Goth. 188. ep. 140.

*Clarissimo viro, felicitate ingenii, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ, fratri suo cariss.* S. D.

Cariss. frater. Etsi felicissime florere doctrinae studia ubique opto, tamen non hoc mihi sumo, ut deliberationi vestrae de doctore Mathematum me ingeram. Sed cum antea ad te de *Michaële Neandro* scripserim, et hic iam in Prussiam accersitus sit, decrevit ad vos proficisci, ut audiat, qui spei sit. Mallet vobiscum, et quidem tecum vivere, vel tenui stipendio, quam apud Hyperboreos illos, ubi nec morbos, nec aerumnas ullas esse, vetustas fabulata est. Latine et graece praeclare doctus est, et Mathemata recte docere poterit, eoque in genere, spero, artificem fore, si in Academiis manserit. Consulendum est autem hac in re et posteritati. Nec dubium est hunc *Michaëlem* antecellere Argentoratensi illi, qui suam operam antea vobis obtulit. Quaeso igitur, ut voluntatibus collegarum, et eorum, qui haec consilia gubernant, exploratis, amanter ei respondeatis. Carmen tuum remitto, in quo non solum splendorem tuum, qui mihi notus est, miratus sum, sed etiam tui animi magnitudinem, quod tantum opus, in quo tota rerum natura complectenda est, instituisti. Cum autem otii minus esse tibi sciam, quam, quantum huius operis magnitudo postulat, optarim te Fastos inchoatos absolvere, et vel mensem unum atque alterum edere

initio, ut specimen operis cernerent eruditi. Nec tibi defuturus est *Paulus* in annotandis siderum ortibus et occasibus, etsi nunc in recenti editione Calendarii iam habes annotatos. Si et me voles aliquid annotare de ordine doctrinae Christianae, mittam, quandocunque voles. Spero autem, te aliquanto post etiam laeta Fastis intexere posse. Ordiri autem commodissimum esset a verno aequinoctio, videlicet a mense Martio, ubi rerum creationem describeres, quae nullius carmine splendidius, quam tuo narrari potest. Tuo cognato dedi literas ad Comitem *Suarzburg* et ad Cancellarium. Reverendo viro, D. *Sneppio* et D. *Victorino* salutem opto, et scribam alias. Bene vale. 21. Novemb.

Philippus.

---

No. 5271. 25. Nov. (Torgae.)

## G. Hausmanno.

Epist. lib. II. p. 296. (ed. Lond. lib. II. ep. 302.).

*Guilhelmo Hausmanno, docenti Evangel. in inclyta urbe Augusta,*

S. D. Charissime *Guilhelme*, Hanc Epistolam scripsi die 25. Novembris, quo *Maccabaeus* ante annos 1714 repurgato templo Encaenia instituit. Dies igitur me commonefaciebat, ut de vestris Encaeniis cogitarem *ἐντενέστερον*, quae ut sint foelicia, faciat Filius Dei, qui nunc quoque gubernabit et servabit reliquias Ecclesiae suae. Hunc Magistrum *Georgium Melhorn* commendavi senatui, quem deduces ad virum Clarissimum *Henzelium*, et ad eos, quibus exhibendae sunt literae ad senatum scriptae. Tuas literas quotidie expecto, nec dubito te scripsisse, cum scias multum referre me scire initia instaurationis Ecclesiae vestrae. Bene vale et saepe ad me scribito. Die 25. Novemb.

---

No. 5272. 25. Nov.

## B. Hencelio.

Epist. lib. II. p. 317. (ed. Lond. lib. II. ep. 323.).

*D. Iohanni Baptistae Hencelio, Consuli August.*

S. D. Clarissime vir et patrone colende, Tuas literas quibus additum erat *Romanum* carmen, primum in fine Novembris accepi. Legens carmen cogitavi de communi hominum infirmitate, ut scripsi alicubi *):

*Οὐ τύχαι ἀνθρώπων τῷ δ' ἐν βίῳ ἔμπεδοί εἰσι,*
*καὶ φεύγουσιν ἀεὶ ὡς ἀμένηνον ὄναρ,*
*ἀλλὰ θεοῦ ἔλεος τοῖς εὐσεβέουσι βέβαιον,*
*τούτῳ πιστεύειν χάρμα βροτοῖσι μόνον..*

Petamus igitur ut Deus et gubernet nos, et leniat nobis et omnibus eum invocantibus publicas et privatas calamitates. Oremus etiam ut Monarcharum pectora flectat ad suam et publicam salutem. *Davidi* mittam literas, etsi ipsum a Rege *Danico* accersitum esse scio. Quid vobis responderint *Schnepfius* et *Victorinus* scire cupio. Hunc *Georgium Melhorn* virum honestum et eruditum Senatui commendavi; te quoque oro, ut eum complectare; spero usui et ornamento fore Ecclesiae Dei. Multum mea refert scire qualia sint initia instaurationis Ecclesiae vestrae. Quare mihi quamprimum significari velim ea quae literis digna esse iudicabitis, ac Filium Dei oro, ut vos et Ecclesiam in urbe vestra et politiam gubernet. Scripsi hanc Epistolam die 25. Novemb. quo Encaenia ante annos 1714 *Maccabaeus* instituit repurgato templo. Cogitabam igitur *ἐντενέστερον* et de vestris Encaeniis, quae utinam sint felicia. Salutem opto D. *Hieronymo* et *Cypriano*.

---

No. 5273. 25. Nov.

## G. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 373 sq.

*Reverendo viro, domino Georgio Buchholtzer,*

S. D. Reverende vir, et charissime frater: Scripsi D. doctori *Musculo*, qui mecum expostulavit: optare me, ut harum regionum Ecclesiae tranquillae sint, nec me moturum esse certamen: ac de

*) Vid. epigrammata Melanthon p. 127.

illis ipsis propositionibus, quas edidit, hortatus sum, ut iudicia audiat Brunsvicensis et Parthenopeae Ecclesiae. Certissimum est, Stoicam et Manichaeam ἀνάγκην contumeliosam esse contra Deum, et perniciosam moribus. Ideo si mihi vel ipse vel alii bellum intulerint, pie et modeste respondebo. Mitto tibi exemplum de controversia *Osiandri*, quod volo te legere ut censorem, et mihi iudicium tuum significare *). Oro etiam, ut illustrissimo *Electori*, et viro clarissimo D. *Agricolae* et *Bottichero* exempla des ipsis inscripta.

Hac hora literas ex Vratislavia accepi, in quibus scribitur, recens Turcos abduxisse magnam multitudinem hominum in Pannonia. Mater fortiter praelians recepit duos filios: et quamquam dextra ei praecisa est, tamen evasit cum filiis, et rediit in patriam. Bene vale. Die Encaeniorum, quae fuerunt 25. Novembris, qui dicebatur *Kisleu*, id est, *Orionius*. Haec vera etymologia est.

---

**No. 5274.** 26. Nov. (Torgae.)

## *Ge. Fabricio.*

Epist. lib. V. p. 410 sq.

### *Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misn.*

**S. D.** Doctissime vir, et charissime frater. Cum in locis non procul dissitis simus, colloqui saepius nos oportebat, praesertim in hac temporum moestitia, in qua lenitur dolor consuetudine et sermonibus amicorum. Sed mihi aliquanto minus otii existimo, quam tibi est. Aliquandiu enim occupatus fui *Augustanae* Ecclesiae negotiis, et retexui τὸ σύγγραμμα τῆς ψυχῆς, ac nunc *Stancarus* nobis bellum infert, ὄνος φέρων μυστήρια. *Osiander* ex acie excessit [1]), hoc est, ex hac vita. Intumuerat ei corpus hydrope. Postea secuta apoplexia extinxit eum. Utinam rectius usus esset tam brevi curriculo in Baltico littore. Nuper, cum de *Siclo* dicendum esset, feci in lecto versiculos de figuris, quae Siclo Ebraeo insculptae fuerunt. Nam in altero latere fuit virga Aharon, in altero calix turis, ut significaretur, in illa unica gente veram de Deo doctrinam esse et veros cultus. Etsi sum ineptus, quod tibi meos versus mitto, nisi tamen, ut, siquando libet, eodem argumento facias meliores, et Siclum mittam, cum habebo. Bene vale. VI. Cal. Decemb.

---

**No. 5275.** 28 Nov.

## *Ge. Buchholzero.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

### *Ad G. Buchholzerum.*

**R**everende vir et amice carissime. Quod filius Dei in agone suo precatus est, ut faciat aeternus pater, ut in ipso unum simus, idem semper precatur. Ideoque etsi magnae fiunt dilacerationes, tamen lucem veritatis et pium consensum in aliquibus conservat; ac, ut mentes nostras regat, ut nos quoque veram doctrinam propagemus, et ut multorum sit pia concordia, toto eum pectore oro. Sit etiam studium multis aggregandi se ad recte sentientes, nec quaerantur paradoxa ostentatione ingenii. Ego cum esset magna opinionum confusio, simplici animo quaesivi explicationes planas et perspicuas, ac meae voluntatis testis est Deus. Deinde quales in inspectione Ecclesiarum ineptias invenerimus, meminit vir sapiens et Deum vera fide et invocatione colens, dominus doctor *Hieronymus*. Has cum emendare studeremus, tunc quoque colaphos accepi, ut postea saepe alii in me incurrerunt. Tandem *Osiander* tantum adversus me veniri evomuit, quantum diu iam ardens odio collegerat, quia taxavimus quaedam eius deliramenta. Nunc si me *Stancarus* adorietur, mihi nihil novi accidet, et primum Deo, deinde Ecclesiae iudicio commendabo quicquid disputabitur: nondum enim scio, quid velit reprehendere. De sublimi nos omnes despicit, quod facile fero; sed in eius scriptis quid tantum sit eruditionis et nervorum iudicabunt pii lectores.

De propositionibus, de quibus est certamen apud vos, existimo etiam *Musculum* nobis non adversaturum esse. Nemo unquam in Ecclesia dixit: naturam divinam in Christo mortuam esse; neque sic loquuntur scriptores: Christus secun-

---

*) Edidit a. 1552.: „Antwort auf das Buch Herrn Andreä Osiandri von der Rechtfertigung des Menschen.

1) Andreas Osiander 17. Octob. a. 1552.

dum naturam divinam et humanam mortuus est, etiamsi communicatione Idiomatum recte dicitur: Christus est mortuus, Deus est mortuus. Ac verba Athanasii illustria sunt in lib. de incarn. verbi pag. 28. in edit. Colon.: cum non esset possibile ipsum verbum mori, quippe immortale, Patris filius corpus sibi, quod mori posset, assumpsit etc. Id per inhabitans verbum incorruptione restitutum est etc. Et simul vera est propositio: Christus est mediator secundum utramque naturam; sicut haec vera est: Christus est sacerdos secundum utramque naturam; sicut expresse dicitur in Ep. ad Ebraeos, quae promiscue utitur appellatione sacerdotis et mediatoris. Testimonia et causas colligam in scripto, quod mox edam cum domum rediero. Certe Christus in quantum mediator etiam invocandus est. Ideoque quotidie in mea invocatione dico: fili Dei, domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, miserere mei, et intercede pro me apud aeternum patrem, et sanctifica me spiritu tuo sancto.

Libri duos mihi missos inspexi, et remitto vobis per vestrum tabellarium, ac vobis gratiam habeo, quod de his tantis rebus quid ageretur mihi significastis. Filio curabo epitaphium scribi, et componam ipse aliquid. De republica nihil novi audio, nisi hanc narrationem, Marchionem *Albertum* rursus coniunctum esse cum Carolo Imp., et recens trucidasse trecentos gallicos equites. Magni sunt in Imperiis et in Ecclesiis tumultus. Nos filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, oremus, ut ipse, quia ideo assumpsit humanam naturam, ne tota periret, nobis adsit, nos regat, et det salutarem gubernationem Ecclesiae et Imperiis. Bene et feliciter vale. Die 28. Novembris 1552. Salutem reverenter opto viro Clariss. d. d. *Hieronymo* et honestae matronae, filiae.

Phil. Mel.

---

No. 5276. 10. Decb. (Torgae.)

## *Senatui Augustano.*

Edita in *Schelhornii* litter. Ergötzlichk. P. II. p. 715. (*Dans.*)

### An den Rath zu Augspurg.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heyland und wahrhaftigen Helffer, und ein neu fridlich selig Jahr zuvor. Edle, Ernfeste, Weise, Fürnehme, Günstige Herren! Ich hoffe, es sind nunmehr beede Magister **Petrus Kezmann** und Magister **Georgius Melhorn** mit Gottes Hülff zu **Augspurg** ankommen, welche von wegen ihrer Tugend, Lehr und Alters wohl zu gebrauchen seynd. Zeiger aber dieser Schrift ist **Stephanus Agricola**, des Erwürdigen Doctoris **Stephani Agricolä**, etwa Predigers zu **Augspurg**, Sohn, und ist zu Augspurg geboren, und ist Gottsfürchtig, wohlgelehrt, verständig, fridliebend und mit vielen schönen Tugenden geziert. Dieweil denn sein lieber Vater seeliger Christliche Lehr in euer Kirchen bey den ersten treuelich gepflanzt hat, und er zu Augspurg geboren ist, hat er sich auf meine Vermahnung, dem Vaterland zu dienen, erboten. Nun zweifel ich nit, Euer Ernfest, und E. Weißheit werden befinden, daß Verstand und Tugend in ihm ist: darum hab ich ihm Schrift geben, und bitt Ew. Ernfest und E. Wt. wollen ihn hören, und neben andern zum Predig-Amt gebrauchen, darinn er mit Gottes Hülff treuelich und seliglich dienen wird. Der allmächtig Gott, der ihm wahrhafftiglich eine ewige Kirche im menschlichen Geschlechte durch sein Evangelium sammlet, wolle Eure Stadt und Kirchen gnädiglich regiren und Euer Ernfest und Wt. und die Euren allezeit bewahren. Amen. Datum am zehenden Tag Decembris A. 1552. zu Torga.

Euer Ernfeste und E. Weißheiten
williger Diener
Philippus Melanthon.

---

No. 5277. 11. Decb. (Torgae.)

## *B. Hencelio.*

Epist. lib. II. p. 318. (ed. Lond. lib. II. ep. 324.).

*D. Iohanni Baptistae Hencelio*

S. D. Numeri sunt *Graeci* Poetae, sed sententia multo ante divinitus tradita est:

*Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷϊα, δυσσεβέων δ᾽ οὔ.*

Quam sententiam expressit *Psalmus* his verbis, *Generationi rectorum benedicetur.* Eius promissionis divinae exemplum videmus et in posteris *Stephani Agricolae*, cuius fuit eximia pietas, ut

*Augustae* multi norunt. Dedit ei filium *Stephanum*, cuius excellens est ingenium et eruditio, quae usui esse Ecclesiae potest. Huic *Stephano Agricolae* hortator fui, ut ad vos proficisceretur, quem tibi commendo. Novi eius genesin, naturam, studia, mores. Scio te et alios prudentes, ubi consideraveritis eum, idem iudicaturos esse, quod ego iudico, honestum hominem esse, et usui et ornamento eum Ecclesiae Dei esse. Quare vestrae eum Ecclesiae servire optarim, teque ut eum complectaris oro. Bene et feliciter vale. Die Brumae.

---

No. 5278. 11. Decb.

## (*Collegis.*)

† Ex autographo Mel. in Biblioth. Norinb.

(*Invitatio ad coenam, Vitebergensibus doctoribus, ut videtur, scripta ab iis Magistris, qui Torgae erant.*)

**S. D.** In Argonautico carmine laudata est hospitalitas gentis Mysorum. Hanc et nos hic *) publice et privatim experti sumus, et Deo iuvante vicissim grati erimus erga hoc oppidum. Ut autem hanc voluntatem nostram his, qui praesunt, exponamus, aliquos ad crastinam coenam vocavimus, ad quam ut vos quoque veniatis oramus. Nihil est coniunctione eruditorum dulcius, et hanc notam esse aliis prodest. Bene valete. Die undecimo Brumae.

Vicerector
*Paulus Eberus.*

---

No. 5279. 11. Decb.

## *A. Hardenbergio.*

Epp. ad Hardenberg. ep. 56.

*D. Alberto Hardebergio.*

**S. D.** Reverende vir et carissime frater. Nomen *Stancari* te audisse opinor. Italus est et linguam Ebream praeclare didicit: aliarum literarum atque artium rudis est: et natura contentiosa et cavillatrix est, ac stolidissime defendit τὴν ἀρτολατρείαν. Is gloriatur se collegisse aliquot centurias errorum in meis scriptis. Cum proferet iudicabunt eruditi. Nam ego nondum scio, quid reprehendat. Tantum hac de re iam vociferatur. Non vult dici Christum Mediatorem secundum divinam naturam et humanam. Sed contendit Mediatorem esse tantum secundum naturam humanam. Scis in 3. lib. sentent. distinct. 19. hac de re disputari. Quaeso significes mihi tuas cogitationes. Vetustas quomodo locuta sit non ignoras. Apud Epiphanium est illustris locus pagina 488. in graeco textu.

Concinit huic sermoni sanctus Apostolus Paulus dicens: Unus Deus, unus etiam mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus. Qui non rapinam arbitratus est esse, sed seipsum inanivit, forma servi assumta. Vides quod hominem ipsum pronunciavit, sed non nudum. Mediator enim Dei et hominum est, quod iam in medio utrorumque est, ad Patrem quidem suum Deus existens natura genuinus, genitus: ad homines vero homo naturalis, genuinus, ex Maria citra semen viri genitus. Sic enim est mediator Dei et hominum, Deus existens et homo factus, non mutatur naturam, sed secundam utraque ad ambo medius existens.

Nec vero in his suffragationibus tantum acquiesco. Sed fundamenta considero: Mediator est et Deus et homo, et ut possit sustinere poenam et vincat, et sit aequivalens precium. Et sic invocamur Christum Mediatorem. Et suffragatur nobis Epistola ad Ebreos. Peto ut rescribas. De vaticinio, quod meo nomine circumferri scribis, risi et vanitatem eorum, qui spargunt: et credulitatem eorum, qui has nugas audiunt. Genus sermonis testatur illam praedictionem, quam misisti, a me non esse scriptam. Sed aliam scripsisse multi norunt, in qua praedixi non fore diuturnum foedus gallicum. Id eventus comprobavit. Scis me abesse a bellorum consiliis. Quanquam enim scio, aliqua esse iusta bella: tamen quales habeamus Duces et Milites experti sumus. Oro filium Dei, ut Ecclesiam suam regat et protegat. Bene vale, die Brumae, Torgae. Salutem opto nobis omnibus, *Medmanno* et *Nicolao* et aliis amicis.

Philippus.

---

*) Torgae, ubi a mense Iulio ad Decembrem doctores Vitebergenses degebant propter pestem, a qua Viteberga vexabatur.

*Cogita.*

Filius Dei λόγος dicitur, quia sic patefactus est, quod in creatione per eum ut λόγου res conditae sunt, et in reconciliatione per eum patefactum est decretum redemtionis et restitutionis. Sed est imago totius patris. Non sunt autem imago integra patris illa decreta creationis et reconciliationis. Item cum liberrime conditum et receptum sit genus humanum, non satis est docere, filium esse illa decreta, quia filium esse semper, necessarium est. Item, usitate dicitur: simul esse personas tres in sanctis. Quaero quo ordine? Augustinus ait, Quotidie mitti filium in corda sanctorum. Suntne filii et spiritus sancti distincta officia? Aliquid de hac re, in primo sentent. distinct. 15. dicitur. Et Athanasius expresse ait: Quoties dicitur in aliquo esse Spiritus sanctus, intelligitur et ibi esse verbum, per quod datur Sp. S. Et te persona loquitur, non tantum de dono. *Stancarius* in Academia Francofordiana movit certamen, et contendit Christum tantum esse mediatorem iuxta humanam naturam. Etsi sunt quaedam talia dicta in Longobardo, tamen nos pronunciamus, tres esse gradus Idiomatum: Quaedam soli naturae divinae competunt, ut non mori; Quaedam soli humanae, ut posse mori, lacerari; Quaedam toti personae, ut esse mediatorem et sacerdotem. Mediator autem esse non posset, si homo tantum esset. Quia mediatorem oportet talem esse, qui exaudiat, videat corda, Patris et nostra, Quaeso cogites et rescribas.

---

No. 5280. 11. Decb.

## Hier. Baumgartnero.

Edita e cod. Norimb. in *Strobelli* Beyträgen zur Literat. II. p. 126.

*Clarissimo viro, sapientia, eruditione et virtute praestanti D. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae, amico suo carissimo,*

**S.** D. Est omnino Dei donum concordia docentium et gubernantium. Sed tamen et nostri officii est, collegas amanter monere. Scripsi igitur ad *Culmannum*, ne certamina moveat. Et fortassis aliqui lecta nostra epistola erunt constantiores, aut etiam habebunt δευτέρας φροντίδας. Tibi autem mitto epistolam meam prius legendam, ut iudices, an sit exhibenda.

Mitto et exemplum novae editionis libri de Anima, in quo praefationem ad filium tuum scripsi, ac oro filium Dei, ut te et tuos servet. Hi nostri labores fortassis satis refutabunt *Osiandri* calumnias, ac ostendent honestis nostram voluntatem in iuvandis studiis dicentium honestam et fuisse et esse.

De bello Saxonico tantum haec scimus, Comitem *Volradum* occupasse fere totam ditionem *Lycaonis*, ipsum *Lycaonem* abiisse ad Caesarem aiunt. Quid postea moturus sit *Volradus*, variae sunt narrationes. Nos praesidia humana nulla habemus, ac filium Dei oramus, ut servet Ecclesiam suam, et nos in ea.

Mitto tibi fasciculum literarum, quas Anglus quidam *Sturmio* scripsit. Quaeso, ut per tabellarios forte oblatos Argentoratum mittas. Bene et feliciter vale. Die Brumae.

Philippus.

---

No. 5281. 11. Decb.

## L. Culmanno.

Edita ex apographo a *Strobelio* in s. Beyträgen zur Litteratur, II. p. 127.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. (Leonhardo) Culmanno, docenti Evangelium in Ecclesia Dei in inclyta urbe Noriberga, amico suo,*

**S.** D. Reverende vir et amice colende. In itinere meo anno superiore, cum dolores non mediocres animo circumferrem, hoc tamen mihi valde iucundum erat, quod cum in aliarum urbium Ecclesiis, tum vero in vestra et pium consensum esse docentium animadverti, et vidi in publica precatione magnam populi frequentiam, et alia pietatis exercitia. Haec bona summa esse scimus, quae tuenda sunt, etiam cum alia commoda corporum pacem aut facultates amittimus. Vera enim levatio est dolorum, acquiescere in Ecclesia, tanquam in portu, cum vocem divinam audimus, et preca-

tione animos erigimus. Delectatus sum etiam tuo et aliorum docentium congressu, ut non obscure animadvertere potuisti. Etsi autem non dubito tuo iudicio tuaque voluntate libenter te Ecclesiae vestrae concordiam tueri, tamen postquam Balticis libellis semina discordiae sparsa esse audivi, amanter te orandum esse censui, ne certamina moveas, quae Ecclesiae vestrae tranquillitatem et piorum invocationem turbare possent. Multa sunt in illis paradoxis vel aenigmata, vel sophistica, quae populo nihil prosunt, etiamsi leniantur interpretatione, quale hoc est, quod contendit illa gorgo, non recte dici: Deus vivificat renascentes, sed vult dici: Deus est ipsa renascentium vita. An non vult distingui inter creatorem et vitam creatam? aut vult Deum tantum esse Stoicam ἐνδελέχειαν? Fac hoc leniri posse commoda interpretatione, (nam et ego ista pharmaca novi); sed quid prodest populo turbare res recte traditas? Sunt autem alia, quae ne possunt quidem leniri, quale hoc est: ante annos mille quingentos factam esse remissionem, sed nunc illabi iustitiam. An Nero habet remissionem? Sed perit, quia non illapsa est iustitia. Cohorresco haec in Osiandro legens aut cogitans, et miscet alia de personis, de quibus, si vixisset, atrociora certamina fortassis movisset. Scis in nostris Ecclesiis fideliter inculcatam esse doctrinam: in vera conversione, cum corda fide per verbum eriguntur, habitare Deum in conversis, dici consolationem in cordibus a filio monstrante Patrem et dari ab eo Spiritum S. Sed alia quaestio est: unde mens statuere debeat placere se Deo, ut crasse loquar, et quomodo fiat inhabitatio. Hic dicimus placere hominem fide propter mediatorem Deum et hominem, et niti fidem non his novis actionibus, sed ipso mediatore. Ac in infinitum anteferenda est obedientia mediatoris his actionibus, quae fiunt in nobis. Inde abducit homines *Osiander*, obruens remissionem, ita ut dicat factam esse ante annos mille quingentos: et places inquit, quia imputatur divinitas, non meritum Mediatoris. Haec sunt enthusiastica, quae obscurant beneficia filii Dei, et delent veram consolationem. Sed omitto iam disputationem, quam in mea responsione recitabo. Tantum te oro propter filium Dei, et propter Ecclesiam tuam, ne te a consensu aliorum recte docentium apud vos seiungas. Dilexi et ego *Osiandrum*, ut testes sunt viri optimi, D. Hieronymus Bomgartnerus, et D. Camerarius, et D. Brentius, nec ulla in re laesi unquam, texi potius, ut ipse norat. Quantum autem veneni contra me evomuerit, nemo non videt, cum quidem in quibusdam locis sciens falsum dixerit. Inde etiam eius enthusiasmus iudicandus est. Ac de me quidem nihil respondeo aliud, quam quod de se inquit Demosthenes, si me talem esse iudicatis, qualem pingit ille tota usus arte sycophantica, nihil ulla de re credi mihi peto, nec recuso, quo minus rapiar statim ad supplicia. Nec ego de meis ullis inventis pugno. Bono studio ut iuvarem iuniores, communem sententiam Ecclesiarum nostrarum explicare illustratis vocabulis conatus sum. Si quid improbabat, cur nunquam admonuit, cum tanta esset familiaritas? Ut autem filius Dei petit, ut faciat aeternus pater, ut unum simus in ipso, ita nos quoque adiungentes nostra vota et gemitus, ad summi Sacerdotis nostri precationem, oremus aeternum patrem, ut nos doceat et gubernet, et pectora nostra suo sancto Spiritu copulet. Vere adfirmo, te a me diligi, et optare me, ut et consensus sis in veris sententiis inter nos perpetuus, et amicitia perpetua, ac mihi valde gratum facies, si et de sententia tua et amicitia rescribes. Bene vale. Die Brumae, 1552.

Philippus Melanthon.

---

No. 5282. 14. Decb. (Torgae.)

## *Ge. Buchholzero.*

Manlii farrag. p. 290 sq.

*Reverendo viro, D. Georgio Buchholzero, etc. amico et fratri suo carissimo,*

S. D. Reverende vir, et amice charissime: Oro quotidie filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, veterem illum civem Samariae, quem vidit in scala stantem viator Iacob, ut ipse vulnera nostra sanet, et non sinat fieri maiores distractiones Ecclesiarum. Multas iniurias etiam propterea dissimulo, cum mihi non desint arma. Vos etiam adhortor, ut inclytum Principem *Electorem Marchionem* oretis, ne sinat edi scripta, quae sint classica novarum dissensionum. Si noster cursus est ex Deo, non vincent cavillationes futiles, ut multae nobis obiectae sunt multis annis. Deo iu-

vante redibo *Witebergam* ante Calendas Ianuarii. Sed de mittendis filiis expectate meas literas.

De Repub. nihil novi scio, nisi quod scribitur ex Noriberga, decem naves in mari Tyrrheno a Gallo captas esse: et magnam esse potentiam classis Turcicae in mari, et periculum esse Italiae et Hispaniae. Impendet finis regnorum. Oremus Deum, ut servet Ecclesiae reliquias. Bene valete, die 14. Decembris. Torgae, Anno 1553. [1552.]

Salutem opto reverenter viro optimo D. Doctori *Hieronymo*, et toti eius Ecclesiae domesticae, et D. *Matthiae*, et vobis omnibus. Iterum valete.

---

No. 5283. 17. Decb. (Witebergae.)

## C. Peucero.

Epist. lib. II. p. 409. (ed. Lond. lib. II. ep. 426.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissime fili, Sciebam vos et iter meum cognoscere cupere, et si quid ex mercatu *Francofordiensi* allatum esset. Ideo statim ad vos postridie quam huc veni, hunc nuncium misi meo sumptu. Venimus *Witebergam*, quod faustum et felix sit, eo die, quo *Torga* egressi sumus, quanquam bis fractus est currus, sed rursus utcumque colligatus. Cogitabam esse imaginem Politiarum et Ecclesiae, processimus enim Deo iuvante etiam inter haec impedimenta. Qualis sit tempestas vides. Ideo quanquam de lue nihil adhuc audio, tamen expectemus Ianuarium. Mitto vobis literas *Francofordianas*. Scripsit mihi frater, ut solet, amanter, significat propter exercitus vicinos annonam fieri difficiliorem. Sed magnam esse autoritatem apud *Carolum Aeacidae*. Danicam pecuniam accepi. Scribo brevius ut mox abire nuncius possit. Oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut vos omnes servet incolumes. Salutem opto D. *Iacobo Milichio*, Doctori *Christophoro*, D. *Ioachimo Myropolio*, D. *Syndico*. Si quid audies ex *Ioachimo* de Rep. significa. Bene vale et rescribe. Die 17. Decembris, *Witebergae*. φίλημα τῇ θυγατρί σου meo nomine, et filiolo. Clarissimo viro D. Doctori *Milichio* exhibeto fratris et *Cunradi* literas. Adfertur ἀβδίας de vita Apostolorum.

No. 5284. 17. Decb.

## P. Ebero.

† Ex autogr. in bibl. Norinb. descripta a Clariss. *Rannero.*

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Paulo Ebero, fratri et collegae suo cariss.*

S. D. Cariss. frater. Hodie nuncium ad vos meo sumptu misi, qui clarissimo viro, d. doctori *Milichio* literas a fratre adfert, quas attulit *Samuel*, *Cunradi* minister. Significabitis igitur, an ille nuncius fideliter reddiderit fasciculum ipsi traditum. Postea meus convictor *Tilemannus* conduxit aurigam, cui hanc epistolam tradidi, quia literae inclusae civi Torgensi inscriptae erant. Et accepimus deinde, urbem *Metensem* captam esse*), et nominatim nostrum συμποτὴν apud *Reinerum* ab *Aeacide* ad Carolum missum esse. Tuas literas expecto et flagito. Bene et feliciter vale. Filius dei protegat vos et nos. die 17. Decembr.

Philippus.

Salutem dices meis verbis meae familiae et aliis amicis.

---

No. 5285. 18. Decb.

## C. Peucero.

Epist. lib. II. p. 408 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 425.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissime fili, Spero hodie vos accepisse *Francofordianas* literas**). Nunc et hunc nuncium meo sumptu mitto, qui vobis affert femur vituli donatum mihi ab honestissimo sene, *Basilio Matthaeo*. Malui vobis mittere, quam hic absumere, ut esset ἀφορμὴ admittendum nuncium, ac ut a vobis literas haberem. Peto ut rescribas an *Francofordianas* literas acceperitis. Iubebis et *Paulum* scribere. Εἴ τι ἀξιόλογον ἔχετε, significate. Hic Dei beneficio εὐφημία est. Salu-

*) Falsus rumor; etenim mense Decembr. Carolus ab illa urbe discedere coactus est.

**) Vid. ep. d. d. 17. Dcb.

tem opto vobis omnibus, τῇ θυγατρί σου φίλημα καὶ τῷ υἱῷ. Bene et feliciter valete. Die 18. Decemb.

---

**No. 5286.** **21. Decb.**

## *Scholasticis.*

Scripta publ. T. I. p. 441. — Addidi hic hoc Eberi scriptum, quia eius narratio de morte uxoris Lutheri a Corpore Reformatorum abesse posse vix videbatur.

*ViceRector Academiae Witebergensis Paulus Eberus.*

Est vere tragice dictum ab Euripide[1]) de miseria generis humani et infinita mole aerumnarum, quas sustinet haec infirma natura:

*οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ' εἰπεῖν, ἔπος*
*οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος*
*ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.*

Qua sententia, cum ea in theatro Athenis pronunciaretur, ita commotus est Socrates, vir oraculo Delphico iudicatus sapientissimus, ut surgens alta voce inclamaret histrionem, eandemque sententiam repetere iuberet. Omnino enim testatur experientia, multos homini evenire tristissimos casus, quorum ne cogitatio quidem unquam in mentem venerat antea.

Etsi autem ratio humana omnibus temporibus causas quaerit tantae miseriae[2]) in hac praestanti et Deo simillima natura, tamen sola Ecclesia divinitus edocta non causas solum scit harum aerumnarum, sed auxilium quoque unde petat habet, et tutum portum prospicit, quo se liberatam ab his ingentibus malis tandem perventuram videt, ideoque fert etiam praesentes aerumnas patienter, et auxilium Dei implorat, et scit, preces suas non esse irritas, sed aut liberationem aut mitigationem malorum impetrare, et hac spe sese sustentat, quod restet tandem liberatio, allatura aeternam gloriam et laeticiam in aeterna consuetudine cum Deo et domino nostro Iesu Christo, redemtore et liberatore suo.

Hac spe se etiam erexit in magnis calamitatibus pia matrona *Catharina a Bora*, nata ex nobili familia equestris ordinis in Misnia, coniunx reverendi et sancti viri, Domini Doctoris *Martini Lutheri*. Nam cum acerbissimum vulnus accepisset ex morte mariti, quem dolebat in alio loco esse extinctum, ubi aegrotanti adesse et praestare fidem et extrema officia piae coniugis morienti non potuerit, mox subsecuto bello cum orphanis liberis circumerravit in exilio maximis cum difficultatibus et periculis, et praeter viduitatis incommoda, quae multiplicia sunt, etiam experta est magnam ingratitudinem multorum, a quibus sperans beneficia propter mariti sui ingentia merita publica in Ecclesiam, saepe turpiter frustrata est.

Tandem cum contagio pestilentiae etiam domum ipsius esset infecta, ut liberos ex periculo eriperet, quod piam matrem decet, iterum exilii difficultates suscipit, et in itinere, cum consternanti equi currum per avia raptaturi viderentur, territa misera matrona non tam sua quam liberorum causa ex curru desiliens corpus in terram graviter allidit, et in lacunam frigidae aquae labitur, ubi partim consternatione animi, partim afflictione corporis ex illo casu in morbum gravem statim incidit, quo assidue decumbens amplius trimestri in exilio paulatim contabuit. Toto autem morbi tempore se ipsam consolans voce Dei sustentavit, et ardentibus votis placidam migrationem ex hac aerumnosa vita optavit, saepe etiam Ecclesiam et liberos suos Deo commendavit, et precata est, ut puritas doctrinae, quam Deus per mariti vocem huic postremae aetati reddidit, incorrupta ad posteros transmitti possit.

Ei funus fiet hodie hora tertia. Petimus igitur, ut auditores nostri conveniant ad hospitium ipsius, quod est in proxima platea, qua itur ad arcem, et hoc postremum officium praestent honestae matronae, ut testentur, se magnifacere ipsius viduae pietatem, quae egregia in ea luxit in tota vita, et orphanorum gravissimo luctu affici, et memores esse meritorum patris, Dom Doct. *Martini Lutheri* piae memoriae, quae tanta sunt, ut ea nulla vox celebrare satis pro magnitudine possit, et simul preces coniungant, orantes Deum aeternum patrem Dom. nostri Iesu Christi, ut Evangelii lucem, quam per hunc virum immensa bonitate denuo hac postrema aetate mundi accendit, puram conservet, et eius fideles doctores et propagatores tueatur ac regat, et politias protegat, quae Ecclesiis et scholis hospitia mediocria praebent. Torgae die Thomae Apostoli anno 1552.

---

1) Orest. 1 — 3.

2) Editum est: *causas quae sunt tantae miserae*, mendose.

**No 5287.** **22. Decb.**

## *Iac. Milichio.*

† Ex apographo in cod. Mon. 90. VII. p. 426 b.

*Doctori Iacobo Milichio*

S. D. Clarissime vir et charissime frater. Multa sunt impressa naturae rerum vestigia et testimonia de Deo, quae ostendunt, haec pulcherrima mundi corpora mira arte facta et distributa, non casu ex atomis Democriti confluxisse, ac te quidem verum medicum naturae artem aspicientem, scio saepe haec de providentia cogitare. Nec vero dubitemus, nobis restare alium portum, in quo haec hominum natura ad sapientiam condita luce divina fruetur. Gratulanda est igitur *Hedioni**) et aliis piis migratio ad illam veritatis sedem et Academiam tranquillam. Sed Ecclesiae causa doleamus, quae amittit multos senes doctores, quorum eruditio et pietas profuit caeteris. Ego vero et mea causa doleo amissis tot iam senibus amicis, in quibus erat iudicii gravitas et integritas. Nunc inter iuvenes sum velut ὄνος ἐν σφηκίαις, cum mediocri labore evolverim plerasque materias, quarum fuit obscuritas magna in illa prima confusione disputationum huius temporis. Nec raro in meis vulneribus meas pennas agnosco. Sed haec usitata sunt in hac vita. Intueamur ergo immortalitatem, et ad illud iter nos praeparemus. Bene et feliciter vale. Oro filium Dei, ut faciat, ut hic annus Ecclesiae, his regionibus, studiis, doctrinae, tibi et tuae Ecclesiae domesticae sit faustus et foelix. die 22. Decembris 1552.

Ph. M.

---

**No. 5288.** **25. Dec.**

## *Scholasticis.*

Editum in Scriptis publicis Acad. Witeb. T. I. p. 443. — Fuit quidem illo tempore Lindemannus Rector Academiae, scriptum vero Melanthonem habet auctorem, ut non solum argumentum et dicendi genus satis docent, sed etiam Melanthon ipse in epist. d. 19. Ian. 1553. scripta testatur. — Apographon in cod. Goth. 190. p. 138. — Oppositum est hoc scriptum opinionibus Stancari.

*Rector Academiae Witebergensis Laurentius Lindemann Iuris utriusque D.*

Est haec et erit praecipua sapientia in Ecclesia coelesti, coram cernere Deum, et intueri admirandam copulationem naturae divinae et humanae in filio, domino nostro Iesu Christo, et considerare causas huius mirandi foederis, et laetari hoc tantopere et beneficio Dei, et sapientiam et bonitatem Dei aeterna gratitudine et laeticia celebrare. Hic contuitus satis perspicue tunc refutabit et daemones et organa daemonum, homines Epicureos et prophanos, qui Deum contumelia adfecerunt, aut patefactiones eius fabulosas esse existimarunt. Ipsi etiam daemones et homines prophani tunc horribilibus cruciatibus refutari et puniri suos furores sentient.

Interea tamen Deus immensa bonitate vult in hac mortali vita coetum esse aliquem, qui de ipso testimonium dicat; vult agnosci filium, qui massam naturae nostrae adsumpsit, ne totum genus humanum penitus interiret, et ut ipse victima pro nobis fieret, et abolito peccato et morte redderet nobis iusticiam et vitam aeternam. Ac Ecclesiam aeternam hoc uno modo colligit, et non aliter, voce Evangelii videlicet, qua filius agnoscitur et est efficax.

Etsi autem infirmitas humanae mentis non perspicit naturam Dei et mirandam copulationem divinae et humanae naturae in filio aeterni patris, tamen filius Dei, ut assumpsit massam nostri generis, ita aliquos in genere humano voce Evangelii docet et confirmat, ut adsentiantur patefactionibus divinis et vere credant Evangelio. Hi quanquam sunt imbecilles, tamen, ut foetus in alvo matris vivit et lacte per cotylas aliter et expectat lucem ita vivunt et ipsi ceu involuti verbo Dei et aluntur Spiritu sancto, et expectant conspectum Dei in luce coelesti. Interea vero in hac vita mortali sciunt initia sapientiae coelestis discenda esse et fide accipienda esse Dei beneficia, et constanter refutant daemones et prophanos homines, qui filium Dei superbe contemnunt. Cum igitur simus et ipsi voce Evangelii ad agnitionem filii Dei vocati, et simus pars illius agminis, quod involutum verbo Dei ab ipso fovetur et alitur, exuscitemus pectora nostra, et petamus, ut ipse filius Dei nos doceat, et augeat in nobis initia suae lucis, ut eum vere agnoscamus et celebremus, et in vera consolatione praesentiam eius sentiamus.

*) Hedionem Argentorati mortuum esse scripserat Io. Brentius ad Melanthonem in epistola data d. 6. Novb. 1552.

Cumque iam Ecclesia publice proponat doctrinam de copulatione naturae divinae et humanae in Christo, causas tantae rei aliquo modo consideremus, ut pectora magis ardeant in invocatione et gratiarum actione. Non sine consideratione et admiratione praetereamus hoc opus Dei, quod caetera divina opera omnia longe superat, et quod illustre testimonium est immensae misericordiae Dei et amoris erga nos. Sit igitur in causarum cogitatione haec *prima*. Natura humana post lapsum primorum parentum penitus interiisset, seu in nihilum redacta esset, nisi decretum esset, ut filius Dei adsumpta massa nostri generis cognatam naturam sustentaret et servaret. Hoc foedere nobiscum facto nos, ut ita dicam, gestat tanquam de sua cervice pendentes. Hunc servatorem nominat Iacob *Silon*, id est foetum virginis, qui nostram fragilem pelliculam adsumpsit, et factus est ipse horribiliter cruenta pellicula, tanquam *χορίον*, et hoc suae massae *χορίον* servans, nos huic chorio involutos servat.

*Secunda* causa. Cum iustitiae Dei satisfieri oporteret persolutione poenae, congruebat, cum genus humanum deliquisset, ut aliquis in genere humano poenam sustineret. At nec esse homo poterat, nisi filius coaeternus patri adsumeret hanc massam. Ergo hic redemptor Deus et homo est.

*Tertia* causa est. Hic redemptor est sacerdos, quod ad tria officia attinet, ad patefactionem Evangelii, ad deprecandum pro nobis, et ad sacrificium pro nobis offerendum. Nulla autem creatura potest ingredi in Sanctum sanctorum, id est, videre arcana consilia Dei, sed filius, qui est λόγος aeterni patris, profert hoc decretum. Deinde nulla creatura cernit corda petentium, nec arcanam voluntatem aeterni patris. Nec sustinere iram in sacrificio ulla creatura poterat. Est igitur hic sacerdos et Mediator Deus et homo, sicut et Psalmus inquit: Tu es sacerdos in aeternum. Et epistola ad Ebraeos inquit: Lex constituit homines sacerdotes, sermo autem iurisiurandi filium.

*Quarta* causa, ut sit aequivalens precium hic Mediator Deus et homo.

*Quinta* causa. Non satis erat pati, sed cum servaret genus humanum, victor est mortis et instaurator iusticiae et vitae aeternae, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hic igitur Salvator et Deus et homo est. Ac perpetuo adest Ecclesiae suae, est Emmanuel, sustentans, gestans, protegens, vivificans nos dicta consolatione in nobis, ostendens Patrem, et dans nobis de spiritu suo.

Harum causarum cogitatione nos in omnibus aerumnis consolemur. Vetustas hac usa est similitudine: ut surculus trunco insitus vivit, ita massam nostrae naturae insitam naturae divinae deleri non potuisse. Huius nos surculi rami esse sciamus, statuamus, vere nos quoque gestari a filio Dei, hanc consolationem sciamus veram esse et fide amplectendam, et fortiter repugnemus diabolorum et hominum furoribus, qui Deum, filium Dei, Evangelium, Ecclesiam derident, et has consolationes fabulosa poëmata esse dicunt, qui etiamsi tolli prorsus non possunt, tamen nos rectum est de Deo vera testimonia dicere, et filium Dei reverenter amplecti, ut Psalmus iubet: osculamini filium. Experiemur etiam, veram esse ipsius vocem: nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Hunc igitur filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, oramus, ut faciat, ut et hic veniens annus sit faustus et foelix Ecclesiae, studiis doctrinae, et hospitiis Ecclesiae. Tu nostram infirmitatem cernis, fili Dei, Domine Iesu Christe, involute chorio nostrae naturae. Te oramus, ut nos propter tuam gloriam doceas, regas, protegas et serves in tota aeternitate, sis in nobis, et ostendas te in nobis esse, ut plures te recte agnoscant et tibi obediant.

Ut autem significatio reverentiae erga ministerium Evangelii, per quod filius Dei colligit aeternam Ecclesiam, exempli causa ostendatur, praecipimus ut singuli Magistri et Scholastici munera ad aram adferant. In festo, quo Ecclesia Dei in coelo et in terra, Deo et domino nostro Iesu Christo gratias agit de mirando foedere divinae et humanae naturae in filio. Anno 1553.

---

**No. 5289.** **26. Decb.**

## *Io. Praetorio.*

Epist. lib. V. p. 146 sq.

*Iohanni Praetorio (concionatori Vratislav.)*

S. D. Venerande vir, et charissime frater. Vobiscum oro Filium Dei, Dominum nostrum

Iesum Christum, custodem Ecclesiae, ut faciat, ut hic veniens annus sit faustus et felix Ecclesiae, piis hospitiis, et vobis omnibus. In nostra vicinia senex Comes *Albertus Mansfeldensis* excussus est patria et recuperationem molitur: non ut Aratus aut Thrasybulus florentes aetate, sed anno secundo et septuagesimo suae aetatis *). Orate nobiscum Filium Dei, ut poenas leniat. Pagellas vobis mitto meo more. Salutem dices et D. *Musaeo*, et *Adamo*, et D. *Vinclero*, et D. *Sagano* et caeteris amicis. Bene vale. Die Stephani.

Philippus.

---

No. [illegible] 26. Decb.

## C. Peucero.

Epist. lib. II. p. [illegible] (ed. Lond. lib. II. ep. 418.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissime fili, Scis *Euripideum* illud *εἰς ὄμματ᾽ εὐνοῦ φωτὸς εἰσβλέπειν γλυκύ*. Fuit igitur mihi conspectus *Lazani* iucundus, quem si ipsius negotia [illegible], nunc quoque apud nos retinuissem. [illegible] in hac solitudine levationem aliquam eius mihi consuetudo attulisset. Sed vos expecto, nec tamen mea causa vos properare volo. Filii et filiae rationem habebitis. Si ante mercatum *Lipsicum* non ingrediemini iter, ego post *Lipsicum* mercatum ad vos accedam. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut vos et nos protegat et gubernet. Bene vale. Die *Stephani*.

---

No. 5291. 26. Decb.

## Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 97. (ed. Lond. lib. II. ep. 88.).

*D. Iohanni Matthesio*

S. D. Reverende vir et charissime frater, Usitata sunt Ecclesiae exilia, ut commonefaciant nos et de primo exilio, in quo primi parentes coelestem patriam amiserunt, et de Filio Dei, qui pro nobis exul factus est, ut reducat nos in aeternam patriam. Hac cogitatione confirmati facilius ferimus aerumnas harum nostrarum peregrinationum. Sed silentium tuum *Paulus* et ego mirati sumus. Nam cum in hac nostra moestitia maxime reqireremus tuas literas: te hominem officiosum et prudentem nihil scribere, et videri oblitum veterum amicorum doluimus. Ego domum redii. *Paulus* nondum adest. Et familiam nondum huc transvehere potui propter puerperae imbecillitatem, mitto autem pagellam, ut te ad scribendum invitem. *Osiander* emisso telo fugit ex acie more *Parthorum* *). Nunc *Stancarus* de alia causa nobis bellum infert. Oro autem Filium Dei, ut servet et gubernet Ecclesias, ut faciat, ut hic veniens annus felix et faustus sit Ecclesiae, tibi et tuis. Bene vale et rescribe. Pecuniam Bibliopolae dedi ut iussisti. *Witebergae*, die *Iohannis Evangelistae.* 1553. [i. e. 1552.]

---

No. 5292. 26. Decb.

## C. Peucero.

Epist. lib. II. p. 404 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 419.).

*D. Casparo Peucero*

S. D. Charissime fili, Etsi hodie mane literas dedi *Lasano*: tamen hunc misi nuncium, quia responderi mihi a vobis cupio. Tantisper enim donec Deus concedit, frui conspectu et colloquio vestro me posse opto. Et Dei Filium oro, ut vos et nos protegat. De itinere vestro significabitis vestra consilia. Ego hic magis obruor laboribus quam istic. Mitto tibi pagellas, quas auriga ex *Lipsia* iam huc attulit. Habet nuncius et fasciculos literarum *Prussiacos*, et ego *Sciuri* literas mitto, quibus eius libellos additus est. *Ascanius* mihi scribit occupatam esse a *Carolo* Imperatore urbem *Metensem* [1]). Bene et feliciter vale. Salutem opto vobis omnibus. Die *Stephani.*

---

*) Reconciliatus est Carolo Imperatori mense Oct. 1552. Vid. Sleidan. p. 789.

*) Mortuus d. 17. Oct. 1552.

1) Falsa erat fama de Meti capta.

No. 5293. (fere d. 26. Decb.)

## (*Io. Marbachio?*)

† Ex autographo in tabular. Eccles. Evang. Argentorat. mihi descripta a Clar. *Strobelio*. Folium, quod inscriptionem et finem epistolae continuit, periit, sed puto epistolam Io. Marbachio inscriptam fuisse.

(*Ioanni Marbachio, in urbe Argentorato.*)

S. D. Carissime frater. Etsi multorum infirmae mentes variis spectaculis confusionum humanarum saepe moventur, ut de providentia dubitent, tamen nos quidem et intuentes impressa naturae vestigia Dei illustria et divinitus confirmati *καὶ σφραγισθέντες λόγῳ θεοῦ καὶ ἁγίῳ πνεύματι*, certe scimus, colligi a Deo aeternam Ecclesiam in genere humano, et veram esse doctrinam, quam illustribus testimoniis Deus edidit. Hac erecti fide oremus filium Dei, custodem Ecclesiae, ut nos doceat, gubernet et protegat, cum quidem ideo intuerit humanam naturam, ut nos sustentet et gestet, tanquam de cervice sua pendentes. Hunc ipsum filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, oro, ut te et Ecclesiam tuam domesticam gubernet et servet incolumem, ut plures sint, qui de ipso testimonium dicant.

Nos postquam fere semestri propter contagia luis cum familiis vagati sumus, iam, quod faustum et foelix sit, ad nidulos nostros redimus, in quibus tamen contagia metuenda sunt. In hac peregrinatione retexui *τὸ σύγγραμμα περὶ ψυχῆς*. *Balticus orator* more parthico pharetratus, postquam telum emisit, fugit. Nunc *Stancarus* tumultuatur. De stoica necessitate etiam cum *Lelio* *) rixatus sum. Vult nos Deus voluntatem suam ex promissione gratiae agnoscere, quae est universalis. Vult, ut se quisque in hanc universalem includat. Nec ponendae sunt in Deo contradictoriae voluntates. Haec adeo firma sunt, ut labefactari non possint. Acquiesco igitur in hac sententia, ut illud vetus teneam: *ἕλκει μὲν ὁ θεός, βουλόμενον δὲ ἕλκει*. Nec mihi excuti hanc consolationem sino, quae deducit mentem ad universalem promissionem.

Caeterum quo studio collegerim summam doctrinae ecclesiasticae spero te considerasse, cum tot annos una vixerimus, et de omnibus rebus una collocuti simus. Certe voluntas mea fuit et est, ut iuvarem discentes, et semper iudiciis Ecclesiae i. e. piorum et doctorum me subieci et subiicio, et cedam rectiora docentibus. Sed extant scripta ex quibus iudicare non fascinati amore suarum opinionum possunt, utra sit anteferenda. Nondum abieci spem colloquii nostri. Nam si novi motus erunt ad Albim, necesse erit familias alio transvehere. Exulat, ut ipse experiris, Ecclesia in mundo, sed tegi eam a filio Dei statuamus, et hac consolatione dolores leniamus. Mitto vobis meo more pagellas, quae ostendunt, Dei beneficio aliqua esse doctrinarum studia in his Academiis. *Hedioni* *), et *Christophoro*, et aliis, qui ex hoc carcere in coelestem Ecclesiam evocati sunt, gratulemur felicem migrationem, quamquam et Ecclesiae causa . . . . (*Reliqua perierunt.*)

*) Cod. *Socino*.

*) Mortuus est Casp. Hedio d. 17. Oct. 1552.

---

No. 5294. (hoc anno.)

## *Ioach. Camerario.*

Epist. ad Camerar. p. 666 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 805.).

*Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.*

S. D. Etsi humana remedia communium dolorum nulla iam reliqua sunt, et tantum hac consolatione sustentamur, quae est in tuo carmine: *Turbari erigimus Deus ad te lumina cordis:* tamen ad te expatiari decrevi, quam primum potero. Nunc generum hortatus sum *σπεύδοντα γε*, ut istic proficisceretur. Oro autem filium Dei, ut et te et tuos servet incolumes, et leniat aerumnas publicas.

Nunc in manibus habeo historiam *Ebrarti* Ducis Wirtebergensis **), qui fuit *οἰκιστής* Academiae Tubingensis, quem intuens, et cogitans de iis viris, quos ille et consiliorum gubernatores, et laborum socios habuit, magis etiam deploro nostri temporis confusiones et calamitates, sed inter hos fluctus tamen filius Dei suam cymbam servabit, qui ideo induit naturam nostram, ne his tantis malis

**) Secundum Mylium in Chronol. libror. Melanth. oratio de Eberhardo Duce Wirt. prodiit a 1552. Sed in nulla epistolarum huius anni Mel. hanc orationem commemoravit.

in nihilum redigeretur, quibus genus humanum oneratum est. Bene et feliciter vale.

Philip. Melanth.

---

No. 5295. (h. a.)

## Cph. Libio.

† Epistola adscripta exemplo Manlii farraginis quod exstat in bibl. Reg. Berolinensi. (*Foerstemann.*)

*Ph. M. ad Christoph. Lybium.*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Legi tuum scriptum et probo; sed verecundius loquor, cum dico de copulatione duarum naturarum. Non utor hac phrasi: *necesse fuit*, *oportuit* mediatorem esse Deum et hominem; sed utor hac phrasi: *congruebat*, qua voce et alii usi sunt, ac studeo vitare offensiones. Sed tuo more loquuntur Irenaeus et Chrysostomus, ἐγ......[1]) τῶν ὅδε φύσεων αὐτὸν ἐ......[2]) Sed haec coram.

---

No. 5296. h. a.

## (Testim. de Boetttichero.)

(Strobel N. Beiträge, III. p. 205.)

*Omnibus lecturis has literas*

S. D. Utrumque vox divina praedixit, in hac ultima et languida senecta mundi et maiores fore generis humani confusiones, quam fuerunt antea, et tamen filium Dei collecturum esse Ecclesiam aeternam usque ad resuscitationem mortuorum, etiam inter has imperiorum ruinas; et quidem collecturum esse, ubi vox Evangelii incorrupta sonat. Hac spe nos in tantis tumultibus sustentemus et studia doctrinae non abiiciamus.

Laudanda est igitur virtus *Iohannis Bottiches*, nati ex honestis parentibus in oppido Marchiae *Rupino*, quod in hac temporum difficultate hanc scholasticam militiam, quam scit Deo gratam esse, non relinquit. Est autem natura eius et avida et capax doctrinarum, ac linguam latinam recte didicit apud virum clarissimum, eruditione et eloquentia praestantem, *Antonium Walterum*. Postea in Academia nostra ad latinam linguam adiunxit graecam et initia philosophiae et doctrinam Ecclesiae Dei incorruptam, et animi pietatem vera invocatione Dei et honesta morum gubernatione exprimit. Scribit solutam orationem et carmen, quod specimen est et ingenii elegantis et honestae voluntatis.

Cum igitur spes sit, Ecclesiae Deo iuvante et communi hominum vitae aliquando usui futurum esse, oro bonos viros, ut eum ornare studeant. Oro etiam filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut hunc Iohannem gubernet et faciat eum σκεῦος ἐλέους, et organum salutare reipublicae. Bene vale, candide Lector. 1552.

---

No. 5297. h. a.

## (Dictum.)

† Ex apographo in cod. Goth. 191. p. 102. (Sunt dicta, libris amicorum inscripta.)

Ioannis 14. cap. inquit filius Dei: *si quis me diligit, sermonem meum servabit, et pater meus diligit eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.* Haec concio doctrinam necessariam et dulcissimam consolationem continet. Docet enim, quae et ubi sit vera Dei Ecclesia, et huic attribuit consolationem, quae omnium maxima est. Affirmat enim, hunc coetum esse veram Dei Ecclesiam, qui evangelium Dei audit, discit, fide amplectitur, amat, confitetur, et nova obedientia obedire ei incipit. Removenda est enim ab hoc dicto interpretatio sophistica, quae ex lege huc non recte transfertur: „hos a Deo diligi, qui servant sermonem", i. e. qui legem perfecte implent. Nam servare sermonem est doctrinam fideliter custodire et confiteri, ut postea Christus de apostolis loquens inquit: eos servasse sermonem, i. e. custodes fuisse doctrinae. Ita fiet haec concio dulcissima bonis mentibus, si hoc modo dextre intelligatur. Tu, si discis et fide amplecteris evangelium, et bona conscientia incipis ei obedire, vere servas sermonem Christi, et es membrum verae Ecclesiae Dei et domicilium Dei. Postquam autem didicimus ex hoc dicto, quomodo efficiamur membra Ecclesiae Dei, scilicet cum fide amplectimur et confitemur evangelium, simul et magnitudo promissionis consideretur: hos diligit pater, in his habitat. Ergo etiamsi variis et ma-

---

1) Fortasse ἀναγκαῖον.

2) Haud dubie εἶναι.

gnis calamitatibus Ecclesia exercetur, tamen veram consolationem teneamus, nos Deo aeterno patri, dom. nostro, curae esse, nos exaudiri et habituros esse auxilium in hac vita et postea in vita aeterna. Nec putemus, haec dicta meras hyperbolas esse, sed sciamus, certas et immotas promissiones Dei esse, et earum cogitatione nos consolemur.

## *Τὸ αὐτὸ ἄλλως.*

(Extat etiam apud Manlium p. 155. sed paulo aliter.)

*In Msto:*

Filius Dei inquit in cap. 14. Ioann. *ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ᾽ αὐτῷ ποιήσομεν.* Hanc necessariam doctrinam et dulcissimam consolationem teneamus infixam animis, et saepe cogitemus. Primum docet haec sententia, quid et ubi sit vera Dei Ecclesia. Affirmat enim coetum esse visibilem, qui docet, audit, discit, fide amplectitur et propugnare studet incorruptam evangelii doctrinam. In hanc veram Ecclesiam te quoque includas et certo statuas, te verae Ecclesiae Dei membrum esse, cum audis, discis, fide amplecteris incorruptam evangelii vocem. Postquam autem didicimus, quid et ubi sit vera Ecclesia, proponamus nobis etiam dulcissimam promissionem et consolationem, quae hic recitatur. Habitat Deus in hoc suo coetu et protegit, vere exaudit, et vult opem ferre invocanti in hac vita, et post hanc vitam vult te socium esse consuetudinis suae et filii sui in aeterna vita.

*Apud Manlium* p. 155. Legitur etiam in *Io. Olearii Serinio antiquario,* p. 156., sed plenius.

Iohannis 14. inquit filius Dei: *ἐάν τις* etc. Semper in mente circumferendum est, et cogitandum saepe hoc dictum filii Dei, quia doctrinam necessariam et consolationem dulcissimam continet. Docet enim, quae et ubi sit vera Ecclesia, et adfirmat, hunc visibilem coetum vere esse Dei Ecclesiam, qui legit, audit, discit, fide amplectitur et amat Evangelium, et ei obedire incipit, ac vera membra Ecclesiae Dei esse singulos, qui discunt, fide amplectuntur et amant Evangelium et ei obedire incipiunt. Haec est vera et nativa sententia horum verborum Christi: *si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater diligit eum, et mansionem apud eum faciemus.* Non enim ociosa concio est, sed ut †intelligatur accommodanda est ad doctrinam de Ecclesia, ut dixi. Ac ut "[1]) dextre et vere intelligatur, necesse est reiici interpretationem[2]) monachorum, qui cum hoc dictum enarrant more legis aut *νομικῶς*[3]) †seu de impletione legis, et transformant ipsam Evangelii[4]) in legem[5]) corrumpunt totam sententiam, et dulcissimam consolationem vertunt in dictum impossibile et ingratum[6]). Ut autem explicatio fiat planior, syllogismum adiiciam[7]). †Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Nemo servat sermonem Dei, quia nemo diligit ex toto corde etc. Ergo nemo diligit. Ac sequitur, totam hanc concionem nobis inutilem esse, ut consentaneum est, multos cogitare legentes hoc dictum Christi. Sed respondendum est initio ad maiorem. Hoc dictum non intelligendum est *νομικῶς*, seu de impletione legis, ut lex loquitur: *maledictus qui non permanet in omnibus* etc., sed de custodia doctrinae, quae tamen fit fide et bona conscientia, sicut totus Psalm. 118. loquitur. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini*; id est: Beati qui doctrinam a Deo traditam retinent sine corruptelis et eam legunt, discunt, fide amplectuntur, amant, et ei obedire incipiunt. E contra damnati sunt et abiecti a Deo, qui aspernantur aut oderunt, aut corrumpunt doctrinam a Deo traditam. Haec summa est et Psalmi illius et huius dicti in hac concione filii Dei. Cum sic intelligatur hoc dictum, fit possibile et gratum et consolatio est dulcissima."

Philippus Melanthon.

1547. (In anno error esse videtur.)

---

1) Haec addit mst. Olear. 2) Olear. *errorem.* 3) Olear. *dictum interpretantur νομικῶς.* 4) Puto excidisse: *concionem.* 5) Haec addit mst. Olear. 6) *vertunt in ingratam et acerbam reprehensionem*] mst. Olear. 7) His verbis desinit Manlii textus nec habet subscriptionem; sed habet, quae sequuntur, mst. Olearii.

Simile scriptum Philippi nuper edidit *Ullmannus* in „den theologischen Studien und Kritiken" Vol. I. p. 794., quod inscriptum est volumini bibliorum in Biblioth. Hamburg., anno 1552. (an manu propria Philippi, an alterius?), et sic se habet:

Der Sohn Gottes Jesus Christus spricht im 14. Capitel: **Wer mich liebet, der wird meine Rede bewahren, und mein Vater wird ihn lieben, und wir werden zu ihm kommen und Wohnung bei ihm machen.** Dieser Spruch soll allen Menschen sehr wohl bekannt seyn, und oft betrachtet werden, darin eine sehr nöthige Lehre und der höchste Trost gefaßt sind.

Erstlich die Lehre ist, welche die wahrhaftige Kirche Gottes ist, und wo sie ist, und bezeuget, daß nämlich die wahrhaftige Kirche Gottes ist diese sichtbare Versammlung, welche reine Lehre des Evangelii predigt, lernet, mit Glauben annimmt und bekennet. In diese sichtbare Versammlung sollst du eingeleibet seyn, und wissen, daß du selbst auch ein Gliedmaß wahrhaftiger Kirchen bist, so du reine Lehre des Evangelii hörest lernest, mit Glauben annimmst, und den Gehorsam angefangen hast; und sollst wissen, daß Gottes Gebot ist, daß du diese rechte Kirche suchen sollst, und dich zum Predigtamt halten mit rechtem Glauben, Anrufung, Bekenntniß und Liebe, wie der 26. Psalm spricht: **Eins bitte ich vom Herrn, dieses begehre ich, daß ich in des Herrn Haus Wohnung habe alle Zeit meines Lebens.**

Darnach sollst du hier die allerhöchste Verheißung und den gnädigsten Trost merken, und mit Glauben annehmen: der Vater liebet dich um des Sohnes willen, vergibt dir deine Sünde, nimmt dich an in seine Gnade in diesem Leben, wiewohl wir noch schwach und unrein sind, und so du dieses glaubest und vertrauest auf den Mittler Jesum Christum, Gott und Menschen, so bist du Gottes Wohnung, und wirken in dir der ewige Vater und Sohn durch das Evangelium und heiligen Geist neues Licht und neuen Gehorsam, und erhöret und schützet dich Gott in diesem Leben, und lindert das große Elend dieses Lebens, und hernach, so Gott alles in allem seyn wird, wirst du ihn klar anschauen, so er dir in der himmlischen Kirchen ewiges Leben, Licht, Weisheit, Gerechtigkeit und Freude geben wird. Betrachte, wie ein hohes Gut ist, Gottes Wohnung seyn, und daß solches durch diesen Glauben erlanget wird, der auf den Mittler Jesum Christum, Gott und Menschen, vertrauet. 1552.

Philippus Melanchthon.

## No. 5298. h. a.

### (*Dictum.*)

† Sua manu Melanthon exemplo biblior. germ. Lutheri (Wittenb. 1545. durch Hans Luft, fol.) quod habetur in biblioth. Regia Dresd. (mss. Scrin. A.) inscripsit haec, quae sequuntur (descripta a Clariss. *Gersdorfio*):

Gottes Kirch und Wohnung die reine Lahr des Evangelii mit Glauben annehmen, und soltu gewißlich wissen, daß Gottes unwandelbarer Wille ist, daß alle Menschen seinen Sohn den Herrn Jesum Christum erkennen und das Evangelium hören, lernen und annehmen, und Gliedmaßen seiner Kirchen werden, und so du reine Lahr des Evangelii lernest und annimmst, bistu gewißlich ein Gliedmaß der rechten Kirchen Gottes. Weiter soltu auch diese Verheißung und diesen Trost wissen, daß diese wahrhaftige Gliedmaß der Kirchen Gottes haben Vergebung der Sünd, und sind gerecht durch den Herrn Christum und sind Gottes Wohnung. Er will sie gewißlich mit ewiger Gerechtigkeit und ewigem Leben begaben, und will sie auch in diesem Leben erhören, regieren, behüten, und ihnen alle Angst lindern. Diese große Verheißung und diesen hohen Trost sollen sie mit wahrhaftigem Glauben annehmen, und durch diese Wort uns trösten und zufrieden sein, und dieser Gnaden und Gaben und Hülf gewißlich werden.

1552.

Philippi Melanthonis
propria manu scriptum.

## No. 5299. h. a.

### (*Quaestio.*)

(Quaestionem quam Pezel. in Mel. Consil. lat. II. p. 197. de dicto Iesaiae: „si peccata vestra fuerint ut coccineum" etc., dedit, vide in Melanthonis Quaestionibus academicis.)

## No. 5300. —

### (*Annales ad ann.* 1552.)

Adiecit Pezelius libello: Melanthons christliche Berathschlagungen und Bedenken p. 719., etiam *Annales* inde ab anno 1552. a Melanthone scriptos, quos nunc singulis annis adiunximus propterea, quod, quae a Melanthone conscripta sunt, commentarii loco haberi possunt eorum, quorum in epistolis cuiusque anni, ad amicos scriptis, passim iniecit mentionem. — Scriptum ita inscripsit Pezelius:

*Annales*

das ist, historische Verzeichnisse etlicher fürnehmen Sachen, so sich von Anno 52 bis auf das Jahr 60 zugetragen, aufgezeichnet von Herrn Philippo Melanthone.

*(Annales Mel. ad annum* 1552. *spectantes.)*

Im Jahr nach der Geburt unsers Herrn und Heilandes Jesu Christi 1552. im Mayen ist die Universität Wittenberg in Sterbensläuften gen Torgaw verlegt worden. Es gibt aber die Erfahrung, daß allezeit zu Wittenberg die Pestilenz heftiger regiere, wenn Saturnus ist im Löwen, oder im Wassermann, und sonderlich, wenn Saturnus und Mars seynd in signis oppositis oder im Gegenschein. Dargegen ist weniger Gefahr, wenn Saturnus ist im Stier oder Scorpion. Eben nun dies Jahr 1552., als Saturnus war im Wassermann und Mars im Löwen, und ihr täglich viel sturben an der Pestilenz, zogen der mehrer Theil der Professoren und der Studenten hinüber nach Torgaw, da ihnen von denen zu Torgaw Herberge und aller guter Wille widerfahren, daß also die Professores ohne Verhinderung im Lesen fortfahren konnten.

Dies Jahr nahm Herzog Moritz, Churfürst zu Sachsen etc. Knecht an. Denn weil er vormals gebethen, Kaiser Carl wollte die gefangenen Fürsten, als Herzog Johann Friedrich und Landgrafen Philipps, loslassen, und der Kaiser solches immer je länger und länger aufzog: als sammlete obgedachter Herzog Moritz Kriegsvolk, und suchet ferner an, und bat zugleich, man wollte die Land und Kirchen, der Augsburgischen Confession zugethan, bei Frieden erhalten. Derwegen ward ein Tag gehalten zu Passaw, dahin König Ferdinandus, und andre Fürsten deutscher Nation sampt ihren Gesandten zu Hauf kamen, daß sie vom Friede handelten.

Und weil der Kaiser die gefangene Fürsten gnädig loß*), und unsern Kirchen und Landen Frieden zusagte, auf daß jedermann spüren könnte, daß Herzog Moritz nur allein der gefangenen Fürsten Erledigung, und dieser Kirchen Fried und Ruhe gesucht, und sonst nichts wider den Kaiser oder das Reich vorzunehmen in Willen gewesen, zog er, Herzog Moritz, alsbald mit alle seinem Kriegsvolk in Oesterreich, und beschützte dasselbe wider den Türken und rettet es aus großer Gefahr. Denn der Türk schon heraufgeruckt über Presburg, und befahret sich jedermann, er würde Presburg und Wien belagern. Aber Gott gab Gnade, daß Herzog Moritz den Türken eilend zurücktrieb, daß er wieder nach Ofen ziehen mußte, und denselben Winter und folgenden Sommer nicht weiter herauf streifen durfte. Derhalben danken wir dem ewigen Sohn Gottes und bitten ihn als den ewigen Wehrer und Beschützer seiner Kirchen, er wolle die Türkische Verwüstung zurücktreiben, und die Kirchen in Deutschland und Ungern, desgleichen auch diese unsre Universität gnädiglich schützen und erhalten.

[Quae iam sequuntur ad annos 1553. et sequentes pertinentia, quaere suis locis.]

---

*) lossagte.

# ADDITAMENTA.

In conventu Philologorum, Gothae nuperrime habito, *Carolus Schoeppach*, Doctor in illustri Gymnasio Meiningensi, mihi attulit novem epistolas Melanthonis nondum editas, et ad ann. 1551 et 52. pertinentes, descriptas ex autographis, in quo casu incidit in perlustrando tabulario Comitum, vel potius Principum *Hennebergensium*. Quarum epistolarum tres, videlicet illae quae datae sunt d. 8. Sept. et 30. Nov. 1551. et d. 12. Febr. 1552. Corpori Reformatorum suis locis inseri non potuerunt, quia typographi, quum epistolas mitterem, iam versabantur in epistolis anni 1552. typis exscribendis. Hic igitur eas adieci. — Iudicium, epistolae d. d. 12. Febr. 1552. additum ex alio autographo legitur quidem p. 937. No. 5067., sed nec iusto loco positum nec integrum; quare hic illud ex autographo, simul cum epistola, et cum notis Aquilae iterum dedi. Adde igitur:

Pag. 832. post No. 4963.:

**No. 5301.** — **8. Sept. 1551.**

## *Principibus Henneberg.*

† Ex autogr. Melanth. in Tabulario Hennebergico mihi descripta a Cl. *Car. Schoeppachio*, doctore in Gymnasio Meining.

An die Grafen Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

Gottes Gnad ꝛc. — E. F. G. füge ich unterthäniglich zu wissen, daß vor vielen Jahren in diesen Landen durch den ehrwürdigen Herrn Doct. Martinum von der Excommunication bedacht ist, daß nicht ein jeder Pastor und Prediger Macht haben soll, seines Gefallens jemand zu excommuniciren, sondern daß ein ordentlich Consistorium sollte aufgericht werden, und mit verständigen Leuten bestellet. An dasselbige Consistorium sollten die Pastores solche casus bringen, da sie meinen, daß sie strafwürdig seyn sollten. Aus diesem christlichen Bedenken ist ein wohlgeordnet Consistorium aufgericht zu den Ehesachen und zur Excommunication in strafwürdigen Sachen. Ihnen ist auch eine ganze Ordnung gestellet von Processen und Sachen, die an das Consistorium gehören.

Mit solchem Consistorio ist die Unordnung, davon E. F. G. schrieben, abgewandt, und mögen E. F. G. darauf gedenken, wie sie in Ihrer Herrschaft auch also ein ziemlich Consistorium ordneten, wie auch in andern Herrschaften geschehen. Dieses ist nützlicher denn mit einem Befelch die Unordnung wollen verhüten.

Von E. F. G. Buch hab ich mich mit den andern in dieser Eil noch nit unterreden können, will es aber E. F. G. im Leipziger Markt wiederum zuschicken, mit Anzeigung was unser sämptlich Bedenken ist. Gott bewahr E. F. G. allezeit gnädiglich. Datum Witeberg am Tag der Geburt Maria der Mutter Christi, 1551.

---

Pag. 860. post No. 4986. adde:

**No. 5302.** — **30. Nov. 1551.**

## *Principibus Henneberg.*

† Ex autographo, Melanthonis manu scripto, in Tabulario Hennebergico mihi descripta a Cl. *Carolo Schoeppachio*, doctore in Gymnasio Meiningensi.

An die Grafen Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

Gottes Gnad ꝛc. — E. F. G. als hochlöbliche christliche Regenten wissen, daß in aller Regierung eine

Straff seyn muß, und wie die weltlichen Strafen von Gott geordnet sind durch die weltlich Oberkeit, das ist E. F. G. unverborgen. Nu ist allezeit auch vor der sichtbarlichen Zukunft des Herrn Christi ein Kirchengericht und Kirchenstraff gewesen. So hat der Sohn Gottes selb ein Proceß gestellt Matth. 18.: dic Ecclesiae, den auch St. Paulus zu den Korinthern hält und spricht: er wolle selb niemand straffen ohne Zeugen, 2 Korinth. 13. und thut dergleichen Befelch zu Timotheo. Nachdem nu die Kirchengericht und Kirchenstraff durch die Bischoff in Mißbrauch kommen sind, oder ganz vertilget, sollen wir billig in unsern Kirchen, darin wahrhaftige Gliedmaß Christi sind, wiederum Kirchengericht bestellen, wie durch Gottes Gnaden auch durch des Ehrnwürdigen Herrn Doctoris Martini Lutheri Rath und Bedenken in etlichen Landen ziemlich geschehen ist. Also bitten und rathen wir unterthäniglich, E. F. G. wollen auch ein Consistorium in Ihrem Land mit fünf christlichen verständigen Personen ordnen. Dieses würde in viel Wegen zu Zucht und zu Frieden, auch zu Einträchtigkeit in der Lahr bei den Pastoren selb dienen, und würde eine Forcht machen bei den Pastoren und gemeinem Volk. Auf diesem Rath berugen wir. Denn daß auch ein jeder Pastor allein wolle diese Gewalt brauchen, die Leut zu bannen, können E. F. G. selb bedenken, welche Unordnung und Trennung mit der Zeit daraus folgen wollt. So ist auch nicht vergeblich gesprochen: dic Ecclesiae, damit nicht ein jeglicher allein seines Gefallens dieses höheste Urtheil in der Christenheit zu sich ziehe. Dieses ist auf E. F. G. Schrift unser unterthänig Bitt und Bedenken, und senden wir E. F. G. das Büchlein wiederumb, darin viel christlicher Erinnerung sind. Aber zu Anrichtung der Kirchengericht oder Consistorien wird noth seyn, uff etlich mehr Artikel zu gedenken, welche casus an diese Gericht gehören sollen, und wie die Vermahnungen und Bann ihre Ordnung haben sollen. E. F. G. fügen wir auch zu wissen, daß auf den 27. Tag Octobris durch Gottes Gnad in Hungarn das Türkisch Volk in die Flucht geschlagen ist, und seind bei acht tausend türkisch Kriegsvolk erschlagen, und ihnen etlich Stuck Büchsen genommen. Der allmächtige Gott wolle der armen zerstreueten Christenheit helfen und E. F. G. gnädiglich bewahren und regiren. Datum Andreä 1551.

Ewer Fürstl. Gnaden
unterthänige Diener
Iohannes Bugenhagen Pomer. D.
Georgius Maior D.
Philippus Melanthon.

Pag. 942. post No. 5052. adde

No. 5303. 12. Febr. 1552.

## *Principibus Henneberg.*

† Ex autogr. Mel. in Tabulario Henneberg. descripta a Clar. *Carolo Schoeppachio*, doctore Gymn. Meiningensis.

An die Grafen Wilhelm und Georg Ernst von Henneberg.

Gottes Gnad ꝛc. — E. F. G. sende ich das Büchlein vom Bann [1]), sampt meinem und des Ehrnwürdigen Herrn *Erasmi Sarcerii*, Predigers zu Leipzig Bedenken. E. F. G. habe ich auch ein gedruckte Schrift zugesandt, gestellet von des Osiandri Disputatio, und sende hiemit dergleichen zwei Exemplar, und bitt, E. F. G. wollen am Verzug kein ungnädig Mißfallen haben.

Die Forma des Consistorii hat in der Eil da ich noch [2]) in Witeberg gewesen, als ich von Dresden abgereiset, nicht können abgeschrieben werden, aber E. F. G. mögen davon an den Ehrnwürdigen Herrn Doctor Forsterum schreiben lassen.

Von Zeitungen ist anher geschrieben, daß 22. Ianuarii der Protector in England, des jungen Königes Mutter Bruder geköpft ist. Item, daß der König von Frankreich ein Festung belagert habe an der Frontir ꝛc. Item vieler Flecken und Dörfer Verderbung durchs Wasser.

Der allmächtige Gott Vater unsers Heilands Ihesu Christi wolle E. F. G. allezeit gnädiglich regiren und bewahren. Datum Witeberg 12. Februarii 1552.

(*Iudicium adiacens*, quibus Casparus Agricola verba quaedam sua manu adscripsit:)

Ich und andere haben zu Verhütung solcher Spaltungen der Prediger und aus vielen andern Ursachen gerathen, daß man ein Consistorium ordnen soll, dem der Bann mit ordentlichen Processen befohlen sey. Denn dieses ist auch nit recht, daß ein jeder Prädicant ohne Erkenntniß in criminibus non notoriis, den Bann fulminiren wollte, und was daraus folgen würde, können alle Verständige leichtlich achten. Denn ohne Erkundung zu sprechen in non notoriis ist wider öffentliche Gottes Gebot Deuter. 17. verum sit et certum [3]).

1) Scripti a Casp. Aquila.

2) noch?] rectius fortasse: nicht.

3) (Aquila:) wahr und gewiß muß man es erfahren, nit aus hören sagen urtheilen. Gottlob das lernet [lehret] mein Büchle aufs allerstärkst gegründt aus heiliger Schrift, bestehet auch noch fest steif und unumbgestoffen, Trotz sei allen Porten der Höllen. Amen.

So viel aber das übersendet Buch belanget, finde ich diese Weitläuftigkeit [4]), daß es indistincte redet, und hält nicht Unterschied zwischen notoriis criminibus et non notoriis [5]). Der Unterschied ist wohl zu halten. Denn so einer notorie im Ehebruch lebet, oder dergleichen, soll ihn der Pastor nicht zur communio sacramenti zugehen lassen [6]), also mag ihn auch der Prediger offentlich bannen; doch soll er ihn dennoch zuvor vermahnen [7]). So es aber nicht notorium ist, soll die Inquisitio vorgehen [8]).

4) Beweiset das, lieben Herren. So Ihr das könnt, sollt mein Antwort hören aufs allerbest, zu Gottes Lob und zu Trost der lieben Kirchen.

5) Das sollen diese beide anzeigen, wo doch sollichs in meinem Buch stehet. Will ich gern mich unterrichten (aus Gottes Wort) lassen. Wo nit das geschieht, will ich ihnen recht antworten. M. Victorinus *Strigel*, der oberst Rector und Theologus in Jena, bekennet daß mein Buch ganz unsträflich. Das ist auch die Wahrheit. Wem das nit wohlgefällt, der mach es besser, und bring Gottes Wort mit, mich da zu überweisen.

6) Das haben wir vor 40 Jahren sämptlich gethan, ohn alle Scheu, Gott sey Lob.

7) Das will mein Buch haben aus der Schrift.

8) Daß man es gewiß sey.

Dieses acht ich sey die Meinung im zugesandten Buch, die nit sträflich ist. Doch wäre es klarer, so es den Unterschied [9]) inter notoria und non notoria ausgedruckt hat [10]). Solchem Gezänk [11]) kann aber ohne ein Consistorium nicht gerathen werden, denn die inquisitio kann nit durch Privatpersonen geschehen, soll auch nit durch Privatperson geschehen, aus vielen wichtigen Ursachen [12]).

Philippus Melanthon
manu propria
**1552.**
Erasmus Sarcerius subscripsit.

9) Zeig mir das an, wo da das stehe.

10) Wer gute Augen hätt, der konnte wohl verstehen, daß dies mein Buch recht deutlich von den offenen und ungewissen heimlichen Laster leret.

11) O zeig das her!

12) Das vermag mein Buch, und lehret Gottlob noch also, daß nit ein iglicher Pfarrer, durstig aus eigner Rach so plötzlich unerkannt soll bannen. Wo aber kein recht ordentlich Consistorium (nit auf der Papisten Weise ein falsch Consistorium) wäre: muß man mit der christlichen Oberkeit und ihr verordnete Räthe und Gelehrten sollichs wohl bewegen, und bedenken was zu thun sey in solchem Fall, zur Besserung der Kirchen.

## CORRIGENDA.

---

### Vol. V.

In Annal. vitae Mel. pag. VII. lin. 18. a fine pro *in*ter lege *i*ter.

— IX. ad 16. Septb. pro *Aula, ut* scribe: Aula *iubet*, ut.

— X. lin. 14. pro *vitae et* scribe: *vitaret*.

Pag. 509. Ep. No. 3853. Haec epistola hic delenda est. Iusto loco legitur infra No. 4208.

— 510. lin. 5. a fine pro adfl*ectis*s. lege adfl*ictis*s.

— 598. lin. 7. pro proficisceret*er* l. proficisceret*ur*.

— 788. lin. 15. lege *νοσοῦντι*, *καὶ δυςπραξίᾳ*.

### Vol. VI.

Pag. 97. No. 3431. lin. 4. scribe: Ca*n*tagieser.

— 117. No. 4382. lin. 4. scribe: reliqu*i* theolog*i*.

— 157. lin. ult. not. pro secund*am* l. secund*um*.

— 225. No. 4415. lin. 12. scribe: *ἐντυγχάν*.

— 405. No. 4532. lin. 2. pro libr*um* l. libr*o*.

— 610. No. 4788. lin. 11 et 12. pro expositur*os* l. expositur*us*.

— 610. Nota ** pro *extremas* scr. *magicas*.

— 655. lin. 12. post *machinam* signum * delendum est.